R. P.

JACOBI LOBBETII LEODIENSIS

SOCIETATIS JESU THEOLOGI,


CONCIONES
IN EVANGELIA
FERIARUM TOTIUS QUADRAGESIMÆ

SIVE

OMNIVM OPERVM
TOMUS SEPTIMUS ET ULTIMUS

ANTEHAC NUNQUAM EDITUS.

CONCIONES DOMINICARVM ET FESTORVM
totius Anni, uti & ad Moniales, Prioribus Tomis continentur.



LEODII,
EX OFFICINA TYPOGRAPH. JOAN. MATHIÆ HOVII,
Ad inſigne Paradiſi Terreſtris. M. DC. LXXII.

SVPERIORVM PERMISSV.

REVERENDISSIMO
ET GRATIOSO DOMINO,
D. PHILIPPO DE LA NEUFORGE
IMPERIALIS ATQUE EXEMPTI MONASTERII
DIVI CLEMENTIS WILLIBRORDI
ORDINIS SANCTI BENEDICTI
FELICIBUS AUSPICIIS, COMMUNI PATRIÆ BONO,
OMNIUM GRATULATIONE ATQUE PLAUSU
ABBATI,
DOMINO EPTERNACENSI,
TOPARCHÆ IN DREIS, BOLLENDORFF, WALRE,
WEERDÆ, SCHENGEN, ETTELPONTI, &c.

SALUTEM AC FELICITATEM.

DUm hæc ſcribo (quæ Dei beneficentia eſt) annum ago ætatis octogeſimum, Religionis ſexageſimum, Sacerdotii quinquageſimum: proindéque ſi quid in eis ſenile, ſi quid incultum incurrat, venia danda erit ætati: & verò, uti confido, dabit Reverendissima Dominatio vestra, pro ea, qua eſt in Clientes ſuos benevolentia, in ſibi ſubditos caritate, in omnes liberalitate: & certè tam hanc, quàm illam mirum quantum deprædicant Religioſi Veſtri, qui de hoc uno gaudent, & gloriantur, quòd non tam Præſulem experiantur quàm Patrem: Patrem, inquam,

affectu: imò & matrem indulgentia, quantum patitur religioſæ diſciplinæ rigor, quem integrum atque inviolatum ſervari voluiſti: & meritò: ubi enim rigor, ibi & vigor, quem ſi ſuſtuleris, & Religionis decus, & propè nomen ſuſtuliſti: nec tam ſtatum Religioſum Angelis ipſis ferè invidendum; reliquiſti, quàm illius umbram atque inane ſimulacrum: & hoc primum à REVERENDISSIMA & GRATIOSA DOMINATIONE VESTRA bonum eſt, ex quo Infulam induit, & Pedum geſtavit, ſingulari Dei Providentia ad id muneris atque officii aſſumptus. Sed hæc inter privatos parietes manet, ſeſeque continet gratia: alia eſt, quæ ex iis erumpit in publicum, & bono communi ſervit, imò & Provinciæ, totique Patriæ, quod pietatis eſt. Viri magni non tam ſibi naſcuntur, quàm publico, nec tam ſuis commodis, quàm utilitati communi, & omnium bono: cui hactenus conſultum ipſe voluiſti: imò & per Te conſultum voluere Patriæ Ordines, qui Prælatos inter, inter & Nobiles, Te nominavere ſæpiùs, ut Bruxellis Civitate Regia ageres negotia Patriæ, eaque proponeres Gubernatori Regio, quæ faciebant, ſeu in præſentia ad levamen, & ſolatium afflicti ſtatus, ſeu in futurum ad declinandum ea omnia, quæ pro iniquitate temporum, in eam Belgicæ regionem induci potuiſſent: quod hactenus factum, & factum benè Te Auſpice: & hoc eſt, quod & agnoſcit, & commendat hæc anni tempeſtas, quod & agnoſcet, & commendabit Poſteritas, ætateſque longè conſequentes, & ii ipſi, qui Epternaco petiere Virum, qui &

publi-

publicis malis invenire remedium, & ſi minus omnia, à ſuorum capitibus avertere (quod erat adynaton) at ſaltem depellere poſſet graviora, & hoc à te opportunè præſtitum in Patriæ Annales ibit, nomenque faciet Epternacenſi Aſceterio tantóque Præſidi, cui ex omnium voto vita produceretur in ſæculum, ſi cœlum ita pateretur, atque ut patiatur, enixè contendo. Ecquid enim aliud reddat gratitudo, & rerum præclarè geſtarum memoria; quàm ut digniſſimo Præſuli velim eſſe quàm optimè. Vive ergo, & vale Reverendissime Domine, vive tibi, vive tuis, & publico, vive Deo, atque beatæ Æternitati.

REVERENDISSIMÆ ET GRATIOSÆ DOMINATIONIS VESTRÆ

Leodio 1. Martii
Anno 1672.

Humillimus ſervus & cliens.

Jacobus Lobbetius
è Societate JESU.

Digitized by Google

INDEX QVÆSTIONVM
TOMI VII.
IN FERIAS QUADRAGESIMÆ.

FERIA IV. ET I. QUADRAGESIMÆ quæ & dicitur dies Cinerum. *pag.* 1

QUÆSTIO I. LITTERALIS ET MORALIS.
AD illa verba: *Cum jejunatis nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes.* Matth. cap. 6. v. 16.
Quid ſit hypocriſis, & quantum malum. ibid.

QUÆSTIO II. LITTERALIS ET MORALIS.
Ad illa verba: *Tu autem cùm jejunas unge caput tuum, & faciem tuam lava, ne videaris hominibus jejunans, ſed Patri tuo qui eſt in abſcondito.* Mat. 6. v. 17.
Quod ſit jejunium, & quale debeat eſſe Chriſtiano. 3

QUÆSTIO III. LITTERALIS ET MORALIS.
Ad illa verba: *Nolite theſaurizare theſauros in terra, ubi ærugo & tinea demolitur, & ubi fures effodiũt & furantur: Theſaurizate autem vobis theſauros in Cælo, ubi neque ærugo, neque tinea demolitur, & ubi fures non effodiunt, neque furãtur.* Mat. 6. v. 19. 20.
Quis ille theſaurus in terra, quis & in Cœlo? 6

FERIA V. POST CINERES.
De Centurione ejusque puero, id eſt ſervo, à paralyſi liberato. 7

QUÆSTIO I. LITTERALIS ET MORALIS.
Ad illa verba: *Acceſſit ad eum Centurio rogans eum.* Matth 8. v. 5.
Quis ille Centurio, quæ ejus Oratio? ibid.

QUÆSTIO II MORALIS.
Ad illa verba: *Domine non ſum dignus ut intres ſub tectum meum, ſed tantum dic verbo, & ſanabitur puer meus.* Matth. c. 8. v. 8.
Quæ in iis verbis magnarum virtutum argumenta atque exempla? 8

QUÆSTIO III. THEOLOGICA ET MORALIS.
Ad illa verba: *Audiens autem JESUS miratus eſt.* Matth. c. 8. v. 10.
Utrum in Chriſtum cadere potuerit admiratio? 10

QUÆSTIO IV. MORALIS.
Ad illa verba: *Et ſequentibus ſe dixit: Non inveni tantam fidem in Iſrael.* Matth. 8. v. 11.
Unde ipſi Centurioni præco factus eſt Chriſtus? 11

QUÆSTIO V. LITTERALIS ET MORALIS.
Ad illa verba: *Dico autem vobis, quod multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Iſaac, & Jacob in Regno Cælorum, filii autem Regni ejicientur in tenebras exteriores.* verſ. 11. 12.
Qui ſunt iſti qui venient ab Oriente & Occidente, & recumbent cum Abraham, Iſaac & Jacob in Regno Cœlorum? Et qui ſunt filii Regni, qui ejicientur in tenebras exteriores? 12

FERIA VI. POST CINERES.
De dilectione inimicorum, de non quærenda vana gloria, & de eleëmoſyna in abſcondito facienda. 14

QUÆSTIO I. THEOLOGICA ET MORALIS.
Ad illa verba: *Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos.* Matth. cap. 5. v. 44.
Sitne hoc Chriſti præceptum contrarium Legi Naturæ? Sitne adynaton? ibid.

QUÆSTIO II. MORALIS.
Ad illa verba: *Attendite ne juſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis.* Matt. 7. verſ. 1.
An ergo juſtitia non facienda coram hominibus, ut iis bono ſit exemplo? 16

QUÆSTIO III. LITTERALIS ET MORALIS.
Ad illa verba: *Te autem faciente eleëmoſynam, neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua.* verſ. 3.
Quid hic ſiniſtra? quid & dextera? 17

FERIA II. HEBDOMADÆ PRIMÆ QUADRAGESIMÆ. 19

QUÆSTIO I. LITTERALIS ET MORALIS.
Ad illa verba: *Cùm venerit Filius hominis in majeſtate ſua, & omnes Angeli ejus cum eo, tunc ſedebit ſuper ſedem majeſtatis ſuæ.* Matth. c. 25. v. 31.
Quis ille Filius hominis, quæ majeſtas, & quæ illius ſedes? ibid.

QUÆSTIO II. MORALIS.
Ad illa verba: *Venite benedicti Patris mei.* verſ. 34.
Quid & quantum importet illud, *Venite*, & hoc *Benedicti Patris mei*? 21

QUÆSTIO III. LITTERALIS ET MORALIS.
Ad illa Chriſti ad Electos verba: *Eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare; ſitivi, & dediſtis mihi bibere; hoſpes eram, & collegiſtis me; nudus eram, & cooperuiſtis me.* verſ. 35. 36.
Cur Judex, & quidem juſti æquique tenax, hæc ſola miſericordiæ corporalis opera recenſet? Cur & illis, qui ea exercuerint, præmia decernit, & qui non exercuerint ſupplicia? 23

QUÆSTIO IV. THEOLOGICA ET MORALIS.
Ad illa verba: *In ignem æternum.* verſ. 41.
An uti ille ignis æternus eſt, ſic etiam ſit æterna combuſtio? & cujus naturæ erit ignis ille? 26

QUÆSTIO V. LITTERALIS ET MORALIS.
Ad illa verba: *Ibunt hi in ſupplicium æternum, juſti autem in vitam æternam.* verſ. 46.
Quomodo erit ſupplicium æternum? & quomodo in illud ibunt in proximum & Deum impii? 29

FERIA III. HEBDOMADÆ PRIMÆ QUADRAGESIMÆ. 30

QUÆSTIO I. LITTERALIS ET MORALIS.
Ad illa verba: *Quis eſt hic.* Matth. c. 21. v. 10.
Quem illa hominis genium prodant? 31

QUÆSTIO II. LITTERALIS ET MORALIS.
Ad illa verba: *Populi autem dicebant: Hic eſt JESUS Propheta à Nazareth Galileæ.* verſ. 11.
Cur populi dicebant? cur non potius Scribæ in Lege docti? cur non Phariſæi altioris ſupercilii homines? cur non ipſi Pontifices clariora Synagogæ lumina? 33

QUÆSTIO III. LITTERALIS ET MORALIS.
Ad illa verba: *Et intravit JESUS in Templum, & & ejiciebat vendentes & ementes in Templo.* verſ. 12.
Quomodo JESUS intrarit in Templum? & cur ex eo ejecerit omnes vendentes & ementes? 35

QUÆ-

QUÆSTIO IV. MORALIS.

Ad illa ipſa verba: *Ejiciebat vendentes & ementes in Templo.* verſ. 12.
Qui ſint illi vendentes & ementes? 36

QUÆSTIO V. MORALIS.

Ad illa verba: *Domus mea, domus orationis vocabitur: Vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum.* verſ. 13.
Quæ ſit domus orationis, & quomodo ea convertatur in ſpeluncam latronum, & qui illi latrones? 38

FERIA IV. HEBDOMADÆ PRIMÆ QUADRAGESIMÆ. 41

QUÆSTIO I. LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Tunc reſponderunt ei quidam de Scribis & Phariſæis dicentes: Magiſter volumus à te ſignum videre.* Matth. c. 12. v. 38.
Qui ſunt illi, qui ſignum petunt? quódve ſignum, & an eo dato conquieſcent? ibid.

QUÆSTIO II. THEOLOGICA.

Ad illa verba: *Volumus à te ſignum videre.* verſ. 38.
An ea ſigna, quæ jam ediderat Chriſtus, non ſatis abundè probarent eum eſſe Meſſiam, nec purum hominem; ſed ſimul Deum & hominem? 42

QUÆSTIO III. LITTERALIS ET MORALIS.

Ad eadem verba: *Volumus à te ſignum videre.*
Cur Chriſtus ſigna fecerit plerumque in Sabbatho, & cur in Sabbatho? 43

QUÆSTIO IV. LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Generatio mala & adultera ſignum quærit.* verſ. 39.
Quæ ſit illa generatio mala & adultera? 44

QUÆSTIO V. LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Et ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Jonæ Prophetæ.* verſ. 39.
Cur ſignum Jonæ, nec aliud? 46

QUÆSTIO VI. LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Fiunt noviſſima hominis pejora prioribus.* 45.
Quæ ſint illa noviſſima pejora prioribus? 47

QUÆSTIO VII. LITTERARIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in Cœlis eſt, ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt.* verſ. 49.
Quomodo frater, ſoror, & mater? 49

FERIA V. HEBDOMADÆ PRIMÆ QUADRAGESIMÆ. 50

QUÆSTIO I. HISTORICA ET MORALIS.

Ad illa verba: *Et ecce mulier Chananæa à finibus illis egreſſa.* Matth. c. 15. v. 22.
Quæ fuerit illa mulier Chananæa, & cur ab Evangeliſta annotetur è finibus illis egreſſa? ibid.

QUÆSTIO II. MORALIS.

Ad illa verba: *Egreſſa clamavit.* verſ. 22.
Quis ille clamor, & unde? 52

QUÆSTIO III. MORALIS.

Ad illa verba: *Etiam Domine, nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa Dominorum ſuorum.* verſ. 27.
Quæ bonæ orationi virtutes ſint comites? 43

FERIA VI. HEBDOMADÆ PRIMÆ QUADRAGESIMÆ. 58

QUÆSTIO I. HISTORICA ET MORALIS.

Ad illa verba: *Eſt autem probatica piſcina, quæ cognominatur Hebraicè Bethſaida.* Joan. c. 5. v. 2.
Quæ fuerit illis probanca piſcina, quæ & nobis? ibid.

QUÆSTIO II. LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *In his jacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum* verſ. 3.
Quot hic genera ægrorum phyſicè, quot & moraliter? 60

QUÆSTIO III. MORALIS.

Ad illa verba: *Erat homo triginta & octo annos habens in infirmitate ſua.* verſ. 4.
Unde tam longa, & tam pertinax infirmitas?

QUÆSTIO IV. LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Hunc cùm vidiſſet JESUS, dicit ei; Vis ſanus fieri?* verſ. 6.
Cur hunc dicatur vidiſſe JESUS? Curque ex illo quæſiſſe, Vis ſanus fieri? 63

QUÆSTIO V. THEOLOGICA ET MORALIS.

Ad eadem verba: *Vis ſanus fieri?*
Quæ voluntas requiratur, ut quis ſanus fiat, atque ut etiam ſalvus? 65

QUÆSTIO VI. THEOLOGICA ET MORALIS.

Ad illa verba: *Reſpondit ei languidus: Domine, hominem non habeo.* verſ. 7.
Ecquis ille homo? 67

QUÆSTIO VII. MORALIS.

Ad illa verba Chriſti ad Paralyticum: *Surge, tolle grabatum tuum, & ambula.* verſ. 8.
Quæ in iis norma adeptæ perfectæ ſanitatis? 69

QUÆSTIO VIII. MORALIS.

Ad illa Chriſti ad Paralyticum verba: *Jam ampliùs noli peccare, ne deteriùs tibi aliquid contingat.* v. 9.
Cur de cavendâ recidiva hic monet Servator optimus? 70

FERIA II. HEBDOMADÆ SECUNDÆ QUADRAGESIMÆ. 73

QUÆSTIO I. LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Dixit ergo iterum eis JESUS: Ego vado, & quæretis me.* Joan. cap. 8. v. 21.
Cur & unde dixit eis JESUS *iterum*, & quid illud, *Ego vado, & quæretis me*, & quomodo quærent. 73

QUÆSTIO II. THEOLOGICA ET MORALIS.

Ad illa verba: *Quò ego vado, vos non poteſtis venire.* verſ. 22.
Cur non poteſtis, an quia eos deſeruerunt boni genii, futuri utique ad Cœlum duces, an quia eos prior deſeruit ipſe Chriſtus, qui Cœlos aperire debuit? 75

QUÆSTIO III. LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *In peccato veſtro moriemini.* verſ. 21.
Quid importet præpoſitio *in*, quæ in peccato mors, & unde? 76

QUÆSTIO IV. MORALIS.

Ad eadem verba: *In peccato veſtro moriemini.*
Quàm timendum, & horrendum ſit in peccato mori? 77

QUÆSTIO V. MORALIS.

Ad eadem verba: *In peccato veſtro moriemini.*
Quibus timendum in peccato mori? Primò qui ſunt in peccato mortali, 78

FERIA III. HEBDOMADÆ SECUNDÆ QUADRAGESIMÆ. 82

QUÆSTIO I. LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi.* Matth. cap. 23. v. 2.
Quæ fuerit olim illa cathedra, & quæ modò ſit, & quàm neceſſaria? 83

QUÆSTIO II. MORALIS.

Ad illa verba: *Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, ſervate & facite.* verſ. 3.
Quæ hic perfectæ obedientiæ norma? 85

QUÆSTIO III. THEOLOGICA ET MORALIS.

Ad illa verba: *Super cathedram Moyſis ſederunt Scribæ & Phariſæi. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, ſervate, & facite.* verſ. 2. 3.
An igitur etiam malis Prælatis obedientia deferenda, an reddendus & honos? 87

QUÆSTIO IV. MORALIS.

Ad illa verba: *Secundùm opera eorum nolite facere: dicunt enim & non faciunt.* verſ. 3.
Quod vitium Prælati, Paſtoris, Doctoris: Et è contrario, quæ virtus? 89

FERIA IV. HEBDOMADÆ SECUNDÆ QUADRAGESIMÆ. 90

QUÆSTIO I. MORALIS.

Ad illa verba: *Ecce aſcendimus Hieroſolymam, & Filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum, & condemnabunt eum morte.* Matth. cap. 20. verſ. 18.
Cur eò loci ac temporis, tam apertè Paſſionis ſuæ meminerit CHRISTUS: Et cur de illa ad Apoſtolos? 91

QUÆSTIO II. MORALIS

Ad illa verba: *Et Filius hominis tradetur.* verſ. 18
Cur non addit à quo, vel à quibus, Et quantum CHRISTO tormentum ſic tradi? 94

QUÆSTIO III. LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Conſummabuntur omnia.*
Quomodò à CHRISTO, & in CHRISTO conſummata ſint omnia, & quæ cauſa? 96

QUÆSTIO IV. LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Tunc acceſſit mater filiorum Zebedæi, adorans, & petens aliquid ab eo.* verſ. 20.
Quæ cura, quæ ſollicitudo matris pro filiis? Et quàm præpropera? 97

QUÆSTIO V. LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Neſcitis quid petatis* verſ. 22.
Unde & cur neſciunt quid petant? 99

QUÆSTIO VI. LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? Dicunt ei poſſumus.* verſ. 22.
Quis ille calix, quomodò ex eo biberint Apoſtoli? 101

FERIA V. HEBDOMADÆ SECUNDÆ QUADRAGESIMÆ. 103

QUÆSTIO I. LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Homo quidam erat dives, & quidam mendicus nomine Lazarus.* Luc. cap. 16. verſ. 19 & 20.
Divitis Epulonis, & Lazari ſitne vera Hiſtoria, an Parabola. 103

QUÆSTIO II. MORALIS.

Ad eadem verba: *Homo quidam erat dives, & quidam mendicus nomine Lazarus.* verſ. 19. & 20.
Cur Incarnata Divini Verbi Sapientia tacuit nomen illius divitis? Et cur mendici unius, ſcilicet *Lazari*, expreſſit? 105

QUÆSTIO III. MORALIS.

Ad illa verba: *Induebatur purpurâ, & byſſo.* verſ. 19
An ergo purpurâ, & byſſo indui, vitio detur? 106

QUÆSTIO IV. MORALIS.

Ad illa verba: *Epulabatur quotidie ſplendidè.* verſ. 19
Quid in hoc ſceleris, & flagitii. 108

QUÆSTIO V. LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui jacebat ad januam ejus, ulceribus plenus, cupiens ſaturari de micis, quæ cadebant de menſa divitis, & nemo illi dabat.* verſ. 21.
Quis ille Lazarus? Et quæ ejus Lazari, & divitiæ vices? 110

QUÆSTIO VI. LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Factum eſt autem ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ; mortuus eſt autem & dives, & ſepultus eſt in inferno.* verſu 22.
Cur mendicus in ſinu Abrahæ? Et cur dives in inferno? 111

QUÆSTIO VII. MORALIS.

Ad illa verba: *Sepultus eſt in inferno.* verſ. 22.
An & quale in inferno ſepulchrum? 112

FERIA VI. HEBDOMADÆ SECUNDÆ QUADRAGESIMÆ. 114

QUÆSTIO I. LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Pater-familias qui plantavit vineam.* Matth. cap. 21. verſ. 33.
Quis ille homo, quæ vinea, quæ ſeps, quod torcular, quæ turris, qui agricolæ? 115

QUÆSTIO II. MORALIS.

Ad illa verba: *Plantavit vineam* verſ. 33.
Quæ vinea, qui palmites? Quid deinde his & illi fiet? 116.

QUÆSTIO III. MORALIS.

Ad illa verba: *Sepem dedit ei.* verſ. 33.
Quæ fuerit illa, quæ Judæis, quæ Chriſtianis. 118

QUÆSTIO IV. MORALIS.

Ad illa verba: *Fodit in ea torcular.* verſ. 33.
Ecquodnam illud? 120

QUÆSTIO V. MORALIS.

Ad illa verba: *Et locavit eam agricolis.* verſ. 33.
Ecquinam illi agricolæ, & cur agricolæ? 121

QUÆSTIO VI. MORALIS.

Ad illa verba: *Qui reddant ei fructum temporibus ſuis.* verſ. 43.
Ecquinam illi fructus? Et cui reddendi? 122

FERIA II. HEBDOMADÆ TERTIÆ QUADRAGESIMÆ. 125

QUÆSTIO I. LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Nemo Propheta acceptus eſt in patria ſua.* Luc. cap. 4. verſ. 24.
Quæ ratio, & unde petita? 125

QUÆSTIO II. MORALIS.

Ad eadem verba: *Nemo Propheta acceptus eſt in patria ſua.* verſ. 24.
Quæ viro forti patria? 127

QUÆ-

QUÆSTIO III. MORALIS.

Ad illa verba: *Medice cura teipſum. Quanta audivimus facta in Caphanaum, fac & hic in patria tua.* verſ. 23.
An juſtæ querelæ, an juſta expoſtulatio? 128

QUÆSTIO IV. MORALIS.

Ad eadem verba: *Medice cura te ipſum. Quanta audivimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua.* verſ. 23.
Quæ cura ſui, quæ domeſticorum, quæ popularium? 130

FERIA III. HEBDOMADÆ TERTIÆ QUADRAGESIMÆ. 132

QUÆSTIO I. THEOLOGICA ET MORALIS.

Ad illa verba: *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum.* Matth. cap. 18. verſ. 15.
An ea correptio fraterna ſit conſilii, an præcepti? Et utrum omnes obliget, an Sacerdotes tantùm, & Superiores? 132

QUÆSTIO II LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te, & ipſum ſolum.* verſ. 15.
Cur Servator huic præcepto adjicit circumſtantias *Vade, corripe eum inter te & ipſum ſolum?* 134

QUÆSTIO III. LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Si te audierit, lucratus es fratrem tuum.* verſ. 15.
Quantum lucrum ſit fratris, vel unius tantùm? 135

QUÆSTIO IV. LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos teſtes; quod ſi non audierit eos, dic Eccleſiæ.* verſ. 16. & 17.
Quis hic ordo correptionis fraternæ? Quando ſervandus, & quando non? 137

QUÆSTIO V. MORALIS.

Ad illa verba: *Si peccaverit frater tuus corripe eum.* verſ. 15.
Omiſſio correptionis quàm noxia ſit tum peccanti, tum omittenti, tum etiam publico? 138

FERIA IV. HOBDOMADÆ TERTIÆ QUADRAGESIMÆ. 139

QUÆSTIO I. LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Tunc acceſſerunt ad eum ab Hieroſolymis Scribæ & Phariſæi dicentes: Quare Diſcipuli tui tranſgrediuntur traditiones ſeniorum? Non enim lavant manus ſuas, cùm panem manducant.* Matthæi cap. 15. verſ. 1. 2.
Juſtane fuerit ea expoſtulatio? 139

QUÆSTIO II. LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Quare & vos tranſgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram.* verſ. 3.
Quæ hâc reſponſione Scribarum, & Phariſæorum vitia notat, & carpit JESUS? 141

QUÆSTIO III. MORALIS.

Ad illa verba: *Honora patrem, & matrem.* verſ. 4.
Ecquis ille honos, quæ illius veluti partes, & quis ab eo proventus? 143

QUÆSTIO IV. MORALIS.

Ad illa verba: *Qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur.* verſ. 4.
Cur additum morte mori, & quid illud? 144

FERIA V. HEBDOMADÆ TERTIÆ QUADRAGESIMÆ. 146

QUÆSTIO I. MORALIS.

Ad illa verba: *Surgens autem JESUS de Synagoga, introivit in domum Simonis.* Luc. cap. 4. verſ. 38.
Cur dicitur JESUS ſurgens de Synagoga, & cur introivit in domum Simonis? 147

QUÆSTIO II. MORALIS.

Ad illa verba: *Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus, & ſtans ſuper illam imperavit febri.* verſ. 38. & 39.
Cur Chriſtus introïvit in domum Simonis? & quo cæremoniarum apparatu ejus ſocrum curavit à febri? 148

QUÆSTIO III. MORALIS.

Ad illa verba: *Rogaverunt illum pro ea.* verſ. 39:
Sitne rogandus Dominus pro ſanitate obtinenda, & quomodò, & à quibus? 149

FERIA VI. HEBDOMADÆ TERTIÆ QUADRAGESIMÆ. 151

QUÆSTIO I. LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *JESUS ergo fatigatus ex itinere ſedebat ſic ſuprà fontem.* Joan. cap. 4. verſ. 6.
Unde illa Chriſti fatigatio, & quid in ea arcani myſterii? 152

QUÆSTIO II. HISTORICA ET MORALIS.

Ad illa verba: *Venit mulier de Samaria haurire aquam.* verſ. 7.
Quæ & qualis fuerit illa mulier ante converſionem, quæ deinde poſt converſionem? 154

QUÆSTIO III. LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Mulier da mihi bibere.* verſ. 7.
Quæ fuerit in Chriſto ſitis, & unde? 155

QUÆSTIO IV. LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Qui biberit ex aqua hac, ſitiet iterum* verſ. 13.
Quæ ſit hæc & illa aqua, & quod inter eas diſcrimen? 157

QUÆSTIO V. LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum.* verſ. 13.
Quæ ſit illa aqua, & quæ illius qualitates? 160

FERIA II. HEBDOMADÆ QUARTÆ QUADRAGESIMÆ. 163

QUÆSTIO I. MORALIS.

Ad illa verba: *Et cùm feciſſet quaſi flagellum de funiculis.* Joan. cap. 2. verſ. 15.
Cur flagellum, & cur de funiculis? Cur & ipſe Chriſtus iis uſus adverſus vendentes & ementes in templo? 163

QUÆSTIO II. MORALIS.

Ad illa verba: *Omnes ejecit è templo.* verſ. 15.
Cur omnes, & cur ejecit è templo? 166

QUÆSTIO III. MORALIS.

Ad illa verba: *Auferte iſta hinc.* verſ. 16.
Quid è templo auferri, & quid in templum inferri debeat? 167

QUÆSTIO III. LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Zelus domus tuæ comedit me.* verſ. 17.
Quis iſte Zelus, & quæ veluti illius comeſtio? 170

DOMI-

FERIA III. HEBDOMADÆ QUARTÆ QUADRAGESIMÆ. 171

QUÆSTIO I. LITTERARIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Mirabantur Judæi.* Joan. c. 7. v. 15.
Quæ cauſa admirationis, & quid in ea aut virtutis fuerit, aut naturæ, aut vitii? 171

QUÆSTIO II. MORALIS.

Ad illa verba: *Qui à ſemetipſo loquitur, gloriam propriam quærit; qui autem quærit gloriam ejus, qui miſit eum, hic verax eſt, & injuſtitia non eſt in eo.* verſ. 18.
An hinc peti poſſit, quis verus Eccleſiaſtes, quis falſus; quis bonus, quis malus? 175

FERIA IV. HEBDOMADÆ QUARTÆ QUADRAGESIMÆ. 176

QUÆSTIO I. MORALIS.

Ad illa verba: *Præteriens JESUS vidit hominem cæcum à nativitate.* Joan. cap. 9. verſ. 1.
Quid tacitè indicet ea particula *præteriens?* Et quid hæc, *vidit?* 177

QUÆSTIO II. MORALIS.

Ad illa verba: *Vidit hominem.* verſ. 1.
Cur addit Evangeliſta eam voculam, *hominem.* 179

QUÆSTIO III. MORALIS.

Ad illa verba: *Vidit hominem cæcum à nativitate.* v. 1.
Quis ille cœcus? 180

QUÆSTIO IV. MORALIS.

Ad illa verba: *Expuit in terram, & fecit lutum ex ſputo, & linivit lutum ſuper oculos ejus, & dixit ei: Vade, & lava in Natatoria Siloë.* verſ. 7.
Quid arcani myſterii in eo cæremoniarum apparatu? 182

FERIA V. HEBDOMADÆ QUARTÆ QUADRAGESIMÆ. 183

QUÆSTIO I. LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Cùm appropinquaret portæ Civitatis, ecce defunctus efferebatur.* Luc. cap. 7. verſ. 12.
Caſûne id factum, an deſtinato Cœli conſilio? 184

QUÆSTIO II. MORALIS.

Ad illa verba: *Ecce defunctus efferebatur.* verſ. 12.
Cur Sacer Hiſtoricus non dixit nudè *Defunctus efferebatur?* Cur præmiſit particulam illam demonſtrativam, *Ecce.* 186

QUÆSTIO III. MORALIS.

Ad illa verba: *Defunctus efferebatur filius unicus matris ſuæ, & hæc erat vidua, & turba multa Civitatis cum illa.* verſ. 12.
An hinc peti poſſint mortis leges, & quæ? 188

QUÆSTIO IV. LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Adoleſcens tibi dico ſurge.* verſ. 14.
Quæ, & quanta vis in hoc Chriſti verbo, *Tibi dico?* 189

FERIA VI. HEBDOMADÆ QUARTÆ QUADRAGESIMÆ. 191

QUÆSTIO I. LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Erat quidam languens Lazarus à Bethania de Caſtello Mariæ, & Marthæ ſororis ejus.* Joan. cap. 11. verſ. 1.
Cur Sacer Hiſtoriographus circumſtantias omnes adeò accuratè notaverit? 191

QUÆSTIO II. MORALIS.

Ad illa verba: *Miſerunt ſorores ejus ad eum, ſcilicet JESUM.* verſ. 3.
Cur miſerunt, cur non iverunt? 193

QUÆSTIO III. MORALIS.

Ad illa verba: *Domine, ecce quem amas infirmatur.* verſ. 3.
An illud ſatis eſt amanti? 196

QUÆSTIO IV. MORALIS.

Ad illa verba: *Et lacrymatus eſt JESUS.* verſ. 35.
Cur lacrymatus? 197

QUÆSTIO V. MORALIS.

Ad illa verba: *Domine jam fœtet quatriduanus eſt enim.* verſ. 39.
Ecquis ille fœtor? 199

FERIA II. HEBDOMADÆ QUINTÆ QUADRAGESIMÆ. 200

QUÆSTIO I. MORALIS.

Ad illa verba: *Miſerunt Principes, & Phariſæi miniſtros, ut apprehenderent JESUM.* Jo. c. 7. v. 32.
Cur miſerunt, & cur apprehendere voluerunt? 202

QUÆSTIO II. MORALIS.

Ad eadem verba: *Miſerunt Principes, & Phariſæi miniſtros ut apprehenderent JESUM.* verſ. 32.
Quæ in hoc Principum iniquitas, quæ malitia? 203

QUÆSTIO III. MORALIS.

Ad illa verba: *Quæretis me, & non invenietis.* v. 36
In quos cadat illud Chriſti fulmen? 204

QUÆSTIO IV. MORALIS.

Ad illa verba: *Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat.* verſ. 37.
Quæ ſit illa ſitis; & unde extinguenda? 206

FERIA III. HEBDOMADÆ QUINTÆ QUADRAGESIMÆ. 209

QUÆSTIO I. LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Non volebat in Judæam ambulare.* Joan. cap. 7. verſ. 1.
Cur non volebat? 209

QUÆSTIO II. MORALIS.

Ad eadem verba: *Non volebat in Judæam ambulare.* verſ. 1.
Rurſus quæro, cur non volebat? 211

QUÆSTIO III. LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Tempus meum nondum advenit, tempus autem veſtrum ſemper eſt paratum.* verſ. 6.
Ecquod illud tempus, quod & Chriſti, quod & veſtrum? 215

QUÆSTIO IV. MORALIS.

Ad illa verba: *Tempus veſtrum ſemper eſt paratum.* verſ. 6.
Quod illud tempus, quantum, & quale? 217

QUÆSTIO V. LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Non poteſt mundus odiſſe vos, me autem odit.* verſ. 7.
Cur mundus Chriſtum odit? Cur non & Diſcipulos Chriſti? 218

FERIA IV. HEBDOMADÆ QUINTÆ QUADRAGESIMÆ. 120

QUÆSTIO I. LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Oves meæ vocem meam audiunt.* Joan. cap. 10. verſ. 27.
An audire vocem Chriſti, & Dei verbum, ſit ſignum Ovium Chriſti, ſit & ſignum prædeſtinationis? 221

QUÆ-

QUÆSTIO II. MORALIS.

Ad illa verba: *Et ſequuntur me.* verſ. 27.
An Chriſtum ſequi ſit nota Ovium Chriſti? An ſit & ſignum prædeſtinationis? 223

QUÆSTIO III. LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Vitam æternam do eis.* verſ. 28.
Cur additur *æternam*, & an ea ſola ſit vita, quæ eſt æterna? 224

FERIA V. HEBDOMADÆ QVINTÆ QUADRAGESIMÆ. 127

QUÆSTIO I. MORALIS.

Ad illa verba: *Ecce mulier.* Luc. cap. 7. verſ. 37.
Quid illa particula demonſtrativa, *Ecce?* Quid & iſta, *mulier?* 228

QUÆSTIO II. MORALIS.

Ad illa verba: *Mulier quæ erat in Civitate peccatrix.* verſ. 37.
Quæ fuerit illa mulier; quæ & fuit in Civitate peccatrix? 229

QUÆSTIO III. MORALIS.

Ad eadem verba: *In Civitate peccatrix.* verſ. 37.
Cur dicitur in Civitate? Cur & unde peccatrix? 231

QUÆSTIO IV. LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Ut cognovit quod accubuiſſet in domo Phariſæi, attulit alabaſtrum unguenti, & ſtans retrò ſecus pedes ejus.* verſ. 37. & 38.
Quomodò cognoviſſe fuit ſatis ut veniret? & quo apparatu venit, & qua de cauſa? 233

QUÆSTIO V. MORALIS.

Ad illa verba: *Lacrymis cœpit rigare pedes ejus.* v. 38.
Quid Magdalenæ, quid pœnitenti lacrymæ. 234

QUÆSTIO IV. MORALIS.

Ad illa verba: *Et capillis capitis ſui tergebat.* verſ. 38.
Quod in eo pietatis officium? Et quid in capillis nutriendis vitii? 236

QUÆSTIO VII. MORALIS.

Ad illa verba: *Et oſculabatur pedes ejus.* verſ. 38.
Quid pedes Chriſti, quid pedum oſcula, quid manuum, quid oris? 237

QUÆSTIO III. MORALIS.

Ad illa verba: *Et unguento ungebat.* verſ. 39.
Quid ad litteram unguentum illud, quid ad myſterium? 238

FERIA VI. HOBDOMADÆ QUINTÆ QUADRAGESIMÆ. 240

QUÆSTIO I. LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Collegerunt ergo Pontifices, & Phariſæi Concilium.* Joan. cap. 11. verſ. 47.
Quod illud Concilium, & è quibus conflatum, & cur? 241

QUÆSTIO II. MORALIS.

Ad illa verba: *Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit?* verſ. 47.
Ad eam quæſtionem, quid conſilii, & quinam illi? 243

QUÆSTIO III. MORALIS.

Ad illa verba: *Expedit vobis ut unus homo moriatur pro populo.* verſ. 50.
An ſapiens iſtud Caiphæ conſilium, an rectum, an pium? aut contrà? 244

QUÆSTIO IV. LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Hoc autem à ſemetipſo non dixit, ſed cùm eſſet Pontifex anni illius prophetavit, quòd JESUS moriturus erat pro gente.* verſ. 51.
Si hoc à ſemetipſo non dixit, à quo igitur? 246

HEBDOMADA SEXTA QUADRAGESIMÆ. 249

Ad illa verba: *Vidi librum ſcriptum intus & foris.* Apocalip. cap. 5. verſ. 1.
Quis ille liber? 250

I. TRISTITIA.

Ad illa verba: *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem.* Marc. cap. 14. verſ. 34.
Quæ, quantave fuerit ea Chriſti triſtitia? ibid.
In diem Lunæ.

II. TÆDIUM.

Ad illa verba: *Cœpit JESUS contriſtari & tædere.* Marc. cap. 14
Quod tædium, & quantum? 252
In diem Martis.

III. PAVOR.

Ad illa verba: *Cœpit pavere.* Marc. cap. 14. verſ. 33.
Quid ſit pavor, & quæ illius ſpecies, vel quaſi ſpecies, quæ & cauſæ? 254
In diem Mercurii.

IV.

Ad eadem verba: *Vidi librum ſcriptum intus & foris.*
SS. EUCHARISTIA liber eſt. 255
In diem Jovis Sancti.

IN SS. EUCHARISTIÆ LIBRO, *Quid ſit ſcriptum intus?*

Miracula in genere naturæ. 256 *& ſeq.*

SS. EUCHARISTIÆ

Miracula in genere moris. 257 *& ſeqq.*

DOMINICÆ PASSIONIS TRAGŒDIA. 261

Actus primus. *Flagellatio.* ibid.
Actus ſecundus. *Coronatio.* 262
Actus tertius. *Crucifixio.* 266

AD

AD LECTOREM.

IAm à multis annis edidi Quæſtiones Theologicas, Hiſtoricas, Morales in Evangelia Dominicarum & Feſtorum totius Anni, quæ ſuppeditarent variam atque abundantem materiam Concionum: quod cùm ſucceſſiſſet, & placuiſſet Concionatoribus variorum Ordinum, & quidem prima inter eos notæ, rogatus ſum ab iiſdem, & quidem impensè, ut ſimiles emitterem in lucem in ferias omnes Quadrageſimæ: in his enim vel maximè ſudat eorum ſtudium, & labor. Iudicavi acquieſcendum tam juſtæ petitioni, & exinde complures annos ei operi impendi, nec lectioni, nec ſtudio peperci, ut ex Authoribus tum antiquis tum recentioribus, ex Hiſtoriis, & aliis Doctorum Virorum lucubrationibus, & Commentariis in Scripturam ſacram ſelectiora colligerem, redigeremq; in ordinem: præſertim ea, quæ ad Conciones formandas uſui eſſe poſſent, ideoq; ei Operi titulum feci Conciones in Ferias Quadrageſimæ, *ſive Quæſtiones Theologicas, Hiſtoricas, Morales in eaſdem Ferias. Vtere labore noſtro,* BENEVOLE LECTOR, *& benè vive ac vale.*

****

APPROBATIO ORDINARII.

CONCIONES QUADRAGESIMALES, ſive Quæſtiones Theologicæ, Hiſtoricæ, Morales in Evangelia Feriarum Quadrageſimæ, compoſitæ à R.do Patre JACOBO LOBBETIO Societatis JESU Theologo, utiliter imprimi poterunt: Tum quia Divini Verbi Præconibus materiam uberem concionum ſuppeditabunt, tum quia Lectoribus plurimum proderunt ad mores ritè formandos. Datum Leodii quarta Martii 1672.

IO. ERNEST. BARO DE SVRLET.
Vicarius generalis Leodienſis.

FACULTAS R. P. PROVINCIALIS.

EGO infraſcriptus Societatis IESU in Gallo-Belgica Provincialis juxta privilegium eidem Societati conceſſum, quo Typographis omnibus prohibetur ne Libros ab ejuſdem Societatis hominibus compoſitos abſque Superiorum permiſſione imprimant, poteſtate ad hoc mihi facta à R. P. N.ro IOANNE PAULO OLIVA, facultatem concedo IOANNI MATHIÆ HOVIO Typographo Leodienſi, ut Librum cui titulus eſt, *Conciones in ferias Quadrageſimæ*, ſive Quæſtiones Theologicæ, Hiſtoricæ, Morales in eaſdem ferias à R. P. IACOBO LOBBETIO ejuſdem Societatis Theologo compoſitum, & PP. judicio ad id deputatorum approbatum, ad ſex Annos proximos imprimere, & liberè diſtrahere poſſit. Datum Montibus 5. Martii. 1672.

IO. BLAUWART.

Locus (*) ſigilli.

R. P. IACO-

JACOBI LOBBETII LEODIENSIS
SOCIETATIS JESU THEOLOGI.
CONCIONES IN EVANGELIA
FERIARVM QVADRAGESIMÆ.
TOMUS SEPTIMUS.

FERIA QVARTA
ET PRIMA QUADRAGESIMÆ
quæ & dicitur dies Cinerum,

SACER Hiſtoriographus, ceu auritus teſtis, exponit, atque ad poſteros tranſmittit quæ olim docuit CHRISTUS, ceu Magiſter optimus, & quidem primò cavendam omninò eſſe in bonis operibus oſtentationem, & vanam apud homines gloriam: deinde tradit modum orandi, quem & præſcribit Oratione Dominica; tum etiam aſſignat rationem jejunandi ex cœli legibus, & Dei placito, cui ſcilicet uni placendi debet eſſe ſtudium omne: hominibus autem omninò nullum: tum docet Theſauros in cœlo recondendos eſſe, atque ibidem in tuto reponendos, fruſtra ſcilicet alibi collocandos: denique avaritiam procul eſſe jubet ab anima Deo fideli, à qua & procul eſſe debet immodica ſollicitudo rerum omnium, quæ ad victum & veſtitum attinent, atque ad alia hujus ævi mortalis commoda: de his enim ſua Deo, ceu bonorum omnium fonti, relinquenda eſt cura. Et hæc ſumma Evangelicæ hiſtoriæ ſeries, pro qua fuſiùs explicanda nonnullas movebo quæſtiones, & quidem moribus rectè formandis accommodas.

QUÆSTIO PRIMA
LITTERALIS ET MORALIS.
Ad illa verba: *Cum jejunatis nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes.* Matth. cap. 6. verſ. 16.

QVID SIT HYPOCRISIS? Et quantum malum?

PROAQUAM docuit Chriſtus orandi modum, ſubdit & jejunandi, & hoc quia *infirma eſt oratio ſine jejunio*, ut ſcitè D. Chryſoſtomus.

Expoſitio Thematis. Modus autem jejunandi hic eſt, primùm ut fiat alacri animo, ſpirituque hilari, non triſti, non moroſo: deinde ut fiat ſtudio placendi Deo, eique uni, non autem ad captandam apud puſillos mortales vanam aliquam nominis æſtimationem, opinionemque affectatæ ſanctitatis.

Contra hoc, & illud peccant inprimis Hypocritæ primò, quia *triſtes* videri volunt: Græcè legitur σκυθρωποὶ, obſcuri, auſteri, tetrici, externo quippe habitu vultuque præ ſe ferunt triſtitiam & moroſam quandam auſteritatem, quod eſt contra jejunii leges & Dei placita: *Hilarem enim datorem diligit Deus*, non triſtem, non tetricum, quales videri volebant Hypocritæ, qui jejunando *exterminant facies ſuas.* Hieronymus, *demoliuntur.* S. Hilarius, *conficiunt.* Chryſoſtomus, *corrumpunt.* Alii *obſcurant*, induendo quan- 2. Cor. 9. v. 7.

do quandam vultûs auſteritatem, pallorem atque mœrorem. Denique poſtremi, *labefactant, obliterant, perdunt*, & velut è medio tollunt; & hoc ipſum eſt, quod ſonat ea vocula *exterminant* & *demoliuntur*.

Demolitur, inquit D. Hieronymus, *hypocrita faciem, ut triſtitiam ſimulet, & animo forte latante luctum geſtet in vultu.* Et hoc quidem ſtudio vanitatis & amore captandæ à ſuo jejunio apud homines gloriolæ: & hoc eſt ſecundum, in quo peccant hypocritæ: contra quos ut pugnet, ut vincat, ut triumphet Chriſtianus, ſic illi Chriſtus: *Tu autem*
verſ. 17. *cum jejunas unge caput tuum, & faciem tuam lava.* Alludit Servator optimus, ad illud quod uſitatum, & familiare erat Palæſtinis; imò & omnibus Orientalibus, qui diebus feſtis & lætis, & facies ungebant & lavabant, maximè verò in conviviis, idque vel ad refrigerium, vel ad nitorem, vel ad coloris amœnitatem, odoriſque ſuavitatem, vel denique ad lætitiam, & hilaritatem, cujus ſymbolum eſt unctio, & lotio, quam ſcilicet hilaritatem in jejunio & amabat & optabat Chriſtus ceu Doctor optimus, à qua & alieni erant hypocritæ, quos ut ſuis coloribus depingam, inquiram hic, quid ſit Hypocriſis? & quantum malum?

Hypocriſis vox eſt græca, eſtque *ſimulatio alienæ*
Definitio Hypocriſis. *perſonæ*, ut inquit S. Thomas ſecunda ſecundæ, Q. 3. Art. 2. Hac quiſquis laborat aliud in ſe, aliud judicio hominum, ſe oſtendit, ſimilis hiſtrioni & mimo qui in ſpectaculis, ac theatris modò hanc modò illam perſonam ſimulat & mentitur, oculiſque hominum illudit improbè, *intus Nero, foris Cato*, uti dixit ea Antiquis nonnemo.

Vitium eſt, & quidem ejuſmodi, quod & Deo & Superis ſit in odio, & hominibus etiam nocumento, imò & ſibi: Deo quidem quia ut rectè D. Au-
In Pſal. 63. guſtinus, *ſimulata æquitas, non eſt æquitas, ſed duplex iniquitas.* Hominibus autem, quia ut benè D. Hieronymus, *In comparatione duorum malorum levius eſt*
In Iſaiam. *in alium apertè peccare: quàm ſimulare & fingere ſanctitatem*: hanc enim fingendo plus nocet, quia magis decipit, & fallit.

Denique & ſibi etiam plus nocet, quia duabus viis *terram quodammodo ingreditur, quando & Dei eſt*
L. 8. Moral. *quod operæ exhibet, & mundi quod per ſimulationem quærit.* Ut ſcitè Divus Gregorius: dum enim ſimulando mundi gloriam quærit, & captat, eam amittit quæ eſt Cœli, & beatæ æternitatis.

L. 15. Moral. *Hypocrita vult ſcire divina eloquia, nec facere; vult doctè loqui, non tamen vivere*, unde ſibi vel maximè eſt
Deſcriptiones Hypocriſis. nocumento. Hypocriſis definitionem vidimus, attendamus deſcriptionem, atque ea iis quantum ſit malum. Eas ore aureo exponet, atque explicabit S. Chryſologus, ſic ille quondam ad populum, ſic etiam hodie ad nos.

Serm. 7. *Hipocriſis*, inquit, *ſubtile malum, ſecretum virus, venenum latens, virtutis fucus, tinea ſanctitatis. Subtile* quidem *malum*, quod ſcilicet facilè oculos fugiat, quod videri vix poſſit etiam à benè oculatis, à quo proinde & falli & fallere pronum ſit. *Secretum vi-*
I. Secretum virus. *rus*, & *venenum latens*, quod ideo ſecretò, & latenter ſeſe inſinuet in viſcera, eaque inficiat, ac perdat: clarius eloquor, in animæ penetralia, conſcientiæ ſinus illabitur hypocriſis, & quidem ſecretò, & latenter: ſi enim in publico poneretur, ſi in aperto ſtaret, excluderetur illicò, atque ab animo procul eſſe juberetur, procul à conſcientia: at quia furtivè, quaſi per quoſdam veluti cuniculos, quia ſecretò & latenter adrepit, admittitur in animam, eamque peſſimè afficit, atque enecat, ut illius venenum, & virus longè præſentiſſimum: quod enim corpori venenum & virus; hoc animo eſt Hipocriſis, quæ etiam eſt

Virtutis fucus. Fuci, inquit Plinius, ſunt ſine aculeo imperfectæ apes, noviſſiméque à feſſis etiam II. Virtutis fucus.
emeritis inchoatæ, ſerotinus fœtus & quaſi ſervitia verarum apum, quamobrem imperant iis, primoſque in opera expellunt, tardantes ſine clementia puniunt. Dictus *fucus*, ut nonnulli putant quaſi fur, quod furtim mella devoret, quanquam veroſimilius eſt *fucum* dictum, quod apibus fucum faciat, & prætextu calefaciendi alvei, illorum mellificia, abſumat. Hactenus Plinius, ex quo pauca deduco ad deſcriptionem illius quam molimur hypocriſios.

Mens ſincera, mens recta, mens Deo cara, mens virtuti dedita, ad inſtar apis perfectæ, mella legit, mella fundit, congeritque in alveare: mella dico, ſed virtutum mella, quæ *fucus*, id eſt hypocriſis furtivè devorat, atque abſumit: nulla enim virtus cum hypocriſi ſtare poteſt, durare nulla, ut devoretur, ut abſumatur eſt neceſſe. Et hoc primum ab illa malum deductum ab illa vocula *fucus*, ejuſque prima etymologia. Alterum petetur à ſecunda, ex hac enim fucus accipitur pro pigmento, & ornatu peregrino, quem fœminæ adhibere ſolent, ut candidæ videantur, quod faciunt vetulæ, atque edentulæ, quæ vitia corporis fuco occultant. Et hoc inprimis facit hypocriſis, quæ animi vitia fuco virtutum occulit. Et hoc alterum eſt ab illa malum, cui accedit & tertium à tertia fuci etymologia: fucus enim per translationem accipitur pro fraude & aſtutia, qua veritas ipſa occultatur, & à qua ſic occultata fallitur quis, atque decipitur: ita Latinis fucum facere eſt decipere, & oratio ſine fuco, ea eſt in qua *De claris*
ineſt nativus veritatis color, ut ſcitè Latinus Orator. *Orat.*

Cùm ergo dicitur hypocriſis *virtutum fucus*, dicitur & fraus, ac deceptio. Vides hypocritam genuflexo orantem, intentis in cœlum oculis, erectiſque in cœlum manibus, Deo devotum credis, credis & Deo proximum, earumque caput; at minimè is eſt cœlo judice, quia eo corporis habitu ambit inanem vanæ gloriolæ auram, viderique vult in ſuperos pius, non eſſe.

Aſpicis alterum, qui à jejunio, atque inedia amat videri ſubpallidus, auſterus, & in ſe, ſuumque corpuſculum ſeverus; imò & quodammodo crudelis: abſtinentiæ in eo virtutem crederes: at non eſt virtus; ſed virtutis fucus, quia ad oſtentationem id facit, ad captandum vanitatis fucum, atque umbram gloriolæ.

Miraris alium, qui ſub nudo Jove cubat, & in cinere, qui carnem cilicio domat, & frangit, qui corpuſculum flagellis cędit, qui & in ſe ſævit: putares omninò virtutem eſſe: at non eſt virtus; ſed virtutis fucus, ſi id agit ad comparandam ſibi nominis æſtimationem & famam ſanctitatis, ut facit hypocrita.

Vidit aliquando Roma, ſtupuitque unum aliquem, & quidem religioſæ familiæ, etiam diſciplinæ ſtrictioris, qui vili ſacco, verius quàm veſte, qui aſino inſidebat, converſa ad caudam facie, ut eo ſpectaculo & aliis eſſet ludibrio, & ſibi etiam probro: credebantur multi id fieri ab illo, ſtudio humilitatis, & ſui deſpicientiæ: at exitus docuit omninò contrarium; à ſeipſo enim, & ab Ordine defecit, imò & à Deo, docuitque non fuiſſe humilitatis virtutem, ſed potius *virtutis fucum.* Quid facias! ea eſt generis noſtri in malum propenſio, ea inclinatio humanæ mentis, ea quoque infelicitas noſtra, quæ vitiis indit nomina virtutum, eaque virtutis ſpecie venditat.

Sic apud Bernardum Apologia ad Guilielmum Abbatem: *Parcitas putatur avaritia, ſobrietas auſteritas creditur, ſilentium triſtitia reputatur. E contra remiſſio, diſcretio dicitur; effuſio, liberalitas; loquacitas, affabilitas; cachinnatio, jucunditas; mollities, veſtimentorum & equorum faſtus, honeſtas; lectorum ſuperfluus cultus,*

tultus, munditia; cumq; hac alterutrum impendimus, tavitas appellatur. Hactenus S. Bernardus cui non abſimilia obſervavit Proſper 3. de vita contemplativa cap. 2. Sic enim, inquit, *Superbus vult ſe credi conſtantem; prodigus, liberalem; avarus, diligentem; temerarius, fortem; inhumanus, parcum; guloſus, humanum; ignavus, quietum; timidus, cautum. Imprudentia, fiduciæ ſibi nomen aſcribit; procacitas, appellationem libertatis oſtendit; eloquentiam fingit verboſitas; & curioſitatis malum ſub ſtudii ſpiritalis colore delitescit.*

Et hoc eſt generis noſtri malum, quod apprimè declarat vulgatus apologus. Dæmonem ex injuſtitia matre tres filias ſuſcepiſſe, quas cùm adoleviſſent, & elocare in matrimonium nequiret, quòd monſtruoſæ eſſent, pigmentis aliquid formæ illis dare conatum. Inde Furto datam artis & induſtriæ imaginem: Simoniam gratitudinis & penſionis habitu veſtitam: Uſuram ſpecie lucri ceſſantis, aut damni emergentis pulchrè indutam: Sic amatores, & procos innumeros undique advolaſſe ad tam opulentarum, neque (ut fama, ferebat) deformium ac monſtruoſarum amicarum connubia certatim ambienda, paſſimque editos ex iis nuptiis liberos vagari, & injurias pulchra appellatione tectas circumferre.

Fullonius ad 1. Machab. c. 17. ſect. 3. n. IV.

Apologus eſt, & ingenioſum figmentum, ex quo tamen emanat, atque effluit ea veritatis lux, vitia tegi nominibus virtutum: adeoque & ipſam hypocriſim (de qua in præſens eſt quæſtio) non virtutem eſſe, ſed virtutis fucum; neque tem virtutis habere, ſed tantum inane nomen, quia ut ille ipſe S. Præſul: *Facit de virtute vitium, mendacium de veritate, de mercede diſpendium, de remiſſione peccatum.* Ecce quis ei virtutis fucus. Quem & depingit ab effectu: ait enim, *Hypocriſis ſecura ſimulatio, fallit proſpera, curioſa mentitur, & crudeli arte virtutes truncat mucrone virtutum, jejunium jejunio perimit, oratione orationem evacuat, miſericordiam miſeratione proſternit.* Ecce ut virtutis eſt fucus, illique noxius, quàm maximè. Deſcendo ad aliam Hypocriſis deſcriptionem à qua genuina appellatione dicitur, & eſt *Tinea ſanctitatis.*

Suprà,

III. Tinea Sanctitatis.

Tinea vermiculus eſt, qui aut ſitu, aut pulvere, aut putredine interdum naſcens, veſtes, aut libros arrodit. Quod his, & illis eſt Tinea; hoc eſt hypocriſis ſanctitati; naſcitur illa ex ſitu, pulvere, putredine, & hæc ex otio, veluti quodam animi ſitu, hæc ex pulvere, hoc eſt, ab effectu terreno, ex putredine vitiorum enaſcitur, & omnem veræ ſanctitatis ſuccum exugit, omne virtutum robur ſenſim arrodit, extenuat, perdit. Adeóque niſi & hoc & illum perdere velis, *Fugiendum* ubi hypocriſis *virus, peſtilentia cavenda quæ de remediis creat morbos, conficit de medicina languorem, ſanctitatem vertit in crimen, placationem facit reatum, generat de propitiatione diſcrimen.* Hactenus D. Chryſologus, à quo diſcedo, ut tranſeam ad aliam ejuſdem Hypocriſis definitionem.

Suprà.

Monetæ divinæ adulteratio.

Ea cenſet hypocriſim eſſe *monetæ divinæ adulterationem.* Eſt virtus veluti quædam cœleſtis ac divina moneta, qua cœlum emitur, emitur & beata æternitas: at illam corrumpit, imò & adulterat hypocrita, cùm objicit, & venditat fucatam atque adulterinam ſanctitatem, non ſecus ac falſi monetarii, qui auri nomen plumbo inaurato dant, & carbunculi pretium tincto criſtallo: quod certè facit omnis hypocrita, cui non virtus eſt cordi; ſed fama, opinioque virtutis; qui non judicem quærit Deum, ſed homines teſtes; & cui non honeſtas in voto, ſed honor pro præmio eſt.

QUÆSTIO SECUNDA
LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Tu autem cum jejunas unge caput tuum, & faciem tuam lava, ne videaris hominibus jejunans, ſed Patri tuo qui eſt in abſcondito.* Matth. 6. v. 17.

QUOD SIT IEIUNIUM, ET QUALE DEBEAT eſſe Chriſtiano?

DIvt Patres multa congerunt Jejunii encomia: ne in illis coacervandis propè in immenſum effluat oratio, eam reſtringi ad unicum patiar, erit ia D. Chryſologus, qui & mihi hîc inſtar omnium, ſic ille ad ſuos olim Auditores: *Iejunium vitiorum mors, vita virtutum; eſt jejunium pax corpori, membrorum decus, ornamentum vitæ; eſt jejunium robur mentium, vigor animarum; eſt jejunium caſtitatis murus, pudicitiæ propugnaculum, civitas ſanctitatis; eſt jejunium ſchola meritorum, magiſterii magiſterium, diſciplinarum diſciplina; eſt jejunium Eccleſiaſtica via viaticum ſalutare; eſt jejunium invictus Chriſtianæ militiæ principatus.*

Quid ſit Jejunium?

Serm. 8.

Hæc S. Præſul in jejunii laudes, & ſacratiora encomia, qui & adjicit illud: *In his virtutibus jejunium tunc viget, tunc vincit, tunc triumphat, cum duce miſericordia pugnat.*

Hæc ubi extulit, tum explicat illud Chriſti ad Judæos oraculum: *Tu autem cum jejunas unge caput tuum, & faciem tuam lava, ne videaris ab hominibus jejunans, ſed Patri tuo, qui eſt in abſcondito,* & quidem: Primò bellè depingit hypocritam; deinde damna, quæ ſibi ipſi inſert, ſuo jejunio. ſerviendo hominum oculis potius quàm Dei; denique oſtendit: quî jejunandum, & quî eo jejunio Deo placendum: illum audiamus adhuc ſpirantem in ſcriptis: ſic enim inquit:

Hypocrita, ſit licet tibi facies inculta, neglecta cutis, triſtis vultus, exterminans aſpectus, nec ab hominibus inveniſti laudem, & apud Deum fructum jejunii perdidiſti. Hypocrita elaboraſti jejuniis ut labor jejunii tibi non prodeſſet.

Hypocrita abſtinentiæ fluctus intraſti, continentiæ conſcendiſti undas, enataſti jejunii pelagus, & in ipſo portu jejunii naufragaſti, quia non comparaſti lucrum; ſed mercatus es vanitatem, ut, *qui ab hominibus tantum percepiſti miſera fraudis uſuram.*

Jejunium quale eſſe debeat.

Et quia hæc uſura nulli eſt lucro, ſed potius omnibus ingenti damno, illud ut declinet quiſquis Deo teſte ac judice jejunat, docet quî jejunandum, & ſic ait: *Sit noſtrum de ſimplicitate jejunium; de innocentia ſanctum; de puritate purum, ſit hominibus occultum, ignotum diabolo, Deo notum.*

Ut portò tale ſit jejunium Chriſtiano, ſubjicit Chriſtus:

Tu autem cùm jejunas, unge caput tuum, & faciem tuam lava, non ut coma capitis illecebroſo redundet unguento ſcrius Magiſter injungit, neque faciem nitéſcere ſolito vult lavacro, ſed habitu prandentis vult celari jejunium Chriſtiano: quia Chriſtianum vendicare non vult artifici mœrore jejunium; qui enim ſic vendicat, invitat famam, non jejunium profitetur. Hæc S. Præſul in ea Chriſti Servatoris verba, ex quibus conficio, quod & quale debeat eſſe jejunium Chriſtiano. *Supra.*

I. Sit de Simplicitate jejunium. Primò ſit de *Simplicitate jejunium*; de ſimplicitate dico, non ea tantum quæ mentis, atque intentionis eſt, ſed etiam quæ corporis, quæ & ciborum.

Ex Scholæ ſenſu, & Apoſtolica inſtitutione duo continet jejunium: primum in eo ſit abſtinentia à carnibus; ſecundum ſit unica in die refectio: quæ qualiſve in primæva Eccleſia fuerit, paucis annotare non erit ab inſtituto meo alienum.

Ea porrò fuit ejuſmodi. Non edebant Chriſtiani niſi valdè ſerò, & poſt Solis occaſum, unde manavit in vulgus illud, quod diebus jejunii cœnarent, poſtquam ſcilicet dies tota abierat in ſacris Officiis, orationibus, eleëmoſynis: Hæc enim omnia erant veluti præambula jejunii.

Et hanc jejunandi morem, modumque inſtituit S. Hilarius Papa, & confirmavit Concilium Cabilonenſe, quod & declarat nulla ratione jejunio ſatisfacere eum, qui hanc cœnandi horam, prævenisſet: ſic enim præſcribit. *Concurrendum eſt ad Miſſam, & auditis Miſſarum ſolemniis & Veſpertinis officiis, & largitis eleëmoſynis ad cibum accedendum.* *Aug. de moribus Eccleſ. c. 5.*

Ut autem is jejunandi ritus, rigorque unà cùm illius memoria manaret in poſteros, Eccleſia deinceps in more habuit, tenaciterque retinuit, ut veſperæ dicerentur ante prandium.

Et hæc de tempore illius cœnulæ: de eduliis verò in ea ſervari ſolitis, hoc avito more uſurpatum, ut non conſtaret niſi ſolis fructibus, nec admitterentur in illa piſces, niſi fortè viliores, & ii quidem ſolis infirmis ex indulgentia quadam ſpeciali. Et inde communi quadam notione dicebatur Quadrageſimæ tempus *Requies coquorum*, quia ſcilicet eo tempore vacabat coquina, nec ulla erat condimentorum cura, aut etiam neceſſitas. Nunc ſic hoc quo vivimus ævo, non ſic; ſi ullo anni tempore laborat coquina, ſi ſudant & exſudant coquorum agmina, tum verò, vel maximè in Quadrageſima, pro qua toleranda exſiccantur vivaria, exhauriuntur flumina, ipſum mare quantum, quantum eſt ea ſaturandæ fami, gulæque onerandæ vix ſufficit; quæruntur enim operosè piſces, iique delicatiores, & robuſtiores, iiſque gravantur menſæ ad ſtuporem, & propè miraculum, certè ad ſatietatem, ne dicam ad nauſeam; imò quod mirandum magis, ac deplorandum, ſi vel leviuſculus morbi timor, & umbra, ſi quæ annonæ caritas, ſi quæ aëris intemperies, quiſque ſecum ipſe diſpenſat, & diſpenſari facilè patitur, ut carnibus veſci liceat, liceat & ſaginari: & hoc ætatis noſtræ molliculæ, ac delicatulæ vitium eſt, & macula: non ſic olim, non ſic primævi Chriſtiani, quibus robuſtior erat animus, & obſervantia jejunii longè arctior.

Tua appello tempora Auguſte Cæſar Juſtiniane, tua tecta, tuos & animos, Imperatorum ſedes & orbis regia Conſtantinopolis: gravior tibi imminabat fames, & dira propè timeri poterat neceſſitas, abſumptis ſcilicet cibis quadrageſimalibus, unde Imperatori viſum à jejunii lege teipſam abſolvere, nec enim in ea neceſſitate videri poterat urgere jejunii præceptum, eo certè abſolvi te voluit, & carnea etiam publicè venalea exponi.

Quis tibi tùm animus? quæ conſilia? quæ mens? quæ cogitatio? quæ vota? ea certè quæ Chriſtianos decerent & auream illam ac robuſtam ætatem: ubi enim urbe tota id mandati genus innotuit; primò ſtupor, dolorque omnes incolas invaſit, tum etiam gemitus, & querelæ, tum denique expedita ad Auguſtum legatio; cujus ſolemnia hæc fuêre capita, deprecari ſe, nec admittere eam Imperatoris indulgentiam, tum etiam profiteri ſanctè, malle ſe fame emori, quam ſacris illis Quadrageſimæ feriis carne veſci, ita Nicephorus, cujus verba hîc attexere viſum eſt. *Mortem ſibi potius adeundam eſſe cenſent, quàm ut quicquam de patriis moribus, & traditionibus mutarent.* *Lib. 17. Hiſtor. Eccleſ. c. 32.*

Hæc legat, hæc audiat ætas noſtra, atque ingemiſcat, non ſibi tantum animi, tantum & virtutis, quantum nobiliſſimæ, & frequentiſſimæ à populo Civitati, cui obſervantia Quadrageſimalis, ipſa valetudine, imò & vitâ potior fuit, maluitque ſuorum ſpectare funera, quàm de jejunio quicquã relaxare.

Ad Civitatis illius Imperatoriæ ſenſum, atque exemplum, addo & Caſtellæ Regis, cui nomen vulgò *Iacobus Conquiſitor*, cui in Quadrageſima, & diebus Veneris ob afflictam, proſtratamque valetudinem, ac ſummam propè neceſſitatem, cùm præciperetur eſus carnis, comedit quidem fruſtulum arietis, ſed nec ſale cocti, nec conditi, ſed penitus inſipidi, ut neceſſitati ſerviſſe videretur, non guſtui, non ſapori, ex vero enim minus ſapiebat ovina illa caro, quàm quivis alius cibus Quadrageſimalis, quod ſanè redarguis hujus ævi licentiam, prodigalitatem & delitias inſatiabiles, in aliis atque aliis piſcium condimentis: quæ dum animo ſpectat Divus Auguſtinus, ſic in illos qui in ea toti effunduntur.

Illi qui ſic à carnibus temperant ut alias eſcas & difficilioris præparationis & pretii majoris inquirant, multum errant: non enim hoc eſt ſuſcipere abſtinentiam; ſed mutare luxuriam. *Serm. 71. tom. 10. de diverſis.*

Et iſta paucis de prima jejunii lege, quæ ut in intentione, ſic in cibis & condimentis ſimplicitatem amat, non fucum, & malos dolos, non etiam in hac nimiam & prodigam ciborum varietatem. Secunda hæc erit.

Sit jejunium *de innocentia Sanctum*. Innocentia, uti & ipſe innocentiæ ſtatus, ut ſibi conſtet, duo requirit, primùm ut animus ſuus ſit & liber, ut ratio domina, atque immunis à paſſionibus quibus imperet ipſa, & cui ſerviant illæ: Alterum ut à peccatorum ſordibus, omnique vitiorum nævo atque macula expurgetur: & hoc & illud apprimè præſtat jejunium; ideoque & de *innocentia Sanctum*. II. Sit de innocentia ſanctum.

Primò enim paſſiones, & concupiſcentias ſi non extinguit, ſaltem reprimit ac fræno regit, domatque ne recalcitrent, ne inſoleſcant. Ideóque à B. Ephrem. *Jejunium frænum eſt Monachi, quod qui rejicit, equus inſanus comperietur.*

Componit vir ſanctus eum qui crapula ventrem diſtendit, cum equo indomito, qui libero vagatur campo, nec ſeſſorem admittit, ſed excutit, qui nec calcaribus adigi nec fræno ſe reprimi patitur: abſtemium verò ac jejunum cùm equo qui frænum patitur, eóque regitur totus: nec mirum, quia illi jejunium eſt pro fræno, quo dum regitur, reguntur atque domantur paſſiones, atque ſic edomitæ hominem quaſi primæ reddunt innocentiæ.

Et hoc primum: cui accedit & aliud, quod omnes peccatorum ſordes eluat, adeoque & primævæ quodammodo reſtituat innocentiæ, quod autem reſtituat ex eo conficitur, quòd jejunium ſit velut diluvium peccatorum, velut alterum baptiſma. Certè ſic eum appellandum eſſe cenſuit D. Chryſologus, ut enim eò loci ac temporis immiſſum cœlo pluvio diluvium terram omnem diluit, purgavitque, ſic & animos jejunium.

Cùm mundus, inquit, *intra generis humani primordia nefando vitiorum ſqualore ſordeſceret, & totus criminum fœteret horrore, ac penè ipſo iniquitatis ſuæ fumo fuſcare tantam cœli contenderet claritatem, quadraginta* *Serm. 166.*

diebus

Digitized by Google

diebus ac noctibus expiaturus terram, cœleſtis imber effunditur, ut quia perite ſibi mundus; jam debebat, gauderet tali baptiſmate ſe renatum.

Attendite, inquit, *Fratres quantus ſit Quadragenarius numerus iſte, qui & tunc cœlum terris aperuit abluendus, & nunc fonte baptiſmatis orbem totum pandit gentibus innovandis. Meritò nos quadraginta diebus per jejunium currimus, ut perveniamus ad fontem baptiſmatis & ſalutis.*

III. Sit diluviū peccatorum

Ecce ut jejunium, diluvium vocat peccatorum, & veluti fontem alterum baptiſmatis, quo dum eluuntur, merguntúrque vitiorum omniom ſordes; ſibi redditur, & orbi innocentia, ut ex verò *jejunium de innocentia ſit Sanctum*; uti & *de puritate purum*: & en tertia jejunii Lex, ut purum ſit, ut caſtum.

Et ſanè tale eſſe probat vel ipſa ejus natura: ut enim D. Auguſtinus, *Fames amica Virginitati eſt, inimica laſcivia: ſaturitas verò caſtitatem prodit, nutrit illecebram.* Quod ſi fames amica eſt virginitatis, certè & illius quoque amicum jejunium, quod non eſt ſine fame. Quod ſi quæſieris unde & fames amica virginitatis, unde & illius quoque amicum jejunium, audies ex eodem Auguſtino, quia *jejunium purgat mentem, ſublevat ſenſum, carnem ſpiritui ſubjicit. Iejunium concupiſcentiæ nebulas diſpergit, libidinum ardores extinguit, caſtitatis verum lumen accendit.*

Serm. 230. de Temp.

Purgat mentem, quæ ſuperior hominis pars eſt, ab ideis impuris, ſi quas fortè phantaſia immiſerit.

Sublevat ſenſum, qui materiæ incumbit, ne ei profundiùs immergatur.

Carnem ſpiritui ſubjicit, ne caro, quæ ancilla eſt, ſpiritui, ceu domino inſultet, contra rationis, imò & naturæ leges: *Concupiſcentiæ nebulas diſpergit*, ne mentis oculum offuſcet, ne concupiſcentiæ velum rationi obtendat, ut ſoli huic aſpectabili denſa nubes; hæc enim ſolem obtegit, & mortalibus oculis eripit, ſic & concupiſcentia rationem, ceu alterum animi ſolem, ſic obſcurat, ſic obvelat, ut nulla lux illi affulgeat; ut porrò affulgeat, jejunium facit.

Tum etiam *libidinum ardores extinguit*; libido eſt velut accenſa fornax, quæ ſcintillas evibret impuri amoris, atque ex illis etiam creet incendia: ne autem creet opportunè affunditur frigida, quæ & ſcintillas illas diſſipet, diſperdat, extinguatque etiam ipſum incendium.

Denique *Caſtitatis verum lumen accendit*, diſſipatque tenebras, & profundam à ſtyge noctem, ut amicam videat aureamque cœli lucem, quæ à caſtitate affunditur, & ita habetur, & eſt *purum à puritate jejunium*: & verò niſi tale ſit, fruſtra eſt; ut enim disertè D. Chryſoſtomus, jejunium non ciborum, ſed peccatorum abſtinentiam efficit, maximè verò libidinis & concupiſcentiæ: & certè niſi eam abſtinentiam efficiat, nihil efficit: ut enim teipſe D. Baſilii verbis alloquar qui aliter jejunas: *Carnem non comedis, ſed comedis fratrem: abſtines vino; ſed ab injuriis tibi non temperas, veſperam expectas ad ſumendum cibum, ſed inſumis diem cauſis forenſibus: Quid juvat jejunare corpore; animâ verò innumeris malis repleri?*

Serm. de Jejunio.

Enimverò nihil omninò juvat: ut enim D. Ambroſius, *Quid prodeſt jejunare viſceribus, & luxuriari venationibus? Abſtinere à cibis & errare peccatis?* profectò nihil prodeſt, ut ergo proſit, neceſſum eſt ut homo, quantus, quantus eſt, jejunet à vitiis, quod pulchrè demonſtrat D. Bernardus diſcurſu facto per omnia illius membra, ſic enim ait:

Homil. de Quadrag.

Serm. de Quadrag.

Si ſola gula peccavit, ſola jejunet & ſufficit, ſi verò peccaverunt & membra cætera, cur non jejunent & ipſa? jejunet igitur oculus à curioſis aſpectibus & omni petulantia ut benè humiliatus coërceatur in pœnitentia, qui malè liber vagabatur in culpa.

Jejunet auris nequiter pruriens à fabulis & rumoribus: jejunet lingua à detractione, & murmuratione, ab inutilibus, vanis atque ſcurrilibus verbis. Jejunet manus ab operibus, quæ non ſunt imperata; ſed potiùs prohibita.

Denique, *multo magis jejunet anima à vitiis, & propria voluntate ſua.* Quod ſi ita jejunarint omnia membra, ſi ita jejunarit anima, erit illi *jejunium de innocentia Sanctum, & de puritate purum.* Erit & *hominibus occultum, & ignotum diabolo, & Deo notum.*

IV. Sit hominibus occultum.

Et hæc D. Chryſologo quarta boni jejunii lex eſt, cujus rationem hanc affert: Primò quia jejunium eſt bonæ menti, quod avaro Theſaurus, *Theſaurum* autem, *qui non abſcondit, prodit.*

Jejunium eſt virtus, virtutes autem proditæ non manebunt: virtutes ſicut proditores ſuos deſerunt, ſic ſuos inſtant cuſtodire cuſtodes. Hæc ubi dixit S. Præſul, tum ad extremum conficit illud:

Ergo jejunium quod contra vitia prima virtus eſt nobis, in arce pectoris collocetur, quia illo in interioribus præſidente, vitia nos quatere in exterioribus non valebunt.

QUÆSTIO TERTIA
LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Nolite theſaurizare theſauros in terra, ubi ærugo & tinea demolitur, & ubi fures effodiunt & furantur: Theſaurizate autem vobis theſauros in cœlo, ubi neque ærugo, neque tinea demolitur, & ubi fures non effodiunt, neque furantur.* Mat. 6. v. 19. 20.

QVIS ILLE THESAVRVS IN TERRA? Quis & in Cœlo?

SCRIBÆ & Phariſæi, quos hic inſtruit, & carpit CHRISTUS, ceu Magiſter optimus, omnia ferè faciebant ad pompam, & vanam oſtentationem, captantes auram popularem, humanæ gloriolæ mali aucupes, tum etiam auri cupidine & inſana quadam avaritia, qua & laborabant vel maximè; ut huic & illi vitio medicinam faciat, primò docet & jejunium & eleëmoſynam exhiberi oportere cœleſtibus & divinis oculis, non humanis, adeoque in abſcondito; tum etiam theſauros in terra colligi, ac recondi vetat, vultque eos reponi in cœleſtibus, ut malè ſanum atque inſolens avaritiæ ſtudium ex humanis cordibus eliminet. Et hæc pauca pro fine, & ſcopo. ad quem collimare viſus Servator optimus, quem ubi vel oculo legeris, AMICE LECTOR, te duci velim ad unam alterámve Quæſtionem, & quidem primò: Ecquis ille theſaurus in terra? deinde, quis & in cœlo? & qua ratione iſtic reponendus?

Theſaurus in terra quis?

In terra quis ſit, in aperto eſt, eſt argentum, aurum, gemmæ; illa terræ partus, hæc fœtus maris: & ſi velis, amplior & ditior ſuppellex, & agri, caſtella, urbes, provinciæ & regna, ſi voles, quibus ut terrenis divitiis inhiant puſilli in terris mortales, perperam tamen & ſuo damno, melóve: ſi enim ſuppellex ſit & pretioſa veſtis, illam arrodit, perforat, lentoque morſu tandem conſumit tinea; ſi argentum & aurum, & hoc & illud inficit abſumitque ærugo; ſi theſaurus etiam abſconditus, etiam terræ mole obrutus, & illum effodiunt fures, atque aſportant; ſi denique agri, villæ, poſſeſſionéſve aliæ, & has quoque vel aliqua fortunæ inclementia, vel hominum invidia ac malevolentia perdit; ſi denique urbes, provinciæ, Regna, Imperia, & hæc adverſo marte petit, vaſtat, peſſundat, mutat, inſurgens tyrannus aliquis. Ita nihil in terris tutum, ſecurum nihil, nihil diuturnum.

In cœlo quis?

Supereſt ergo ut theſaurus ille locetur in Cœlis ubi tuta, ſecura, diuturna, imò æterna ſunt omnia. At quis, inquies, modus? & quæ ratio? paucis docebo, vel potiùs docebunt Divi Patres, ipſumque Chriſti oraculum, quod eſt ejuſmodi. *Theſaurizate vobis theſaurum in Cœlo.* Expendamus verba ſingula, quia ſuum habent momentum, & pondus.

Theſaurizat

Theſaurus Juriſconſultis, *eſt tam vetus depoſitio pecuniæ, ut ejus non extet memoria, & jam dominum non habeat.*

Quibus?

Et hæc ſtrictior eſt theſauri definitio: amplior alia, eam accipit pro quodam quaſi penu rerum depoſitarum, de cujus uſu hîc inquirimus, quis ex rationis præſcripto, quis ex Cœli legibus, & Chriſti oraculo eſſe debeat.

Vobis.

Theſaurizate vobis, inquit, & hoc primùm: *Vobis* non filiis, non ſeris nepotibus, non ingratis hæredibus: hoc enim immane genus amentiæ, quam & arguit, & deplorat Salvianus Epiſcopus Maſſilienſis. Illum audiamus:

Eccleſ. Cathol. l. 3.

In una re, inquit, *eſt*, *quod pro hominum inſipientia lugeamus ullum omninò inveniri, aut eſſe poſſe qui decurſu infelicis vitæ ipſius (brevi ſpatio in ipſa æternitate jam pendens) iturus illicò ad tribunal Dei, quicquam aliud cogitet præter finem ſuum, quicquam aliud præter exitum ſuum, quicquam aliud præter periculum ſuum*, ut neglecta ſpe ſua atque anima, cui opitulari aliquatenus, vel in ultimis ſuis, omni niſu, omni re ac ſubſtantia ſua debeat, hoc ſolum cogitet, hoc ſolum animo ſuo volvat, quàm lautè hæres res ſuas comedat.

Non filiis non nepotibus.

Poſtquam iſta extulit S. Præſul, tum ſic illis *Miſerrime omnium quid ſollicitus es? quid æſtimas? Quid authorem teipſo rerum periturarum facis? an times fortè ne deſint, qui te mortuo quod dereliqueris vorent? nolo metuas, nolo verearis: utinam tam facilè tu ſalvus eſſes, quàm tua omnia deperibunt.* Hæc ubi dixit, tum rei indignitate permotus, exclamat:

O infidelitas! ò perverſitas! etiam vulgo dictum eſt omnes ſibi melius velle, quam alteri. Novum hoc monſtrò genus eſt, cuilibet quemquam velle conſulere; tantum ne ſibi; at ſic conſulit, qui hæredibus, qui filiis, ac nepotibus theſaurizat, non autem ſibi; & hoc contra Chriſti oraculum, atque præſcriptum, quo expreſsè cavet ac monet,

Theſaurizate vobis, non filiis, non nepotibus, non hæredibus: certè qui his theſaurizat, næ mortalium eſt infeliciſſimus. audi quid ad illum Maſſilienſis Præſul, & hoc in extrema brevis ævi meta.

Et tu, inquit, *de locupletandis quibuſcumque hæredibus tuis cogitas, de opibus agnatorum tuorum, cognatorumque ſuſpiras, quem potiſſimùm inter cæteros ditiorem patrimonio tuo facias, cui ſuppellectilis varia ornamenta transſcribas, cujus apothecas copiis tuis repleas, cui maiorem ſervorum numerum derelinquas: infeliciſſime omnium, cogitas, quàm benè alii poſt te vivant, non cogitas quàm malè ipſe moriaris.*

Dic mihi quæſo, ô miſer! ô infidelis, cùm multis patrimonium tuum dividas, cùm multos facultatibus tuis dites, nunquid de ſolo te es tam malè meritus, ut tibi nec inter extraneos locū facias hæredis?

Hæc Salvianus ad illos, qui non ſibi, ſed aliis theſaurizant, qui non cœlo, ſed terræ: & hoc alterum eſt malum, & quidem priore gravius: Ecquid enim ut te ipſe alloquar Chryſoſtomi verbis: *Quæ ſtultitia illic relinquere unde exiturus es, & non illuc præmittere quò iturus es? Theſauriza ubi patriam habes, non ubi exilium.* Hæc Orator aureus, cujus verba etiam ſingula expendas velim, AMICE LECTOR.

Cœlo, non terris.

Quæ, ait, *ſtultitia*, quæ dementia, quis error deviæ mentis eſt, *illic bona relinquere unde exiturus es*, & rediturus nunquam: relinquis terris, unde abis, & æternum quidem, eas nullo unquam ævo reviſurus, & non præmittis *illuc quò iturus es*, in cœlum certè, quò ſi modo velis, iturus es: Theſauriza ſi ſapis *ubi patriam habes*; patriam certè habes in cœlo, non in terris: in his nonniſi exilium, & tamen, ô pudor! ô dolor! terris bona tua relinquis, non cœlis, quæ ſtultitia, quæ dementia: ne ea te invadat quiſquis hanc pagellam oculo decurris, oſtendam qui theſaurizare debeas, & in cujus manibus theſauros illos deponere, vel potius oſtendet ipſe D. Chryſologus quo authore hic utar. Sic ille quondam:

I. Modus theſaurizandi in Cœlo.

Manus pauperis, Abrahæ ſinus eſt, ubi quidquid pauper acceperit, mox reponit. Theſaurus cœli eſt manus pauperis, quod ſuſcipit, ne in terra pereat, reponit in cœlum. Theſaurizate ergo theſauros in cœlo. Manus pauperis eſt gazophylacium Chriſti, quia quidquid pauper accipit, Chriſtus acceptat. Da ergo homo pauperi terram ut accipias cœlum, da nummum ut accipias regnum. Da pauperi ut des tibi: quia quidquid pauperi dederis, tu habebis; quod pauperi non dederis, habebit alter.

Serm. 8.

Hactenus Chryſologus, quo judice theſaurus noſter, id eſt omnis pecunia noſtra, deponi debet in manus pauperis, ut eam deinde recipiamus in cœlo, quò ſcilicet deportatur per pauperum manus, & quibus eam committere, eſt in cœlo theſaurizare.

Quod de pecunia, ceu theſauro dixit, hoc de jejunio, quod & pauperi dari debet, & Chriſto, ſic enim de illo:

Qui non jejunat pauperi Deo fingit, qui jejunans prandium ſuum non erogat, ſed reponit: cupiditati probatur jejunare, non Chriſto. Iejunantes ergo, Fratres, prandium noſtrum reponamus in manu pauperis, ut ſervet manus pauperis nobis, quod venter nobis fuerat perditurus. Hæc D. Chryſologus, à quo diſcedo, ut attendam, & explicem alium modum theſaurizandi in cœlo.

II. Modus theſaurizandi in Cœlo.

Is erit, ſi & jejunia noſtra, & quodlibet opus bonum Dei ſolius cauſa, Dei gratia fiat, pura, puta intentione, quæ Deum unum ſpectet, & ad Deum tendat, tale quippe opus eſt ex vero theſaurus, & quidem talis, cui parem non habeat nec terra, nec cœlum ipſum: ſed proh dolor! illius pretium vix norunt, vix æſtimant incauti, ignarique mortales, quibus uſuvenit quod ruſtico cuipiam, qui natus in hora, enutritus in vili & ſtramineo tuguriolo, in pago exiguo, è quo tota vita non abiit, inveniat ille fortè fortuna, *Adamantem* miri valoris, miri & livoris ac lucis, & cui parem nec Europa viderit, nec tulerit Aſia, vel Africa.

Si, inquam, ille ejus valorem, & pretium peteret à ruſticis, ejuſdem planè ignaris, & qui opinarentur eſſe particulam aliquam vitri levioris, adeoque iiſdem venderet viliſſimo pretio, faſciculo duntaxat ſtramineo, vel modica avena, aut palea, næ ruſticus ille, & imprudens haberetur, & amens, & mortalium infeliciſſimus.

Quod

Quod ſi neſcio cujus ſuaſu adiret aurifabrum unum aliquem, aut gemmati auri propolam, rogaretque ecquis eſſet ille lapis? illéque ut potè peritus in paucis, & gemmarum propola, mirè laudaret, mirè & æſtimaret adamantem illum, & ruſticus ille noſter contentus ea laude, ea æſtimatione, non alio exhibito pretio, ea dumtaxat laude, eaque æſtimatione venderet adamantem illum, profectò & ſtultus haberetur, & demens, qui gemmam illam tanti pretii, tanti & valoris proſtitueret inutili illa, futilique laude, atque æſtimatione, à qua nihil burſæ accederet, nihil & alendæ familiæ, levandæque paupertati

Quod ſi tamen ille ipſe ruſticus à viro probo, & iſtarum mercium gnaro monitus, adiret Curiam, ut ipſi Regi exhiberet, offerretque emendum illum adamantem, ipſéque Rex, utpote gemmarum amans, atque æſtimans, juſtum illi pretium penderet, ſanè & prudens, & fortunatus cenſeretur, ut qui Regem adiiſſet, qui unicus eſſet qui & pretium illius noſſet, atque etiam pendere poſſet. Et verò etiam penderet; unde & illi ruſtico, & toti familiæ benè eſſet ſeros in annos.

Quod ruſtico illi, hoc & pleriſque mortalium accidit. Jejunium etiam vel unius diei tantùm, lacrymula una, ſuſpirium unum, calix aquæ frigidæ pauperi datus Dei gratiâ, cauſâque, gemma eſt, adamas eſt immenſi valoris, propè dixerim infiniti, & cui nec in terris, nec in cœlis quicquam par eſſe poſſit.

Da ſodinas auri, da mineralia, da uniones, da gemmas, da provincias, da Regna, da Imperia, & quidquid ſub cœlo dives eſt, atque opulentum, da quidquid magnum, quidquid & auguſtum terris, da ſi voles quidquid & in Cœlis, da ſtellas, da Lunam & Solem orbis illius oculos, da ſi voles etiam ipſas Cœlorum Intelligentias, neque hæ, neque illa omnia æquare poſſunt pretium unius boni operis facti in gratia.

Job c. 28. v. 13. Sed proh dolor, pudorque! proh cæcitas! prô amentia! *Neſcit homo pretium ejus*, & quia neſcit, ſimilis eſt illi ruſtico, malè prodigit. Opera illa bona, quæ Cœlo emendo ſatis erant, gratiaque illis paria, quæ & Cœli pretium erat, & beatæ æternitatis, venditur vili paleâ, venditur porcorum ſiliquis, hoc eſt, levi, putidaque voluptate, venditur vana oſtentatione, futili laude, famæque aucupio.

Ne porrò à te ſic vendatur unquam, Amice Lector, age, aſcende in cœleſtem Curiam, & Regem Cœlorum adi, Deum, inquam, adi, & pura mente, intentione pura, ei offer, ei dedica, ei conſecra opera tua, jejunia, eleëmoſynas, ſuſpiria, gemitus, lacrymas: ille, ille unus eſt, qui & eorum pretium novit, atque æſtimat, & qui etiam poſſit, ac velit illorum tibi pretium pendere. At quod pretium? Cœlum, utique beatitas, Deus ipſe. Et hic unus eſt, qui tibi debet eſſe in pretio atque amoribus, imò qui & tibi pretium, extra quod nihil velis, nihil admittas. Et hoc pretium eſt, quod & amant & quærunt excelſæ mentes, nec aliud unquam patiuntur.

E multis unum tibi producam, Benevole Lector. Is erit Angelicus Doctor, Thomas Aquinas. Diurnis, nocturniſque lucubrationibus, multa de Chriſto luci dederat, ſudore multo, labore multo, cùm ei ſic Chriſtus: III. Modus theſaurizandi in cœlo.

Benè ſcripſiſti de me Thoma, quam ergo mercedem pro tuo labore recipies? cui ille: *Domine non aliam præter te.*

Hic ſuſpicere, amare, ac revereri licet tam indulgentis, & ſimul amantis Chriſti voces, & tot amoris, tot indulgentiæ oracula, quot ſyllabas.

Benè ſcripſiſti de me Thoma. Benè, inquit: en cœli, en Dei hominis calculo probata ſcriptio; Quid amplius? *Scripſiſti.* En labores, en ſtudia, en lucubrationes. Sed *de me*; non de mundo hoc, non de ſupernis illis Intelligentiis, non de ulla alia creatura; ſed *de me.* Quid altius? quid divinius quàm de Chriſto, quàm de Deo ſcripſiſſe: & hoc feciſti *Thoma*: quam ergo *mercedem pro tuo labore recipies.* Quaſi diceret indulgens Numen: ſpectavi de cœli ſpecula labores tuos, ſtudia tua, vigilias tuas, lucubrationes tuas, eaſque *de me*: volo condignam iis mercedem reddere, age, fare, quam repoſcis? Quid ille? *Domine non aliam præter te.* Quid ſapientius? quid rectiùs?

Ita nimirum Thomæ, ita bonis operibus, ita gratiæ nulla æqua eſt merces niſi Chriſtus, niſi Deus ipſe, idcóque hunc unum ſpectant, hunc depoſcunt præcelſæ mentes, & hunc unum habent in votis.

Audiamus D. Auguſtinum in æſtu orationis, in quo & Deo, & ſibi loquitur; & ſic ad illum: *Auge deſiderium, & da quod peto: quoniam ſi cuncta quæ feciſti mihi dederis, non ſufficit ſervo tuo, niſi teipſum dederis. Da ergo teipſum mihi Deus meus, redde te mihi.* Quod Auguſtino votum, hoc & omnibus eſſe debet, ſi modo à Chriſto eſſe velint, quod ſunt, Chriſtiani.

****

FERIA V. POST CINERES.

De Centurione ejuſque puero, id eſt ſervo, à paralyſi liberato.

QUÆSTIO PRIMA

LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Acceßit ad eum Centurio rogans eum.* Matt. 8. v. 5.

QVIS ILLE CENTVRIO? QVÆ EIVS ORATIO?

Quis Centurio? DIvus Chryſologus (quo authore hic utar) exiſtimat Centurionem hunc fuiſſe natione Romanum: cùm enim eò loci ac temporis Romani Judæam occuparent, ibi quoque ſua habebant militum præſidia, & ſuos militiæ duces & præfectos, quos inter & hic, de quo ſic Chryſologus: *Cohortis Romanæ Centurio,* Serm. 8. *dux factus eſt militiæ Chriſtianæ, & meritò, quia ante cœpit debere, quàm credere.*

L. Dexter in ſuo Chronico cenſet eſſe Cornelium Centurionem gente Hiſpanum, cujus deinde filius C. Oppius, & ipſe Centurio, qui Chriſto in cruce pendenti, quaſi ſatelles, & cuſtos aſtitit, videnſque

Digitized by Google

videnſque ſigna, quæ in Cœlo, ſole, ceeras & petris contigerunt, ad Chriſtum ilicò converſus eſt.

Et hic, & illic tam in Judæa, quàm in Hiſpania præco fuit.

Vidimus quis fuerit Centurio, oſtendamus, quæ ejus ad Chriſtum oratio: ea fuit alia, atque alia: Una per Judæos quaſi legatos, & ſupplices, quos ad Chriſtum præmiſit. Ea porrò, teſte Luca Evange-
Cap. 7. v. 3. liſta, fuit ejuſmodi: *Cùm audiſſet de* J E S U *miſit ad eum ſeniores Judæorum rogans eum ut veniret, & ſalvaret ſervum ejus.*

Fama miraculorum longè latéque per Judæam ſparſa ad Centurionis aures venerat; ea motus ſeniores Judæorum miſit, ut venirent oratores ad Chriſtum pro ſervi ſui incolumitate: & verò propè advolarunt illi: utque gratior eſſet ea Centurionis petitio, adjecerunt & illud: *Quia dignus eſt ut hoc illi*
Luc. 7. v. 4 *praſtes; diligit enim gentem noſtram & ſynagogam ipſe ædificavit nobis.*

At cur non venit ipſe etiam primùm? opinantur nonnulli, quod Ethnicus eſſet, adeóque quod & ſe indignum crederet, qui ſeipſe oculis Chriſti ſiſteret, qui & alloqueretur, quod reverentiæ fuit ac demiſſionis: ut ut ſit, interiore permotus impulſu, & altiore luce, ardoréque venit ipſe deinde, & hæc ad Chriſtum ſupplex: *Domine puer meus jacet in domo*
verſ. 6. *paralyticus & malè torquetur.*

Quæ ejus oratio? *Domine*, inquit: *qui vocat Dominum fatetur ſuam fideliter ſervitutem*, ait D. Chryſologus.

Puer meus, id eſt ſervus; ſervi enim apud heros ſubjectione, obedientia & reverentia, erant illis inſtar puerorum, & ipſi viciſſim heris, non tam ſervi, & mācipia, quàm pueri eſſe, & haberi debebant.

Hinc ut ſcitè annotat Macrobius, *noſtri majores omnem Dominis invidiam, omnem ſervis contumeliam detrahentes, Dominum patrem familias, ſervos familiares appellaverunt.*

Quod ubi dixit, tum conficit illud: *Colant ergo te potius ſervi tui, quàm timeant*; colere enim ingenuitatis eſt, eſt & amoris, eſt & reverentiæ; timere autem ſervitutis extremæ indicium atque argumentum. Illud ornavit Apoſtolus, & hoc odit. Inde olim ſic ad Dominos:

Et vos Domini eadem facite illis, nempe ſervis, *remittentes minas, ſcientes quia & illorum, & veſter* ad Epheſ.
Dominus eſt in Cœlis, & perſonarum acceptio non eſt c. 6. v. 9.
apud Deum.

Urget hic Apoſtolus, & damnat in Dominis imperioſam illam dominationem, atque faſtum inſolentiórem, vel ex eo, quòd ſervorum ſuorum fratres ſint, & communi Deo, ac Domino ſerviant, qui & Dominii rationem exiget, & tyrannidis pœnam expoſcet: tum etiam quòd nulla apud ſupremum Judicem perſonarum ſit acceptio. Sit liber, ſit ſervus, ſit dominus, ſit mancipium, nihil intereſt.

Sed ne longius, ſtylum ſiſtamus in Centurionis ad Chriſtum prece:

Puer meus, inquit, *meum dico quia jacet, ſi tuus eſſet Domine, non jaceret. Probat hoc Propheta cùm dicit: Ecce nunc benedicite Dominum omnes ſervi Domini, qui ſtatis in domo Domini. Qui ſtatis, non jacetis, ait: ſtant* Pſal. 133.
ſervi tui, hominum ſervi jacent. Puer meus qui jacet ut tuus ſit, ſurgat: meus quia paralyticus: ut tuus ſit, jam ſanetur. Meus, quia malè torquetur, ut tuus ſit jam non ſit in pœna. Domine ſervos tuos non decet, malis ſubjacere: injuria eſt tua tuorum pœna ſervorum. Hæc Centurio ore D. Chryſologi, qui & ſubdit:

Jacet in domo & malè torquetur; *hinc eſt quod afferre eum, & offerre tibi pœnæ non ſinit magnitudo: ne, familiaris infirmitas publicè & dolori ſit & pudori.*

Movit Centurio judicem talia & tanta dum perorat, & ſic movit, ut ad ſervum ſuum Cœli Dominum ipſum ire velle perficeret. Ait enim illi J E S U S, *Ego veniam & curabo eum.*

Quid ad hæc Centurio? Domine, inquit, non ſum dignus ut intres ſub tectum meum; ſed tantum dic verbo, & ſanabitur puer meus: nam & ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus, habens ſub me milites, & dico huic vade, & vadit, & alii veni, & venit, & ſervo meo fac hoc, & facit.

Videtis, inquit Chryſologus, *Centurionem antequam diſcipulatus ſubiret officium, locum magiſterii fuiſſe ſortitum: præbet enim petendi formam; dat normam credendi; Fidei pandit cauſas; virtutum commendat exempla, qui nondum Chriſtiana ſchola ingreſſus eſt diſciplinam.* At quænam exempla? & quarum virtutum? ea fuſiùs explicabit, quæ ſequetur

QUÆSTIO SECUNDA
MORALIS.

Ad illa verba: *Domine non ſum dignus ut intres ſub tectum meum, ſed tantum dic verbo, & ſanabitur puer meus.* Matth. c. 8. v. 8.

QVÆ IN IIS VERBIS MAGNARVM VIRTVTVM Argumenta atque exempla?

VT audiit ea Chriſti indulgentis verba: *Ego veniam, & curabo eum*; æſtu quodam ſeu ſtuporis, ſeu timoris exclamat illicò: *Domine non ſum*
Exempla virtutum. *dignus, ut intres ſub tectum meum*; paucula voces, ſed indices, ſed teſtes excelſarum virtutum, & quidem: Primò timoris Domini, & ſacri cujuſdam horroris: ut enim hîc D. Chryſolo-
I. Timoris Domini. gus, Centurio, ita *magiſtro timore reſpondit, & ipſum eſſe Dominum, ſingulari pavore ſignavit.*

Ita deinde ſignavit & Petrus: ubi enim Chriſtum rerum cognovit auctorem, exclamavit dicens: *Exi à me, Domine, quia peccator ſum: ſic eum Petrus exire à ſe rogat, quomodo Centurio eum ad ſe ſupplicat non venire, agit uterque, ne indignitas hoſpitis in hoſpitio manet injuriam*; ut ſcitè notat D. Chryſologus.

Et hæc fuit prima virtus; quæ in eo Centurionis II. Humilitas.
reſponſo eminere audito, notataque ea vocula, *Domine*, cui ſubjicitur & altera, expreſſa his verbis, *non ſum dignus ut intres ſub tectum meum.*

Dedit debitum de humilitate reſponſum, inquit D. Chryſologus, *quia tectum ſuum indignum judicavit Chriſto.* & hæc ſecunda virtus, cui additur mox tertia, quæ eſt fidei, & fiduciæ ſingularis paucis voculis ſignificata.

Dic tantum verbo. Centurio iſte cùm ſine lege eſſet, nihil ſine lege egit. D. Chryſologus ait enim: *Dic tantum verbo*, quia dictum erat, dixit & facta ſunt: & ſi omnia perfecta ſunt dictu, quomodo dictu ſolo unius infirmitas non curatur?

Dic

Dic tantum verbo, & ſine verbo quid dicitur? III. Fidei. ſed iſta poſtulat verbum, non de loquendi uſu, ſed de virtute faciendi. Verbum de quo dictum eſt *Miſit verbum ſuum, & ſanavit eos*; ideoque inſtat & urget. *Dic tantum verbo*, quia iſte credidit in verbo omnes manere virtutes, quaſi diceret interprete menti illius D. Chryſologo: *Verbum tuum Domine, ſanitas eſt; verbum tuum vita eſt: verbum tuum ubi acceſſerit, inde confeſtim fugit dolor, infirmitas mox recedit.*

Et hac fecum animo dixit Centurio, hac in vocula: Dic tantum verbo, *& quaſi non ſufficeret, quod verbo egerat, verbo præſtari poſſe, quod poſtulat, rebus aſtruit, commendat exemplo*, etiam ſuo: addit enim, nam & ego homo ſum, ſub poteſtate conſtitutus, habens ſub me milites, & dico huic, vade, & vadit, & alii veni, & venit, & ſervo meo, fac hoc, & facit.

Chry. ſerm. Ego homo ſum, *hoc eſt dicere, Tu Deus*: ſub poteſtate poſitus, *hoc eſt, tu ipſis poteſtatum poteſtas.* Habens ſub me milites, *hoc eſt tu virtutes.* & dico huic vade, & vadit: *hoc eſt die infirmitati, vade & vadit*; alii veni, & venit; *hoc eſt dic ſanitati veni, & venit*; & ſervo meo fac hoc, & facit. *Ille puer meus erit tuus ſervus, cùm receperit ſanitatem. Audiat, ſanus factus eſt, jam nulli peccare, faciat juſtitiam, ut liberetur à paralyſi peccatorum.*

Hæc Centurio interprete ut dixi D. Chryſologo, quo etiam judice ejus oratio fuit à ſacro timore reverens, ab humilitate profunda, à fide atque fiducia imprimis erecta, quibus D. Hieronymus addit, etiam *à prudentia diſcreta*: noverat enim quid in Chriſto *appareret extrinſecum, & quid lateret intrinſecus: ſic enim de virtutibus illis, quas Centurio ille noſter ſua oratione expreſſit.*

IV Prudentiæ. *Fidem*, inquit, *in eo quòd credidit, ex Gentibus paralyticum à Salvatore poſſe ſanari. Humilitatem, quòd ſe judicavit indignum, cujus tectum Dominus intraret.*

Prudentiam, quòd intra corporis tegmen Divinitatem latentem videret, ſciens non id ſibi profuturum, quod ab incredulis videbatur; ſed id quod latebat intrinſecus. Hæc D. Hieronymus, ex quo aliiſque cognoſciam, quæ qualiſve nobis debeat eſſe oratio, vel exemplo Centurionis, vel etiam documento.

Quæ etiam oratio noſtra? Primò enim ſit reverens, ſit plena caſti amoris, & ſacri cujuſdam horroris. Erit autem ſi cum animo tuo reputes quem in oratione affari debeas, cujus frui conſpectu, atque colloquio, nempe illius, in cujus conſpectu, ut diſertè D. Chryſologus,

Archangeli tremunt, pavent Angeli, Poteſtates metuunt, in faciem procruunt Cœli ſeniores, elementa fugiunt, ſolvuntur ſaxa, montes defluunt, terra tremit, & homo terræ intrepidus intrabit? Homo, inquam, terra, pulvis & modicum cinis.

Cum Rege, aut Imperatore colloqui exiſtimatum fuit olim, quaſi munus divinum, ad quod reverentia, & ſacer quidam timor, horrorque requireretur.

Lib. 3 ep. 21. Hinc Theodoricus Rex, apud Caſſiodorum: *Cuilibet habere noſtra colloquia, munera credit eſſe divina.*

I. Sit reverens. Quod ſi cum Rege, cum Imperatore, qui tamen & ipſe homo eſt, terra, pulvis, & cinis; cum eo, inquam, loqui, & colloqui munus habetur veluti divinum, quid erit cum immortali Deo? cum ſupremo Numine? cum ſumma illa mente in oratione verſari, & agere?

Et certè ex vero divinum, & ſi quid eſſe poteſt divino majus, ſi quid excelſius: quod ſi divinum munus, certè non obeundum niſi cum reverentia & pavore quodam ſancto.

Et verò ſic obeundum eſſe, ex ipſis Eccleſiæ arcanis docuere D. Patres. Bernardus: *Verecundia*,

ſerm. 71 in Cant. inquit, *debet comitari preces, commendare precantem.* S. Hilarius: *Effunditur*, ait, *in conſpectu Dei oratio, non negligenter, neque ex ſecuritate, neque abſentis*

In Pſal. 141. *diſſimulatione; ſed præſentis honore*: adeoque cum reverentia, & ſacro quodam horrore.

Et ita effudit olim Pſaltes Regius, qui hæc de ſeipſo, & verè & piè: *Effundo in conſpectu ejus orationem meam.* Non, ait, in conſpectu ſolis hujus, non in hominum oculis, non in Angelorum præſentia, ſed in conſpectu ejus; Dei ſcilicet unius, primi Entis, & Entis Entium.

Ita effudit S. Simeon Stylita, qui diu, noctuque vigil, & orans corpus, quantum, quantum erat, Bolland. in ejus vita 4. Jan. c. 17. ad imos uſque pedes inflectebat, eo numero, qui propè fidem ſuperet. Theodoretus unus aliquis, vel unico die numeravit adorationes ejuſmodi, & corporis inflectiones mille ducenties quadraginta quatuor. Ita (ne omittam confeſtor) S. Poppo 25. Jan. c. 14. Abbas ad Deum venturus pius ac reverens orator, genua centies una die flectebat, & pavimentum omne ſuis lacrymis ceu ſacro fonte irrigabat.

Hic vos volo, vos evoco adoleſcentes molliculi, comptuliq́ue, qui ad prima templorum limina pedem figitis, oratores irreverentes, atque impudorati, qui uno vix poplite, vix uno genu Deum adoratis, ſi tamen adoratis, ac non potius irridetis. Eſt certè hujus ævi macula quædam & labes, etiam eluenda ſanguineis lacrymis, ſi tamen & ſic eluenda. Sed ne longius. Vidimus, qui reverens debeat eſſe oratio, attendamus quî etiam humilis.

B. Angelæ de Fulginio ſeſe aliquando ſpectandum dedit Chriſtus, docuitq́ue quid eſſet oratio, II. Humilis. & unde humilis.

Oratio, inquiebat Magiſter optimus, *nihil aliud eſt, quàm manifeſtatio Dei & ſui*: & hæc duo eam humilem faciunt: Deum enim anima, apertis veluti intelligentiæ oculis ſuſpicit, ac deinde à Deo ad ſeipſum converſa ſe deſpicit, videtq́ue quid Deus, quid ipſa: non poteſt non ſeipſam abjicere, ac de Deo ſentire quàm altiſſimè, de ſeipſa verò quàm abjectiſſimè.

Ut autem & de Deo, & de ſeipſa ſic orans ſentiret D. Catharina Senenſis, audiit à Chriſto illud. *Filia ego ſum, qui ſum; tu es, quæ non es.* Ecce quæ orans, & ſentire & loqui debet; ecce quæ corde, quæ ore exprimere.

Ea certè expreſſit magnus ille pater Abraham orator humilis ſi ullus. Ad Deum enim venturus Gen. c. 18. v. 27. orator; *Loquar ad Dominum cùm ſim pulvis & cinis.*

Ad Dominum, ait; ecce manifeſtationem Dei; cùm ſim pulvis & cinis, ecce manifeſtationem ſui, atque ab hac & illa profundam in oratione demiſſionem.

Ab hac, & illa inſignis etiam orator fuit Vates Regius qui ſic olim ad Deum. *De profundis clamavi ad te Domine.* Pſal. 129. Symmachus vertit, de profundiſſimis, hoc eſt de abyſſo mei nihili, in quo æternitate totâ latui, & è quo in lucem eductus ſum.

Facit profectò nihilum illud cùm in animum venit & orationem, ut ſeipſe agnoſcat homo, ſeque ipſe deſpiciat, ac de profundis ad Deum clamet.

Quidni enim ſic clamet probè conſcius, & memor ſui: narrat D. Auguſtinus Alcibiadem ſummo loco natum, cùm ex ſermone Socratis cognoviſſet ſeipſum, nihilque interſe, & bajulum quemvis intereſſe, illacrymaſſe, ac profundùm ingemuiſſe.

Quid ſi hæc homo ad hominem compoſitus, nihilque ab eo diverſus, niſi quibuſdam fortunæ phaleris, quid erit homo cum Deo compoſitus, & ſeipſe inſpexerit, & Deum ad quem orans venit. Enimverò erit quod ens entium ad nihilum, adeoque abjectus ipſe, abjectus in oratione: ut & fuit Centurio ille noſter, à quo & Eccleſia deinde tota hauſit eoſdem humilitatis ſenſus.

Ea filios ſuos, ceu bona mater, edocuit, ſic orare, ſic venire ad epulum Euchariſticum; *Domine non ſum dignus ut intres ſub tectum meum; ſed tantum dic verbo, & ſanabitur anima mea.* Quaſi diceret interprete D. Chryſologo.

Non ſum dignus deducere Dominum ad animæ ſuæ domum, ad ſecretum cordis ſui, ad tectum ſuæ conſcientiæ, Serm. 15. *ad penetrales mentis, in quo familia cogitationum incondita & confuſa verſatur, nec patitur aulam pectoris humani ſine vitiorum ſtrepitu in ſinceritatis ſilentio permanere.*

III. Sit plena Fide. Hæc Chriſtianus, hæc fidelis, interprete, ut dixi, D. Chryſologo, à quo diſcedo, tranſeoque ad tertiam bonæ orationis legem. Eam vult eſſe plenam fide, & ab eximia in Deum fiducia ſingularem.

Eam porrò fiduciam oſtendit ipſe habitus orantis, qui Antiquis alius, atque alius erat.

Primus erat Cœli contuitus, qui & ardorem accenderet & augeret in Deum fiduciam, & unà cum oculis, animi quoque votum ad ſuperos emitteret; Alter erat, expanſio manuum; orantes enim levabant in Cœlum manus, ſed puras, ſed ſanctas, ſed innocentes, ſed nullâ peccati ſorde contaminatas.

Hujus, & illius ritus meminit Tertullianus in Cap. 30. Apologetico, cùm ait, Chriſtianos *in Cœlum ſuſpicientes, manibus expanſis orare conſueviſſe.* Sic oravit Pſal. 122. Vates Regius: ait enim: *Ad te levavi oculos meos qui habitas in Cœlis.* Sic & oravit S. Martinus qui in ultima vitæ periodo, ſupinus veluti conſiſtere, ea gratia ut in æternum beatorum domicilium intenderet, ubi cor fixum, & ſpes omnes ſuas ſitas habebat.

Sic & Conſtantinus Magnus, magnus utique apud Deum & Superos orator, qui & in nummis, & tabulis pictis exprimebatur, expanſis manibus & De vita Conſtantini l. 4. c. 15. oculis in Cœlum erectis, uti mihi teſtis eſt Euſebius. Et hic orantis habitus, uti dixi, exprimebat illam, de qua agimus, in oratione fiduciam, demus aliqua etiam illius exempla, quæ & nobis incitamento ſint, atque documento.

A malo genio tentatus eſt aliquando Monachus In vit. PP. l. 6. libello 2. n. 14. Abraham, Abbatis Siſci diſcipulus, & ita quidem ut ceciderit: quod ut advertit ſenex, ceu miſericors Pater, ſurrexit, atque in Cœlum manus extendit, unáque etiam preces, & vota. Sic enim ait: *Deus vis, non vis, non dimitto niſi curaveris eum.*

Hæc ille plenus fide, atque in Deum fiducia, cujus merces fuit diſcipuli curatio: huic non abſimilis, fuit ea, quam à ſubdito ſuo, & novitio exegit Jordanus, ei quam & ipſe habuit. Laborabat ille ardentiſſima febri, à qua & debilitatæ vires, & profligata penitus valetudo, quam ut redderet pius Pater, ſic novitio, Si fidem haberes, ab infirmitate tua citius poſſes liberari. Cui ille, cùm credere ſe Bollandus 23. Febr. in vit. B. Jordani c. 3. dixiſſet, imponens illi manus, ſic ad eum: *In nomine Domini recipias ſanitatem.* Et verò recepit: tantum ad ſuperos valuit ea ſeu diſcipuli, ſeu magiſtri in Deum fiducia.

Quod illi, hoc & aliis, quibus tantum accedet boni, quantum fiduciæ, & ſpei acceſſerit: quod declarat D. Bernardus exponens illud Joſue cap. 1.

Omnem locum quem calcaverit veſtigium pedis veſtri, Serm. 15. in Pſal. Qui habitat. *veſter erit.*

Sperate, inquit, *in Deo omnis congregatio populi; quemcunque enim locum calcaverit pes veſter, veſter erit. Pes veſter, utique ſpes veſtra eſt, & quantumcumque illa proceſſeris, obtinebit, ſi tamen in Deum tota figatur, ut firma ſit & non titubet.*

Quod ipſum confirmat alio loco quo ſtatuit hoc effatum, hoc & oraculum:

Sola ſpes apud te Domine, miſerationis obtinet locum: Serm. 3. de Annuntiat. *nec oleum miſericordiæ, niſi in vaſe fiduciæ ponis.*

Quanquam quid SS. Patrum teſtimoniis pugno, quid aliis exemplis pugno, cùm in manibus ſit illud Chriſti ad Centurionem: *Vade, & ſicut credidiſti, fiat tibi.* & verò factum, *ſanatus eſt enim puer in illa* verſ. 13. *hora.* Tantum valuit ea Centurionis in Chriſtum fiducia.

QUÆSTIO TERTIA
THEOLOGICA ET MORALIS.
Ad illa verba: *Audiens autem* IESUS *miratus eſt.* Mat. c. 8. v. 20.
VTRVM IN CHRISTVM CADERE POTVERIT admiratio?

VT ea veritas ponatur in aperto, & elata luce, & ſimul in aliquo rerum tractandarum ordine, videndum erit: Primò, quid ſit admiratio, quid nominis, quid rei? Deinde, quæ illius cauſa, quæve ori- Quid ſit admiratio? go? Denique, potueritne ea cadere in Chriſtum?

Admiratio eſt timor, ac veluti ſtupor quidam ex ma- L. 2. c. 15. *gna imaginatione;* ut ait D. Joannes Damaſcenus.

Ab ea profluunt doloris, cupiditatis, metus, & lætitiæ impetus quidam, quibus non afficerentur homines, ſi res, quæ admirationem inducunt, contemnerent, cæteriſque animi liberiora tortoribus vacui eſſent: at quia nunquam illis omninò vacui, hinc & admirationi obnoxii. Maximè videtur eſſe Philoſophi proprius hic Affectus: vix enim aliud Philoſophiæ principium eſt quàm admirari: ex admiratione quippè oritur indago eorum, quæ miratis, & cauſas naſcis, quas perſcrutari eſt Philoſophi.

Quæ ejus cauſæ? Et hinc manu ducor in alterum, quod mihi initio propoſui, quæ ſcilicet cauſæ admirationis. Et aliæ atque aliæ eſſe poſſunt: Una eſt *ignorantia*, cùm Duæ. ſcilicet aliquid hactenus incogniti, vel audimus, vel videmus. Altera rei *novitas*, quando videlicet aliquid novi, & inſoliti occurrit, quod & ſenſus feriat, & vim imaginativam.

Exemplis res erit illuſtrior. Forum obambulas, & ſubitò media die, claráque luce vides Solem ob- I. Ignorantia. ſcurari, atque Ecclyſim pati: admiraris, quia quid ſit, & unde proveniat ignoras.

Sit alius è ruſtica caſa, viliique tuguriolo, qui & urbem populoſam intret, & palatium, in eóque vi- II. Novitas. deat columnas ordine longo, & ſtatuas ære fuſas, & aulæa, & ſuppellectilem variam, & vaſa argentea, aureáque, & ſimilem apparatum regium: hæret quaſi immobilis, & hianti ore ſtupidus conſiſtit, & veluti percuſſus novitate eorum, quæ videt. Et hinc, & inde, admiratio, veluti fœtus aliquis ignorantiæ ac novitatis, *mali corvi malum ovum.*

His ita conſtitutis ex natura ac ratione, tranſeo ad poſtremum, quæſtionemque hanc moveo, fueritne in Chriſto Admiratio?

Ut ea clariùs eluceſcat, diſtinguenda erit in Chriſto triplex ſcientia, quam habuit etiam ut homo:

Prima fuit *beatifica*, per quam divinam eſſentiam In Chriſto triplex ſcientia. clarè intuebatur, eáque fruens beabatur.

Secunda fuit *infuſa*, qua ſcilicet per ſpecies animæ ſuæ inditas, jam inde à primo conceptionis ſuæ inſtanti omnia cognoſcebat.

Tertia fuit *experimentalis*, qua videlicet illa, quæ

ſciebat

ſciebat per ſcientiam infuſam, quotidie per experientiam videbat, audiebat, ſentiebat.

His poſitis, ſtatuo primò in Chriſto non potuiſſe eſſe admirationem, ſi attendatur ſcientia illi infuſa, quia per hanc cùm omnia noſcet, nihil ei incognitum, nihil novum accidere potuit, adeóque ea duce, ea comite, nihil cadere in admirationem, quæ ſcilicet non eſt niſi ex ignorantia, aut novitate.

Secundò ex ſcientia experimentali in eo inveniri potuit admiratio, quia ſecundùm illam aliquid incogniti, aliquid novi appellere potuit: potuit, enim experiri quod antea non eſſet expertus, & aliquid addiſcere, quod antea experientiâ non didiciſſet, & reipſa etiam expertus eſt, etiam didicit.

Ad Heb. c. 5. v. 8. Quod ipſum apertè inſinuat Apoſtolus, qui hæc olim de Chriſto: *Qui cùm eſſet Filius Dei, didicit ex iis quæ paſſus eſt.*

Didicit, inquit, per experientias novas, ex quibus etiam in ejus intellectu enaſcebantur ſpecies novæ, adeoque & nova ſcientia, quæ dicebatur, & erat *acquiſita*. Et ſecundùm illam potuit Chriſto convenire admiratio, imò & re etiam ipſa convenit. Ita ut disertè D. Chryſologus:

Creator mirabilium miratur: aurium conditor quaſi qui audit neſciat, ſic ſtupet auditu.

Exemplis à ſimili petitis res ea clarior evadet: prænovit Aſtrologus, imò & prædixit ecclipſim Solis futuram tali die, & tot horis duraturam, & terram ipſam adinſtar noctis obtenebrandam, & nihilominus, ubi ea acciderit, exſilit è domo proſilitque in publicum, & eam ipſam ecclipſim videt ac demiratur, & hoc quia, quod ſpeculativè prius noverat, jam practicè diſcit ac ſtupet.

Prædixit alius ex aſtrorum curſu, atque occurſu audienda tonitrua, videnda fulgura, grandineſque calore coctas ac duratas, & quidem grandis omninò molis, & hoc cognitione quadam ſpeculativa, & tamen ubi & mugire Cœlum audierit, & tonare ſuper capita noſtra, non ſine ingenti fragore, aſpicit è feneſtra, hæret attonito ſimilis, ſtupet, tremit & totus perhorreſcit, quia ut ea tempeſtas illi prius nota ſpeculativè, ignota tamen practicè, & practicè etiam nova, & hinc ad illam praxim ſtupor, admiratio, & quidam etiam horror.

Novit aliquis, atque ex auditu credit, imò indubitatis aliorum teſtimoniis etiam ſcit, aquas maris eſſe ſalſas, & nihilominus cùm eas ore ſumit, atque ſorbet, miratur earum ſalſuginem, & damnat amaritiem: & hoc quia quod ſcientia ſpeculativa novit, ignoravit practica, & quia ſic ignoravit demiratur ac ſtupet cùm addiſcit.

Quod puſillis mortalibus uſuvenit, ſubinde non ſine aliquo nævo: hoc Chriſto etiam ſine defectu. Et ita, ut redeam ad Centurionem à quo paululum abii, audiens iſta ex illo *JESUS miratus eſt*, quia ejus fidē, quam prius noverat ſpeculativè, jam practicè, atque experimentaliter addiſcit. & hoc quidem ad *noſtram inſtructionem*, ut annotat D. Thomas.

Ea quippe Chriſti Servatoris admiratio, & Centurioni honori fuit, & nobis etiam documento, ut diſcamus in aliis virtutem mirari, & dum miramur, & amare, & imitari.

Ingreditur Chriſtus Capharnaum, civitatem populoſam, nobilem, divitem, in qua, ut ait Origenes, viſebātur ædes ſuperbæ, palatia magnifica, porticus, fora, & opes immenſæ: nihil horū miratur Chriſtus; imò & vix oculo dignatur. Miratur fidem militia unius: tanti ſcilicet ea apud illum erat momenti.

Non miratur Seraphinorum ardores, Cherubinorum ſapientiam, Angelorum pulchritudinem, Cœlorum atria, Solis claritatem, ſiderum fulgores, & tamen militis unius fidem ac demiſſionem miratur, & commendat: nempe apud Chriſtum una virtus his omnibus eſt potior: una fides in oculis, una in amoribus, una in honore, pretio, laude.

O fides viri, exclamat Origenes, *ô confidentia militis! te admiratur Dominus, & tuam indeficientem magnificat fidem, quando de tenebris gentium proceſſit lumen tantum.* Lumen, inquam, fidei atque in Chriſtum confidentiæ. Suprà.

QUÆSTIO QVARTA
MORALIS.

Ad illa verba: *Et ſequentibus ſe dixit. Non inveni tantam fidem in Iſraël,* Matth. c. 8. v. 10.

VNDE IPSI CENTVRIONI PRÆCO factus eſt CHRISTVS?

Fidei Centurionis cur præco Chriſtus? FIDEM Centurionis componit cum ea, quam invenit in Iſraël, & illam huic omninò præponit; & quidem ex eo capite, quòd Centurio Ethnicus eſſet, ac Gentilis: Iſraël autem fidelis, & Dei populus; tum etiam ſit illius præco: ait enim, *Non inveni tantam fidem in Iſraël*, in quo tamen etiam majorem invenire debui; tum quia etiam à fidei luce illuſtris; tum quia mihi frequens auditor; tum denique, quia ſpectator ac teſtis oculatus meorum miraculorum.

At hic Centurio, utpotè infidelis, atque Ethnicus, nec à fide inſtructus, nec auditor meus, nec teſtis prodigiorum, quæ feci in Iſraël in cujus oculis & cœcis viſum, & ſurdis auditum, & mutis vocem, & claudis greſſum, & ægris ſanitatem, & mortuis vitam reddidi: & his tamen tot miraculis, tot prodigiis victus, nec fidem dedit verbis meis, nec manum tot, ac tantis mirabilibus; nemo enim ex iis hactenus dixit, quod hic Centurio:

Tantum dic verbo, & ſanabitur puer meus. Dum enim verbo dixit ſanari puerum, omnia dixit quæ ad fidem in Deum attinent: ſolius enim Dei eſt verbo ſanare, verbo operari omnia. Solius, inquam, illud: *Dixit & factum eſt.* At hoc dixit, hoc & credidit Centurio, quod nemo ex Iſraëliticis aut dixit, aut credidit.

Unde Chryſoſtomus, Orator aureus fidem Centurionis præfert fidei Apoſtolorum, ſaltem ſub vocationis initium. ait enim: *Credidit Andreas, ſed Ioanne dicente, Ecce Agnus Dei. Credidit Petrus, ſed Evangelizante ſibi Andrea. Credidit Philippus, ſed legendo Scripturas. Et Nathanael prius ſignum Divinitatis accepit, & ſic fidei confeſſionem obtulit.* Quanta fuerit illa?

Origenes eandem militis noſtri fidem majorem dixit quàm fuerit Jairo Principi, & Nicodemo, & Magdalenæ, & Marthæ: ſic enim de his & illa.

Jairos Iſraëlis Princeps pro filia ſua petens, non dixit, *Dic verbo*; ſed *Veni velociter.* Nicodemus, de fidei Sacramento audiens, ait, *Quomodo hoc poteſt fieri.*

fieri. Maria & Martha dicunt: *Domine ſi fuiſſes hic, frater meus non fuiſſet mortuus*, quaſi dubitantes, quod ubique adeſſe poſſet Dei potentia. at de hac nec dubitavit Centurio, nec Chriſti præſentiam requiſivit; ſed verbum tantum exegit, & in verbo agnovit ejus in morbos omnes imperium, & in hoc imperio omnipotentiam prædicavit, quod altioris ac firmilioris fidei fuit, de qua proinde Salvator Optimus: *Non inveni tantam fidem in Iſrael*, in quo ſanè Centurionis, ejusque fidei ſit præco, quod & illi honori fuit, & nobis eſſe debet ſtimulo, ut eadem cum Centurione ſimus fide, eâdem ſimus & demiſſione, ut hujus quoque Deus ſit ſpectator & præco.

Bonorum operũ Deus eſt præco.

Eſſe autem Deum præconem rectè ſactorum, liquet ex aliis atque aliis ſcripturæ locis.

Iob. c. 2. v. 1. 2.

Factum eſt, cùm quadam die veniſſent Filii Dei, & ſtarent coram Domino, veniſſet quoque Satan inter eos, & ſtaret in conſpectu ejus, ut diceret Dominus ad ſatan: Unde venis? qui reſpondens ait: Circuivi terram & perambulavi eam. & dixit Dominus ad ſatan: Nunquid conſideraſti ſervum meum Iob, quod non ſit ei ſimilis in terra? Vir ſimplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo, & adhuc retinens innocentiam.

Crederes Deum Opt. Max. mirari quodammodo, nec ſatis invenire congrua verba quibus ſervi ſui virtutes & præclarè ſacta prædicaret. Crederes in iis quoque gloriari, ſibique applaudere: atque oſtentare quid in homine poſſit ardua virtus: ait enim ad ſatan: *Nunquid conſideraſti ſervum meum Iob?*

Satan evocat ad ſpectaculum ſervi ſui, quaſi nihil in terris ſpectandum ſuiſſet, præter unum ſibi ſervum, non urbes, non Provinciæ, non Regna, non Imperia, non gemmæ, non opes, non gazæ regiæ, non honos ullus, non ſceptra, non coronæ, addit enim, *quod non ſit ei ſimilis in terra.*

Erant in terra tum temporis Coronata capita, ſub quibus erat, gemebatque pœnè totus orbis: & tamen ad ea ſpectanda ſatanam non evocat, non mittit. Nimirum ea Deo non ſunt ſpectacula, una virtus dignum Deo ſpectaculum, ad quod etiam ipſos inferos evocet, ut ſtupeant illi, ut gemant, ut exhorreſcant ad tantarum virtutum lucem, atque ſplendorem.

Quanquam quid inferos dico? etiam cœli cives atque incolas dicere debui: hos enim Chriſtus ipſe in teſtes evocat, evocat in ſpectatores magnarum omninò virtutum.

S. Martinus adhuc catechumenus & miles, partem chlamydis exſciderat, qua mendicum, & propè nudum tegeret. videri poterat terra judice, quid exigui pars chlamydis media: at non ſic Cœlo teſte, & Chriſto judice: qui nocte ſequenti, ſcenam aperit, ſtatque medius inter Angelorum choros, & quaſi admirabundus, ſibique plaudens de ſacto militis unius catechumeni, etiam Seraphinos, ſummos utique ſpiritus invitat ut oculos convertant in chlamydis medium: ait enim, *Martinus adhuc Catechumenus hac me veſte contexit.*

Quid ad hæc cœli cives & incolæ? ſtupent illi utiq; ad medium chlamydis, ad partem panni modicam, eamque à Chriſto ſic extolli mirantur, & in ea virtutem expreſſam amant & laudant: quidni enim ſic & ament & laudent, cùm à Chriſto ipſo ſic amari & laudari viderint.

Et hoc quidem actum, viſumque in ipſa quaſi naſcentis Eccleſiæ infantia: majus aliquid videbitur, in ipſo veluti orbis occaſu, extremóque Judicii die, in quo ipſe Chriſtus, & bonorum operum judex ac præco.

Sic enim eò loci ac temporis ad electos, qui ei futuri ſunt à dextris: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete vobis paratum regnum à conſtitutione mundi. Eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare; ſitivi, & dediſtis mihi bibere; Hoſpes eram, & collegiſtis me; infirmus, & viſitaſtis me; in carcere eram, & veniſtis ad me.* Matth. c. 25. v. 35. & 36.

Mortales inter nullus principum ſibi ſubditorum obſequia ſic extollit atque Chriſtus. Ecquid enim fruſtulum panis egeno tribuiſti, & hoc quantulumcumque eſt, in univerſi conſpectu ponit Chriſtus; diſciſſam & laceram chlamydem dediſti, ut nudum operires, & hoc venditat Chriſtus; quadrantem projeciſti, ut olim vidua, & hujus quoque meminit Chriſtus, atque in rationes æternas reponit, & hoc quia, ut ſcitè D. Chryſologus,

Et præco Chriſtus.

Quidquid pauper accipit, Chriſtus acceptat: Da ergo, ô homo pauperi terram, ut accipias Cœlum; da nummum, ut accipias regnum; da micam, ut accipias totum; da pauperi, ut des tibi. Serm 8.

Ubi verò ſic dederis, Chriſtum obtinebis & benignum Iudicem, & munificum remuneratorem, & facundum præconem, uti & hic obtinuit Centurio ille noſter.

QVÆSTIO QVINTA
LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Dico autem vobis, quod multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Iſaac, & Iacob in Regnó Cœlorum, filii autem Regni ejicientur in tenebras exteriores.* Matth. cap. 8. verſ. 11. 12.

QVI SVNT ISTI QVI VENIENT AB ORIENTE, & Occidente, & recumbent cum Abraham, Iſaac & Iacob in Regno Cœlorum? Et qui ſunt filii Regni, qui ejicientur in tenebras exteriores?

SALVATOR Optimus captata occaſione ex fide Centurionis, qui Gentilis erat, atque ex vero primitiæ Gentium, hic prædicit vocationem earumdem Gentium ad fidem: venient autem hæ ab Oriente & Occidente, hoc eſt, ab extremis regionibus, atque à quatuor mundi plagis, Eccleſiæque adjungentur: & ita deinde factum eſt, & factum quàm optimè: ex Occidente quippe venerunt Europæi; ex Oriente Indi; ex Aquilone Gothi, Livones, Moſchi, Poloni; ex Meridie Ægyptii, & Afri, qui primò Fide & gratiis donati, tum etiam gloria ac beatitate: recumbent hi quaſi in triclinio, & quaſi convivæ in epulo, cui ſcilicet comparari ſolet Regnum Cœlorum, cœleſtis gloria, felicitasque Sanctorum: & hoc ex quadam analogia, quæ eſt inter convivium & beatitatem: ut enim in illo eſt lætitia & ſatietas, ſic & in hac erit, eaque longè perfectiſſima; quam & præſago ſpiritu, præſenſiſſe viſus

Sunt Gentiles.

viſus eſt Propheta Regius, qui hoc aliquando de ſeipſo: *Satiabor dum apparuerit gloria tua*; & iſta de aliis donandis aliquando eadem beatitate: *Inebriabantur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.*

Pſal. 16. v. 15.

Pſal. 35. v. 9.

Potabis, inquam, ô Deus! imò & inebriabis, affuſo veluti torrente voluptatum ac deliciarum, quibus benè poti, & ſanctè ebrii recumbent *cum Abraham, Iſaac & Iacob.*

Cur ii cum Abraham, Iſaac & Jacob?

At cur, inquies, cum illis? cur non etiam cum aliis, quos vel lex naturæ vidit atque ſuſpexit, vel etiam ſcripta lex extulit: ecquid enim non fuerant in hac, & illa Patriarchæ & Prophetæ à virtute etiam nominati atque illuſtres? Fuerant enimverò & quidem longè plurimi, quos à rebus præclarè geſtis commendarat antiquitas, commendarant & ſacræ paginæ. Cur igitur horum in præſentis non meminit Magiſter Optimus Chriſtus, qui eos omnes de nomine ac meritis noverat? in hoc vertitur cardo quæſtionis, cui ut fiat ſatis, erunt proponendæ paucæ rationes.

Rationes I. Prima hæc eſto, quòd hi tres fuerint primi Patres ac Patriarchæ Judaicæ nationis à Deo ter Opt. ter Max. ſingulari gratia præ cæteris electi.

II. Secunda, quæ ex illa conſequens eſt, quòd iidem eſſent veluti capita Reipublicæ, ceu magni corporis, atque Eccleſiæ Iſraëliticæ Principes.

III. Tertia, quòd ab iis in poſteros omnes tranſmiſſa eſſent exempla fidei ac religionis planè ſingularis, in quibus quia mirè ſibi placet Omnipotens, ſeipſe non ſemel vocavit Deum *Abraham, Iſaac, & Iacob* quaſi eo nomine apud Judæos gloriaretur. Nec immerito: Gloria enim Patris eſt Filius ſapiens, & gloria Domini ſervus fidelis. At ii fuerunt Abraham, Iſaac, & Jacob, ſi ulli in tota retro antiquitate, ſpectabiles à maſcula, fortique virtute.

Abraham quidem à fide & obedientia, Iſaac à puritate & innocentia ſumma, Jacob autem ab inſigni conſtantia & laborum ærumnarumque patientia. Propter hæc illuſtrium virtutum decora, atque ornamenta quæ in illis enituerunt, ſic ad hominem Deus quaſi gloriabundus,

Exod. c. 3. v. 6. *Ego ſum Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Jacob.* Deus Abraham, inquit, ut ſe totum Abrahæ eſſe indicet; Deus Iſaac, ut ſe totum & Iſaaci; Deus Jacob, ut ſe totum & Jacobi, quod in Deo beneficentiæ fuit ſingularis, ſingularis & amicitiæ.

IV. Denique addi poteſt, & quarta ratio: cùm enim ait, recumbent cum Abraham, Iſaac, & Jacob, poſteris, omnibus objicit domeſtica quædam magnarum virtutum exempla, ut ea quoque imitari ſtudeant: nihil enim magis movet quàm domeſticum aliquod exemplum.

Exempla domeſtica ut movent.

Probabitur illud etiam à profanis: De Themiſtocle narrat Plutarchus, quod adoleſcens vacaret ſimpoſiis & ſcortis, aliiſque ejuſmodi adoleſcentiæ corruptelis: at ubi inaudiit præclara Miltiadis facta, ac præſertim victoriam apud Marathonem, erectaque illi inde trophæa, mox in alium virum abiit, mox alius fuit à ſeipſo, & mirantibus eam in moribus mutationem omninò in melius, dixit illud dignum ceris melioribus: *Non ſinit dormire me, aut ſocordem eſſe trophæum Miltiadis.*

Quod ſi hominem profanum, hominem ethnicum non ſinunt deſidiæ aut torpori indormiſcere profana etiam trophæa, profana & facta? qui ſinent indormiſcere populum Deo fidelem, hominesque Deo ſacros? Certè non ſinent, niſi & à ſe alieni eſſe velint, & à majoribus omninò degeneres: Potens enim argumentum ab exemplo, & à factis potens quoque ratiocinatio, & quidem ejuſmodi cui contradici non poſſit niſi à pervicacibus.

Et ea fuit ratiocinatio, qua contra Judæos uſus aliquando Chriſtus, dum probè, & improbè jactarent illud: *Filii Abrahæ ſumus*; ſic enim in illos telum illud retorſit: *Si eſtis filii Abrahæ, opera Abrahæ facite.*

Sed tranſeo ad aliam quæſtionem, quam mihi initio propoſui, qui ſunt illi *Filii regni*, qui ejicientur, & quidem in tenebras exteriores?

Filii regni qui?

Hi ſunt Iſraëlitæ, qui ex eo dicuntur *Filii regni*, quòd in divina mente jam inde ab æternitate deſtinati eſſent ad regnum: cùm enim eſſent prognati ex Abraham, Iſaac & Jacob, quibus & quorum ſemini Deus promiſerat, uti & regnum Judææ, ſic & ſpirituale æternæ gloriæ ac beatitatis in Cœlis, vocantur *Filii regni*, hebraico loquendi modo, moreque, quo etiam appellantur Filii mortis, filii gehennæ, qui ad mortem aut gehennam ab æterno deſtinati ſunt, & filii regni ad regnum.

Et hi ejicientur juſto Dei vindicis judicio, quia eo regno indignos ſe reddiderunt, & ſuccedent Ethnici, Gentiléſque, qui à Fide & humili obedientis, ſe eo regno dignos facient.

Eſt ille ludus divinæ Providentiæ, ubi una aliqua natio, à ſua ingratitudine, & ſuis ſceleribus à Deo receſſit, receſſu & à debita illi ſubmiſſione, auferatur ab illa regnum Dei, & detur genti facienti fructus ejus.

Quomodò ejecti in tenebras?

Iis, ne abeam ab argumento mihi propoſito, atque infida Judæorum natione: nonne quàm veriſſimum illud, quod terra ſancta, terra olim irrigata Sanguine Chriſti, jam profana & profanata inſani Turcarum ſecta, ſub qua gemit, & gemet ad ſæcula.

Nonne Ægyptos & Palæſtina quæ D. Chryſoſtomo viſa aliquando ut Dei ſedes, ut Cœlum novum, in quo tot ſidera quot ſancti, in quo & ipſæ urbes quaſi Aſceteria, in qua ſolitudo monachorum paradiſus videbatur, nonne & illa modo Mahometi infame regnum, verius Tyrannis.

Nonne Græcia tota, & Aſia minor, quæ olim Eccleſiæ veluti paradiſus fuit, quæ D. Joannis ſedes, & tot Sanctorum domicilium ac regnum; nonne & illa ſub Ottomannorum tyrannide tot à ſæculis ingemiſcit.

Quid de Anglia dicam, quæ olim D. Petro tributaria? Quid de Scotia & regnis illis florentiſſimis, florentiſſimis dico à viris, quà doctrina, quà ſanctitate illuſtribus, & quidem eo numero, ut inde in Germaniam ferè totam ſint tranſlatæ Chriſtianorum Coloniæ, & Præſulum Cathedræ.

At modò in hac & illa, quæ religionis, quæ fidei inclinatio, quæ hæreſum monſtra, quod jugum infidelitatis? ſed unde hoc & illa? utique ex eo quòd temporale regnum ſpirituali præpoſitum, quòd ſpiritualis poteſtas ſæculari poſthabita, quòd inclamatum illud Judaïcum ſi minus voce, at certè reipſa: *Non habemus Regem niſi Cæſarem*: dum enim Anglia Pontificatus Romani excuſſit ſuave jugum, nec Papam agnovit alium à Rege, alia fuit à ſeipſa, aliena à Fide, aliena à Deo, & Religio Catholica, quæ in illa, ſi uſquam floruerat defloreſcere cœpit, ac propè deficere, atque in alios exportata orbes, videlicet in Americam, in Japoniam, in Sinas aliáque vicina regna; adeò verum illud etiam de ſpirituali regno, hoc eſt Fide ac Religione.

Quomodo alii vocati?

Regnum à gente in gentem transfertur, propter injuſtitias, & injurias, & contumelias, & diverſos dolos. *Eccleſ. c. 10.*

Quod ipſum Ezechieli in mentis exceſſu oſtendit Deus eleganti ænigmate duarum Aquilarum inter ſe pugnantium, quarum major minorem debellavit: Major Nabucodonoſorem demonſtrat, minor autem Pharaonem, cui innixus Sedecias, & Judæa contra Dei voluntatem Nabucodonoſori rebellavit, ab eóque & regno, & oculis, & patria privatus eſt. Joachim autem Rex Dei nutu, ac voluntate eadem ſe tradens, pro Sedecia regnavit eidem Nabucodonoſori vectigalis. Quod ſi mihi liceat à litterali ſenſu ad myſticum abire, atque à regno temporali ad ſpirituale

Digitized by Google

tusle tranſire, dicam, & ex vero dicam florentiſſimis illis regionibus, atque regnis, id eveniſſe quod Sedeciæ Regi, de quo Ezechiel præſago ſpiritu voceque: Hæc enim ait Dominus:

Ezechiel c. 17. v. 3. 4. 5. *Aquila grandis, magnarum alarum, longo membrorum ductu, plumis & varietate venit ad Libanum, & tulit medullam cedri, ſummitatem frondium ejus avulſit, & transportavit eam in terram Chanaan, in urbe negotiatorum poſuit illam, & tulit de ſemine terræ, & poſuit illud in terra pro ſemine ut firmaret radices ejus ſuper aquas multas.*

Aquila illa *grandis* eſt Chriſtus, cujus regnum eſt Eccleſia, *magnarum & alarum*, hoc eſt populorum, quos ſub ſe habet, & multos & numeroſos: lõgo eſt *membrorum ductu*, hoc eſt longa membris atque extenſa: Eccleſia enim toto propè orbe ſparſa tot habet membra, quot regna, quot imperia: ſunt enim hæc membra magni corporis, hoc eſt, Eccleſiæ, quæ eſt plena plumis *& varietate*; plumæ illius, & varietas in eis longè maxima, vel ſunt virtutes, quibus niret amica colorum varietate, tot colores diverſi, quot diverſæ virtutes, vel ſi mavis plumæ illæ earumque varietas verſicolor, ſunt Sancti & Sanctæ omnes, in quibus amœna quædam, atque amabilis eſt colorum, id eſt virtutum varietas. In Martyribus rubor & purpura; in Virginibus candor albicans qualis & liliorum; in Confeſſoribus color quaſi violaceus, à longa & conſtanti patientia, in aliis aliis atque alius color, pro alio atque alio virtutum magnarum appulſu.

Hæc porrò Aquila venit ad *Libanum*, id eſt interprete D. Hieronymo ad *templum*, & *tulit medullam tritici*, hoc eſt Fidem, quæ eſt veluti medulla magni illius corporis, id eſt Eccleſiæ; *& tranſportavit eam in terram Chanaan*, hoc eſt mercaturæ, Chananæus enim idem eſt quod mercator, & Chanaan eſt terra addicta mercaturæ: atque eò Aquila noſtra tranſportavit Fidem, & gratiam quæ eſt veluti medulla tritici, hoc eſt Electorum: triticum enim ſymbolum eſt Electorum.

Ad eos tranſportavit Chriſtus, ceu Aquila grandis, tranſportavit inquam Fidem & gratiam, quia prævidebat eos benè iis uſuros, atque adinſtar negotiatorum daturos ad uſuram ſpiritalem, atque proventum excelſarum virtutum; uti factum eſt, & factum benè. In India tam Orientali, quàm Occidentali, in Japonia, in vaſto illo Sinarum regno, aliiſque conterminis, ad quæ Fides ac religio tranſiit, relicta magna parte Europæ.

Tua appello tempora, tuas & clades, tuas à Fide defectiones, ſeu tuas, ô Gallia, bona tui parte ab hæreſi Calviniana; ſeu tuas, ô Germania à Lutheri erroribus; ſeu tuas, ô Anglia à colluvie omnium propè hæreſum, à quibus juſtè offenſa Aquila illa grandis, hoc eſt Chriſtus, Regnũ ſuum, id eſt Eccleſiã in alias utriuſque ſolis domos tranſportavit.

Videamus ne nobis idem aliquando obveniat cœlo vindice tot ſcelerum reis, & tam infami vitiorum propè omnium ſervitute oppreſſis, à quibus indigni reddimur, qui diutius maneamus in ea libertate, quæ eſt filiorum Dei.

Et hæc paucis in Evangelio, de quo pluribus Dominica III. poſt Epiphaniam Quæſt. 4. 5. 6. ea conſule BENEVOLE LECTOR.

FERIA VI. POST CINERES.

De dilectione inimicorum, de non quærenda vana gloria, & de Eleëmoſyna in abſcondito facienda.

QUÆSTIO PRIMA THEOLOGICA ET MORALIS.

Ad illa verba: *Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos.* Mat. 5. v. 44.

SITNE HOC CHRISTI PRÆCEPTUM CONTRARIUM Legi Naturæ? Sitne adynaton.

PRIMUM voluerunt Ethnici, ſecundum & antiquiores, & recentiores hæretici: contra hos & illos mihi pugna, atque diſceptatio.

Gentilium ſuper eo ſenſus. Marcellinus D. Auguſtino coætaneus, & familiaris in paucis, nobilis Romanus, Eccleſiaſtes ævi ſui celeberrimus, ac deinde inclytus Martyr, hæc olim de ſe: Cùm Romæ è pulpito dicerem ad frequentem omninò populum, avidis auribus, & animis, alia omnia Fidei noſtræ capita excipiebant Ethnici atque idololatræ: at ubi incidi in illud Domini; *Diligite inimicos veſtros*: tum verò ſtupere omnes, hærere, cõmoveri, turbari, & tantum non inclamare illud, quod olim Chriſto de Euchariſtia diſſerenti: *Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire?*

Hactenus Marcellinus, qui etiam ea de re S. Auguſtinum per litteras conſuluit; ut videre eſt in Epiſtola ejuſdem Auguſtini ad Marcellinum, qui etiam Ethnicorum argumenta producit adverſus illud Chriſti placitum, atque oraculum: Et quidem primum ducitur ab inclinatione, quæ videtur unicuique hominum inſita.

Eſt generatim ea naturæ Lex, atque ex illa propenſio quædam ingenita, ut unumquodque abhorreat à ſuo contrario, & contra illud pugnet, depugnet, deſtruatque quantum poteſt: ſic aqua cum igne pugnat, ignis cum aqua, calor frigori reſiſtit, & frigus calori, & hoc quia hic illi contrarius eſt, atque inimicus. (Naturæ corruptæ ſenſus.)

Et hæc inclinatio, ut dixi, indita eſt à natura, quod univerſũ eſt & in inanimatis; ſic & in animatis: agnus enim lupo, lupus agno, canis feli repugnat, atque in ſibi contrarium inſurgit, quod & videre eſt etiam in formica, cui & ſua bilis ineſt, quâ inſurgit in ſibi adverſantem.

Et hoc

Et hoc Philoſopho adeò viſum eſt notum atque indubitatum, ut inde aſſeruerit, neceſſum omninò fuiſſe, ut mundus ipſe tantus quantus eſt, componeretur, & coaleſceret è contrariis, & unum è contrariis alteri ſe opponeret, ac reſiſteret: & hoc quidem ad conſervationem hujus univerſi; ſi enim igni v. g. nullum opponeretur contrarium, omnia ſuo calore conſumeret; & ſi frigori calor non occurreret, omnia rigerent à gelu, & frigido aquilone.

Et hæc pagani objicere ſoliti, adverſus illud Chriſti: *Diligite inimicos veſtras:* quibus ut fiat ſatis,

Primùm id ſtatuo, in natura, in anima, & irrationali, illud eſſe, ut contrarium abhorreat à contrario, eique reſiſtat: & hoc naturæ eſt, atque neceſſitatis, & ſine ullo etiam naturæ nævo; imò de bono totius univerſi, & probat Ariſtoteles,

Secundò iſtud, *Diligite inimicos veſtras*, non eſſe contra naturam hominis, ſed ſupra: ejus enim natura ſibi derelicta, ſuæque inclinationi, numquam eò aſſurget ut inimicos ſuos diligat: at ſi elevetur à gratia, quæ ſupra naturam eſt, enimverò diliget. & ſic diligere, non erit in eo naturæ opus; ſed gratiæ, ſed virtutis.

Tertiò, veriſſimum illud: *Diligite inimicos veſtras*, eſſe contra propenſionem, & inclinationem naturæ humanæ depravatæ. quam ut retunderet Chriſtus, frangeretque, extulit arduum quidem illud; ſed non

Hæreticorum ſenſus.

adynaton: *Diligite inimicos veſtras.* In quæ verba ſic D. Hieronymus:

In cap. 6. 7.

Multi præcepta Dei imbecillitate ſua, non ſanctorum viribus æſtimantes, putant eſſe impoſſibilia quæ præcepta ſunt, & dicunt ſufficere virtutibus non odiſſe inimicos: cæterum diligere, plus præcipi, quàm humana natura patiatur.

Hæc ubi dixit ex illorum ſenſu, falſaque opinione, tum de ſuo adjicit, quod eſt veritatis, quod & Catholicæ Fidei, & ait:

Sciendum eſt ergo Chriſtum non impoſſibilia præcipere, ſed perfecta, quæ fecit David in Saul & in Abſalon. Stephanus quoque Martyr pro inimicis lapidantibus deprecatus eſt. Et Paulus anathema cupit eſſe pro perſecutoribus ſuis. Hæc & JESUS, & docuit & fecit dicens, Pater ignoſce illis, quod enim faciunt, neſciunt.

Refutatur exemplis.

Hactenus S. Doctor, qui heroas magnos in medium adducit, ſeu eos quos antiquior vidit, & commendavit ætas, ſeu etiam illos, quos lux Evangelica extulit, Eccleſiæque naſcenti dedit.

Davidis.

Et quidem ex illa Davidem: ex hac autem Stephanum: ex quibus ille Abſalonem filium utique rebellem, & ſibi maximè inimicum, tenerè dilexit, & Saulem Regem ſibi perditè adverſum fortiter

Stephani.

amavit: Ex hac verò Stephanum, qui inter denſam ſaxorum nubem, imbremque in caput veluti depluum pro inimicis Deum oravit, exoravitque.

Pauli.

Et deinde Paulum Gentium Apoſtolum, qui in perſecutores ſuos, inimicoſque longè ſibi infenſiſſimos, eò tamen amoris æſtu exarſit, ut etiam pro ipſis optaret eſſe anathema.

Hanc porrò erga inimicos dilectionem, & Stephanus, & Paulus hauſerat à Chriſto, qui etiam inter brachia Crucis, & propè in extremo ſpiritu, eam & verbo docuit & exemplo, dum ſic ad Patrem: *Pater ignoſce illis, non enim ſciunt quid faciunt.*

Inimicos diligere non eſt impoſſibile.

Maneat igitur illud indubitatum atque inconcuſſum, diligere inimicos non eſſe impoſſibile: ſi enim re etiam ipſa dilexerunt illi, quorum jam memini; certè diligi poſſunt: valet enim apud Philoſophos argumentum illud, quod appellant ab actu ad potentiam, factum eſt, ergo fieri potuit.

Quæ ſit ea dilectio?

At quænam erit ea dilectio, quàm vera, quàm ſincera, quàm læta, quàm effuſa. Erit profectò *Cordis*, *oris* & *operis*. Quod ipſum docet Servator optimus: & quidem primò eam, quæ eſt *cordis*, cùm ait: *Diligite inimicos veſtros. Oris* autem, dum addit pro calumniantibus vos: *Benedicite iis qui vobis maledicunt. Operis* denique, quàndo adjicit: *Benefacite his qui oderunt vos.*

D. Chryſoſtomus, eloquentia ut aſſolet profuſa, atque aurea, conſtituit novem gradus dilectionis inimicorum.

Hom. 18. in Matth.

Primus eſt, ne prior injuriam ordiaris. *Secundus*, ubi eſt injuria cœpta, ne tu eandem eodem pacto propellas. *Tertius*, ne par pari referas; ſed quieſcas. *Quartus*, ut etiam præbeat ſeipſum ad injuriam ſuſtinendam. *Quintus*, ut etiam ad majora ſe præbeat quàm vult ille, qui fecit. *Sextus*, non odiſſe à quo iſta perpetitur. *Septimus*, etiam diligere lædentem. *Octavus*, beneficiis quoque eum libenter afficere. *Nonus*, etiam Deum pro adverſario deprecari.

Ejus gradus qui?

Per hos gradus aſcendêre Sancti ad faſtigium & culmen Chriſtianæ charitatis, ac deinde etiam æternæ beatitatis. Producamus exempla, nam his facilior & certior datur fides.

Ejus modus quis?

Interrogavit aliquando Abbatem Pimenium frater unus aliquis, ecquid eſſet illud Domini, majorem charitatem nemo habet, quàm ut animam ſuam pro amicis ſuis poneret: quomodo eam poneret? reſpondit ſenex: Si quis à proximo ſuo malum verbum audiat, & cùm poſſit ſimilia reddere, & verba verbis reponere, & mala malis, non facit tamen, ſed ſibi vim infert, & ſecum ipſe pugnat, ne pugnet cum proximo: quod ſi ita eſt pro amico, quid erit pro inimico? Erit certè caritatis longè maximæ, uti & illud, ſi ab inimico malè habitus quieſcit tamen, nec par pari referat, quod Abbati Ammonii indicatum voluit B. Antonius, dum ſic ad illum: *Vade, & injuriare lapidem hunc & indeſinenter cæde.*

In vit. PP. l. 7. c. 31. n. 3.

Vadit porrò, injuria afficit, & cædit egregiè; tum ei Antonius: Ecquid reſpondit lapis? tum ille, nihil. Cui tum Abbas: Sic & tu inimicis tuis facito, nihil mali repone, ne verbulo quidem; ſed altùm ſile, & dolorem preme, & in dilectione multum profeceris. Quod ipſum exemplo alio docuit Pater ſenior cui nomen *Anub.*

Ibid. c. 9. n. 3.

Hic fortè cum Abbate Pimenio, & aliis quinque, è Scitis, fugerat ab immani gentis Mazicorum perſecutione, & fortè deflexerat in fanum aliquod, in quo erat idoli ſtatua, & hanc hebdomada tota lapidibus in facie impetebat. Cui Abbas Piemenius: Ecquid illud facis, mi Pater? cui ſenior, Veſtri cauſa id facio. dicite enim: Cùm idolum illud impetii lapidibus, atque obrui, numquid iratum eſt? numquid à me averſum? Enimvero non, ait Pimenius, ſed præbuit ſeipſum ad injuriam ſuſtinendam, & majorem quidem ſi velles, nec lapidantem odio habuit, nec verbulo læſit. cui tum ſenior: Et tu inimicis tuis idem facito. Eſto ſicut idolum ad injurias mutum, ad contumelias paratum, & ſic inimicum dilexeris ex Domini nutu atque præcepto: cùm eum odio non habueris, ſed potius amore eris proſecutus, imò & beneficiis, uti fecit S. Theodoricus Epiſcopus Aurelianenſis.

Ibid. c. 42. n. 4.

Hic ab *Odolrico* (qui Epiſcopatum ambierat) ejuſque aſſeclis, ſicariis utique, ex quo dejectus, humi proſtratus, lanceis impetitus, & gladiis, cùm Deo protegente illæſus atque incolumis abiiſſet, eundemque *Odolricum* ſibi ſupplicem cùm vidiſſet, non tantum illi benignè ignovit, ſed & effecit, ut ſibi deinde in Epiſcopatu ſuccederet, immemor injuriæ, memor clementiæ, & in beneficia erga inimicum etiam ferè prodigus. quod profectò fuit illuſtris in eum dilectionis, ſicut & illud quod ſubjicio *S. Gulielmi Archiepiſcopi Bituricenſis*, qui quoſlibet ſibi inimicos eò uſque dilexit, ut graves eorum injurias præferret omnibus, etiam maximis amicorum beneficiis: crederes maleficia illi eſſe beneficia, & verò ea fuiſſe docuit non ſemel eventus, quod

Bollandus Tom. 2. Jan. 27.

Ejus exempla.

10. Jan.

inſignis

inſignis in eo dilectionis indicium fuit; ſicut & aliud, quod hîc ad extremum adjicio.

Eſt illud S. Abrahami Epiſcopi & Martyris, qui à Magorum Principe juſſus Solem adorare, cùm renueret, primò virgis cæſus, tum capite plexus, & quidem in eadem oratione qua pro inimicis olim S. Stephanus: *Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum, non enim ſciunt quod faciunt.*

Ecce ut inimicos ſuos dilexerunt illæ grandes animæ, & ſuo etiam exemplo diligere docuerunt: ut & tu quoque diſcas AMICE LECTOR, eo quippe fine tibi ſcribitur hæc pagella. Vide illuſtriora quædam exempla eorum, qui & inimicis fecerunt benè, & pro iis etiam Deum oraverunt Tom. II. Quæſtionum mearum in Evangelia, Dominica V. poſt Pentecoſten, Quæſtione quinta ſub finem.

QUÆSTIO SECUNDA
MORALIS.

Ad illa verba: *Attendite ne juſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis.* Matth. cap. 7. v. 1.

AN ERGO IUSTITIA NON FACIENDA CORAM HOMINIBUS, ut iis bono ſit exemplo?

Explicatio thematis. CODICES Complutenſes, uti & Regii, legunt *eleemoſynam.* Textus Arabicus, *miſericordiam:* quia & hæc & illa per excellentiam Juſtitiæ nomen obtinet, & hanc coram hominibus fieri non vult Magiſter Optimus, non quidem eò quòd nolit in hominum oculos eam venire (cùm Cap. 5. v. 6. aliàs dixerit ipſe, *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt.*) ſed quòd nolit eam fieri eo fine ut ab hominibus videatur, ad captandam auram popularem, & vanæ gloriolæ fumum, quod pronum eſt in eleemoſyna, & inde ſubjecit:

Cum ergo facis eleëmoſynam noli tuba canere ante te, verſ. 2. *ſicut hypocritæ faciunt in Synagogis & vicis, ut honorificentur ab hominibus.*

Serm. 9. *Ita nimirum,* ut aureè D. Chryſologus, *agit nobiſcùm Deus in hoc ſæculo, ne quid nobis pereat in futuro. Alioquin mercedem non habebitis apud Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt.*

Hæc ubi dixit D. Chryſologus, ex illo Chriſti Ejus finis & ſcopus. oraculo, tum quæſtionem hanc injicit: *Et quomodo, quod fit ab hominibus, coram hominibus non fit? Patentis juſtitia latet ſenſus publici operis, quod ſecretum?*

Qui poteſt celare radios Solis, juſtitiæ poteris occultare fulgorem: juſtitia lux rerum conſilio non velatur obſcuris: juſtitia cum ſibi facto claret omnes illuſtrat exemplo.

Et quid ergo eſt, quod eam Dominus coram hominibus fieri non vult, per quam ſtatum capiunt res humanæ? Et ubi eſt illud, ſic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in cœlis eſt. Quomodo juſtitiam vult celare, cujus opera vult ſic elucere?

Hanc ubi quæſtionem movit, tum oſtendit quo id conſilio, quóve fine id præcipiat Patris Æterni Incarnata Sapientia, & ſic inquit:

Frater hic præceptio cæleſtis vult jactantiam tollere: auferre pompam, vanitatem demere, ſummovere inanem gloriam, & ſic juſtitiam vult celare. Et rationem adjicit petitam ex ipſa juſtitiæ natura, & ſic ait:

Juſtitia quæ per ſe ſibi abundat ad gloriam, ſpectaculum populi, vulgi laudes, favores hominum, mundi gloriam non requirit. & cauſam hanc ſubjicit:

A Deo genita cœlum expectat, in oculis agit divinis: ſupernis virtutibus mixta, ſemper à Deo ſolo, ut glorificetur expectat.

Poſtquam ea eatulit ex ipſa juſtitiæ natura, & pretio, præmioque illi debito, tum ſubdit diſcrimen, quod eſt inter veram & falſam juſtitiam.

Sed hæc, inquit, *quæ ex Deo eſt: illa verò juſtitia, quæ eſt hypocriſis, juſtitia non eſt, mentitur oculis, fallit aſpectum, videntibus illudit, decipit audientes, ſeducit turbas, trahit populos, famam vendit, emit clamorem, fit ſæculo, Deo non fit, mercedem rapit præſentem, præmium non quærit in futuro: cæcat oculos cæca ipſa, non videns vult videri.* Et quia talis eſt, hinc opportunè monet Servator, hac voculæ, *Attendite,* quæ ut ſcitè advertit D. Chryſologus:

Hîc Dominus, non judicat, ſed exponit, pandit cogitationum dolos, ſecreta mentium nudat: injuſtè juſtitiam tractantibus, modum juſtè retributionis indicit: ait enim, *Juſtitia, quæ ſe humanis oculis locat, Divini Patris non poteſt expectare mercedem.* & rationem adjicit, quia

Voluit videri, & viſa eſt; voluit hominibus placere, & placuit: habet mercedem quam voluit: præmium quod habere noluit, non habebit. Hactenus Præſul Ravennas, qui deinde ad eleëmoſynam deſcendit, modumque illius faciendæ exponit ex illo Chriſti ſeu oraculo, ſeu præcepto: *Cùm facis eleëmoſynam noli tuba canere ante te, ſicut hypocritæ faciunt.*

Benè, inquit, *tubis, quia talis eleëmoſyna hoſtilis eſt, non civilis: non miſericordiæ dedita; ſed clamori; ſeditionis vernula, non alumna pietatis; oſtentationis nundinatio, non commercium charitatis.* Et ratio hæc eſt Eleëmoſyna quomodo facienda? indice eodem S. Præſule, quia *eleëmoſynam quiſquis oſtentat, inſultat.* Et quia ſic inſultat, & quidem Deo, audit horrendum illud:

Amen dico vobis receperunt mercedem ſuam; quibus ſanè verbis notat eleëmoſynam in conventu, in plateis, triviis factam, non impenſam ad levamen pauperum, ſed hominum propoſitam ad favorem, ut probentur miſericordiam vendere, non donare.

Sed & hinc ſibi dubium movet, aut potius injectû alicui ſcrupulum evellit. Dicet enim unus aliquis:

Ergo in conventu, in plateis, in triviis neganda eſt miſericordia? non præbendus eſt victus? Reſpondet: *Planè, & in omni loco, & in omni tempore facienda eſt eleëmoſyna, præbendus eſt victus, nuditas eſt tegenda; ſed hîc quomodo docuit miſericordiæ author, ut miſericordia non terræ ſit nota, ſed cœlo; non hominibus inſinuata, ſed Deo. In plateis, in triviis, ſuum pietas habet ſecretum: è contra platea eſt, trivium eſt, cum in ſecreto facit hypocrita nil ſecretum.*

Ex quibus concludit S. Præſul: *Fratres, Deus monendo ſic vota culpat, non loca; ſenſum, non opera; ſtudium, non datorem; arguit largientem ad ſuam famam, non ad pauperis famem; indicat, non ubi facias, quando facias, ſed qualiter facias: quia de cordibus non de manibus facta metitur, & de ſenſu, non de locis operum colligit qualitatem.* Miſericordiam corã ſe vult fieri, qui ſolus eſt miſericordiæ & remunerator, & teſtis.

Hactenus D. Chryſologus, qui propoſitæ initio quæſtioni fecit ſatis, & qui illud pro coronide: *Ergo homo daturus Deo, da ſecretò, ut quod dederis non ſit oneris, ſed honoris.*

QUÆ-

QUÆSTIO TERTIA
LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Te autem faciente eleëmoſynam, neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua.* Matth. c. 7. v. 3.

QVID HIC SINISTRA? QVID ET DEXTERA?

HÆc metaphorica locutio SS. Patres atque Interpretes in alias atque alias traxit ſententias.

Dextera quæ ſit? Divo Auguſtino, & D. Gregorio, dextera eſt pura intentio uni Deo placendi. Siniſtra eſt appetentia humanæ laudia, nataque ex ea delectatio.

Siniſtra quæ? Aliis, dexter eſt pars ſuperior voluntatis, quæ ratio dicitur; ſiniſtra verò eſt pars inferior, ſive appetitus: ita Author operis imperfecti.

Aliis, dextera eſt populus Chriſtianus: ſiniſtra autem Gentilis: ita viſum eidem Authori.

Aliis, dextera es tu tibi ipſe; ſiniſtra uxor tua: & ita etiam placitum D. Auguſtino.

Aliis, dextera nos ipſi ſumus; ſiniſtra conjunctiſſimus quiſque & amicus in paucis familiaris: ita D. Ambroſius atque Euthymius.

D. Chryſologo, dextera tu ipſe es; ſiniſtra alter quiſquis demum ille ſit: ſic enim ad illa Chriſti verba: *Te faciente eleemoſynam neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua.*

Putas, inquit, *quam vult neſcire alterum, qui teipſum, qui facis, vult aliqua tui parte neſcire.*

Idem D. Chryſologo, dextera eſt virtus; & ſiniſtra vitium. Sic enim inquit: *Sicut ſunt nobis in*
Suprà. *dextera parte virtutes, ita nobis pars vitiorum in ſiniſtra. Ex quo id conficit: Ergo ut opus eſt dexteræ, quod facit tacitus dator, ita quod facit dator garrulus Hypocriſis eſt ſiniſtra.*

Hypocriſis, dolus, ſimulatio, fraus, mendacium, elatio, tumor, jactantia inſiſtunt nobis, & imminent à ſiniſtris. Quoties ergo nobis, cùm bonitate, pietate, cum miſericordia cauſa eſt, neſciat hoc ſiniſtra.

Quod ubi extulit, tum explicat fuſius, quantum
A ſiniſtra quantum malum? nobis à ſiniſtra malum, quanta animo importetur lues, quanta inſeratur ſtrages virtutibus quæ à dextera ſunt: ait enim, *Siniſtra eſt, quæ nobis animarum ſpolia ſemper indicit, & ne virtutes in effectum veniant elaborat: ne ſit pietas, impietas agit; ne eleëmoſyna vincat, cupiditas pugnat; furit avaritia, ne miſericordia convaleſcat; ne innocentia, puritas, ſimplicitas, ſanctitas regnet, Hypocriſis ſola confligit, quam Chriſtus à nobis tali prædicatione ſecludit: Te autem faciente eleëmoſynam neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua.*

Hæc ubi dixit, tum ad auditores ſuos orationem ſic convertit: *Fratres in hoc ſæculo fugiamus quæ à ſiniſtris, ſi in futurum à dextris deſideramus aſtare, & audire: Venite benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum eſt ab origine mundi.* Cui & adji-
Matth. c. 25. cit illud quod & eleemoſynam commendat: *Homo da in terra pauperi quæ tibi manere vis in cœlo.*

Hactenus D. Chryſologus, qui ſi minus ad ſenſum litteralem facit, facit tamen plurimũ ad mores.

Redeo ad propoſitam initio quæſtionem, & cum D. Chryſoſtomo, propono genuinũ illius loci ſenſũ.
Hom. 19. *Te autem faciente eleëmoſynam, neſciat ſiniſtra tua*
Explicatio thematis. *quid faciat dextera tua.* Locutio eſt Metaphorica, vel potius Hyperbolica, quæ innuit adeo nos debere juſtitiæ noſtræ teſtes effugere, ut ſi ſiniſtra manus noſtra eſſet oculata, videre tamen non poſſet, quid dextera boni faceret, & ſi eleëmoſynam effunderet, neſciret id ſiniſtra: ita ſecreti tenaces nos eſſe voluit; ita hominum oculos fugere, cùm & nos ipſos aliqua etiam noſtri parte fugere voluit: quod ut magis ponatur in aperto, videndum, quod dexteræ manus ſit, quod & ſiniſtræ.

Si quid alteri porrigendum ſit (uti fit in eleëmoſyna) dextera porrigit, non ſiniſtra: & cætera omnia quæ manu fiunt, dextera facit, & ſiniſtra illi tanquam adjutrix aſſiſtit: ita ut ſi oculos haberet, quidquid dextera faceret, ignorare non poſſet.

Et nihilominus eleëmoſynam Chriſtus ita vult fieri, ut ne ſiniſtra quidem manus (quæ tamen operum omnium dexteræ, non modo conſcia; ſed & adjutrix eſſe ſolet) ſcire poſſit: adeò ſecreti retinentes eſſe vult, & nos quodammodo latere, ſaltem aliqua noſtri parte, multóque magis alios omnes.

Et ſanè jure meritiſſimo. Eleemoſyna quamvis parva magnum beneficium eſt pauperi, majus ſi latet, ſi nemo novit niſi qui accipit, maximum verò ſi neque is qui dat: Certè qui laudem intuens dedit; ſibi, non pauperi dedit: aut ſi quid dedit, vendidit, non donavit. Non potuit pauper pretium ſolvere, ſed pro illo alii ſolvunt, cùm dantem laudant, & eum ſolum ſpectant: *Pretium eſt illi videri*: quod quàm inane ſit, quàm noxium, quàm & inſanum, huic pagellæ aſcribere viſum eſt.

Primum eſt *inane*, quod verbulo declarat ipſe Chriſtus, cùm ſic de illis, *receperunt mercedem ſuam*, id eſt, ſibi & vanitati ſuæ congruam, qua ſola digni ſunt, ut qui inani, & fugaciſſima aura ſe paſcant ut Chamæleones ſolent. Stulti ſanè mercatores, qui cùm vel unica eleemoſyna, vel bolo panis, vel potu aquæ frigidæ cœlum emere potuerint, & cœleſtes opes, iis planè neglectis mercari voluerint inanem hominum laudem, inania verba, quæ aures, & auras tantum verberant. Quid enim aliud à ſæculari illa gloria quam venantur? de hoc pronuntiavit illud aliquando è SS. Patribus unus ali- L. 3. n. 112.
quis apud Rufinum, fieri non poſſe *ut ſimul herba naſcatur, & ſemen.*

Eleëmoſyna facta ſtudio placendi hominibus, *herba eſt*, quæ citiſſimè exareſcit: futura erat *ſemen*, & quidem æternæ gloriæ ac beatitatis, ſi Dei unius causâ facta fuiſſet: & quia non fuit, *herba* fuit, & non *ſemen*, nec aliud eſſe potuit, quia fieri non Inanis gloria quid, & quam noxia?
poteſt, ut *ſimul herba naſcatur, & ſemen*: Primùm herba ſit, oportet; deinde ſemen: herba ab actione, ſemen à bona intentione, quæ Deum unum ſpectet.

Et hæc prima ſimilitudo ab herba, & ſemine petita, inanis gloriæ noxiam declarat vanitatem: alia eſt quam affert S. Joannes Climacus de ejuſdem fuga capite vigeſimo; in quo eam componit cum formica, quæ in area expectat dum perficiatur triticum, ut illud exportet atque abſumat: ſic & Cenodoxia, id eſt inanis gloria, expectat *dum congregentur cœleſtes opes*, hoc eſt opera aliàs bona: illas ut furetur, hæc autem ut diſſipet.

Et iſts Climacus, qui & narrat monachum olim inter duos ſuperbiæ dæmones olim viſum eſſe conſidere, quorum unus ſuggerebat, ut de ſuis virtutibus, & benè geſtis loqueretur, quem cùm ille repuliſſet his verbis. *Avertantur retrorſum & erubeſcant, qui cogitant mihi mala.*

Protinus alter ad aurem inſuſurrabat. Eia benè feciſti, dum ſuperbiam ſuperaſti, ad quem & ſic monachus:
Pſal. 69. verſ. 4. *Avertantur ſtatim erubeſcentes qui dicunt mihi: Euge, euge.*

Dixit, & de vana gloria, déque dæmonibus ſuperbiæ victor manſit: hi enim mox erebo redditi, & ſibi, ſuiſque liber redditus eſt monachus.

Sed redeo ad inanis gloriæ luem & cladem, quam importabat in animum ſeu illius, qui eleëmoſynas facit, ſeu orationem fundit, ut videatur ab hominibus. De Samuele proferunt illud Regum faſti:

Reg. c. 5. v. 21. *Et audivit Samuel omnia verba populi, & loquutus eſt ea in auribus Domini.*

Meritò in auribus Domini, ut Deus ſolus audiat, alius ab illo nullus: Quod Samuel, hoc & juſti omnes: hi, ſi Deo loquuntur,
Oratio fiat uni Deo, & ſecreto. *in auribus Domini loquuntur, ut dum hominum teſtimonia orantes fugiunt, ab eo, qui occulta reſpicit, celerius audiantur: nam pervenire ad Deum oratio nequaquam poteſt, quæ ex intentione promitur, ut ab hominibus agnoſcatur.* Iis D. Gregorius, cui conſonat & illud D. Bernardi:

Serm. 86. in Cant. *Orare volentes, jubemur intrare cubiculum, ne coram orantibus laus humana orationis furetur fructum, fruſtretur effectum.*

Ecce quæ damna inferre ſolet ea oratio, quæ in oculis, & pro oculis hominum habetur; fructum omnem illius furatur, fruſtratur & effectum: ne porrò & illum eripiat, & hunc fruſtretur, ſcitè monet Jeremiss vates, & fidelem animam evocat ad nocturnas excubias, & remotam ab arbitris orationem.

Thren. c. 2. v. 19. *Conſurge*, inquit, *& lauda in nocte, in principio vigiliarum*: in quæ verba ſic Bernardus:

Quam ſecura aſcendit de nocte oratio, ſolo arbitro Deo, bonóque Angelo? Quàm grata & lucida verecundo colorata rubore? Quàm ſerena & placida nullo interturbata clamore vel ſtrepitu? Quàm denique munda atque ſincera nullo reſperſa pulvere terrenæ ſollicitudinis, nulla aſpicientis laude ſeu adulatione tentata? Propter hoc ergo Sponſa, non minus verecundè, quàm cautè & lectuli ſecretum petebat & noctis. In lectulo meo, inquit, *quæſivi, quem diligit anima mea.*

Quod de oratione D. Bernardus, hoc & de eleëmoſyna: ſecretum hæc amat, amat & noctem conєubiam, denſioreſque tenebras, ut hominum oculos fugiat, amans ab uno Deo videri, de qua proinde & dici poteſt, quod de virtute omni pronuntiavit olim
In Epitaphio Fabioli. D. Hieronymus: *Celata virtus Deo judice gaudet*: quod ſi virtus omnis Deo judice gaudet, gaudet & eodem eleëmoſyna, & judice, & teſte: judice quidem à quo, ſcilicet uno præmium expectet; & teſte, à quo uno & videatur: non futura aliàs, quod eſſe
Eleëmoſyna in ſecreto. volet eleëmoſyna, quam Divi Patres modò componunt cum virgine, modò cum oliva: Certè eleëmoſyna B. Joanni Eleëmoſynario apparuiſſe legitur virginis ſpecie, & quidem oliva redimitæ, ſymbolo utique miſericordiæ: & hinc mihi in manus datur duplex eleëmoſynæ comparatio.

Virgo eſt. Una eſt virginis: virgo enim eſt eleëmoſyna, quæ proinde renuit videri, uti & virgo, quæ ſi amet videri, amet & publicari, hoc ipſo virgo eſſe deſinit; ut enim diſertè & verè Tertullianus: *Publicatio virginis, ſtupri paſſio eſt.* Sic & publicatio eleëmoſynæ, ſtupri quodammodo paſſio eſt; & eleëmoſyna publicata quodammodo eſt conſtuprata. Et hoc oſtendit, probatque ea comparatio eleëmoſynæ cum Virgine, uti & altera, quæ eſt cum oliva; ut enim
Lib. 12 Moral. c. 26. D. Gregorius:

Hæc arbor etſi largè floreat, ſi tamen immoderata ſtringatur nebula, fructum omnem deſperari jubet.

Ita, qui tunc maximè miſericors eſt cum ſpectatores habet, vel ut habeat, fructum operis perdit ex nebula favoris.

Hominis prædeſtinati eleëmoſyna unicum obſervat oculum: ſed omnia cernentem, nec laudem expectat niſi à quo & præmium, ab uno ſolo Deo. *Et quamvis aureas habeat alas* (Chryſoſtomo docente) *non tamen pavonis inſtar, admiratores ſibi diligit in* Homil. 32.
terra, cùm remuneratorem habeat in cælo: eò ſuis aureis alis ſubvolat, & Chriſto ſe ſiſtit, quem in mendico agnoſcit.

Ita nimirum eleëmoſyna, tam non cupit eſſe nota, ut ſi poſſit etiam Domino ſuo latere velit: nam homo verè miſericors, non laborat, ut à multis ſciatur quantum dederit, modo ſciat is omnis, qui poteſt danti reddere.

Hugo de S. Victore docet eleëmoſynam tribus modis fieri poſſe, videlicet, *Ore, corde & opere.* In clauſtro animæ l. 2. c. 13.
Quæ ore fit tantum, inquit, adulatoris eſt: quæ de *corde* ſine *opere*, ſterilis eſt: quæ *opere*, ſed propter vanam gloriam, ſuperbis eſt. Ne porrò ea ſit, Eleëmoſyna fit tribus modis.
cordis fiat ex affectu compaſſionis: & opere, Dei ſolius intuitu, & ſic perfecta, ſuperiſque grata accidet eleëmoſyna, tibique proficua, tum in omni vita, tum vel maximè in ultimo ac decretorio Judicii die, in quo & Judicem pro te orabit, exorabitque. Verùm enimverò illud Sapientis:

Qui obturat aurem ſuam ad clamorem pauperis, & ipſe clamabit, & non exaudietur. Prov. c. 20. v. 13. 14.

Et munus abſconditum extinguit iras, & donum in ſinu indignationem maximam.

Et hæc præſago ſpiritu Sapiens, qui duo ſtylo notat: Primum, quod in pauperes durus, & immiſericors ad illius clamorem aures obturarit, clamabit ille aliquando, & ſuperos omnes, Deumque inclamabit, nec audietur.

Cujus exemplum habes in divite Epulone, qui Lazarum clamantem non audiens, è mediis inferorum incendiis pro refrigerio clamitās ad Abraham, non eſt exauditus, & meritò: aquæ guttam petiit nec impetravit, qui micam panis Lazaro negavit: & ſanè qui impetraret guttam qui micam negavit?

O dives, exclamat D. Auguſtinus, *qua fronte petis guttam, qui noluiſti porrigere micam?* Serm. 237. de Temp.

Ita nimirum ſe habent divinæ Juſtitiæ leges, & pacta. *Pro divitiis pœna, refrigerium pro paupertate, pro purpura flamma, refectio pro nuditate, ut ſalva ſit æquitas celeſtis ſtatera*; ut notat ille ipſe S. Auguſtinus, Hom. 25 de verb. Dñi.
& ideo negatur in pœnis miſericordia diviti, quia ipſe dum viveret noluit miſereri. Ideo rogans dives, non exauditur in tormentis, quia rogantem pauperem, non exaudivit in terris.

Et hoc primum eſt quod innuit Sapiens; alterum eſt quod facit ad meum inſtitutum, hoc ſcilicet, quod *munus abſconditum extinguat iras, & donum in ſinu indignationem maximam.*

Hoc eſt myſtico ſenſu, eleëmoſyna abſcondita, & in ſinu pauperis repoſita extinguit iram Dei, & juſtam illius indignationem, quæ eſt longè maxima. Ecquid enim an non indignatio maxima, an non ira inexorabilis eſt in illo divinæ vocis tonitru ad reprobos in extremo Judicii die?

Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis ejus. Eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare: Sitivi & non dediſtis mihi bibere: Hoſpes eram & non collegiſtis me: Nudus & non cooperuiſtis me. Matth. c. 25. v. 35.

Eſt enimverò indignatio maxima, & hanc ſors eras auditurus ipſe; ſed eleëmoſyna tua, quam in abſcondito feciſti, quam depoſuiſti in ſinu pauperis placavit, extinxitque iram Dei judicis, & ſententiam illam feralem mutavit in amicam, blandam, ſuavem:

Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis

regnum

In die Judicii laudatur. *regnum à conſtitutione mundi: Eſurivi enim & dediſtis mihi manducare; Sitivi & dediſtis mihi bibere; Hoſpes eram & collegiſtis me; Nudus & cooperuiſtis me.*

Hujus porrò ſententiæ probè conſcius S. Franciſcus Aſſiſius, ſuoa excitabat ad petendam eleëmoſynam. *Ite*, inquiebat, *cariſſimi Fili, pro eleëmoſyna, quoniam hac noviſſima hora Fratres Minores commodati ſunt mundo, ut electi in eis impleant, unde à ſupremo judice commendentur illud audientes ſuaviſſimum verbum. Quod uni feciſtis ex his, Fratribus meis, mihi feciſtis.*

Ejus ſtudiũ in D. Franciſco.

Et hoc verbum, hoc & Chriſti oraculum permovit S. Ludovicum Galliæ Regem, ut in feſtis, & vigiliis ſua manu porrigeret cibum pauperibus omnino ducentis, & quotidie trea ſenea pauperes ſuæ etiam menſæ adhiberet, eumque nonnemo ei inſinuaſſet, hoc parum decere Regiam majeſtatem, ſubintulit illud verè Chriſtianum, verè Regium: *Ego in pauperibus revereor Chriſtum qui dixit, Quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſti.*

Surius in ejus vita 25. Auguſt.

In S. Ludovico.

Et hoc igitur ſit in oculis primum, ut eleëmoſynas faciens, non tam homini, quàm Deo homini, quàm Chriſto.

Aliorum ut faciat in abſcondito, hoc eſt non ad captandam auram popularem, non ad vanam oſtentationem; ſed ut uni Deo placeat, qui videt in abſcondito, & quæ in alra nocte rectè fiunt exponet aliquando, prædicabitque, in luce totius univerſi.

Et ita eleëmoſynam feciſſe viſus S. Nicolaus Myræ Epiſcopus, qui concubia nocte, denſiſque in tenebris, primò tantom injecit auri, quantum ſatis eſſet oni virgini; deinde rurſus tantum quantum & ſecundæ; denique quantum & tertiæ in matrimonio honeſtè collocandæ: ne ſcilicet earum pudicitiam proſtitueret parens pauperculus, & ipſæ paupercul æ, ne quæſtum facerent, & pudori virgineo, & animæ propudioſom.

In S. Nicolao.

In ejus vita.

Quod S. Nicolaus virginibus illis pauperculis, hoc Wazo Epiſcopus & Princeps Leodienſis egenis familiis. Juvat illius meminiſſe Præſulis, illius & ſanctitatis, quæ ſanè in eo fuit eximia.

Fiſen Hiſt. Leod. l. 8.

In Waſone Epiſc. Leod.

Leodienſis Eccleſiæ datus in Epiſcopum nihil antiquiua babuit, quàm ut omnibus præiret exemplo, quis annuente cœlo dignitate præibat.

Itaque ad nocturnas æquè ac diurnas preces in templo perſolvendas ex cæteris ſodalibus nemo illo prior pervolabat, nemo religioſius intererat, nemo ſerius abſcedebat. Cubiculi ſecretum amabat, ot ſecum habitaret. Hic ſaxeo ſedili pro lecto, matta lanea pro lectiſternio utebatur. Avenaceo pane, cum faba modica, ſenile corpus ſuſtentabat. Cerviſia potus erat, ſæpius aqua pura. Statutis diebus nudatum humeros flagroſè præbebat cædendum, percuſſorémque conteſtabatur, ne vel dignitatis, vel ætatis gratiâ parceret, nec denique ſecretum proderet. Et qui in ſe ita durus, atque immiſericors erat, in alios benignus & miſericors.

Argumento ſit illud: in ſumma annonæ caritate, & fame, quæ annos ſex ſolidos Galliam Germaniamque propè oppreſſit, providus ipſe de ſuo annonam publico conquiſivit, quotidianam ſtipem pauperibus erogavit, & familiis egentibus (quas à mendicatione ingenuus pudor abſterrebat) pto inopiæ modo clam frumentum ſubmittebat huic denoa modios, quinquagenos alii, centenóſve. In his plerique nobiles, quos ab extrema egeſtate ſervavit opportuna præſulis liberalitas, & hoc quidem in abſcondito, ut unum Deum teſtem haberet, prætetca neminem.

DOMINICA I. QUADRAGESIMÆ.

Conſule, BENEVOLE LECTOR, quas de ea jam pridẽ edidi Quæſtiones, hîc eas non repeto, ne actum agam. Adjicio dumtaxat in Ferias Quadrageſimæ, excepto tamen Sabbato, quia in eo apud nos non ſolent haberi Conciones, & hoc ut Cõcionatores tãtiſper interquieſcãt, & reſpirẽt à labore Hebdomadario. Sit igitur

FERIA SECVNDA

HEBDOMADÆ PRIMÆ QUADRAGESIMÆ.

De cataſtrophe mundi pereuntis, & extrema illius ſcenâ, quam aperiet CHRISTVS ipſe juſtus Judex, deque electis, quos ſtatuet à dextris, & reprobis quos à ſiniſtris, déque oratione, ad hos, & illos habita, latâque in utroſque ſententia.

QUÆSTIO PRIMA

LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Cùm venerit Filius hominis in majeſtate ſua, & omnes Angeli ejus cum eo, tũc ſedebit ſuper ſedẽ majeſtatis ſuæ.* Mat. 25. v. 31.

QVIS ILLE FILIVS HOMINIS?

Quæ majeſtas, & quæ illius ſedes?

Quis Filius hominis, & cujus?

FILIOS hominis eſt CHRISTUS, & eum eſſe ſe, non ſemel dixit: At cujua hominis?

Gentiles Joſephi opinabantur: at error eſt: nec enim virili opera conceptus; ſed altiore Spiritua Sancti: & hoc fidea edocet & probat.

Theophilacto, Filius hominis, id eſt Mariæ: homo enim grammaticis communis eſt generis, & tam convenit fœminæ, quàm viro.

Sed huic interpretationi officit vox græca, cuĩ præponitur articulus maſculinus, dicitur enim

τοῦ ἀνθρώπου, id eſt hominis viri.

Aliis, Filius hominis, id eſt Abrahæ, vel Davidis, quibus data promiſſio, quod ex eorum poſteris naſceretur Chriſtus.

Nonnullis placet, quod dicatur Filius hominis, id eſt hominum, puta Patriarcharum & Regum, *Matth. c. 1.* ex quibus texitur ejus genealogia.

Pluribus tamen Chriſtus eſt Filius hominis, id eſt Adæ: hic enim antonomaſticè dicitur homo, quia Primus homo, & à quo cæteri homines. Favet vox Hebræa, *Ben Adam*, id eſt Filius Adæ, ut vel hoc uno etiam tacitè inſinuaret ſibi in terris nullum fuiſſe patrem: ſed matrem dumtaxat, à qua genus ex Adam traxiſſet. Ita nimirum ex Adam naſci voluit, ut ipſius Adæ & poſterorum lapſum repararet: & huic interpretationi ſubſcribo multis inductus rationibus, è quibus hæc

Et cur Filius hominis. I. Prima, quia Filius hominis, plus dicit, quàm homo; homo enim creari poteſt à ſolo Deo, uti reipſa creatus Adam: Filius autem hominis indicat prognatum ex homine, hoc eſt Adamo communi parente; ex quo ducitur ratio

II. Secunda, quòd ea notio *Filius hominis*, magis conſona eſſet ipſius humilitati, ut qui ex Dei Filio, factus eſſet Filius hominis, id eſt Adæ, & quidem peccatoris, & illius in ſe miſerias ſuſcepiſſet: & hinc petitur etiam

III. Tertia ratio, qua commendatur ejus miſericordia: dum enim ſe dicit Filium hominis, *commendat nobis, quid miſericorditer dignatus ſit eſſe pro nobis*; ut ſcitè notat D. Auguſtinus.

Lib. 2. de conſenſu Evangeliſt. c. 1. Commendatur & fraterna caritas: dum enim ſe nominat Filium hominis, & ſe hominum fratrem eſſe fatetur, ut qui ſit à communi parente, id eſt Adamo.

Et hinc Divi Patres in duabus illis voculis, *Filius hominis* agnoſcunt, ſuſpiciunt, & amant, portentum dignationis, portentum caritatis, portentum ſæculorum omnium, quod in eo poſitum, quòd Dei Filius, iſque Unigenitus, pro nobis factus ſit Filius hominis.

Et hæc ad primam propoſitæ quæſtionis partem; venio ad ſecundam, quæ clauditur his voculis: *In majeſtate ſua*; & quæro unde, & ex quibus capitibus ex Chriſti Judicis majeſtas?

Quæ majeſtas illius? In hac aura mortali, Reges in aliis atque aliis ſuam ponunt majeſtatem. Indicis Regibus in odoribus ſua eſt majeſtas. Et inde ad hoc conituntur operosè, ut quæſitis odoribus ab univerſo pulvere pigmentario, ſummo ſtudio etiam pedibus oblitis benè oleant; tum etiam ad Regiæ majeſtatis oſtentationem atque miraculum, ut credunt, magnificentiæ, ſi quando prodeant in publicum, ſubmittuntur, circumquaque argenteis thuribulis, miniſtri complures, qui iter omne, quo vectantur, odoribus imbuant atque impleant.

Quæ Regũ terræ? Perſarum Regibus, ornamentum princeps, & veluti dignitatis regiæ teſſera, ac nota majeſtatis, eſt zona aurea, qua circa lumbos ſuccinguntur.

Aliis eſt Phrygia acu Chlamys diſtincta, obſequioſa famulantium turba, ſceptrum gemmis mixtum, corona Regii capitis ornamentum, & longo Syrmate ducta purpura. Aliis majeſtas poſita eſt in regionibus, longè latéque diffuſis, in Regnis, in Imperiis.

Denique ne chartam onerem fucatis illis majeſtatis humanæ inſignibus, aut potius deliriis, nonnullis majeſtas fuit, in altis nominibus, ſpecioſis titulis, quibus ſupra mortales omnes attolli, ac notari volebant, ac dicier, *hic eſt*.

Et ea fuit Sapori Perſarum Regi, qui ſe vocavit *Regem Regum, participem Siderum, Solis ac Lunæ fratrem.*

Sed abeamus ab illa quali quali majeſtatis umbra, abeamus à figmentis ac deliriis humanæ vanitatis, oculumque & animum ſiſtamus in Chriſto Judice, in quo unica vera & ſumma majeſtas, & videamus in quo eminere videatur illa. Quæ Chriſti & quibus?

Primùm in prævio illo clangore tubæ, quam inflabit Angelus, & qui is erit, ut orbe toto audiatur ad ſtuporem, ad horrorem, ad miraculum. I. A Tuba.

Secundò, in præviis fulgoribus, tonitruis, grandinibus, procellis, terræ motibus, quibus & cœlum ardere, & elementa concuti, & terra fatiſcere videbitur. Ut enim de illo Vates Regius: *Ignis ante ipſum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos ejus. Illuxerunt fulgura ejus orbi terræ, vidit, & commota eſt terra.* II. A fulgoribus. *Pſal. 96. verſ. 3.*

Tertiò, in Corpore Chriſti glorioſo; in quo majeſtas elucebit in fronte, in oculis lux aurea, quæ Solis lucem, quæ Lunæ nitorem vincet, in toto corpore circumfuſo undique lumine, quod bonis amori ſit & ſolatio; malis autem horrori & ſupplicio. III. A gloria corporis.

Jactavit Antiquitas non modò fulgentes, ſed & fulgurantes *Auguſti* oculos, quos cùm ferre non poſſet miles unus aliquis, rogatus ab eodem Auguſto, Cur oculos demitteret; reſpondit, *Quia fulmen oculorum tuorum ferre non poſſum*. nempe ob emiſſum ab iis lumen, & quaſi fulmen caligabant intuentium oculi, & ſplendoris nimietate perculſi ſeſe demittere cogebantur. *Rhodiginus l. 15. c. 2.*

De illo certè ſeu ſplendore, ſeu fulmine ita Suetonius: *Oculos habuit claros ac nitidos, quibus etiam exiſtimari volebat ineſſe quiddam divini vigoris, gaudebátque, ſi quis ſibi contuenti, quaſi ad fulgorem Solis, vultum ſubmitteret.*

Jactavit eadem Antiquitas in *Tiberio Cæſare* eum oculorum ſplendorem, eamque lucem, ut nocte media, non alio luminis extranei beneficio, ſed ſuorum ſplendore oculorum, emiſſiſque inde quaſi radiis, omnia intueri, omnia dignoſcere poſſet. Hæc, inquam, aliaque illis affinia extulit, jactavitque ſtulta Antiquitas: At quid Auguſti? quid Tiberii Cæſaris oculi ad oculos Chriſti? Audeo dicere non tantum quantum modica candelæ lux ad Solem, quantum ſcintilla ad ingens incendium. nimirum eò loci ac temporis micabunt, ardebunt, fulgurabunt, fulminabunt oculi Chriſti Judicis, ſic ut eos nemo improborum omnium intueri, nemo ferre poſſit, nemo etiam proborum ſine ſtupore, ac lætitia videre.

Et ecce quæ in oculis illius majeſtas: deſcendo ad illam, quæ erit in cicatricibus, manibus ac pedibus profundè impreſſis, & quæ à vulnere lateris etiamtum hiante: Certè ab hac, & illis ea lux, quæ nec à Sole, nec à Luna, nec ſparſis toto cœlo ſyderibus: gemmas diceres miri ſplendoris, & nitoris, & ardoris, à quibus electis ſua lux, ſua gaudia; reprobis autem ſuus terror, ſuus mœror, ſuaque confuſio: & ab hac, & illis ſua quoque Chriſto majeſtas, quæ & petetur IV. A cicatricibus.

Quartò, à nube cui inſidebit, ceu throno gloriæ. At cur, inquies, in nube eáque mirè ſplendida? Divi Patres eas congerunt rationes. V. A nube.

Una eſt, ut ea nubes temperet & emolliat eximiam claritatem corporis Chriſti, quæ alioqui reproborum oculos excœcaret: vehemens enim ſenſibile corrumpit ſenſum.

Altera, quia nubes ſymbolum eſt arcanæ Divinitatis.

Tertia, quia nubes ſedes eſt, æquè ac vehiculum, & umbraculum gloriæ Chriſti, in ea porrò ſedebit ut Judex, quia Judicis eſt ſedere, & è ſede ſententiam ferre. Et hoc ſpectat ad majeſtatem, uti & quod quinto loco ſubjicio, & ſubjicit Evangeliſta cùm ait: *Et omnes Angeli cum eo.* VI. Ab Angelis.

Ita nimirum Angeli omnes, hoc eſt quanta quanta

eſt

eſt cœleſtis illa Curia, deſcendet è Cœlo, & Chriſti, ſeu Dei, ſeu Domini, ſeu etiam Salvatoris ſui latera ſtipabit. at quo habitu?

Dicam quod veroſimilius eſt, in aſſumptis corporibus & fictis, formatisque ex aere condenſato, quaſi aſcititia quadam veſte, mirum quantum ſplendida, & variegata ad lucem, ad ſplendorem, ad aliquam triumphi ſpeciem, & Judicis, id eſt Chriſti, majeſtatem.

Ecquid enim cùm in novem illis beatorum ſpirituum ordinibus ſit multitudo propè innumerabilis, quæ gloria, quæ majeſtas erit eas intueri longè, latèque fuſas, velut totidem acies, atque numeroſos exercitus, qui ſupremam aeris regionem, quanta, quanta eſt, complebunt ad cœlos uſque; & hoc, ut dixi, primò ad Chriſti, ſeu Judicis gloriam ac majeſtatem; tum etiam ad Electorum ſolatium, gaudiumque; tum denique, ad luctum ac terrorem reproborum: quod etiam augebitur, ex eo quòd & dæmones quoque in aſſumptis & ipſi corporibus, ſed mirum quantum fœdis atque horridis, apparebunt.

Et hoc quidem ut tam Electi, quàm reprobi oculis corporeis uſurpare poſſint, & cœleſtes illas Intelligentias, & malos quoque dæmones: niſi enim & hi & illæ corpora aſſumerent, non caderent ſub aſpectum, & oculum corporeum, quod tamen omninò conſonum & conſentaneum eſt illi ſcenæ, quæ exhibebitur tam ad Judicis majeſtatem, quàm ad ſolatium Electorum, & reproborũ luctus æviternos.

VII. A Judicandis. Venio ad ſeptum caput, ex quo ducitur ea Chriſti majeſtas, quæ augebitur ex eo, quòd ante illum pavidi ac tremuli ſtabunt Summi Pontifices, Imperatores, Reges, coronata capita, in conſpectu quorum aliquando tremuit, atque expavit hic inferior orbis univerſus, in quos tamen omnes feretur ſententia, ſeu ea damnationis ſit, ſeu gloriæ ac beatitatis: nempe ea Judicii neceſſitas, æqua lege ſortitur, inſignes & imos, & uno pede pulſat pauperum tabernas, Regumque turres, quod ſummæ eſt ac divinæ in Judice majeſtatis.

Sexto denique, quod & facit ad Judicis majeſtatem, erit illud, quod homines omnes, qui ab Adamo uſque ad ultimum prognati ſunt, cujuſcumque familiæ, cujuſcumque ſint generis ac nationis, comparebunt in valle Joſaphat, quos omnes cùm capere non poſſit, Deus eò loci ac temporis complanabit montem Olivarum alioſque, ut locus ſit qui capiat tot hominum miriadas, qui omnes in duas aut tres claſſes dividentur.

Reprobi. Una erit reproborum, qui conſiſtent in terra, & quidem à ſiniſtris, eò compulſi Angelorum miniſterio: meritò ſanè à ſiniſtris: ſiniſtra quippe ſymbolum eſt infelicitatis, opprobrii, ſervitutis, miſeriæ, & calamitatis, in quas præcipiti lapſu ibunt reprobi, quos componit Servator optimus cum hœdis: ut enim hoc animal fœtet, aſperum eſt, immundum, petulcum, laſcivum, exoſum, & per præcipitis incedens; ſic & in omni vita fuere reprobi, qui abeuntes per vitiorum præcipitia, lapſi tandem in barathrum æternæ damnationis.

Electi. Uti contra Electi conſiſtent à dextris: & rectè, quia dextra ſymbolum eſt felicitatis, gloriæ, regni, victoriæ, triumphi, in quem evadent Electi, qui comparantur cum ovibus ob ſingularem innocentiam, humilitatem, ſimplicitatem, obedientiam, patientiam, aliaſque magnarum, virtutum decora, propter quæ mox unà cum Judice conſcendent in Cœli regiam, adituri beatam æternitatem, quam tamen priuſquam adeant, ex iis aliqui cæteris à ſanctitate illuſtriores, ut Apoſtoli, Religioſi, virique Apoſtolici, attollentur in mediumaëra: imò & Chriſto Judici videbuntur aſſidere.

Parvuli. Sed quid de parvulis qui in tenella ætatula, & ante uſum rationis exceſſere, ſine alia noxa quàm originali: quid, inquam, illis fiet? an & ipſi reſurgent, an & comparebunt in luce illa decretoria ſupremi Judicii? Enimverò reſurgent, ſeque & ipſi Chriſto Judici ſiſtent, audituri ſententiam veluti mediam: nec enim damnabuntur ad ignem gehennæ, uti adulti reprobi; nec etiam adjudicabuntur cœlo ad Deum videndum, uti electi adulti; ſed illos excipiet medius quidam futuræ deinceps vitæ ſtatus. Quis autem ille? alta nox in qua conjecturæ locum non facilè dedero.

QUÆSTIO SECUNDA
MORALIS.

Ad illa verba: *Venite benedicti Patris mei.* Matth. c. 25. v. 34.

QUID ET QUANTUM IMPORTET ILLUD, Venite, *& hoc*, Benedicti Patris mei?

HÆc vocula *Venite* invitat ad tranſitum de uno loco in alium, ita grammaticaliter ſumpta: at myſticè aliud atque aliud indicat, & cum à Chriſto Judice manat, vocat ex omni malo ad bonum omne, & hic eſt tranſitus longè feliciſſimus.

Venite ergo de tenebris ad lucem, de ſervitute ad libertatem, de labore ad requiem, de bello ad pacem, de morte ad vitam, de agone ad victoriam, ad triumphum, de ſalo & ſolo, ad ſolem, de triſtitiæ ac mœroris abyſſo, ad gaudiorum æternorum abyſſum, de terra in cœlum, de creaturis ad Deum.

Ecce quæ importat vel unica vocula, *Venite*, & quis ab ea tranſitus: unde, & quò? hoc eſt ut verbo uno abſolvam & complectar univerſa, *Venite* ab omni malo ad omne bonum: & hoc, quia *Benedicti Patris mei.* At rurſum quantum ab ea benedictione bonum? diſce ab ea, quæ eſt in humanis & omni propè ævo in uſu fuit benedictio, eaque petita, vel à parentibus, vel ab hominibus Deo ſacris, vel à ſanctimonia vitæ illuſtribus, eaque plena felicitatis.

Appello ad ipſa Iſaaci tempora, & avitam illam ætatem: ſic ille quondam Eſau primogenito ſuo: *Sume arma, pharetram, & arcum, & egredere foras, cumque venatu aliquid apprehenderis, fac mihi inde pulmentum, ſicut velle me noſti, & affer ut comedam, & benedicat tibi anima mea antequam moriar.* Gen. c. 27. v. 3. 4.

Benedicat, inquit, *tibi anima mea.* Ecce ſumma bonorum omnium, quæ primogenito ſuo conferre poterat Iſaacus, videlicet paterna benedictio, à qua in filium derivabatur & jus hæreditatis, & primogenituræ, & regni in fratres omnes. Hinc ubi intellexit Jacobi dolo & fraude derivatam eſſe in eum paternam benedictionem, *Irrugit clamore magno, & conſternatus ait: Benedic & mihi Pater mi.* Parentum benedictio. verſ. 34.

Erat Eſaus ingenio feroci, & totus animo, ſicut & corpore hiſpidus: non hominem dixiſſes, ſed feram; ita efferus erat totus, & tamen ad amiſſam patris benedictionem commovetur, contremiſcit, exhorret, & irrugit inſtar Leonis clamore magno, & conſternatur totus, atque exclamat: *Benedic & mihi Pater mi.* Adeò homini etiam inhumano atque effero, in oculis, in amoribus, in primis curis erat paterna benedictio. Nec mirum, quia ab ea, uti dixi, manabat in filios omne propè bonum, quod in humanis eſſe poteſt.

In Jacob. Appello rurſum ad antiqua tempora, ad *Jacobi* ætatem, hanc cùm videret eſſe jam in extrema vitæ

Gen. c. 49. v. 1. linea, vocavit filios ſuos, & ait: *Congregamini ut annuntiem quæ ventura ſunt vobis in diebus noviſſimis.*

Priſco ſcilicet more, ritúque, quo parentes morituri filiis ſuis dabant vel extrema monita, vel etiam oracula, addita pro coronide ſolemni benedictione velut præſaga ac prænuntia futurorum.

Sic ut alios Jacobi filios in præſentia taceam, hæreamque in Joſepho, ſic inquam illi Jacob benedixit: *Filius accreſcens Joſeph, filius accreſcens & decorus*

verſ. 22. *aſpectu.*

In Joſepho. *Deus Patris tui erit adjutor tuus, & Omnipotens benedicet tibi benedictionibus cœli deſuper, benedictionibus abyſſi, jacentis deorſum, benedictionibus uberum, & vulvæ.*

Hanc ubi benedictionem extulit, quæ à terra, quæ à cœlo eſſe poterat, tum eam largius cumulat benedictionibus patrum ſuorum, & quidem in longa ſæcula, ſeroſque ſoles, donec veniret deſiderium collium æternorum: ſic enim rurſus ad illum:

Benedictiones patris tui confortatæ ſunt benedictionibus patrum ejus, donec veniret deſiderium collium æternorum: fiant in capite Joſephi. quaſi diceret

Ego Jacob præ patribus meis Abraham & Iſaac, qui tum à patre meo Iſaac, tum à Deo benedictus. Itaque viciſſim, ô Joſeph dilecte filiorum meorum tibi benedico, ſicque præ me, patribuſque meis eris benedictus, & eò quidem, ut ea benedictio iret in ſæcula, uſque dum veniret deſiderium collium æternorum. Hoc eſt Chriſtus, qui ex vero fuit deſiderium collium æternorum. Et ita evenit, nam & Joſephi benedictio duravit uſque ad Chriſtum, qui & mundo univerſo, & ipſi Joſepho benedictionem maximam attulit: tanti intereſt, quæ, quantáve ſit

Sanctorum benedictio. optimi parentis benedictio, à quo tranſeo ad eam, quæ eſt à viris religioſis, & morum vitæque integritate nominatis: nam & in hac boni eſt pluri-

In vit. PP. l. 9. c. 26. mum, cujus etiam conſcii & infideles, ac Saraceni mirum quanta celeritate advolarint, quanta & con-

Simeonis Stylitæ. tentione ambierint Simeonis Stylitæ benedictionem: ea certè ut ſeipſi obruerent præ turba, certarentque, quis cui præriperet benedictionem, adeò ſibi profuturam autumabant eam in hoc ævo mortali: Et verò etiam experti quàm plurimi, recuperata etiam valetudine à quocumque fere morbo tenerentur.

Quæ fama ſanctitatis innumeros excivit ad Si-

Hilarionis. meonem Stylitam, eadem & ad *Hilarionem*, ad quem etiam Saraceni concurrere, cum uxoribus &

Lib. 1. ſup. c. 18. liberis, & colla ſubmittentes Syra voce inclamare iſtud *Baroch*, id eſt, benedic. Et ſanè proderat ea benedictio, & malos dæmones è corporibus velut è malè occupatis hoſpitiis extrudebat, adeò potens vel unius Sancti benedictio, adeò victrix ac domitrix Stygiæ poteſtatis, nec illius tantùm; ſed & ipſius infidelitatis, quam exuebant etiam ipſi Saracenorum ſacrificuli, vel unica Hilarionis benedictione, cujus etiam vim atque energiam ſenſere quoque inanimata: certè vinea, quæ aliàs ſterileſcebat ab unica illius benedictione fœcundior reddita: quæ enim centum duntaxat lagenas cultori ſuo reddebat, viſa deinde poſt dies viginti trecentas redderet crederes in illa, & ab illa benedictione fœnus eſſe longè maximum. & verò erat.

Teſtis erit & Lechytus, qui *Polycroni*, viri ſanctiſſimi benedictione impletus, aliàs omnino vacuus. mitto cætera his affinia, & illud ad extremum conficio, etiam hominum, qui Deo à vita & virtute cari ſunt, plurimùm boni importare benedictionem: quod ſi illa, quæ erit Dei ter Opt. ter Max.? Quæ Patris Æterni? quid non afferet illa? Polycronis. Lib. 9. c. 24.

Juvat ſtylo notare circumſtantias omnes, & verba ſingula expendere, quibus ea infertur benedictio. *Tunc dicet Rex his qui à dextris ejus erunt: Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi.* Benedictio Patris Æterni.

Tunc, inquit, hoc eſt in illo decretorio die, in quo coram Chriſto ſtabit univerſus orbis, in quo ferenda in omnes à ſupremo Judice ſententia, nullo unquam ævo revocanda. Ejus circumſtantiæ.

Tunc, hoc eſt, in ea hora, in qua agitur de æternitate quanta, quanta erit.

Tunc, hoc eſt, in eo momento, in quo his decernitur Regnum, illis ſupplicium: his luctus, mœror, comploratio, ejulatus, lacrymæ, deſperatio; illis autem gaudium, lætitia, acclamatio, plauſus & triumphus.

Dicet Rex: Rex, inquam, cœli terræque, Rex univerſi, Rex hominum ſimul & Angelorum, Rex ſub quo in præſentia curvantur, qui prius portarunt orbem.

Dicet his, qui à dextris ejus erunt, ad quos primùm oculos convertet, & amabili aſpectu, mirum quantum recreabit, ut impleatur illud Sapientis: *In tempore erit reſpectus illorum.* Cap. 3. v. 6.

In tempore, inquit, illo, hoc eſt in ultima mundi periodo, in qua vertitur cardo æternitatis, erit *reſpectus illorum.* At quis ille reſpectus? is certè qualis eſt Solis & ſurgentis auroræ, is nocturnas tenebras diſcutit, diem reducit, & amœnum jubar oſtentat, quo mundus profunda nocte, quaſi ſepultus reviviſcit ac recreatur totus; ſic & Electi in eo temporis articulo, miram & incredibilem accipient conſolationē, vel à ſolo benigniore Chriſti aſpectu.

Hæc olim fuit in antiqua Lege, ſumma benedictio à Deo uno reſpici: hinc illæ voces & vota: *Convertat Dominus vultum ſuum ad te.* Num. c. 6. v. 26.

Hæc Ægyptiis in ſumma annonæ caritate ac fame, ſi Joſeph tantum eos intueri dignaretur. Inde illæ etiam ad eum voces: *Reſpiciat nos tantum Dominus noſter.* Gen. c. 47. v. 25.

Hæc denique juſtorum perennis oratio in hac aura mortali: *Reſpice Domine in ſervos tuos*, quia ſic reſpici eſt initium beatitatis; & ita in die Judicii erit Electis; ſed & multò magis ab illis voculis: *Benedicti Patris mei*; ſic enim eſſe benedictum, ſumma eſt beatitatis. Pſal. 89. v. 16.

Appello Chryſoſtomi fidem atque authoritatem: ſic enim ad hæc ipſa Chriſti ad Electos verba: *Quibus bonis hoc nomen compenſari poteſt ut benedictus ſis, & à Patre benedictus? certè nullis*: ut enim Eccleſiaſtici verbis utar: *Benedictio illius quaſi fluvius inundans.* Hom. 80. in Matth. Cap. 39. v. 27.

Ut enim hic eos, qui in illo merguntur, aqua operit, atque undis mergit, ac propè obruit; ſic & benedictio Æterni Patris Electos bonis omnibus abundè cumulabit: ut enim ille ipſe Sapiens: *Benedictio Domini divites facit*, quia facit hæredes Regni cœleſtis, cohæredes Chriſti, participes bonorum omnium; imò & conſortes quodammodo ipſius Divinitatis. Hinc & illud Chriſti ad eoſdem Electos: *Poſſidete paratum vobis Regnum à conſtitutione mundi.* Expende AMICE LECTOR, ſingula verba, verius oracula.

Poſſidete, inquit, poſſeſſio etiam in humanis, dat *jus in re*, ut loquuntur Juriſperiti: & poſſeſſio Regni A cœleſti Regno.

Cœleſtis

Cœleſtis dabit Electis jus in re, ſed inviolabile, ſed æternum. Quid ditius, quid opulentius, quid beatius iſta poſſeſſione, maximè cùm ad illam accedit ea vocula.

Vobis, Electis meis, amicis meis, fratribus meis, & filiis Æterni Patris, quibus datur *Regnū paratum*, jam inde ab ipſa mundi conſtitutione: fatendum enim, quod re etiam ipſa vidit, amavit, ſuſpexitque ipſa mundi infantia; imò & primus illius ortus, in quo primùm omnium creatum eſt cœlum Empyreum, & futura deinde Beatorum ſedes atque domicilium.

In principio creavit Deus cœlum, & terram, inquiebat olim ſacer Hiſtoricus. *Creavit cœlum.* At quibus? profectò non aliis quàm à Deo electis. in quos cadet illud, quod olim Sapiens.

Cap. 6. v. 17. *Accipient regnum decoris, & diadema ſpeciei de manu Domini.* Quid huic & illi addi poteſt? ſanè omninò nihil: quid enim addi poteſt Regno, & quidem cœleſti?

Quorum ſummum bonum. Ut vidit Saul felices Davidis progreſſus, ut plauſus audivit, & acclamationes populi, *Quid ſupereſt*, inquiebat, non ſine livore, *niſi ſolum regnum?* quaſi diceret: Nihil regno majus, nihil felicius, nihil beatius: ubi illud adjecit, adjecit bonum omne, quod in humanis eſt.

Puellæ ſaltatrici nihil majus dare ſe poſſe credidit Herodes, quàm dimidium regni ſui. *Pete*, inquibat, *quod vis, & tibi dabo, licet dimidium Regni mei.* Liberalitas inſolens, & pudenda, quia impenſa ſaltatrici; maxima tamen in humanis, quia Regni: at quanta illa eſt, ſi componatur cum ea, quæ eſt illius Regni, quod Deus paravit Electis? certè non tanta quanta arenula ad terræ molem, quanta gutta ad Oceanum, quanta ſcintilla ad Solem: Regnum enim Herodis, uti & omnia terrena Regna, ut vaſta videantur & ſint hominum calculis, non ſunt niſi punctum, quod tamen puſilli mortales, & ferro, & igne dividunt: melius atque utilius pro cœleſti regno certaturi; ſed proh dolor, pudorque! pro terræ puncto, pro lutea caſa, pro temporis momento, pro exiguo lucello, maria tranantur, extremique petuntur orbes, & pro immenſa Cœli vaſtitate, pro Empyrei ſede, ſede beatitatis, pro æternitate, proque Deo, vix pes à terra movetur: An non illa mortalium eſt inſania? an non ille ſtupor incredibilis atque damnandus? Eſt enimverò, & damnandus quàm maximè, atque utinam damnaremus ipſi dum vita ſuperſtes, damnaturi certè in extremo illo Judicii die, at ſerius, & ſine fructu, ſeraque nimium pœnitentia.

QUÆSTIO TERTIA
LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa Chriſti ad Electos verba: *Eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare; ſitivi, & dediſtis mihi bibere; hoſpes eram, & collegiſtis me; nudus eram, & cooperuiſtis me.* Mat. c. 25. v. 35. 36.

CUR IUDEX, ET QUIDEM IUSTI, ÆQUIQUE TENAX, hæc ſolà miſericordiæ corporalis opera recenſet? Cur & illis, qui ea exercuerint, præmia decernit, & qui non exercuerint ſupplicia?

Cur aliorū operum mentio nulla? EST illud extra litem, & controverſiam, in Electis inveniri opera bona, & quidem longè plurima, propter quæ in illo decretorio die juſta reddi poſſet æternæ gloriæ merces: uti è contrario in reprobis ſcelera multa, eaque immania, ob quæ infligi æterna ſupplicia, æterna & incendia.

Certè in Electis, puta Virginibus, candida & nivea caſtitas, in Confeſſoribus longa patientia, in Martyribus invicta conſtantia ac fortitudo, in Patriarchis ardua fides, in Apoſtolis ardor ignens & zelus animarum: & tamen neque hic neque illa omnia à juſto Judice referuntur in rationes illius Judicii, lataeque ſententiæ.

Uti nec in reprobis enormia facinora, puta latrocinia, cædes, adulteria, inceſtus, aliaque innumera, quæ cœlos ipſos difatigarunt.

Cur igitur, neque hæc neque illa ponuntur in divinis rationibus?

Hanc Quæſtionem & ſibi, & Auditoribus movit aliquando D. Auguſtinus. Illum audiamus:

Quare cauſas vel tantæ mercedis, vel tanti ſupplicii: Serm. 51. de Tempore. Percipite regnum, *&* Ite in ignem æternum. *Quare iſti percepturi regnum? Eſurivi & dediſtis mihi manducare. Quare iſti ituri in ignem æternum? Eſurivi, & non dediſtis mihi manducare. Non ait illis: Venite, percipite Regnum, caſtè enim vixiſtis, nullū fraudem feciſtis, neminem pauperem oppreſſiſtis, limitem nullum invaſiſtis, neminem jurando fefelliſtis: non dixit hæc, ſed percipite Regnum, quia Eſurivi, & dediſtis mihi manducare.*

Quantò hoc excellit, quando cætera tacuit, & hoc ſolùm nominavit.

Et rurſus ad illos: Ite in ignem æternum. Quàm multa poſſet in impios dicere, quoniam ſi quærerent, quare imus in ignem æternum? Quare quæris adulter, homicida, fraudulator, ſacrilege, blaſphemator, infidelis? nihil horum; ſed quia Eſurivi, & non dediſtis mihi manducare.

Hæc ubi dixit Auguſtinus, tum converſa ad Auditores ſuos oratione, ſic ait: *Video vos moveri, ſicut moveor. Et verè mira res. Hujus autem admirabilis rei rationem colligo ut poſſum quam vos non celabo.*

Tum rationem petit è variis Scripturæ ſacræ oraculis, & quidem

1. Ex illis Eccleſiaſtici verbis: *Sicut aqua extinguit ignem; ita eleëmoſyna extinguit peccatum.* Cap. 3.

2. Et hoc ejuſdem: *Include eleëmoſynam in corde pauperis, & ipſa deprecabitur pro te Dominum.* Cap. 29.

3. Ex illo Danielis ad Regem Nabucodonoſor: *Conſilium meum audi Rex, & peccata tua eleëmoſynis redime.* & aliis, ex quibus oſtenditur multum valere eleëmoſynam ad extinguenda, & delenda peccata. Daniel. 4.

Proinde, illis, quos damnaturus eſt, imò plus illis, quos coronaturus, ſolas eleëmoſynas imputabit tanquam dicens: Difficile eſt, ut examinem vos, & appendam vos, & ſcruter diligentiſſimè facta veſtra, non inveniam unde vos damnem; ſed ite in Regnum. Eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare: Non ergo itis in Regnum, quia non peccaſtis; ſed quia peccata veſtra eleëmoſynis redemiſtis.

Rurſus

Rurſus & illis: Ite in ignem æternum. & illi tanquam noxii olim rei, ſero trementes, attendentes peccata ſua, quando auderent dicere, immeritò ſe damnari, immeritò in ſe hanc depromi à judice ſententiam? conſiderando conſcientias ſuas, conſiderando omnia vulnera animæ ſuæ, quando auderent dicere, injuſtè damnamur? De quibus ante in Sapientia dictum eſt.

Cap. 5. *Traducent eos ex adverſo iniquitates eorum, ſine dubio videbunt ſe juſtè damnari pro ſceleribus, & criminibus ſuis, & quaſi eis diceret.*

Non inde unde putatis; ſed quia Eſurivi, & non dediſtis mihi manducare: ſi enim ab illis omnibus veſtris factis averſi, & ad me converſi, illa omnia crimina, atque peccata eleëmoſynis redemiſſetis, ipſa eleëmoſynæ modo liberarent vos, & à reatu tantorum criminum abſolverent.

Matth. c. 5. *Beati enim miſericordes, quoniam ipſis miſericordia præſtabitur. Modo autem Ite in ignem æternum. Judi-*
Jacob. 2. *cium ſine miſericordia ei, qui non fecit miſericordiam.*

Hactenus D. Auguſtinus, quo judice Electi eunt in Regnum, non quia non peccarunt, ſed quia peccata ſua eleëmoſynis redemerunt, hoc eſt, quia eleëmoſynis impetrarunt à Deo gratiam, unde & pœniterent, & peccata deflerent: uti è contra reprobi eunt in ignem æternum, quia peccata ſua eleëmoſynis non redemerunt, id eſt iis non obtinuerunt gratiam congruam, atque efficacem, qua inſtructi pœniterent, & omnes peccati maculas abſtergerent.

Et hoc ipſum eſt, quod more ſuo elatè, ac facundè extollit D. Chryſologus, in ea Chriſti ad Electos verba: *Eſurivi & dediſtis mihi manducare.*

Non dixit, Eſurivit pauper, & dediſtis illi manducare; ſed Eſurivi ego, & dediſtis manducare mihi. Sibi datum clamat quod pauper acceperit; ſe manducare dicit quod comederit pauper, quod bibit pauper ſibi dicit infuſum.

Hæc ubi extulit S. Præſul, tum evictus ſeu ſtuporis, ſeu amoris æſtu, exclamat:

Et quid agit amor pauperis, gloriatur in Cœlo Deus unde pauper erubeſcit in terra: & hoc reputat in honorem ſibi, quod pauperi computatur injuria.

Nimirum datum illud amori pauperis: uti & hoc, quod eodem ſtyli nitore, atque luce explicat ille ipſe S. Præſul:

Quod Abel paſſus ſit, quod ſervavit mundum Noë, quod Abraham fidem ſuſcepit, quod Moyſes legem tulit, quod Petrus crucem reſupinus aſcendit, Deus tacet: & hoc clamat ſolum, quod comedit pauper.

Nempe: *In cœlo, prima eſt eſurientis annona, prima ſtipendia pauperis tractantur in cœlo: erogatio pauperis prima divinis ſcribitur in diurnis, proinde beatus cujus nomen toties Deo legitur, quoties ratio pauperis recitatur in cœlo.* Ubi porrò beatum pronuntiavit illum, tum iſtius beatitudinis fructum potiſſimum recenſet, hunc nimirū, quod *In die mala liberabit eum Dominus.*

In die mala illi Deus liberator aſſiſtet, quia malis pauperem liberarit. In anguſtiis illum Deus clamantem audiet, quia pauperem cum clamaret audivit. Non videbit diem malum qui dies bonos habere pauperem fecit. Videbit diem malum qui diem Judicii ſine advocatione paupertatis intraverit.

Hujus autem, atque illius rationem hanc producit. *quia ſine cauſa accuſant peccata, quem pauper excuſat, excuſari non poteſt, quem ſamos pauperis accuſarit.*

Hactenus D. Chryſologus, à quo velut interprete divinæ mentis, hæc tria diſcimus.

Primum, quod in ſupremo illo Judicii die vix alia opera oſtentabit Deus, vix alia reponet in æqua Juſtitiæ divinæ lance quàm opera miſericordiæ.

Secundum, quod ex illis ſua decernetur electis merces, vel ex hoc uno, quòd ea dederint; ſua & reprobis ſupplicia, quòd negarint.

Tertium, hujus atque illius cauſam hanc eſſe, quod Chriſto feceris, quod pauperi feciſti.

Chriſtus enim ſe intelligi in paupere ſic demonſtrat, quod ipſe qui cœlum tegit, ſit nudus in paupere; quod in eſuriente eſuriat ſaturitas rerum, quod ſitiat in ſitiente fons fontium, quod ei ſit ampla paupertas, cui anguſtum eſt cœlum. Qui ditat mundum, quod egeat in egente, quod fruſtum panis, aquæ calicem, dator omnium quærat, quod ſe Deus amore pauperis ſic deponat, ut non adſit pauperi, ſed ipſe ſit pauper: quod aut in ſe transfuderit pauperem, aut ſe in pauperem fuderit: Eſurivi enim, ait, & dediſtis mihi manducare: *& quia mihi dediſtis, hinc eorum in judicio mentio ſit ampliſſima.*

Hæc ubi ſtylo aureo notavit D. Chryſologus, tum ad opera illa miſericordiæ, ſic invitat:

Qui ſe novit per mala ſæculi vitam ducere. eleëmoſyna ſemper ſecum auxilium ducat: præſidium ſibi turmas pauperum vocet: in paſtu pauperum largus prorogator exuberet: pauperum frequentet domum, non trepidet erogando: deficere neſcit, cui porrigit manum, parcus accepter: exhauriri theſaurus non poteſt, de quo ſufficit nummus.

Hactenus ille, à quo diſcedo ut tranſeam ad alias rationes, ob quas Chriſtus eò loci ac temporis ſola miſericordiæ opera ſic recenſet, quaſi ſolis illis empta foret beatitudo: ut enim notat D. Auguſtinus, Chriſtus non eſt dicturus Stephano, Veni benedicte, quia mei cauſa lapidatus es. D. Laurentio, quia pro mea Fide fuiſti in craticula aſſatus: nec D. Antonio, quia in mei gloriam omnia reliquiſti: nec aliis, alia magnarum virtutum illuſtris facinora ſub oculos ponet, & conſpectum univerſi; ſed ſola dumtaxat miſericordiæ opera.

Quæ cauſa? Aliæ, atque aliæ ab Interpretibus afferuntur.

Prima, quod ea opera ſint quaſi naturalia, & cuique ferè obvia.

Secunda, quia ſpectavit ad communitatem, ubique enim plurimi miſeri, egeni plurimi.

Tertia, quod ea vulgo magni fiant.

Quarta, quod ab iis præſtandis vix ullus excuſare ſe poſſit, aut certè pauci. Et hanc quoque cauſam affert D. Chryſologus, ſic enim ait;

Amore pauperis Deus ſuum regnum vendit, & ut emere illud omnis homo poſſit fragmentum panis ponit in pre- Serm. 14.
tium: quia vult habere omnes, qui tantum petit pretii, quantum hominem ſcit habere. Deus regnum ſuum fragmento panis vendit, quis excuſare poterit non ementem, quem tanta vilitas venditionis accuſat? Et hinc oritur

Quinta ratio, ut hæc audientes reprobi videant, atque ingemiſcant, quod cœleſte regnum, tam vili pretio, tam facili, atque obvio emere potuerint, nec tamen emerint.

Si enim ab illis exegiſſet quod rarum, quod arduum ac difficile erat, ſuus fortè excuſationi locus eſſe potuiſſet: ſi jejunia longa, ſi inediam in pane & aqua, ſi corpuſculi afflictationes ac macerationes, ſi cruces, ſi cataſtas, ſi ferrum & ignes in regni ſui pretium poſuiſſet, reſpondere potuiſſent, ſibi ad illa pares humeros non fuiſſe, nec pares animo vires: At verò ad illa, quæ commorat, excuſatio quæ obtendi poteſt, quæ obtrudi: cùm illis facilius nihil fuerit, nihil magis ad manum. Ecquid enim? cuique homini, quid obvium magis, quàm panis fruſtulum, quàm potus aquæ frigidæ, quàm nummulus: & tamen & hunc, & illa negarunt reprobi, etiam vel ipſi Chriſto, & inde ſic ad illos:

Diſcedite a me maledicti in ignem æternum, qui para- Serm. 41.
tus eſt diabolo, & angelis ejus: Eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare: Sitivi, & non dediſtis mihi potum: Hoſpes eram, & non collegiſtis me: Nudus, & non cooperuiſtis me: Infirmus, & in carcere, & non viſitaſtis me.

Tunc reſpondebunt & ipſi dicentes: Domine quando te vidimus eſurientem, aut ſitientem, aut hoſpitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, & non miniſtravimus tibi?

An

An hæc impii dicent vocéne, an cogitatione? in occulto eſt: fortè non patietur Chriſtus etiam verbulo ſuæ ſententiæ obloqui: eos enim damnabit vel ipſa conſcientia: dicent ergo mente, & tacita cogitatione; arroganter tamen, indignanter, & deſperabundè, quaſi accuſantes Chriſtum Judicem & falſitatis, & iniquitatis, ut de iis meritò dixerit Author operis imperfecti. *In judicio ſtant, & peccare non ceſſant.*

Tunc reſpondebit illis dicens; Amen dico vobis, quamdiu non feciſtis uni de minoribus his, nec mihi feciſtis.

Diſcedite igitur à me maledicti. In hac vocula, *Diſcedite*, notatur *Pœna damni*, quæ eſt privatio gloriæ, quæ pœna eſt longè graviſſima: privari enim ſummo bono, eſt ſummum malum.

Maledicti. & hæc ſummo malorum omnium, quæ creaturæ evenire poſſunt; à Deo maledici, cujus ſcilicet benedictio ut ſummi boni eſt origo, ita maledictio fons malorum omnium.

Diſcedite igitur à me maledicti, hoc eſt fœdifragi, perjuri, inimici mei, proditores mei.

Ecquid enim? Ego blanditiis vos allicere volui, ego vos vocavi, atque ut ad me veniretis, non ſemel rogavi: dixi enim, *Venite ad me*, & venire noluiſtis, ergo *diſcedite*.

Ego crucem aſcendi, expanſiſque brachiis, ſumma cum patientia, & longanimitate vos expectavi, ut amplexus darem ſuaviſſimos.

Ego caput inclinavi, ut vobis pacis ferrē oſculum.

Ego pectus aperui, etiam ingenti vulneris hiatu, ut in illud ſecuri introiretis.

Tota die expandi manus meas, & venire contempſiſtis: *Diſcedite igitur à me maledicti.*

Benedictionem paternam obtuli, & pluſquam paternam, & illam ſpreviſtis modo, & in tota quanta erit æternitate maledictione obruemini, in omnibus, & per omnia maledicti.

Maledicta veſtra nativitas, maledictæ veſtræ pecuniæ, maledicti honores, maledictæ voluptates, maledicta lingua veſtra, maledicti oculi, maledicti ſenſus omnes, maledicta vita veſtra, maledicta mors veſtra, maledicta anima veſtra, maledictum & corpus veſtrum, maledicta & æternitas, in quam intrabitis.

Ite ergo, *Ite diſcedite à me maledicti*: At quò, ô Domine, ô juſte Judex, quò ibimus? *In ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis ejus.* Ecce pœnam ſenſus longè graviſſimam; ite tamen, ite in ignem æternum. Ecce lectum, ecce domicilium, ecce habitaculum in totam æternitatem: Et cum quibus? cum dæmonibus, cum monſtris tartareis, quos vel intueri, eſt mori.

Ite tamen, ite in ignem, qui paratus eſt diabolo: Ego illum vobis non paravi, vos ipſi paraſtis, & parare etiam me invito, ac reluctante, voluiſtis.

Iſay. c. 33. v. 14. Ite, ergo, ite. Ego vobis ſæpè ſæpius ſub oculos poſui illud Prophetæ, illud ſervi mei, Ego interrogavi: *Quis ex vobis habitabit cum igne devorante? Quis habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis?* Rogavi, & non reſpondiſtis: ſurdis nimirum cecini, ſurdis locutus ſum, locutus ſum & mutis.

Ite ergo, ite, abite à facie mea, ab oculis meis, à luce Solis hujus, ab æternitate beata, à conſpectu Sanctorum omnium.

Quis oculus ferat illud fulmen, quæ auris illud tonitru vocis, & divinæ vocis, quis ferat ejici à facie Dei?

Ad Judæos aliquando venerat Servator optimus, non in forma judicis, ſed rei; non in ſumma judicantis majeſtate, ſed in profundiſſima judicandi, imò & damnandi humilitate; atque in eo interrogarat: *Quem quæritis?* cumque reſpondiſſent: *JESUM Nazarenum*, ſubjecerat illud, *Ego ſum.* Dulce, amicum, blandum, & humile verbum. & tamen ad illud *Abierunt retrorſum*, & proni *ceciderunt in terram*, & hoc quaſi ſtupidi, elumbi, exanimes. Joan. c. 18.

Si cùm ovis duceretur ad victimam, duobus tantum voculis inimicos ſuos ſic exterruit, ſic proſtravit: quid erit cùm veniet ut Leo rugiens, cumque immani quaſi rugitu, horrendoque quaſi tonitru intonabit illud, *Diſcedite à me maledicti?*

Leo rugiet, inquit D. Gregorius, *quis non timebit? cùm moriturus diceret, Quem quæritis, & vocem ſolummodo mitiſſima reſponſionis ederet, dicens, Ego ſum, armatos, perſecutores ſuos proſtravit. Quid ergo facturus eſt, cum judicaturus venerit, qui una voce hoſtes ſuos perculit etiam cum judicandus venit? quod eſt illud judicium, quod in mortales aget, qui in una voce non potuit ferri moriturus: Quis ejus iram toleret, cujus non potuit & ipſa manſuetudo tolerari?* Lib. 17. Moral. c. 21.

Hæc S. Pontifex ad illud divinæ vocis tonitru, de quo & Jeremias præſago ſpiritu: *Ecce turbo Dominica indignationis egredietur, & tempeſtas erumpens ſuper caput impiorum veniet, & non revertetur furor Domini, uſque dum faciat, & uſque dum compleat cogitationem cordis ſui.* Cap. 23. v. 19.

Continuit Dei patientia turbinem illum etiam ad annos & ſæcula: at eò loci ac temporis egredietur veluti rupto aggere, erumpetque tempeſtas ſuper caput impiorum, eoſque violento impetu eripiet à facie Domini, abripietque in tartara, profundumque Stygis, quod alterum eſt mali caput, & quidem longè graviſſimum. Infelix Cainus ubi terra à fraterno ſanguine rubuit, ubi audiit & illud à Domino. *Quid feciſti? vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Ubi, inquam, illud audiit: Ecce, inquit, *Ejicis me hodie à facie terræ, & à facie tua abſcondar.* Gen. c. 4. v. 14.

A facie terræ ejici, à facie Domini abſcondi, rebatur tantum malum, ut proinde omnia qui eum vidiſſet, eſſet interfecturus: quaſi eum nec terra ferret, nec cœlum, nec ullus mortalium.

Quod ſi hoc malum, quantum illud pro tota quanta, quanta erit æternitate, ejici à facie terræ promiſſionis, terræ viventium, quantum & abſcondi à facie Dei? certè tantum, quantum nec mente concipi, nec verbis exprimi poſſit. Exprimet æternitas; at impiorum malo, quo utinam cautus ſis, AMICE LECTOR, & benè providus.

QUÆSTIO QUARTA
THEOLOGICA ET MORALIS.
Ad illa verba: *In ignem æternum.* Matth. cap. 25.
AN VTI ILLE IGNIS ÆTERNVS EST; ſic etiam ſit æterna combuſtio? & cujus naturæ erit ignis ille?

Status quæſtionis.

DISTINGUNT nonnulli, nec malè circa damnatos, *Ignem*, & ab illo combuſtionem: & quidem *Ignem*, fatentur æternum fore: hoc enim Scripturæ oracula apertè, & diſertè teſtantur: at *combuſtionem* negant æternam fore, quod non videatur ſatis conſonum Divinæ Bonitati, ut homines combuſtione illa æterna peſſimè afficiat, & inde pœnas illas inferni & damnatorum opinantur ceſſaturas, atque hos ex iis liberandos poſt annum *Platonicum*, hoc eſt, poſt aliquot annorum millia.

Hæc opinio tribuitur Origeni, veréne non auſim aſſerere: agnoſcit enim ignem illum æternum, & pœnas ab eo æternas, adeoque & combuſtionem æternam: nec diſtinguit inter ignem, & combuſtionem mentione facta damnatorum.

Tract. 34. in Matth.

Lubet hic attexere ipſius verba, ut vir tantus apud poſteros liber abeat ab errore: *Qui recedunt ab JESV decidunt in ignem æternum.*

Quid in ea Origenes?

Deinde explicans hoc Chriſti ad Electos, *Venite benedicti.* & illud ad reprobos, *Diſcedite maledicti.* ſic exponit: *Quoniam proprium boni Dei eſt, prius recordari beneficia bonorum, quàm malefacta malorum, poſtea in exitu utrorumque prius nominat pœnam dicens malorum, deinde vitam bonorum: Et abibunt illi in pœnam æternam: hi autem in vitam æternam.*

Quod ſi Origene interprete abeant illi in pœnam æternam, certè non in aliam, quàm quæ eſt ab igne; ea verò eſt combuſtio: ex quo conſequens eſt, ſi pœna ſit æterna, & combuſtio quoque æterna ſit oportet.

Quod ſi aliter cenſuerunt Origeniſtæ, illis aſcribatur error ille, non autem Origeni. Sed quis, inquis, & cujus naturæ erit ignis ille: an ejuſdem cum elementari noſtro, an diverſæ?

Quid Origeniſtæ?

Diverſæ credit Origenes, & ſic de illo: *Qui recedunt ab JESV. decidunt in ignem æternum, qui alterius generis eſt ab hoc igne, quem habemus in uſu. Nullus enim ignis inter homines æternus eſt; ſed nec multi temporis, extinguitur enim citò. Æternus autem eſt ignis ille, de quo & Iſayas dicit: Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. Forſitan talis ſubſtantia eſt, ut inviſibilia comburat ipſe inviſibilis conſtitutus, ſecundùm quod ait Apoſtolus: Quoniam quæ videntur temporalia ſunt, quæ autem non videntur, æterna ſunt; neceſſe eſt, ut ſi viſibilis eſt ille ignis, & temporalis ſit: ſi autem æternus eſt, & inviſibilis eſt.*

Quid de Igne?

Hactenus Origenes, quo judice ignis ille, qui damnatos urit, natura ſua æternus eſt, atque inviſibilis, adeoque diverſæ rationis à noſtro, qui & temporalis eſt, & viſibilis.

Temporalis quidem, quia pabulo eget, quo proinde deficiente, deficit & ille: viſibilis autem, quia craſſiori materiæ immixtus. At verò æternus inextinguibilis eſt, quia pabulo non eget (niſi fortè velis damnatos illius pabulum eſſe) eſt & inviſibilis, quia ex leviore materia compoſitus. Et hæc ex mente Origenis. Ego ex aliis capitibus, illius ignis qualitates, & quaſi proprietates luci dabo, componamque cum igne noſtro, ut hujus atque illius differentia liquidò appareat.

Ignis ſuppliciorum ultimum.

Romanus Scriptor, cum ſuum quibuſque ſuppliciis diſcrimen indicaſſet, ad extremum pronuntiavit illud: *Ignis ſuppliciorum ultimum.* quaſi diceret:

Curtius l. 6. c. 12.

Ubi effera tyrannorum via, atque immanitas in ſupplicia præceps ruit, ubi cataſtas, equleos, rotas, & ferrum expedivit, tum ad ignem ventum eſt, quia non habet quò ulterius procedat; nimirum *Ignis ſuppliciorum eſt ultimum*, nec priſca tyrannis, nec noſtra acerbiores cruciatus invenit, quàm unum flammis tradere, lentè exurere, aſſare.

Ita Laurentium exuſſit, aſſavitque Romanus Cæſar Valerianus.

Ita noſtra hac ætate Japonii in Chriſtianos ſævire ſoliti, aliis atque aliis ſuppliciis, atque ad extremum lento igne, quo generoſos Chriſti pugiles ſic exurunt, ſic aſſant.

Eo Chriſtianos afficiunt Japonii.

Ignis extruitur eminus, viginti quinque palmorum ſpatio à columnis Martyrum remotus, ut tantò acerbior ſit cruciatus, quò prolixior: ſic enim prius lentè aſſantur, quàm ardeant. Imò ſi qua parte luculentior erumpat flamma, coërcetur illico. Vincula verò, quibus columnis illigantur, non ferrea ſunt, ſed viminea, quibus Martyres laxè, obiter, & ferè in ſpeciem ad palum ligantur, crudeliſſimo, & poſt homines natos inaudito dæmonis aſtu, qui ſcilicet eò ſpectat, ut Chriſti Athletæ acerbitate doloris compulſi, & vinculis facillimè ruptis, expedire ſe, atque è flammis eripere, nullo negotio poſſint.

Hoc autem indicio conventum erat, ut quiſquis ex incendio ſe ita eripuiſſet, hoc ipſo Chriſtum, Chriſtique Fidem ejuraſſe cenſeretur.

Carolus Spinola vivus exuritur.

Ita toſtus, ita aſſatus *P. Carolus Spinola*, qui dum languido, & lento flammarum ardore ignis in viſcera penetraret, immotus ad columnam ſtetit, oculis in cœlum defixis, & corporis ſui victimam in holocauſtum Deo obtulit, reddiditque. Duravit autem acerrimus ille ignium cruciatus, ad duas, tréſve horas.

Uti & Sebaſtianus Chimura.

Ita etiam *P. Sebaſtianus Chimura*, & ipſe è Societate JESU, & natione Japonius, manibus ante pectus in crucem decuſſatis, oculiſque in æthera ſublatis, tres continenter horas, in ardente rogo ſtetit, atque inter lentos illos ignium ardores, altiore, id eſt cœleſti accenſus igne, ſpiritum Deo reddidit, tormento ſanè horribili, ad quod ſpectandum, explicatis etiam Crucis vexillis, convenere Chriſtiani, ad multa millia, ſpectaculo hominibus, Angelis, & ipſi Deo amabili; ſed humanis oculis prorſus horrendo. At quod illud? ſi componatur cùm tormento ignis infernalis?

Ecquid enim, quàm infandum, quàm incomprehenſum illud, non ad duas tréſve horas, non ad unum alterumque diem, non ad annum, annoſque mille, non ad annorum quoque milliones, ſed tota quanta quanta erit æternitate, corpus & animum uri, nec tamen unquam aduri? At quo igne? hic calamus hæret, hic ſtupet animus ad illius vim atque cruciatum.

Ignis noſtri & Infernalis

Ecquid enim eſt ignis ille noſter ad infernalem? Ecquæ vis urendi, ecquis ſenſus? Si D. Auguſtino

credimus,

credimus, & quidni credamus? noſter ignis pictus videtur; ſed alter ille verus. Diſcrimen ingens, imò vix ulla ſimilitudo veræ ac pictæ flammæ. Hic tacito gradu, in rem, de qua agitur, veniamus.

Prima differentia. Quanti, amabo te, MI LECTOR, & quàm acres dolores per unam tantum horulam, unum dumtaxat, vel extremum digitum gracilis cerei igniculo admotum uri? quanto majores ſi manum integram? quantò acriores ſi brachium, quàm verò maximi, ſi totum corpus, ſi totam animam; & hoc ut dixi, non hora, non die, non anno, non ſæculo uno; ſed interminabili æternitate, in quam ſic excurret dolor ille & cruciatus ut ſemper incipiat, finiatur nunquam: hoc enim involvit æternitas, nec unquam evolvit.

Et hic eſt doloris ſenſus, quem aliquando *Macario* aperuit demortui hominis calvaria.

In vitis PP. l. 3. nu. 172. Ambulat hic per avia deſerti, cùm ecce incurrit in caput hominis, aridum illud ac decalvatum, quod dum baculo ſuo invertit. Ecce ad aures articulata vox appulit, quam ut audiit ſenex, rogat ecquis ille ſit, & cujus ea calvaria: mea, inquit ille; tum ſubdit: Ego aliquando Princeps & Idolorum ſacerdos. Tum *Macarius*, Ecquî tecum agitur? Peſſimè inquit, profundumque ſuſpirans atque ingemiſcens, Ego, inquit, alium immerſus in ipſis inferorum ignibus, atque incendiis, in quibus mergor à pedibus ad uſque caput. Tum in lacrymas effuſus rogatusque, Eſſetne aliqua pœna ſua gravior, ſubjunxit omninò. Eorum ſcilicet, qui Deum verum aliquando noverunt ac crediderunt, & tamen factis, & vita negarunt, hi quippe inferius multò ſunt ac profundius, & cum illis agitur quàm peſſimè, nobiſcum autem mitius.

Dixit, & loqui deſiit, attonito interim *Macario*, atque ad illa incendia contremiſcente. Ego ab illo diſcedo, tranſeoque ad aliud diſcrimen ignis noſtri,

Secunda differentia. atque infernalis, quod eſt in duobus, *ardore*, ſcilicet & *luce*.

Ardet noſter, & lucet: at tartareus ardet quidem: at non lucet niſi fortè ſubinde ad tormentum majus, ut qui in vita ſocietatem inierunt in nequitiis ſuis, ſocios ſeſe agnoſcant ac videant in tormentis.

Ita fur furem, adulter adulterum, homicida homicidam cernet, & tabeſcet, optabitque cæcus eſſe, ne dum alienos videt dolores, videndo faciat etiam ſuos.

Ita cenſuit Iſidorus, qui ſic aliquando: *Ignis gehennæ lucebit miſeris ad miſeriæ augmentum, & damnationem, ut videant impii, unde doleant, & non ad conſolationem, ne videant, unde gaudeant.* Et hæc ſecunda hujus atque illius differentia.

Tertia differentia. Tertia eſt hæc: *Ignis noſter conſumit omnia, ille nihil.* noſter urit atque adurit, ille urit quidem, nec tamen adurit.

Appello ea de re teſtem D. Auguſtinum, ſic ille argumento petito à ſimili.

Lib. 21. de Civit. c. 4. *Si Salamandra in ignibus vivit, & notiſſimi Siciliæ montes, tota diuturnitate temporis, atque vetuſtate, uſque nunc, & deinceps flammis æſtuant, atque integri perſeverant, ſatis idonei teſtes ſunt quod omne quod ardet abſumi, & anima indicat non omne quod dolere poteſt, poſſe etiam mori. His docemur qua ratione hominum ſempiterno ſupplicio punitorum corpora, & in igne animam non amittant, & ſine detrimento ardeant, & ſine interitu doleant.* Hactenus D. Auguſtinus, quod & confirmat illo Scripturæ oraculo:

Iſay. c. 66. v. 24. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* Quod ipſum confirmari poteſt ex illo Sapientis pronuntiato de igne, qui Ægyptios graviſſimè afflixit: ſic enim de hoc:

Sap. 16. v. 18. 19. *Quodam tempore manſuetabatur ignis ne comburerentur quæ ad impios immiſſa erant animalia, & quodam tempore in aqua ſupra virtutem ignis, exardeſcebat undique, ut iniqua terræ nationes exterminaret.* & infra:

Nix autem & glacies ſuſtinebant vim ignis, & non tabeſcebant, cujus ea ratio: *Creatura enim tibi factori* *verſ. 22.*
deſerviens, exardeſcit in tormentum adverſus injuſtos. Hæc Sapiens de plagis à Cœlo immiſſis in Ægyptios, in quibus iſta ſupra omnem vim naturæ.

Primò enim manſuetabatur ignis quodam tempore, hoc eſt moderatior erat, ardorémque ſuum, ſic temperabat, ut non combureret animalia, quæ in Ægyptios ad tormentum Deus effuderat. Effuderat, inquam, ranas, buſones; ſerpentes, aſpides, veſpas, crabrones, & mille reptilia, & venenata animalia, quæ etſi Ægyptii conarentur igne abſumere, non abſumebant tamen: Ignis enim nullum horum lædebat aut interficiebat, ſed animabat magis, excitabatque ut morderent acrius, & vehementius cruciarent; crederes ab ignibus, quibus undique cingebantur, & vim accipere, & vigorem & nocendi ardorem, atque æſtum: crederes ea animalia, foveri quaſi ſinu ignis, aliis quidem omnibus noxii, ſibi verò mites. Et ſimiliter in grandine, in nive, in aqua, non extinguebatur, non ſuffocabatur ignis; ſed exardeſcebat magis. *Nix enim, & glacies ſuſtinebant vim ignis*: & ita quidem, ut una quaſi parte arderet, ureretque; altera verò tanto gelu, grandine & nive, ſic abundaret, ut quantum una parte combureret calore ſuo, tantum altera gelu ſuo, ac frigore conſtringeret, ſicque ſummus calor, ſummum frigus intendebat, & ſummum frigus calorem ſummum acuebat; & hoc ut rebellia cœlo capita cruciaret, adeò verum quod creatura Deo factori ſuo deſerviens exardeſcat in tormentum adverſus injuſtos, & ita exardeſcet adverſus damnatos ignis ille infernalis, de quo & illud Apoſtoli ad Hebræos:

Terribilis quædam expectatio judicii relinquitur voluntariè peccantibus, & apoſtatantibus, & ignis æmulatio, *C. 10. v. 23.*
quæ conſumptura eſt adverſarios.

Igni tribuit zelum, & veluti quandam æmulationem, quaſi eſſet animatus, & inſtar belluæ, puta leænæ irritatæ ac furentis ad vindictam de damnatis ſumendam, & ita quidem ſumendam, ut nunquam ſumat ſatis: ſic enim ſemper urit, ut nunquam exurat; ſic abſumit, ut conſumat nunquam: diceres ſenſu agi, & voluptate; non neceſſitate naturali, uti noſter, qui conſumit omnia cùm ille nihil: & in hoc eſt differentia illius à noſtro, uti & in illa.

Quod noſter ignis ad pabuli modum vivit quodammodo, augeſcit vel deficit, augeſcente vel de- *Quarta differentia.*
ficiente pabulo: at verò ignis infernalis æternus eſt, & divina Juſtitia nutritur, nullo ſopiendus aut extinguendus mari: *eſt enim inextinguibilis.* Et hæc unica vox, & nobis ſtimulo eſſe deberet, & horrori; ſtimulo quidem ad ſectandam, virtutem; horrori autem ad peccatorum fugam atque odium, uti & illud quod ſubjicio.

Quod ille inferorum ignis cujuſvis noxiis attem- *Quinta differentia.*
peratur; non enim ut ignis noſter natura agit, atque neceſſitate, adeóque eodem ſemper modo, ea intenſione, ſed ad nutum atque imperium Divinæ Juſtitiæ, quæ eo utitur, ut flagello, ut *pro men-* *Deuter. c. 25. v. 2.*
ſura peccati, ſit etiam plagarum modus: ut enim è pluribus reis, qui uno eodémque flagello vapulant, alter altero acerbius puniri poteſt; ſic & inferni incendiis unus cruciari dirius poteſt quàm alius, quia Deum gravius offendit, quàm ille.

Damnatos omnes orcus occupat, ceu carcer æternus, ignis urit, ceu irati numinis flagellum, quod in hunc ſævius explicatur, in illum mitius, pro menſura ſcilicet peccatorum.

Et hoc velim attendant, æquaque lance expendant qui peccata peccatis accumulant, nec ſceleribus finem modumque ponunt.

Attendant, inquam, Primum quia ille ignis

& quod hunc inter, & noſtrum diſcrimen; deinde quod ſit æternus; tum ſecum ipſi perpendant, num eo tota æternitate ferendo ſint pares.

Ita certè attenderunt è Chriſtianis ex Eremicolis etiam heroës, qui ſua virtute, longâque & acri pœnitentia, in Cœlos jam ſibi nidum poſuiſſe videbantur, & tamen nec inde ſecuri, nec de ſalute certi. E multis unum alterúmve produco.

Lib. 15. num. 37. In vitis Patrum hoc memorabile. Solitarius quidam in Ægypto inferiore, ſibi uni vacabat, & Deo, totus etiam in affligendo corpore aliiſque magnarum virtutum exercitationibus, à quibus ſibi nomen, famamque fecerat: Hanc petulans muliercula, ut audiit, ut vidit, invidit, & ſic ad juvenculos, qui fortè aderant: *Quid vultis mihi dare, & ego vobis ſolitarium illum depono, ſiſtóque captum in retibus meis.*

Nec mora, conventum illico de certo pretio: abiit ergo mulier, & quidem ſub veſperum ac velut errabunda, ſub primas tenebras ad ſolitarii cellam venit, foreſque pulſat.

Egreditur ſolitarius ille noſter, & primò ſtupet hæretque anxius, tum rogat: *At quomodo huc veniſti?* tum illa profundùm ingemiſcens atque illacrymans: *Errando*, inquit, *huc tandem deveni. Rogo errabundam excipe, & tecto tege, vel ad noctem unam.* Ille miſertus admittit in atriolum cellulæ, tum intro receſſit, & oſtium claudit; quid hic procax mulier & pacti tenax? Inclamat altius, ingeminatque triſte illud: *Miſerere Pater: Hic enim me devorabunt feræ.* Quid hîc Eremicola? turbatur totus, & mali dæmonis inſidias timet horretque; & ſic ad ſeipſum: *Unde mihi venit ira hæc, unde & inſidiæ?* tum ſibi quaſi redditus, oſtium aperit, in cellam admittit, ſentitque ſenſim accendi venereos ignes, quibus ni caveat, ardeat totus. Tum rurſus ad ſeipſe: *Viæ inimici tenebræ ſunt, filius autem Dei lux eſt.* Hiſce dictis lucernam accendit, perſentitque magis, ac magis effervéſcere veneris ardores, atque flammas; quas ut frangat edométque, ſic ipſe ſibi:

Qui hic ardent in vita, ardebunt in æternitate. Experire igitur, & teipſe proba in ea lucernæ flammula, num igni æterno ferendo par eſſe poſſis?

Nec dubius hæret, nec timidus abhorret à lucernæ flamma; ſed in eam digitum audax immittit, uritque, atque exuri patitur, nec tamen inde ſopitur libidinis ardor: potentior enim erat ignis qui ardebat intus, quàm ille qui urebat foris.

Quid igitur? injicit alterum digitum in flammam, tum etiam tertium, denique & digitos omnes, eoſque invicta patientia ſuſtinet eo in igne, dum penitus incendantur, dum diffluant, dum abſumantur, & hoc nocte integra. Certus experiri num æterna pati poſſet incendia.

Quid ad iſta mulier? ſpectat attonita, dolet, gemit, illacrymatur, nec tamen vocem edit præ ſtupore; imò quod vix credideris, ad id ſpectaculi obrigeſcit. Sic tota nox abiit. orto jam Sole

Adſunt juvenes infelicis pacti Cœlo judice rei, qui etiam à Monacho quærere audent, *Num ſerius, & ſub occaſum Solis hujus ad eum venerit mulier?* quibus ille. Venit enimvero, venit, & ecce ubi dormit.

Subintrant illi, nec dormientem inveniunt; ſed mortuam. Tum ſic ad illum: *Abba, mortua eſt;* quod ut audiit, ut mortuam eſſe conſpexit, palliolum illico explicuit, & digitos omnes exuſtos oſtendit, ſicque ad juvenes: *Ecce quod mihi fecit filia iſta diaboli, perdidit omnes meos digitos, ego verò eos perdere malui & exuri, quàm ejus flammis ardere.*

Tum juvenes & ſtupore, & dolore victi, & tantum non exanimes, ita ad ſolitarium: *Ne reddas malum pro malo:* neque verò reddidit: mox enim in genua prolapſus ac Deo ſupplex oravit exoravitque, & mulierem vitæ reddidit, reddidit deinde pœnitentiæ ac Deo.

Et ita ſe reddent ii omnes, qui eo remedio uti volent adverſus illa veneris incendia. Quis enim, ut D. Auguſtini verbis utar: *Quis nolit ad horam uri Laurentii igne, ut æternum gehennæ non patiatur incendium.* Serm. 1. de S. Laurentio.

Quod ſi tibi non tantum eſt animi, tantum & roboris, ut eo igne teipſe crucies, ut veneris æſtus extinguas; ſaltem illius recordatione tibi animos facias, ne à mollicula carne, ne à venereis voluptatibus ſuperari te, vincique patiaris: certè non patieris ſi ea cogitatione teipſe armaveris: ut enim olim D. Bernardus ad ſororem: ſic & hodie ad te Serm. 67 Cœli regia: *Memoria ardoris gehennæ extinguat in te ardorem luxuriæ.*

Quod ſi ea memoria non eſt ſatis potens amuletum adverſus veneream illam luem, adhibe pœnas alias ac mortificationes, quibus teipſe edomes, edomes & rebellantem ſpiritui carnem tuam.

Ita adhibuit aliquando Abbas *Olympius.* Is ſibi ſtruxit cellam perexiguam, quàm & Solis æſtus incendebat, & ciniphum aculeata turma infeſtam reddebat: rogatus autem, cur in ea tot annis ſedem fixiſſet. *Libenter*, inquit, *hæc mala tolero, ut futuris cruciatibus eripiar. Ciniphes quippe perfero, ut immortalem effugiam vermem, ignem verò ſempiterni ardoris ſupplicia perhorreſcens.*

Ita denique *Thalelæus*, vir magni apud ſuos no- Sophron. in minis ac ſanctitatis. Hic etſi procero eſſet corpore, Prato ſpirit. incluſit ſe rotæ, quæ alta erat cubitos duos, lata c. 141. verò unum, ita ut non poſſet collum erigere, ſed ſemper ſederet incurvus, faciem habens innexam genibus, quo in ſitu cùm manſiſſet ad annos omninò decem, rogatus à *Theodoreto*, qui id ferre poſſet, adjecit eam omnem qualis, qualis demum eſſet In Philoth. moleſtiam, ſibi levem videri & eſſe præ inferni er- c. 28. gaſtulo, præ ignis æterni ardoribus.

Hæc illi in Chriſtiana palæſtra Heroës & ſenſere, & dixere, quid nos puſilli homunciones, & terræ filii, & ſentire, & loqui debemus? Certè ut minimum quod illi, quia non ſumus cœlo tecto quod illi.

QUÆSTIO

QUÆSTIO QUINTA
LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Ibunt hi in ſupplicium æternum, Iuſti autem in vitam æternam.* Matth. c. 25. v. 46.

QVOMODO ERIT SVPPLICIVM ÆTERNVM? Et quomodo in illud ibunt in proximum & Deum impii?

VBi lata Chriſto Judice ſententia, *Ibunt hi*, nempe injuſti impiiique in ſupplicium æternum. Græcè *abibunt*, nempe à Chriſto, à Deo, à Cœlo, à Sanctis omnibus, quos inter & illos magnum erit chaos interjectum.

Hujus porrò diviſionis imaginem aliquam, & prima veluti lineamenta, cùm in ſpiritu ſpectaſſet Oſeas contremuit totus; ſic enim ait: *Conſolatio abſcondita eſt ab oculis meis, quia ipſe inter fratres dividet.* Cap. 13. v. 14.

Ipſe nimirum æquus Judex dividet inter fratres, inter patrem & filios, inter uxorem & maritum, inter amicos & notos; & hæc diviſio erit ſummi doloris, ſummæ triſtitiæ, deſolationis ſummæ: ſi enim ab oculis Prophetæ abſcondita fuit omnis conſolatio, vel ex eo tantùm quod velut in umbra vidiſſet fratres à fratribus dividi, quid erit ubi re etiam ipſa ſic dividentur?

Quàm acerbum erit, quàm luctuoſum, ubi frater fratrem viderit evolantem in æthera, pater filium, filius patrem, maritus uxorem: ſe verò labi in tartara, atque agminatim in ea rapi, pronoque ac præcipiti lapſu deſcendere, & quidem velut in faſciculos alligatos ad comburendum.

Fatendum enim quod eò loci ac temporis exhibebit ultima illa mundi ſcena, quod & audiet, ac perhorreſcet periturus orbis. *Colligite zizania, & alligate ea in faſciculos ad comburendum.* Matth. c. 13. Quæ tonantis Judicii verba dum attendit, ſic explicat D. Auguſtinus:

Ligate in faſciculos, hoc eſt rapaces cum rapacibus, adulteros cum adulteris, fornicatores cum fornicatoribus, homicidas cum homicidis, avaros cum avaris, iracundos cum iracundis, fures cum furibus, deriſores cum deriſoribus, ſimiles cum ſimilibus. Serm. 30. de Sanctis.

Hoc eſt ſuperbos Reges cum Pharaone, Judices injuſtos cum Pilato, Invidos cum Eſau, Proditores cum Juda, Guloſos cum Epulone, Crudeles cum Nerone, Luxurioſos & adulteros cum Herode, Lutheranos cum Luthero, Calviniſtas cum Calvino, Turcas cum Mahumeto. *Alligate*, inquit Chriſtus, *alligate in faſciculos*; aſtringite vinculis tartareis, ſic ut nec pedem, nec manum, nec oculos movere poſſint, & hoc in tota quanta erit æternitate.

Hæc ubi dicta à ſupremo Judice, altùm inſonabunt tonitrua, & ingens toto Cœlo fragor, quem excipient emiſſa è gravida nube fulmina, fulgura, coruſcationes, velut irati Cœli tela, velut ſagittæ in noxia terris capita, quæ mox excipiet devorabitque dehiſcens terra, & patentes inferorum valvæ, unà cùm dæmonibus, ſtygiiſque monſtris, quibuſcum æterna erit habitatio, æternum & ſupplicium, velut legit D. Auguſtinus, *æterna ambuſtio.* Tract. 21. in Ioan.

At quomodo, inquies, æterna? Lactantius rationem modumque profert illius ambuſtionis æternæ: ait enim: *Idem divinus ignis, una eademq; vi, atque potentia, & cremabit impios, & recreabit, & quantum è corporibus abſumet, tantum reponet, ac ſibi ipſo æternum* Lib. 7. c. 21. *pabulum ſubminiſtrabit: quod Poëtæ in vulturem Titii tranſtulerunt, ita ſine ullo reviviſcentium corporum detrimento, adutet tantum, ac ſenſu doloris afficiet.* Quomodo æternum ſupplicium?

Hæc Lactantii opinio, veroſimilior illa, & communior, ex hoc capite, manere æternam ambuſtionem, nec tamen ex ea conſumi, perdique damnatorum corpora, quia Deus ea conſervat in igne incorruptibilia, ſic, ut nullæ eorum partes conſumantur, quæ proinde reparari debeant, ſed omnes omninò eædem in igne jugiter ardentes perſeverent in æternum, eo fere modo, quo Aſbeſtus lapis, indéque confecta tela in igne ardet, & nullam ſui partem deperdit.

Fatendum tamen ad illud requiri concurſum aliquem Dei planè ſpecialem ſupra omnem naturæ vim atque ordinem. In eo concurſus Dei ſpecialis.

D. Auguſtinus, aut quiſquis apud illum author Tom. 3. eſt libri de ſpiritu & anima, hujus ſupplicii, atque c. 56. æternitatis illius acerbitatem, graphicè depingit.

Miſeris, inquit, *mors eſt ſine morte, finis ſine fine, defectus ſine defectu, quia & mors ſemper vivet, & finis ſemper incipiet, & defectus deficere neſciet, mors perimet, & non extinguet.*

Hactenus ille, cui conſonat & iſtud D. Cypriani, Serm. de cui inferni flammæ *incorruptibiles* ſunt, & corpora Aſcenſione. damnatorum ſic adlambent, ſic pervadent atque penetrabunt, ut nec ipſæ tamen corrumpantur, nec ipſa damnatorum corpora.

Et hinc miſeranda, & miſerabilis ſuppliciorum æternitas, quam ne damnare audeas, AMICE LECTOR: excipe illius rationem, & cauſam, ea porrò eſt ejuſmodi.

Peccatum mortale, etiam vel unicum, quia Deo Cur æter- immenſo, atque infinito bono injurium eſt, in ſe num? habet malitiam infinitam, adeoque meretur ſupplicium infinitum: & quia infinitum intenſivè dari nequit, nec à creatura ſuſtineri, ſupereſt ut reprobis pœna reddatur, quæ ſit infinita extenſivè: hoc eſt quæ excurrat in ſæcula ſæculorum, ipſamque æternitatem, quam niſi apprehendamus, aut infideles ſumus, aut amentes.

Et hoc eſt, quod teſte D. Chryſoſtomo Gentiles Hom. 13. olim dicere ſoliti: Chriſtianos aut eſſe mendaces, in Matth. aut ſtultos: vel enim ea, quæ dicunt de æternitate ſuppliciorum, ipſi credunt, vel non: ſi credunt ſtulti ſunt: nec enim major eſſe poteſt ſtultitia, quàm cum ea fide ſic vivere, ut & ſupplicia tibi acquiras; ſic vitam omnem exigere, & prodigere per immania ſcelera, ac ſi nullam in altero ſæculo reddere deberes rationem: ſi non credunt, mendaces ſunt, utpotè qui ſe credere fingunt, aut certè infideles & hæretici. Si æternum arguitur ex illo Chriſtianorum ſtultitia.

Et inde vir unus aliquis cordati oris, & animi, illud jactare ſolebat, apud Chriſtianos duos eſſe debere carceres. Unum Sancti Officii Inquiſitionis, alterum ergaſtuli ſtultorum. Vel enim hoc credis, vel non credis; ſi non credas, trahendus es ad carcerem Inquiſitionis, & vivus etiam urendus probè: His duo in terris carceres. ſin verò credis, & tamen vivis, ut vivis, ad ſtultorum compedes, & manicas trahendus es: quæ enim

amentia

amentia ſtolidior, quàm talia credentem, tam inertem vitam ducere, & tam incurium ſui, & Dei.

Hanc porrò dementiam oſtendit D. Gregorius Pont. Max. argumento à ſimili petito.

Et merito, quod oſtenditur in ſimili.

Si unus aliquis, cui lis pendeat coram Rege, aut Pontifice, & quidem ejuſmodi, in qua agatur de capite, déque vita: quanta illi cura, ſollicitudo quanta, maximè verò ſi dubium ſit, quò vertet alea, quò Judicis ſententia, in vitam, an mortem. Audiamus tanti Pontificis argumentum, aut verius oraculum,

Hom. 26. in Evang.

Si aliquis veſtrum cum ſuo adverſario cauſam altius in meo judicio die craſtino eſſet exhibendus, totam fortè noctem inſomnem duceret, quid ſibi dici poſſet, quid objectionibus reſponderet ſecum ſollicita & aſtuante mente verſaret, ne me inveniret aſperum, vehementer metueret, ne apud me appareret noxius, formidaret. Hæc ubi extulit S. Pontifex, tum adjicit:

Et quis, aut quid ego? nimirum non longè futurus poſt hominem vermis, atque poſt vermen pulvis. Si ergo tantâ curâ pertimeſcitur judicium pulveris, qua intentione cogitandum eſt, qua formidine prævidendum tantæ judicium majeſtatis?

Cautio inde.

Providendum ſanè, & quidem ſedulò, acri ſtudio, & ingenti molimine, ne quid nobis deſit in eo tribunali ac judicio: excutienda proinde conſcientia, atque ab ea exigendæ rationes.

Et ita quondam exegit Jobus, patientiæ miraculum, columna fortitudinis, virtutum omnium norma, qui tamen ut is eſſet, hæc ſibi ipſe: *Verbar omnia opera mea.* Ecce ut timor Judicii invaſit etiam virorum fortiſſimum. (Cap. 9. v. 11.)

Timor inde.

Ille ipſe timor occupavit Davidem, virum tamen ſecundùm cor Dei, à quo lacrymas uberes elicuit. Hinc illæ voces, & doloris & timoris teſtes: *Lavabo per ſingulas noctes lectum meum, & lacrymis ſtratum meum rigabo.*

Idem timor, & horror à primo ætatulæ flore in ſpelæo incluſit Antonium, & Anachoretas in avias extulit ſolitudines. Quod ſi illos excitavit, & ad ſumma virtutum extulit: quidni & nos eodem excitemur abjectæ in terras animæ, & cœleſtium inanes? eſt certè quod commoveamur toti audientes & illud D. Cypriani, invicti Martyris. *Securitati & vitæ, dum licet providete.* (Lib. ad Demetriadem.)

Venio ad alteram partem propoſiti initio Thematis. *Ibunt juſti in vitam æternam*; hoc eſt in omne bonum: id enim indicat vel ipſum nomen vitæ æternæ; indicat enim omnem ſanitatem, omne robur, omnem honorem, omnem gloriam, omnem bonorum omnium affluentiam, omnem voluptatem: hanc enim guſtant viventes in æterna vita; nam qui in fame & ſiti, morbo, ignominia & dolore vivunt (uti nos mortales) non tam vivunt, quàm aſſiduè moriuntur.

At quomodo ibunt juſti in atria Domini, in ſedem beatitatis, in vitam æternam? hoc eſt ſecundum caput poſitæ initio quæſtionis.

Hiſtoricus ſacer reprobos à prædeſtinatis, damnandos à beatis, ſic diſtinxit, ut hi in extrema illa gaudii ſcena eſſent à dextris, illi verò à ſiniſtris; illi infami hædorum nuncupatione, hi autem ſuavi, & amica ovium appellatione, diſcernerentur.

Illi itent in ignem æternum, & quidem, ut diximus, *Alligati in faſciculos ad comburendum*; hi autem ut oves per familias diſtincti. *Poſuit enim Dominus ſicut oves familias.* Itaque beati omnes Cœlo jam donandi, dividentur in familias, quibus proinde ſuum erit caput.

Ita Patriarchæ cum Abrahamo, Prophetæ cum Joanne Baptiſta, Apoſtoli cum S. Petro, Martyres cum D. Stephano, Epiſcopi cum D. Martino, Religioſi cum ſuis fundatoribus. Cum D. Auguſtino Auguſtiniani; cum D. Benedicto, Benedictini; cum D. Bernardo, Bernardini; cum D. Brunone, Carthuſiani; cum D. Dominico, Dominicani; cum D. Franciſco, Franciſcani; cum humili Franciſco de Paula, humiles Minimi; cum D. Ignatio, minimæ illius Societatis Socii omnes; cum D. Antonio Eremicolæ: & ita de aliis Religioſis Ordinibus. Cum Catharina, Virgines; cum Magdalena, pœnitentes; cum S. Anna viduæ, meritis fœcundæ: & ſic de aliis, quibus obtinget æterna beatitas. (Beati quomodo uniti in Cœlo.)

Et hi quidem omnes, non alligati ut hædi; ſed liberi ut agnelli, de quibus & illud Malachiæ: *Egrediemini, & ſalietis ſicut vituli de armento.* vel ut Septuaginta, *Salietis ſicut vituli de vinculis relaxati.* (Cap. 4. v. 2.)

Egrediemini de hac aura mortali, & in beatæ æternitatis paſcua admiſſi *ſalietis*, exſilietisque toti præ gaudio, utpotè relaxati de vinculis hujus vitæ mortalis: Ecce quæ ſors beatorũ, quæ & damnandorum. Elige, MI LECTOR, in quam ſortem venire velis, dum vita ſpirat: datur optio; elige ergo, & vide velíſne cum hædis alligari in faſciculos ad comburẽdum, an cum ovibus cooptari in familias Sanctorũ ad regnandum. Elige, elegiſſe ſemel æternum eſt.

****

FERIA TERTIA

HEBDOMADÆ PRIMÆ QUADRAGESIMÆ.

Math. c 21. v. 10.

DESCRIBIT Evangeliſta ſolemnem, & quaſi triumphalem ingreſſum CHRISTI in Civitatem Hieroſolymitanam, à quo ſanè *commota eſt univerſa Civitas*: nec mirum, eo quippè plauſu, eo honore, ea omnium gratulatione exceptus eſt, qua Rex Iſraël, ad invidiam Scribarum & Phariſæorum, imò & Romanorum, qui non ferebant alium Iudææ Regem appellari præter Cæſarem: unde CHRISTUS, qui ſe hîc ut Regem gerebat, indubiè capitis periculum adiiſſet, niſi altiore Divinitatis ſuæ vi atque virtute & Iudæos, & Romanos ſtupore ſic attonitos tenuiſſet, ut ne quidem de eo è medio tollendo cogitarent. Ita Abulenſis & alii. Cogitaverunt tamen poſtea & Scribæ & Phariſæi, qui hac occaſione, odio atque invidia incenſi, eum poſt dies quatuor cruci addixerunt.

Notat

Notat Adrichomius CHRISTUM ex monte Oliveti deſcendiſſe in vallem Ioſaphat, & inde Hieroſolymam intraſſe per portam auream, quæ tam templi, quàm urbis erat, juxta quam ab Herode erecta erat Aquila aurea. Hæc porrò aurea porta ſolebat eſſe clauſa, quæ ultrò tamen, adveniente CHRISTO reſerata fertur etiam miraculo.

Per hanc igitur *intravit IESVS in templum Dei*; erat autem in eo templo duplex atrium: unum Gentilium, in quod Gentilibus licebat ingredi; alterum Iudæorum, quod Iudæis oraturis patebat; tum etiam Sanctum, in quod ſolis Sacerdotibus dabatur aditus; tum denique Sancta Sanctorum, in quod ſoli Pontifici.

CHRISTUS autem ex utroque atrio, tam Gentilium, quàm Iudæorum, *ejecit vendentes & ementes, menſas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas evertit*; tum adjecit & illud Deo judice oraculum: *Domus mea, domus orationis vocabitur: vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum.*

Denique accedentes ad ſe cæcos & claudos ſanavit, & hinc rurſus acclamatio populi & plauſus, & hos inter feſtivæ illæ puerorum voces: *Hoſanna filio David*: Verſ. 14.
quas æquis auribus dum non ſuſtinent Sacerdotes & Scribæ, iſta ad CHRISTUM, *Audis quid iſti dicunt?* IESUS autem dixit eis: *Vtique, nunquam legiſtis, quia* Verſ. 16.
ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem: Hæc ubi dixit, relictis illis abiit foras extra Civitatem in Bethaniam, ibique manſit, vel ut habet textus Syrus & Arabicus: *pernoctavit in Bethania*, utique apud hoſpites ſuos Mattham & Magdalenam, in quo ſanè mireris volubilitatem, & inconſtantiam populi, qui manè inclamavit CHRISTO lætum illud, *Hoſanna*, & veſpere eum deſeruit, ſic ut ne vel unus omnium eum invitarit: tantum potuit, vel Scribatum ac Pontificum metus, vel inconſtantia vulgi. Et hæc paucis pro ratione Evangelici textus, à quo delabor ad nonnullas Quæſtiones moribus formandis accommodas.

QUÆSTIO PRIMA

LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Quis eſt hic?* Matth. cap. 21.

QVEM ILLA HOMINIS GENIVM PRODANT?

I. Opinio ignorantiæ.

SUNT qui velint eam interrogatiunculam teſtem fuiſſe, atque indicem ignorantiæ, quaſi verò qui interrogabant, quis eſſet hic, ignorarent quis eſſet JESUS. Hæc opinio minus probatur, quia nec Hieroſolyma, nec ipſi ejus Principes, Sacerdotes & Scribæ ignorare poterant quis eſſet CHRISTUS, cujus miracula in omnium oculis erant, & jam publicâ famâ notiſſima, uti inter cæteta recens illud, reſuſcitatio Lazari, cujus oculati teſtes è Judæis longè plurimi.

II. Opinio contemnentis.

Alii proinde malunt has voculas: *Quis eſt hic?* eſſe notas contemptus ac deſpicicoriæ, uti in ſimili notat Eccleſiaſticus de viro paupere abjectæque ſortis homuncione, qui ſi fortè inter viros honoratos præſumat aliquid ingerere, illicò dicere ſolent: Quis eſt hic? ita inquit, *pauper locutus eſt, & dicunt: Quis eſt hic?* Cap. 13. v. 29.

Deinde Judæis, utpotè maledici & malevoli genii hominibus familiaris fuit ea vocula: *Hic.* Ita cùm CHRISTUS aperuiſſet myſterium illud arcanum de inſtituendo à ſe epulo Euchariſtico, ſtatim obtruſerunt aſpernantis atque irridentis iſtud: *Quomodo poteſt hic nobis dare carnem ſuam ad manducandum?* *Hic*, inquiunt, quaſi dicerent: Homo pauperculus, vilis, abjectus, qui vix habet unde carnem ſuam obtegat, *Quomodo poteſt nobis dare carnem ſuam ad manducandum?* Ioan. c. 6. v. 53. Ioan. c. 7. v. 15.

Si Salomon eſſet, cui ſuperinfuſa à Deo ſapientia; ſi Moyſes ævi ſui Taumaturgus, qui aquas in ſanguinem vertit, qui tranſmutavit elementa, qui cœlis imperitavit & terris; ſi, inquiunt is eſſet, ei fortè daremus fidem. At hic? at quomodo hic?

Ita deinde etiam è Judæis, è Rabbinis aliqui, cùm altiorem CHRISTI adhuc duodennis audiiſſent doctrinam & ætate, & pueri ſorte atque natalibus, ut videbatur, ſuperiorem, iſta ad ſe invicem: *Quomodo hic litteras ſcit, cùm non didicerit?*

Hic, aiunt, communis opificii manuarius, hic fabri filius, & faber ipſe, abjectus ad opera vilia, & ſortis infimæ. *Hic* quomodo litteras ſcit? & hoc ſenſu etiam intelligi poteſt Sacerdotum & Scribarum interrogatio: *Quis eſt hic?*

III. Opinio invidi.

Melius tamen alii id dictum credunt, ex invidiæ & malevolentiæ genio, ut populum avocarent ab illo plauſu, à feſtivis illis acclamationibus, ab opinione, quam de CHRISTO jam conceperat, & cui proinde eos honores deferebat, eos decernebat triumphos, quos ut cohiberent, reprimerentque, obtrudere vile illud, atque abjectum: *Quis eſt hic?*

Quid

Quid, popule inſipiens & ſtulte, quid agis? quid moliris? an eum noſti, quem ea pompa excipis? An ignoras pauperculum eſſe, cujus divitiæ omnes ſunt, ſerra, ſecuris, aſcia, dolabra, cœlumque pro tecto.

Quid igitur illud *Hoſanna filio David*? quid acclamationes? quid plauſus? quid ovationes? quid triumphi? *Quis eſt hic*, cui ea defera, inſanum indoctúmque vulgus?

Si Moyſes aliquis, interpres divinæ voluntatis, ſi Legiſlator, qui tabulas Dei digito notatas deferret, cujus facies luceret, ardéretque Solis inſtar, venia danda: At *quis eſt hic*?

Si alter David à cæſo Goliatho redux, à liberato populo triumphans prodiret in publicum: & meritò obviam prodirétis, & vias ſterneretis, & floſculis, & veſtibus, & triumpho accinerent cantatrices puellæ, & tympaniſtriæ: At *quis eſt hic*?

Si Salomon aliquis, cujus Sapientia, ab extremis terræ finibus Sabam Reginam evocavit, excivítque; ſi, inquiunt, ille Hieroſolymæ tecta ſubiret & templa, effuſa totis portis turba in occurſum veniret, nec immeritò. At *quis eſt hic*?

Hæc Phariſæi ex invidiæ genio, quorum proinde vox non erat Jacob, ſed Eſau invidi. Imò & pueri, quorum vitium eſt livor atque invidia: proprium quippe horum eſt, ut ſi quid aliquem habere viderint, quod ipſi non habent, illicò ad patrem recurrunt atque advolant, & inclamant illud puerile: *Aufer illi hoc, da mihi illud*.

Invidi pueri.

Quid facias? pueri ſunt, nec ſapiunt, nec loquuntur niſi quod pueri.

Ita quondam Joſue & ipſe in eo puer, cùm vidiſſet ſeniores aliquos ſpiritu prophetico ornatos, excurrit ad Moyſen, & ſic ad illum: *Domine mi Moyſes, prohibe illos*: cui Moyſes, ut vir erat, ita ex viri genio reſpondit illud: *Quid æmularis pro me? quis mihi tribuat, ut omnis populus prophetet, & det iis Dominus ſpiritum ſuum.*

Num. 11. v. 28.

Non ſic Scribæ, non ſic Phariſæi, non ſic: ringuntur & hi & illi invidia, dum audiunt illas populi acclamationes, dum vident illas concurſantium undas, & plauſus ſpectant. Inclamant illicò iſtud puerile: *Quis eſt hic*, cui is defertur honos, is datur plauſus?

Hæc illi ex pueri genio, ex vitio parvuli, quem ut ait Jobus, *Occidit invidia*.

C. 5. v. 2.

Virũ ſtultum interficit iracundia & parvulum occidit invidia.

Parvuli.

At quis ille parvulus? ne crede ætate & annis parvulum hîc notari ac perſtringi; ſed uno parvulum, parvulum meritis, parvulum Cœlo Deóque judice.

Parvulum, id eſt animo puſillum, qui in aliis nihil magnum, nihil excelſum ferre poteſt.

Animo puſilli.

Parvulum, qui aliorum bona, & felicitatem dum aſpicit, torquetur invidia, quia illorum bonum, ſuum malum credit, illorum felicitatem ſuam miſeriam, illorum gratiam & gloriam ſuum ratur eſſe dedecus. Et ita rati hic ſunt Scribæ & Phariſæi, qui dum CHRISTI famam apud populum, exiſtimationem apud omnes, plauſum apud bonos vident, ringuntur invidia, & quaſi ſibi extremum malum autumant. Quid facias? pueri ſunt, parvuli ſunt, ideóque abripiuntur genio pueri, genio parvuli; imo & mali dæmonis, cujus vitium primum fuit invidia.

Appello D. Cypriani fidem atque authoritatem. Cenſet hic primum Luciferi peccatum fuiſſe invidiam qua invidit homini Imaginem Dei capacem beatitatis: Sic enim Tractatu de zelo & livore,

Invidia Luciferi peccatum.

Quale malum eſt, Fratres, quo Angelus cecidit, quo circumveniri, & ſubverti alta illa, & præclara ſublimitas potuit, quâ deceptus eſt is, qui decipit.

31 Moral. c. 34.

Ecce ut D. Cypriano judice ab Invidia Angelus è cœlo cecidit, ea circumventus, ea ſubverſus eſt, atque ea deinde etiam hominem circumvenit atque ſubvertit: dum enim invidet hominem ſibi, ſuiſque aſſeclis, ſubrogandum in Cœlis, eundem in terris aggreditur, atque in peccatum inducit, atque ita, ut diſertè Sapiens,

Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum. Cap. 2. v. 24
mors inquam & corporis & animæ.

Et huic opinioni conſentit Rupertus ad illa D. Joannis verba: *Ille homicida erat ab initio*. Cenſet Lib. 8
enim cùm adhuc in Cœli regia eſſet Lucifer, cùm adhuc in via ad beatitatem, ei revelatum, futurum aliquando, ut Verbum Æternum indueret carnem, humanæque naturæ uniretur hypoſtaticè. Quam unionem et homini invidit, è Cœlo cecidit, reus invidiæ, & peccati lethalis: adeò Cœlis ipſis, & cœleſtibus Intelligentiis noxia fuit invidia, ut de illa meritò extulerit illud D. Gregorius Nyſſenus:

Invidia malorum princeps, mortis mater, prima peccati janua, vitiorum radix. Invidia prima peccati janua.

Rectè *prima peccati janua*, per quam ſcilicet peccatum, primò intravit in orbem, etiam illum qui Lunæ, Soli ac Sideribus ſuperior eſt, & inferioribus Cœlorum orbitis, quale videlicet Cœlum Empyreum, & prima Angelorum ſedes, in quam exuit quoque invidia, atque ex eadem depulit ſpiritus Deo rebelles.

Hujus porrò vitii genios, & tacita quædam malignitas, aliisque aliis ſimilitudinibus exprimitur.

Primò enim *invidia* dicitur, & eſt veluti *ſerpens*, qui *mordet in ſilentio*: ſerpens eſt, adeoque venenoſus, & noxius quàm maximè, vel eò potiſſimùm, quòd mordeat *in ſilentio*, quo fit ut vix ſentiatur, vix percipiatur illius morſus; malum enim illius tacitè evadit ad animum, tum eum inficit, tum etiam titillat improbè, tum etiam exerit in paucula verba, *Quis eſt hic*? paucula dico; ſed malitiæ plena; ſed veneno lethali fœta: veneno, inquam, quod enaſcitur ex alterius bono, honore, gratiâ, quam dum invides, peris ipſe, non illorum malo; ſed tuo quiſquis ra, invide. Eccleſ. c. 10. v. 11.

Invidia *Tinea* eſt: non naſcitur hæc in ſacco viliore, rudique cannabe, ſed in cocco, purpurâ, veſtibuſque pretioſis, quas nemine ſentiente, furtivè, & paulatim exedit, atteritque, nec tamen percipias, niſi cùm pannum, & veſtes explicaris, tum enim in iis occurrunt ruinæ, & ſciſſuræ quædam corroſæ, pannuſque planè vitiatus. Tinea eſt.

Quod panno *Tinea*; hoc animo eſt invidia: vides hominem virtute, ceu pretioſâ veſte tectum, & populi favore, magnatum gratiâ, & honoribus ceu adnatis ipſi virtuti phaleris ornatum, vides & invides, & fortè zelum putas, cùm ex vero livor ſit, atque invidia: vides alium cœli donis, miraculorum gratiâ, ſanctitatiſ famâ, illuſtrem, & cæleſtia gloriæ ac beatitatis candidatum, vides & invides, & primùm in animo te ſenſim ſine ſenſu arrodi, atque extenuari, tum etiam foras erumpis, & ingeminas phariſaicum illud, *Quis eſt hic*?

Ecce invidia, ceu *tinea*, & viſcera tua depaſcitur, & pretioſam gratiæ veſtem lento morſu ſic rodit, ut penitùs corrodat, nec tamen ſentia, nec ſapis malo tuo, periculo tuo, nec etiam caves benè providus: & hoc ingens ab invidia, ceu tinea damnum eſt.

Audi quid de eo D. Cyprianus. *Leve apud quoſdam & modicum crimen videtur, denique exiſtimatur leve, & modicum, non timetur: dum non timetur, dum contemnitur, non facilè vitatur, & fit cæca, & occulta pernicies, quæ dum minus percipitur, ut caveri à prudentibus poſſit, & improvidas mentes latenter affligit*. Hæc S. Præſul, cui invidia eſt quaſi *Tinea* quæ animos lentè affligit, atque exedit.

Aliis

Febris Hectica.

Aliis eſt veluti *febris lenta*, atque imperceptibilis, quæ in Hecticam degenerat, penetratque uſque ad oſſium medullas. Sic penetravit in Caino, *obtulerat hic de fructibus terræ munera domino, obtulerat* (Gen. c. 4. v. 3.) *& Abel de primogenitis gregis ſui, & de adipibus eorum, & reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus; ad Cain verò & ad munera ejus, non reſpexit.* (verſ. 4. 5.)

Quid deinde? *iratus eſt Cain vehementer, & concidit vultus ejus.* (Exemplum in Caino.)

Ecce febrim, ecce ab illa iræ igniculos, ecce ardores, ecce tabem, à qua marceſcit totus, totus effluit, & eo quidem ut inſurgat in fratrem, ut eum interficiat: eò quippe perfidiæ, eò furoris rapit invidia, ubi animum urere, ubi depaſci cœperit, ceu lenta febris, uti re ipſa fecit in Caino, qui D. (Homil. de Invidia.) Baſilio primus fuit diaboli diſcipulus: uti deinde Joſephi fratres, qui videntes quod à patre plus cæteris amaretur, cogitaverunt eum occidere: Iſraël (Gen. c. 37. v. 3.) diligebat Joſeph, ſuper omnes fratres ſuos, eo quòd in ſenectute genuiſſet eum.

Alii, eo quòd Joſeph filius eſſet ſenectutis. (In Joſephi fratribus.) Chaldæa lectio. *Quoniam filius ſapiens erat ei.* Quid deinde? invidere cœperant fratres, *& videntes quod à* (verſ. 4.) *patre plus cunctis amaretur oderant eum, nec poterant ei quicquam pacificè loqui.*

Quid deinde? attende, qui ab Invidia illa febriles inſurgant æſtus:

Primò enim *oderunt eum*; ecce odium intrinſecus in ipſis animi penetralibus, quod viſcera depaſcitur lentè, ut febris ſolet.

Secundò, *nec poterant ei quicquam pacificè loqui*; ſed quidquid in illum effundebant, acerbum erat, atque aſperum, & quale non in fratrem ſolet, ſed injuratum hoſtem. Cujuſmodi illud: *Ecce ſomniator venit, venite occidamus eum*: utque occulta eſſet cædes, ſic ad invicem: *Mittamus eum in ciſternam veterem*, quaſi verò ciſterna ſcelus tegere poſſet, ac celare: certè ut tegeret atque occultaret, *nudaverunt eum tunica talari, & polymita, miſeruntque eum* (verſ. 24.) *in ciſternam veterem.*

Denique ex illa extractum *vendiderunt eum Iſmaëlitis viginti argenteis.* Ita nimirum, ut ſcitè D. Chry- (verſ. 28.) ſoſtomus, *Affectio dominabatur eis, & invidia quotidie creſcebat*, & ſic quidem, ut ea, *quaſi captivi facti* (Tom. 1.) *ſunt, & tyrannidem hujus mali non ferentes*; uti conſequentibus deinde ſæculis nec tulit ipſe Saul: & hoc tertium erit exemplum invidi, de quo illud ſacræ paginæ:

(1. Reg. c. 16. v. 14.) *Exagitabat eum ſpiritus nequam.* At quis ille nequam ſpiritus? utique invidiæ, uti deinde patuit; cùm enim à percuſſo Goliatho rediret David, & mulieres ludentes atque dicentes, accinerent illud (1. Reg. c. 18. v. 8.) acroama: *Percuſſit Saul mille, & David decem millia, iratus eſt Saül nimis, & diſplicuit in oculis ejus ſermo iſte.* Dixitque: *Dederunt David decem millia, & mihi mille dederunt.*

Quid ergo ſupereſt niſi ſolum regnum? non rectis ergo oculis Saül aſpiciebat David à die illa & (In Saüle.) deinceps.

Quid exinde? attende quid oracula ſacra de illius mundi genio.

Primò, *iratus eſt Saül nimis*; ecce motus iræ inſolentiores, ecce æſtus impotentiores, quos unica vocula exprimit, *Nimis.*

Deinde, *diſplicuit in oculis ejus ſermo iſte*; en diſplicentia, en nauſeantis animi motus, qui non fert illas accinentium mulierum voces, *Percuſſit Saül mille, & David decem millia.*

Et hinc importunæ illæ querelæ: *Dederunt David decem millia, & mihi mille dederunt. Quid ergo ei ſupereſt, niſi ſolum regnum?* Ecce timor, ecce anxii metus, ecce turbatio à regno, à corona, quam vacillare credit, atque in Davidis caput inclinare. Quid deinde?

Non rectis ergo oculis Saül aſpiciebat David à die illa & deinceps. Ecce parum æqui, ecce diſtorti, ecce torvi oculorum orbes, atque aſpectus, quos in Davidem intorquet, ceu totidem jacula, & quidem *à die illa & deinceps*: nec enim invidiæ ſufficit dies unus, nec annus, ſed tota quanta, quanta eſt hominis ætas, vix ei par eſſe poteſt: nec enim quieſcit, niſi etiam eum, quem ſibi credit æmulum, è medio ſuſtulerit.

Neque verò quievit Saül: cùm enim iterum invaſiſſet eum ſpiritus malus, & de more pſalleret David manu ſua, *tenebat Saul lanceam, & miſit eam putans quod configere poſſet David cum pariete, & declinavit David à facie ejus ſecundò.* (verſ. 10.)

Ecce malignus, ecce efferus & crudelis invidiæ genius, qui tamen neque dum in Saüle modum ac finem invenit; cùm enim eum fefelliſſet intorta in Davidem lancea. *Non ſit*, inquit, *manus mea in* (verſ. 18.) *eum: ſed ſit ſuper eum manus Philiſtinorum, utque eſſet, obtulit ei in uxorem filiam ſuam Merob, & quidem natu majorem, dixitque, dabo eam illi, ut fiat ei ſcandalum, & ſit ſuper eum manus Philiſtinorum.* (verſ. 21.)

Ecce quò delabitur invidi Saülis genius, cùm aberrarit lancea, & innoxia inciderit in parietem, ſalvusque evaſerit David: & illum facit tribunum ſuper mille viros, & filiam offert in uxorem, ſpecie quidem honoris, at re tamen ipſa animo eum tollendi è vivis: adeò perfida, adeò crudelis eſt invidia ejuſque quiſquis eſt genius.

Et is quoque Scribarum, Phariſæorum & Pontificum, qui cùm audiſſent lætas illas populi acclamationes, *Hoſanna Filio David*, cogitaverunt eum occidere, & re etiam ipſa poſt dies dumtaxat quatuor occiderunt, affigentes infami ligno.

QUÆSTIO SECUNDA
LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Populi autem dicebant: Hic eſt IESVS Propheta à Nazareth Galileæ.* Matth. c. 21. v. 11.

CVR POPVLI DICEBANT? CVR NON POTIVS SCRIBÆ in Lege docti? Cur non Phariſæi altioris ſupercilii homines? cur non ipſi Pontifices clariora Synagogæ lumina?

(Cur non Scribæ?)

INTER acclamantium voces & plauſus, hæc una fuit Scribarum & Phariſæorum vox: *Quis eſt hic?* quærentis eſt, imò & ignorantis ea vocula, *Quis?* at quomodo inquies, ignorantis? certè nec Scribæ, nec Phariſæi poterant ignorare, quod ipſum vulgus noverat, quod muta voce proclamabant miracula, quod doctrina homine altior, & cœleſtibus Intelligentiis, quod & ipſa JESU nativitas jam inde à cunis inclamarat.

Venerunt Magi ab Oriente Hieroſolymam dicentes: *Ubi eſt, qui natus eſt Rex Judæorum?*

Cur non Phariſæi? Turbatus fuerat Herodes, & omnis Hieroſolyma cum illo, & congregans omnes Principes Sacerdotum, & Scribas populi ſciſſitatus fuerat ab eis ubi Chriſtus naſceretur? & illi reſponderunt, *In Bethleem Iudæ;* imò & allegarunt illud Micheæ oraculum, ac de Chriſto vaticinium:

Math. c. 2. v. 15. 16. *Et tu Bethleem terra Iuda, nequaquam minima es in Principibus Iuda: ex te enim exiet dux qui reget populum meum Iſraël.*

Quomodo ergo ignorare poterant, quis eſſet JESUS? quomodo & obtrudere ignorantis illud: *Quis eſt hic?* meminiſſe enim poterant & natum eſſe in Bethleem terra Juda, atque ex ea exiſſe, ut eſſet Dux, & regeret populum Iſraël. Cur igitur quærunt: *Quis eſt hic?* Cur non dicebant cum populo, *Hic eſt JESVS Propheta à Nazareth Galilea?* Hic eſt nodus quæſtionis, qui mihi ſolvendus eſt paucis.

Ea erat Chriſti lux, ea miraculorum gloria, quam & ipſi viderent cœci: unde evenit id generis hominibus quod noctuis, quæ in alta die claraque luce cœcutiunt.

De Chriſto dixerat olim Habacuc: *Operuit Cœlos gloria ejus.* Et Scribæ & Phariſæi in Lege docti cœli quodammodo erant, adeoque & operti gloria Domini; cur ergo eam non vidêre? verbulo dico, cœci erant, & duces cœcorum, at rurſum unde cœci? unde & noctuæ? in oculis eſt, quia eos excœcarat invidia: hæc enim fidem, ceu bonæ mentis oculum, aut extinguit, aut eruit.

Cur populi? At rurſus unde dicebant populi? *Hic eſt JESVS Propheta?* Populi, inquam, qui terra ſunt, reſpondet Vates: *Laudis ejus plena eſt terra.* Videri poterant populi quaſi terra, & quaſi abjectæ in terris animæ: ut verò ea terra plena erat laudis Chriſti, totaque ibat in ſacrariora ipſius encomia. Hinc illæ voces: *Hic eſt JESVS Propheta à Nazareth Galilea.*

Et hoc eſt, quod & de ſeipſo Salvator optimus futurum prædixerat.

Joan. c. 9. v. 39. *Ego in hunc mundum veni, ut qui non vident, videant; & qui vident, cœci fiant.*

Reſponſio. Et Scribæ & Phariſæi oculi quodammodo videbantur, & verò etiam eſſe debebant: at exoculati viſi ſunt, ut ne Chriſtum, ceu mundi lucem, agnoſcerent: adeò verum illud, ut *qui vident, cœci fiant;* non lucis vitio, ſed ſuo; & contra, ut qui jam non vident, videant: populi, inquam, aliàs ignorantia, ceu mentis cœcitate, damnati, videant tamen.

Et hoc eſt quod Iſayæ jam inde ab illis ſæculis peperit mirabilitatem, cùm ſic ad eum Dominus:

Cap. 29. v. 14. *Ecce ego addam ut admirationem faciam populo huic miraculo grandi & ſtupendo.*

At quod illud miraculum, profectò ejuſmodi? *Peribit enim ſapientia à ſapientibus, & intellectus prudentum ejus abſcondetur.*

Septuaginta vertunt, *Ecce ego addam, ut commutem populum iſtum, & commutabo eos. Peribit ſapientia.*

Quia Scribæ, & Phariſæi mutati. At quænam illa commutatio? ea profectò, qua cœlum terra, & terra cœlum, id eſt, qua Scribæ & Phariſæi, qui cœleſtes eſſe debuerant, & cœleſtia ſapere, non ſapiant niſi terram & terrena; & contra vulgus ignarum, quod terra fuit, & nonniſi terrena ſapere doctum, cœleſtia ſapiat ac divina: verbo uno, JESUM agnoſcat & prædicet, quem nec agnoverunt, nec prædicaverunt illi ſapientes; nec mirum, quia periit ab illis ſapientia. Et hoc primum eſt admirationis caput.

Alterum, quod à populo doceantur illi, qui eum docere debuerant, à populo veritatem audire, qui prius eam oſtendere, ſimiles Balaamo, qui ab aſina doceri debuit.

Juvat illius meminiſſe temporis. Impulſus juſſu Balac Regis Moabitarum, & auri cupiditate illectus Balaam, aſinæ inſidens, ibat ut populo Dei

Num. 22. malediceret, cui ex adverſo venit Angelus: & ecce mirum dictu, viſuque, Deus aſinæ oculos aperit, ut videat, quod Arioſus ille Balaam non videbat, Angelum ſcilicet, qui ſtricto gladio ſtabat ex oppoſito minitans, cumque aſinam iterum, ac tertiò verberibus, ac flagellis adigeret, aperuit os aſinæ, qui ſic ad Balaam, etiam clara atque articulata voce, *Quid feci tibi? cur percutis me? ecce jam tertiò?* *Cui Balaam, quia commeruiſti, & illuſiſti mihi, utinam haberem gladium ut te percuterem. Hæc ille æſtuante ab ira ſtomacho; Cui aſina, nonne animal tuum ſum, cui ſemper ſedere conſueviſti, uſque in præſentem diem? dic quid ſimile unquam fecerim tibi? cui Balaam, nunquam. Hæc ubi dixit, protinus aperuit Dominus oculos Balaam, & vidit Angelum ſtantem in via evaginato gladio.*

Quia ſimiles aſinæ Balaam. — *verſ. 29.* — *verſ. 30.* — *verſ. 31.*

Hîc oculos, hîc pedem ſiſte, mi LECTOR, & vide quî ab aſina diſcat Balaam, ac demirare hominem à jumento ſuo doceri prohè.

Primò Angelum Domini, ſceleris utique vindicem, videt aſina, non videt Balaam.

Deinde avertit ſe ab itinere aſina, ut ferrum declinet; in illud præceps ruit Balaam, ruit & in necem.

Denique & heri ſui animal ſe fatetur, & jumentum paratum hactenus ad illius nutum; at nec Angelum, nec Deum in Angelo reveretur Balaam, niſi cùm illi Dominus oculos aperuit, tum enim & Angelum ſtantem vidit in via evaginato gladio, vidit, adoravit, & pronus in terram corruit.

Quod per os aſinæ fecerat olim Balaamo Dominus, hoc & in præſentia facit Scribis & Phariſæis, per os populi. Inclamabant illi inſulſum illud, & veritatis ignarum. *Quis eſt hic?* ecce reſpondent populi.

Hic eſt IESVS Propheta à Nazareth Galilea. Scribæ & Phariſæi altioris ſupercilii homines, populum habebant ut jumentum ſubjugale: & ecce jumentum videt, non Angelum; ſed Angelorum Dominum, & hunc non vident Scribæ & Phariſæi: felices ſanè ſi viderent, ſi audirent illud benè monentis populi. *Hic eſt IESVS*, ſi Salvatorem agnoſcerent, ſi revererentur, ſi amarent, in eo certè ſalutem invenirent & vitam; ſed proh dolor! nec hanc, nec illam invenient, cùm tamen in oculis ſit: & hoc eſt ſecundum admirationis caput.

Tertium ei affine, quod exultit aliquando Servator Optimus, dum ſic ad æternum Patrem:

Confiteor tibi Pater, Domine Cœli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & revelaſti ea parvulis. *Matth. c. 11 v. 25.*

Erat in Chriſto *plenitudo Divinitatis, exhibens Deum perfectum, Patrem & Dominum: Patrem clementiâ, Dominum diſciplina; Patrem poteſtate blanda, Dominum ſevera; Patrem diligendum piè, Dominum timendum neceſſariè;* ut diſertè Tertullianus. *Lib. 1 contra Marcionem c. 13.*

Et huic ut Patri, ut cœli & terræ domino, confitetur, id eſt gratias agit Chriſtus, quòd ea ſecreta Divinitatis ſuæ, ea myſteria gratiæ & gloriæ, quæ prædicarat, abſconderet à ſapientibus & prudentibus hujus ſæculi, quales etiam erant Scribæ & Phariſæi, & revelaret ea parvulis, hoc eſt idiotis, imperitis, infacundis, quales Apoſtoli, quales & turbæ, qualis & populus hic, qui dicebat: *Hic eſt IESVS Propheta à Nazareth Galilea.*

Quales & infantes, qui Chriſto tecta Solymæ ſubeunti accinebant lætum illud: *Hoſanna Filio David*, quorum & patrocinium ſuſcepit, dum ſic ad Scribas & Phariſæos: utique nunquam legiſtis quia *ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem*, ut ſcilicet *deſtrueret inimicum & ultorem* (ut ſubdidit Vates Regius) hoc eſt, ut per ora infantium confunderet ac deſtrueret Scribas & Phariſæos inimicos Chriſti, doceretque ipſos eſſe amentes & inſipientiores ipſis infantibus, qui eò loci ac temporis *verſ. 16.*

JESUM

JESUM CHRISTUM, & agnoſcebant, & laudabant, & glorificabant.

Et hoc eſt præcipuum admirationis caput, quod & viderunt, & ſuſpexerunt poſtera ſæcula, atque in iis viri ab ingenio & doctrina illuſtres, & hos inter D. Auguſtinus ævi ſui miraculum, qui hæc aliquando de ſeipſo:

Lib 8. Confeſſ. c. 8. *In illa grandi rixa interioris domus meæ, quam fortiter excitaveram cum anima mea in cubiculo noſtro, corde meo tam vultu, quàm mente turbatus invado Alipium, & exclamo:*

Quid eſt hoc quod audiſti? ſurgunt indocti, & Cœlum rapiunt, & nos cum doctrinis noſtris ſine corde, ecce ubi volutamur in carne & ſanguine? an quia præceſſerunt pudet ſequi, & non pudet nec ſaltem ſequi.

Hæc ſecum, hæc cum Alipio Auguſtinus, qui & ingenuè fatetur illud, atque in ſe deplorat, indoctis, imperitiſque arcana Dei revelari, pateréque Cœlum, & felici furto rapi, cùm interim & ipſe, & Alipius cum doctrinis ſuis, cum omni ſapientia atque eloquentia excordes volutentur in carne & ſanguine; nec iis altiora ſapiant atque ſectentur. Et hoc eſt quod deplorat ætas noſtra, utinam & te etiam ipſa damnet, & cum D. Auguſtino tandem ſapiat.

QUÆSTIO TERTIA
LITTERALIS ET MORALIS.
Ad illa verba: *Et intravit IESVS in templum, & ejiciebat vendentes & ementes in templo.* Matth. c. 21. v. 2.

QVOMODO IESVS INTRARIT IN TEMPLVM? Et cur ex eo ejecerit omnes vendentes & ementes?

Templi Salomonis loca 4. INSINUAVIMUS ſuprà in templo Salomonico quatuor fuiſſe loca, eaque maximè ab invicem diſcreta.

Primò enim occurrebat *Atrium Gentilium*, in quod ſcilicet admittebantur Gentiles Deum oraturi, ad quos etiam eò loci ac temporis dixit Servator optimus, ut liquet ex illo D. Joannis:

C. 12. v. 2. *Erant autem quidam Gentiles, ex his qui aſcenderant ut adorarent in die feſto.* Erant autem Gentiles hi, aut proſelyti, qui ſcilicet Judæorum religionem jam re ipſa complexi erant, aut illius *Candidati*, qui ſcilicet de ea amplectenda cogitabant, ad quos proinde ſæpius ſermonem habebat Chriſtus, cæleſtis ac divinus Orator.

Secundò ſequebatur *Atrium Iudæorum*, quod ſcilicet ſubibant Judæi, & plebs promiſcua.

Tertiò, videbatur locus, qui vulgò audiit *Sanctum*: & in hoc intrabant Sacerdotes, iique ſoli.

Quartò erat *Sanctum Sanctorum*: & in hoc ſummo Pontifici, eique ſoli, patebat ingreſſus.

Quem ex iis intravit Chriſtus? His ita conſtitutis ex ipſa Templi fabrica, & mole illa ſacratiore, quæſtio proponitur, quomodo JESUS intrârit in templum? in quâ id ſtatuo. Primò, non intraſſe in *Sanctum*. Quia cùm non eſſet Sacerdos Leviticus, hoc eſt prognatus ex tribu Levi & Aaron, non licebat illi progredi in *Sanctum*, multóque minus in *Sanctum Sanctorum*: etſi enim eſſet ex vero *unctus Domini*, etſi *Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech* (quæ tamen ejus erat demiſſio) non gerebat ſe ut Sacerdos, ut ſummus Pontifex: adeoque nec aſcendebat in *Sanctum*, nec in *Sanctum Sanctorum*. Pedem ergo ſiſtebat, vel in atrio Gentilium, vel in atrio Judæorum, atque ex hoc & illo ejiciebat vendentes & ementes, imò fortè ex atrio ſolo Gentilium, in quo ſcilicet, ut pleríque volunt, vendebantur columbæ, oves, & agni Deo Opt. Max. offerendi, quos tamen nec ibi vendi, nec emi eſt paſſus, ex eo nimirum, quòd atrium illud eſſet ipſis Gentilibus quaſi templum; adeoque etiam Sanctum; & hinc mihi aperitur via ad ſecundam quæſtionem initio propoſitam.

Cur ea eo ejecit vendentes, & ementes, & quidem bis? Cur JESUS è templo, hoc eſt è templi atrio, ejecerit vendentes, atque ementes? dico ex templi atrio, quia negotiatores illi ad ipſa templi intima penetrare non poterant, multóque minus in iis ſua vendere: igitur hæſerunt illi in atrio, & quidem, ut eſt veriſimilius, etiam in primo, nec ad ſecundum evaſerunt. Cur igitur eos illo expulit Chriſtus? & quidem non ſemel, ſed ſecundò

Primò certè ſub initium ſuæ ad populum concionis; cùm enim jam imminente Paſchate aſcendiſſet JESUS Hieroſolymam *invenit in templo vendentes boves, & oves, & columbas & nummularios ſedentes: & cùm feciſſet quaſi flagellum de funiculis, omnes ejecit è templo oves quoque & boves, nummulariorum effudit æs, & menſas ſubvertit. Et his, qui columbas vendebant dixit, Auferte iſta hinc, & nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis.* Hæc Chriſtus ad importunos illos negotiatores, quæ deinde repetiit ſub finem Prædicationis inſtante propè ultimâ vitæ periodo, hoc eſt quatuor diebus ante mortem in Cruce obitam. At quæ tam hujus, quam illius cauſæ? Priuſquam ad illas delabar, pauca annotari velim ex Cardinali Toleto & ſummorum Pontificum ſenſu, quos inter Anacletus Epiſtolâ 1. Sacerdotes etiam à Domino propriâ manu expulſi de templo, inquit: Confirmat idem Pius I. Epiſt. 5. Idemque Julius I. Epiſtolâ contra Orientales Epiſcopos pro Athanaſio. In c. 2. Joan.

Et hinc fortè venerabilis Beda deduxit illud, Sacerdotes iſtos animalia in ſacrificium data, viva conſervaſſe, ac deinde mercatoribus iſtis vendidiſſe, & quidem viliore pretio, quæ ipſi iterum aliis pluribus vendebant.

Quod Sacerdotum ſcelus, ſi ita eſt, grave profectò fuit, atque ejuſmodi, propter quod meritò & ipſi de templo ejecti ſunt. Hoc tamen, quia non expreſſit Evangeliſta, cuipiam fortè dubium erit: ego nihil in hoc ex me ſtatuo, ſit penes authorem fides.

Transeo ad illius rationes, & cauſas. Una fuit quod non deceret eas res vendi in templo, ſed in foro; templum enim eſt domus orationis, non officina negotiationis. Rationes I.

Altera fuit, ſordida quædam Sacerdotum avaritia, quæ eò evaſit, ut vel per ſuos famulos, vel per inſtitores, columbas, oves, boves venderent carò, potiſſimùm autem peregrè adventantibus & pauperibus, à quibus ſæpe ſæpiùs (cùm non eſſet ad manum pecunia) ob dilatam ſolutionem lucrum etiam cum immani uſura extorquebant, quod & in peregrinos ac pauperes erat injuſtitiæ, & in II.

& in Deum ac Superos etiam impietatis.

III. Accedebat & inſignis quædam *Nummulariorum*, vel ut Syrus vertit *Trapezitarum*, vel ut græca verſio *Collybiſtarum* iniquitas.

Collyba, ut annotat D. Hieronymus, *dicuntur ea quæ nos appellamus tragemata, vel vilia munuſcula, verbi gratiâ, frixi ciceris, uvarumq; paſſarum & poma diverſi generis, propter quæ, quia uſuras accipere non poterant, Collybiſtæ, qui pecuniam fœneratî erant, pro uſura accipiebant varias ſpecies, & quod in nummo non licebat, in his rebus exigerent, quæ nummis coëmuntur.* Hactenus D. Hieronymus.

Et hæc ratio Salvatorem aliàs mitiſſimum impulit, ut & hos, & illos è templo pelleret, etiam armatâ flagellis manu, & inſuper menſas iſtorum *Nummulariorum, & cathedras vendentium columbas everteret.* Quod dum æquâ lance ponderat D. Auguſtinus, Quæſtionem hanc injicit.

Tract. 10. in Joan. *Quid audivimus fratres? Ecce templum illud figura adhuc erat, & ejecit inde Dominus omnes qui ſua quærebant, qui ad nundinas venerant: ſi hæc in figura templi fecit Dominus: quid facturus fuiſſet in ea æde ſacratiore, quæ Chriſti, quæ Dei domus eſt, & quæ ex vero templum?*

Quanto magis è templis noſtris? Si non eſt paſſus eos, qui ſua quærebant; quomodo pateretur eos, qui aliena?

Si domum orationis non eſt paſſus fieri domum negotiationis, quî pateretur fieri domum potationis? domum luxuriæ, & putidæ Veneris receptaculum?

Si qui licita vendebant, & ea quidem, quorum etiam uſus erat in ipſis Sacrificiis, in aris & focis, non eſt paſſus in templi etiam atrio tantum manere; quî pateretur in ipſis templi penetralibus, & venales oculos, & venalem libidinem, qualem videmus in juvenculis noſtris, qui ad prima templi limina, uno dumtaxat genu malè nixi emiſſitios habent oculos, & per intrantium ora vultuſque vagantes, & captantes illicias à puellarum forma, & ſubinde quaſi ab ornatu meretricio: quî, inquam, eos pateretur Chriſtus? quanquam quid dico juvenculos illos & calamiſtratos, cùm ſubinde, & Sacerdotes ipſi (qui tamen, ut ſcitè notat D. Ambroſius) *mundiores eſſe cæteris debent, quia actores ſunt Dei*, & ipſi tamen inter ſacra & verenda etiam Angelis myſteria, & emiſſitios habent oculos & vagam animi libidinem, qualem ferè in Sacerdotibus Gentilibus arguit Minutius felix, qui in ipſis Numinum delubris, non tam ſactis, quàm flagitiis operabantur. *Juvenculos.* *In 1. ad Timoth. c. 3.* *Imò & ſacerdotes.*

Ubi, inquit, *magis à Sacerdotibus, quàm inter aras & delubra, conducuntur ſtupra, tractantur lenocinia, adulteria meditantur?* *In Octavio.*

Quod ipſum objicit Tertullianus, Flaminibus atque miniſtris Sacrorum Gentilium. *Inter aras lenocinia tractari, in ipſis plerumque æditorum & Sacerdotum tabernaculis, ſub iiſdem vittis, & apicibus, & purpuris thure flagrantem libidinem expungi.* *In Apolog. c. 45.*

Atque utinam quod Gentilium myſtis objicit Minutius & Tertullianus, non poſſet meritò obtrudi Chriſtianorum Sacerdotibus, & quidem majore omninò culpæ nævo, & ſacrorum injuria atque dedecore, vel ex eo, quòd ut jam inſinuavi, *Mundiores debeant eſſe cæteris, quia actores ſunt Dei.*

Actores, inquam, ut qui tragicam illam & cruentam ſcenam in monte Calvariæ olim exhibitam, modò incruentam oſtentant; imò & faciunt in Auguſtiſſimo Miſſæ ſacrificio.

Sed hoc paucis attigiſſe pro argumento, ſit ſatis: Tranſeo ad aliam de hoc ipſo themate Quæſtionē.

QUÆTIO QUARTA
MORALIS.

Ad illa ipſa verba: *Ejiciebat vendentes & ementes in templo.* Matth. cap. 21. v. 12.

QUI SINT ILLI VENDENTES ET EMENTES?

I. Peccatores. A Litterali ſenſu tranſeo ad Thologicum, ad quem me veluti manu ducit D. Hieronymus & Origenes, ex quorum interpretatione,

1. Cor. c. 3. v. 17. Primò vendentes illi ſunt peccatores omnes, qui animam ſuam, quæ Apoſtolo judice, *Templū eſt Dei*, vendūt emptori peſſimo, mundo ſcilicet, carni, dæmoni: mundo quidem, leviore honoris umbrâ; carni verò, brevi voluptatulâ; dæmoni, perjuriis ſuis atque execrationibus, vēditores & ipſi peſſimi atque amentes, ut qui rem pretioſiſſimam, id eſt animam, tam vili pretio vendunt ac prodigunt.

II. Simoniaci. Secundò, ſunt Simoniaci, qui pacto pretio vendunt quæ templi ſunt, hoc eſt Eccleſiaſtica Beneficia, quæ verè templi ſunt, quæ Eccleſiæ, quæ Chriſti, quæ Dei.

Simoniaci ſunt, qui pecuniam pro divinis donis, ſceleratâ pactione, aut deferunt, aut etiam accipiunt.

Act. 8. Origo Simoniæ. Originem hi ducunt à Simone Mago, qui cùm adverriſſet ab Apoſtolis Petro & Joanne, oratione & manuum impoſitione impetrari credentibus Samaritanis Spiritum Sanctum, voluit & ipſe Spiritùs Sancti dationem emere, & ſic ad Petrum & Joannem. *Date & mihi hanc poteſtatem, ut cuicumque impoſuero manus, accipiat Spiritum Sanctum.* *vers. 19.*

Dixit, & pecuniam nefariè obtulit, primus in Eccleſia Simoniacus, in quem hoc fulmen orationis torſit Apoſtolorum Princeps.

Pecunia tua tecum ſit in perditionem, quoniam Donum Dei exiſtimaſti pecunia poſſideri. *vers. 20.*

Hæc ubi altiore ſpiritu, tum monet ut pœnitiam agat, ſi fortè ignoſcat indulgens Numen, & perverſam illam cordis cogitationem remittat, denique adjicit, quid ab illa cogitatione mali infuderit dæmon.

In felle, inquit, *amaritudinis & obligatione iniquitatis video te eſſe.* *vers. 23.*

S. Lucas propè divinus Amanuenſis, ſtylo græco ſic exponit. *In fel acerbitatis.*

Fel in arcano ſactoque ſermone pœnarum acerbitatem ſignificat, quibus ſcilicet impii, & infandis ſceleribus cooperti, in ævum omne cruciabuntur, & hoc cruciandum apertè innuit Simonem, ni Cœlo benigniore reſipiſcat, & immane peccatum eluat.

Et ſanè quidni ſic puniatur, quem S. Ignatius Martyr appellat, *Primogenitum Satanæ*, & cujus Simoniam B. Petrus Damianus *Ex ipſo Diaboli felle, progreſſam ait.* *Epiſt. ad Trallian.* *c. 8 Ep. 11.*

Et hæc de Simoniæ origine atque nomine, quibus addo notiones alias, quibus eam Divi Patres, ceu infami ſtigmate, notârunt.

S. Gregorius

Ejus notiones.

Ep. 114.

S. Gregorius & cognomento, & re ipſâ etiam *Magnus, Diaboli plantam* eſſe cenſuit, ſie enim de Simonia, *contra Dei Eccleſiam diabolica plantatione irrepſiſſe.*

Lib. 2. c. 1.

Euſebius, non ſine dolore, cùm videret eam Simoniacorum ſectam ſuis temporibus graſſari, eam non dubitavit vocare *Infandiſſimam hæreſim*, eui conſonat & illud Gregorii VII Pont. Max. effatum, quo prununtiat Simoniacum inter maximos hæreticos, iuter Antichriſtos, non minimum; & hinc eos cum Macedonio compoſuit Turaſius Patriarcha Epiſtola ad Adrianum Papam, ut qui Spiritum, Sanctsm unam è SS. Triade perſonam, impugnavit, alii cum Juda Chriſti prôditore; hic enim Chriſtum pacto pretio & pauculis nummis vendidit; at Simoniaci Spiritum Sanctum, pecuniâ vendunt, quæ ſanè æqualis eſt in Deum injuria: quàm paucis, ſed elegsnter & nervosè exprimit D. Gregorius Nszianzenus, ubi Simoniacos appellat *Deum cauponantes, ſacrilegosq́, nundinatores*, qui ſcilicet & religione Servatoris, & divinis donis ad lucrum ſuum indigniſſimè abutuntur.

Ep 97.

Ut proinde jure meritiſſimo S. Gregorius Magnus ſcribens ad Childebertum Galliæ Regem, *Simoniam* vocet *deteſtabile facinus, peſtiferum virus, & Eccleſia contrarium*, quod ideò è florentiſſimo regno depelli vult atque longius exterminari.

Lib. 4. in Lucam,

Cui conſonat & illud D. Ambroſii, qui eam nominat *inexpiabilem culpam*, quam Deus non in uno capite expiet; ſed graviore pœus transferat in generationes longè conſequentes: inexpiabilis enim eſt venditi culpa myſterii, & gratiæ vindicta cœleſtis tranſit ad poſteros.

Imò verò aliis in locis, non unum crimen eſſe vult, ſed veluti complexum, atque, ut illius vetbis utar, *Theſaurum criminum, quem mangones illi beneficiorum, ſibi accumulent æterno ſupplicio. & brevi fructu.*

Ut porrò crimen illud, quod etiam hâc ætate noſtrâ invaleſcit, penitùs eliminetur; exponam breviter, quæ in illud verborum tonitrua, quæ pœnarum fulmina evibrârint in Conciliis Divi Patres. Jsm inde à naſcente Eccleſia, & quidem

Simonia damnata ab Apoſtolis.

Primò Apoſtoli clara illa orbis univerſi lumina, Canone 29. & 30. decernunt ut qui beneficia vendunt, quive comparant, quive ſequeſtres ſunt, verbo uno divinarum rerum nundinatores, ſi ſacris initiati fuerint deponendos, atque ſpoliandos; ſin autem laici, omnium dirarum obnuutiatione percellendos, atque à fidelium communione arcendos.

Conc. Tolet. 8 c. 3.

A Conciliis

Concilium Toletanum, Simoniam sppellat *Vulnus canceroſum ignito ferro cohibendum*, ex eo ſcilicet quod à Simonia eveniret animo, quod corpuri à canceroſo vulnere: ut enim hoc facilè propagatur & ſerpit; ſic & illud ad ipſa quaſi religionis vitalia, & virus ſævum, & perniciem deſert, adeoque ſicut hoc ſerro & igne incidi debet, ſic & illud. At quo, inquies, ſerro? certè non alio, quàm diro anathemate.

Can 2.

Et hinc longè ante Concilium Chalcedonenſe, quod fuit IV. Oecumenicum, impudentem illam & facinoroſam mercaturam exploſit, & ſeveriſſimo decreto notsvit; quod & fecêre Concilia alia, in quibus (ut è Braccarenſi colligimus) una fuit vox Patrum. *Anathema ſit danti, Anathema ſit accipienti.*

Hæc porrò Simoniæ peſtis & macula, maximè viſa eſt in Eccleſia dominantibus Arianis, cùm ſcilicet Epiſcopi, & doctiſſimi & ſanctiſſimi quique ſuis ſedibus pulſi, & ſubſtituti alii & indocti & ſcelerati, infami illarum dignitatum nundinatione, qua fiebat ut Epiſcopatum obtiueret qui pecuniæ plus offerret.

Simoniaci.

L. 4 c 20.

Et its obtinuit *Lucius* quidam Alexandrinus Epiſcopus, qui ut notat Theodoretus, *pecuniâ Epiſcopatum emerit, ut ſæcularem quandam dignitatem.*

Et ita emêre deinde & alii, potiſſimùm in Ægypto, & Africa; tum etiam in Gallia, Germania, ut conſtat ex multis ſummorum Pontificum epiſtolis, & hiſtoriarum monumentis, è quibus hæc ad pœnam Simoniaci narrat Hildebrandus, poſtea Gregorius VII. Pont. Max.

Apud Damian. l. 1. Epiſt. 9.

Cùm eſſet in Gallia Legstus Apoſtolicus, depoſuit quemdam Epiſcopum Simoniacum, qui juſſus recitsre verſiculum doxologicum. *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.* Rectè quidem pronuntiavit Patrem, & Filium: at Spiritum Sanctum, quocunque tentaret niſu exprimere nunquã potuit.

Eorum pœna.

Et meritò, inquit B. Petrus Damianus: *Siquidem Spiritum Sanctum dum emit, amiſit. Ut qui excluſus erat ab anima, procul eſſet à lingua.*

Pluribus ſuperſedere eſt animus, ſi tamen unius, alteriúsve te prius monuero, Amice Lector.

Primùm erit, ne te decipi patiaris falſo atque ementito nomine, & nominis umbrâ. Alterum ne etiam virtutis titulo ac ſpecie.

Dicitur dæmon tres olim habuiſſe filias, quas cùm nuptui tradere vellet, nunquam potuit, & hoc quia deformes erant in paucis, adeoque nemo unus omnium illas procabatur, amabat nemo; ſed oderat, ſed averſabatur potiùs.

Simonia palliata.

Eæ porro erant, *furtum, uſura, & Simonia.* Mala nomina, & res etiam peſſimæ.

Quid igitur conſilii? quid remedii? id porro adinvenit malus dæmon, & aſtutus improbè.

Mutavit nomina, *furtum* vocavit, *Le tour à la mode. Uſuram* antem *intereſſe.* Deuique *Simoniam* appellavit *penſionem.*

Mutatis ita nominibus, quæ priùs appsrêbant turpiſſimæ, viſæ ſunt mortalibus ſpecioſiſſimæ, & ita quamplurimos orbe toto invenerunt amaſios.

Fsbelia eſt, & ingenioſum commentum, quod tamen quaſi umbra veritatem educit in lucem, & publicum.

Furtum omnes horrent, deteſtantur omnes, quia turpe, abjectum, vile, & propudioſum: At verò *Le tour à la mode*, quia ingenioſum, quia ſolers, faciliùs amplectuntur malè cauti mortales. Quid facias? error eſt in nomine: ſed inde etiam in re, & nominibus, non difficilè ſibi illudi patiuntur homines.

Similiter *uſura*, infamis eſt & malè ſonans: at verò *intereſſe*, & licitum videtur, nec illiberale, nec cuiquam injurioſum, ſed domino dumtaxat proficuum. Etiam error eſt in nomine, atque etiam ſæpiùs in re, dum intereſſe nec ex vero eſt, nec ex æquo, ſed juſto majus, nec tam intereſſe, quàm illius umbra.

Denique etiam *Simonia*, in rem omninò ſpiritalem eſt injurioſa, dum temporale datur pro ſpiritali, & quod pretio non eſt æſtimabile, pretio tamen æſtimatur, & fit venale, quod venale non eſt: uti revera *gratia* non eſt, nec *Spiritus Sanctus venalis*, & tamen venditur; mutatur nomen, & quæ ex vero eſt *Simonia*, dicitur *penſio*, honeſtum nomen: at res ipſa ſæpe ſæpiùs inhoneſta, dum creatur vel ſine juſta authoritate, vel major æquitate.

Et hoc eſt primùm, cujus te conſcium & monitum velim Amice Lector.

Alterum eſt, ne etiam tibi imponi patiaris, virtutis alicujus nomine, virtutis & ſpecie; amabili quidem illa, ſi modò virtus ſit & non umbra, non fucus virtutis.

Gratitudo quid ſit?

Illa porro virtus eſt *Gratitudo.* Ea generatim ſumpta eſt virtus, quæ reſpicit debitum ex beneficio accepto natum, & ut illi aliquo modo ſatisfaciat rependit aliquid benefactori, ut actionem gratiarum, obſequium, cultum, vel aliud beneficium.

Hâc ratione ſumpta gratitudo, non eſt una virtus, ſed extendit ſe ad omnes, à quibus aliquid beneficii

 acceperis,

acceperis, nimirum ad Deum, parentes, ſuperiores, & homines privatos.

Ut ergo ſit una & ſpecialis virtus, neceſſe eſt ut propriè, & ſolum reſpiciat benefactorem privatum & particularem.

Et de hac in præſens erit mihi quæſtio, in qua paucis ſtatuam, quid hac in re Theologi, & Canoniſtæ.

1. Q. c. Salvator.

Eſt illud effatum Vrbani VII. Quiſquis res Eccleſiaſticas non ad quod inſtituta ſunt, ſed ad propria lucra, munere linguæ, vel obſequii, vel pecunia largitur, vel adipiſcitur, ſimoniacus eſt.

Tria hic diſtinguit Sum. Pont. primò munus à manu. 2. munus ab obſequio. 3. munus à lingua.

Munus à manu eſt pecunia, & omne donum, quod datur collatori, electori, vel patrono v. g. equus, torques, annulus, &c.

Munus ab obſequio, eſt obſequium præſtitum Eccleſiæ Collatori, Electori, Patrono.

Munus à lingua, ſunt preces, laudes, commendationes, & alia ejuſmodi. His ita poſitis:

Quomodo ſervari debeat.

Primum id ſtatuo, ſi in his omnibus non interveniat pactum, aut tacitum, aut expreſſum, ex quo ſequatur obligatio juſtitiæ, non eſt Simonia, neque in dante, neque in accipiente.

Deinde ſi remaneat obligatio antidotalis, quæ ex virtute gratitudinis oritur, & ea qua ſe aſtrictum quis agnoſcat; & conferat, ut huic obligationi ſatisfaciat, non eſt Simonia: quia Simonia (uti jam dixi) requirit ut ex obligatione juſtitiæ, ceu ex pacto, detur quod datur.

Gratitudo quæ & quãta eſſe debeat?

Ne tamen hic titulus gratitudinis, hæc obligatio ex gratitudine, & hoc ipſum munus, quod eo ſolo titulo datur, modum excedat, & gratitudinis terminos, pauca ſubjiciam quæ mihi & Theologis magnæ notæ, quos conſului, minus probantur.

Primò, non placet determinari, & quaſi taxari ſummam, quæ expectatur & petitur ex gratitudine; in hoc enim videtur tacita quædam conventio, tacitum & pactum, ex quo, Deo teſte & judice, poſſet induci Simonia quædam mentalis, & confidentiæ, ſeu in foro conſcientiæ, etſi non in foro externo.

Unde minus probatur & iſtud, quod tamen pleriſque in locis jam abiit in vulgus: jam notum eſt etiam lippis, & tonſoribus, videlicet, quod pro præbenda A. ſoleant, imò & debeant jam dare etiamſi ex gratitudine 30 floren. millia, & amplius: pro præbenda B. 16 millia, eóque, amplius, & ſic de aliis ſervata quadam proportione, pro ut beneficium, ejuſque provẽtus majores fuerint aut minores: quia cum ita ſtatuitur pretium, nec minus, videtur in eo eſſe ſpecies quædam mercimonii, quo ſcilicet rebus venalibus ſuum ſtatuitur pretium, nec minus: unde ſi præbendis, quæ aut conferuntur, aut reſignantur, ſuum ita ſtatuatur pretium, nec minus, jam non dari præbenda, ſed vendi videtur.

Tertiò, adhuc minus arridet illud, quod ea ſumma, quæ vel ſperatur, vel petitur, quamvis titulo gratitudinis, deponatur in manus tertii, ad majorem aſſecutationem, ne ſcilicet reſignatarius reſilire poſſit, neque poſtmodum cogi, quia nulla ſcilicet intervenit obligatio juſtitiæ, nullúmve ex ea pactum. Hoc, inquam, minime probatur, quia ea aſſecuratio videtur omminò repugnare gratuitæ donationi, qualis hîc eſſe debet.

Quartò, neque etiam probari poteſt ſumma illa, quæ videtur exorbitans, & puræ gratitudinis limites excedens: & qualis eſſe videtur hæc. Proventus beneficii, ſint floreni quadringenti; petentur titulo gratitudinis quatuor florenorum millia. Valeat præbenda, tribus floren. millibus exigentur pro gratitudine triginta flor. millia, hoc eſt mille pro centum. Quæ ſumma, meo quidem judicio ſuperat terminos puræ gratitudinis, quia eſt capitale cenſua annui vitalitii, puta mille pro centum.

Dices gratitudini nullus ſtatui poteſt limes, terminus omminò nullus: Ecquid enim? obtrudet unus aliquis, an non licet mihi dare gratuitò quod libet? libet enimverò in aliis, in beneficiis non item, quia in his facilè præſumitur dari temporale pro ſpirituali, quod eſt Simoniacum.

Certè niſi oculum proritaret beneficium pingue atque opulentum, niſi ejus ſplendor & dignitas alliceret, non adeò liberalis eſſes ac profuſus, non eam pecuniæ vim effunderes. Deum conſule, & conſcientiam excute.

Quæ ergo gratitudini in his præfigenda meta? quis terminus? Theologi è primis ſubſelliis, quibuſcum eam difficultatem excuſſi, eam præfigunt quam fere in penſionibus Eccleſia, in quibus ſtatuitur tertia pars, & paulò amplius, ſaltem non ad dimidium, nunquam ultra.

QVÆSTIO QVINTA
MORALIS.

Ad illa verba: *Domus mea, domus orationis vocabitur: Vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum.* Matth. cap. 21. v. 13.

QVÆ SIT DOMVS ORATIONIS? ET QVOMODO EA convertatur in ſpeluncam latronum? & qui illi latrones?

Lib. 10. Ethymol. littera Lat.

LAtro, inquit S. Iſidorus, *inſeſſor eſt viarum, à latendo dictus*: vel meliùs, *Latro eſt quaſi latero, qui à latere inſidiatur viæ*. vel, uti opinantur Varro l. 6. de lingua Latina, *Latrones dicti à latere, quod circa latera haberent ferrum*, quod ſcilicet ex inſidiis & viarum lateribus erumpentes, immitterent in viatorum latera.

Latro unde dictus?

Cap. 7. v. 11.

Alludit ergo Servator ad illud Jeremiæ: *Nunquid ergo ſpelunca latronum, facta eſt domus mea, in qua invocatum eſt nomen meum in oculis veſtris? Ego ſum, ego vidi, ait Dominus.*

Invehitur Propheta in ſui ævi Semiatheos, qui & ſe, & ſua ſcelera putabant à Deo abſcondere, ſicut latrones, qui ſe abſcondunt in ſpeluncis: & his non multùm abſimiles ſunt illi, qui noſtrâ hâc ætate etiam domum orationis faciunt veluti ſpeluncam latronum.

Latrones hic qui ſint?

At quinam ſunt illi? ſunt utique peſſimi in ſacris ædibus oratores. Et quidem:

Primò, qui in templis riſum non continent; ſed ſubinde inter confabulationes abeunt in cachinnos, contra eam, quæ in illis exigitur, modeſtiam, ac gravitatem.

Certè ex inſtituto ſapientum olim ſeverè prohibitum fuit, ne quis in Academia riſum ederet, quòd is locus, non ad jocos, & facetorum hominum ineptias; ſed ad decus, & animi gravitatem, eſſet comparatus.

paratus. Fuit & cautum illud, etiam oraculo prophetico, ſeveriſque minis quas intulit Deus, cum per Amos minatus eſt deleturum ſe aras ridiculi: quod & minari juſtè poſſet hoc ipſo quo vivimus ævo, in quo ſacroſancta, venerandáque myſteria, in profana, & ludicra oblectamenta convertuntur. Quod qui faciunt, ex vero domum orationis, convertunt in ſpeluncam latronum, uti deinde & illi, qui in templis non tam orationi vacant, quàm fabulis, & collocutionibus.

Cap. 7. ex ſept.

Qui faciunt ſpeluncam latronum.

Fuit illud Pythagoræorum, atque Ægyptiorum effatum: *Deum ſilentio colendum.*

Pſ. 64. v. 2.

Fuit & illud Vatis regii oraculum. *Te decet Hymnus Deus in Sion*; quod ita vertit D. Hieronymus.

Tibi ſilentium laus decet in Sion: ex eo ſcilicet quod animi, oriſque ſilentium eximium eſſet quoddam laudis genus, quo Deus honoratur, & colitur; & hinc teſte D. Chryſoſtomo, in templis olim picta atque vivis coloribus expreſſa erat imago ſilentii, quod nimirum, ut rectè notavit Ennapius, *Silentium myſteriis congruum eſſet & ſacrorum: Præſide digna taciturnitas.* Digna, inquam, præſide ea taciturnitas, uti & indigna garrulitas.

I

Qui ſilentium frangunt in templis.

In Ædeſ.

Et inde factum, ut Peluſii lumen Iſidorus magno ardore animi, etiam ſempiternum exitium minitatus ſit Epiſcopo Martyrio, vel eò tantùm, quòd parum memor conditionis ſuæ, atque muneris, in ſacra Divis templa induxiſſet *confuſiones, nugas, & colloquia quædam indecora.* Ut hæc à ſacris ædibus eliminaret Stephanus Papa, qui octavo ſeculo vixit, orationem habuit ardore plenam, & religioſiſſima contentione, qua garrulorum illorum impudentem audaciam repreſſit. Cumque multa intuliſſet de majeſtate Numinis, de cœtibus beatarum mentium, quæ templa noſtra cohoneſtant, preceſque noſtras ad ſolium Divinitatis attollunt, ad extremum veluti pro coronide adjecit illud.

Lib. 1. Ep. 46.

II.

Qui miſcent colloquia indecora.

Quâ rogo fronte in ſacratiſſimo templo aſſiſtit, qui manibus fabulis & otioſis verbis inſiſtit?

Certè effrons ut ſit oportet, & Deo ſibique injurios. Deo quidem, ut qui illius majeſtatem ac præſentiam deſpicit; ſibi verò, cui culpas non leves accerſit. Fatendum enim longè veriſſimum illud, quod aliquando extulit D. Ambroſius de otioſis illis & garrulis, *cum parvo peccato ad Eccleſiam venire, & cum peccatis multis de Eccleſia recedere.*

Serm. 33.

Ne porro ſic redeant, etiam qui garrulos illos audiunt, ſuadeo, ut faciant quod olim Sacerdotes, teſte Caſſiodoro. Hi aures ſuas thure complebant, ne peregrinis ullis & prophanis verbis turbarentur.

Si quæſieris ecquod illud thus? erit metus & reverentia Numinis, quæ aures opplebit & animos, ne ad ea in templis colloquia attendere poſſint. Sed ne longius.

III.

Qui oculos hebêt emiſſitios.

Tranſeamus ad alios, qui ex vero Domum orationis faciunt ſpeluncam latronum: Ii ſunt juvenculi noſtri, qui ſtant ad prima templorum limina: non ut olim ille Publicanus, non audentes oculos levare præ reverentia Numinis, præ metu & horrore ſuorum criminum, nòn percutientes pectora ſua præ dolore, & pœnitudine; ſed levantes oculos, & conjicientes modò huc, modò illuc in puellarum vultus & ora, modò has, modò illas oculis, geſtu, nutu, importunaque ſalutatione allicientes in ſui amorem, ac deinde concepto illo igne, in alios libidinis ignes atque ardores, quos dum incendunt in virginum illarum animis, quid aliud faciunt, quàm ex Domo orationis ſpeluncam latronum.

Verè latronum, qui ipſos gratiarum theſauros diripiunt & furantur, qui innocentes illas animulas, non dico ferro atque ex inſidiis petunt, ſed in ipſis templorum adytis occupant, atque impuro oculorum conjectu, ceu totidem telis confodiunt, & Cœlo Deoque exanimes reddunt, dum gratiam, quæ animæ vita eſt, eripiunt, ex vero infames ac truculenti latrunculi, quibus accedunt ſubinde & ipſæ puellulæ, quæ cùm non audeant in maternos domo ſuos amaſios convenire, datâ, acceptaque fide conveniunt in templis & ſacrorum adytis, ſpecie, ut creditur pietatis in Deum, verè tamen impudici amoris illecebris abductæ: in has, & illos aculeatâ oratione ſic olim invectus Orator aureus:

IV.

Qui conventicula amatoria.

Quid agis ô homo? in Eccleſia ſtans, formas mulierum contemplaris, nec perhorreſcis templum Dei tanta afficere contumelia? Lupanar tibi videtur Eccleſia?

Homil. de contemnedis Eccleſiis.

Lupanar certè & videtur, & verò etiam eſt impuris illis amaſiis: quod utinam aliquando & agnoſcant & deplorent, uti fecit D. Auguſtinus.

Hic cùm eſſet adhuc in Manichæorum ſecta atque erroribus, ad eos libidinum fluctus animum alliſit, ſed ab illis Dei beneficio, & ſibi & Eccleſiæ redditus, eos & confeſſus eſt, & deteſtatus: ſic enim delicta juventutis ſuæ Deo teſte ac ſevero judice, deplorare eſt auditus.

Auſus ſum etiam in celebritate ſolemnitatum tuarum, intra parietes Eccleſiæ tuæ concupiſcere & agere negotium procurandi fructûs mortis. Quod ubi agnovit, damnavitque, tum illud addit miſerentis Dei, ſimul & punientis. *Unde me verberaſti gravibus pœnis; ſed nihil ad culpam meam.*

L. 3 Conf. c. 3.

Hactenus D. Auguſtini ingenua confeſſio & pœnitentia, quam utinam imiteris quiſquis fuiſti, aut etiam es in eadem navi.

Et certè, quidni imiteris? Ecquidenim an non pudendum illud? an non igne & fulmine puniendum? Ire ad Eccleſiam, ad Sacrum, ad Concionem, ut liberiùs & per otium mulierum conſpectu frui poſſis, & eo genere voluptatis, putres oculos animumque paſcere; profectò pudendum illud & quàm graviſſimè puniendum, aut in hac vita, quod erit Dei miſerentis, aut in altera, quod vindicantis.

Quod ſi in his puniendum, ſanè multò magis in hominibus Deo ſacris. D. Chryſoſtomus omnium libidinum hoſtis, cùm adverteſſet clericum ſuum quemdam, in ſanctuario petulanter oculos in mulierem conjeciſſe, protinus ab altari amovit, veluti pio loco atque officio indignum; juſtè id quidem, ſi vel mundi & prophanorum conſuetudinem introſpiciamus.

Metaphraſ. in ejus vita.

De hac eruditè D. Ambroſius. *Turpes lenonum meretricumq; perſona à conſpectu vel judicis vel imperatoris arcentur, ne turpiſſimorum viſu offendat vultus regii claritatem.*

In Pſ. 118.

Quod ſi & hæ, & illi arcentur, quantò magis impuri illi & cupiditatum ſuarũ lenones ejiciendi ſunt à templorum adytis atque aris: tanquam ii, qui Domum orationis convertunt in ſpeluncam latronum, uti & verus Sabinianus Diaconus, quem gravi oratione ſic caſtigavit olim D. Hieronymus.

Stabas, inquit, *in choro pſallentium, & impudicis nutibus loquebaris.*

Ep. 48.

Quod ſi vel ſolo nutu ſic loqui nefaſtum, quid erit inter aras & templa, conducere ſtupra, tractare lenocinia, adulteria meditari; imò & perpetrare? Quid erit in ſacro tribunali, in ipſa exomologeſi, in qua à criminum labe atque maculis elui debeamus, ipſa corpora polluere, atque ea moliri, etiam in pœnitentes puellulas, quæ & mens horret concipere, & vox eloqui, & calamus exprimere? Quid, inquam, illud? quid & quantum erit cœlo judice ac vindice? certè ejuſmodi quod vix ferro reſcindi, vel igne purgari poſſit in hoc ævo mortali, ut proinde alteri immortali atque æterno ſervandum eſſe videatur: ſed calamum ſubduco à tam ferali argumento, & redeo ad oraculum Servatoris. *Domus mea Domus orationis vocabitur*, & quæro quæ ſit illa domus orationis? & quæ qualiſve oratio?

V.

Qui nutibus loquuntur impudicis.

Domus orationis quæ?

Primùm

Primùm in aperto eſt, Domus orationis, eſt Eccleſia, quæ Antiquis ab oratione dicebatur Oratorium. At quæ in illa debet eſſe oratio? hoc eſt caput hujus quæſtionis, in qua id ſtatuo.

Oratio quæ

I. Sit reverens.

Primùm ſit reverens atque ejuſmodi, quæ teſtetur ſingularem animi reverentiam erga ſummi Numinis majeſtatem. Ejus porro hoc erit argumentum, ſi fiat flexo in terram poplite; & talem eſſe debere cenſuit D. Hieronymus.

In Epiſt. ad Epheſ.

Deum, inquit, *genu poſito ſuppliciter adoramus, & fixo in terram poplite, magis quod ab eo poſcimus, impetramus.*

Talem & eſſe voluit B. Macarius, qui & tanti fecit ingeniculari in precando, ut abſque eo debilem eſſe putarit, & languidam orationem, & pœne vacuam ad nos redituram.

Tract. 3. in Ioan.

Denique & talem fecit conſuetudo Chriſtianorum, de qua extat & illud D. Auguſtini. Quotidie ad Eccleſiam curro, *genua mihi trita ſunt* in orationibus.

II. Humilis.

Secundò, ſit *humilis* & demiſſi animi teſtis, atque index: & verò, quidni ea ſit, cùm ea quoque ſit in cæleſtibus illis Intelligentiis, de quibus aureè D. Chryſologus:

Serm. 5.

Pavent Angeli, Poteſtates metuunt, in faciem proruunt cœli ſeniores.

Et talis fuit in primæva Eccleſia, in qua Chriſtiani orantes, & in faciem proruere, & prono capite vehementer incurvari, aut ſterni ſolo erant ſoliti. Atque ejuſmodi fuiſſe etiam ætate ſua teſtis eſt Tertullianus contra Marcionem. Cum oratur, inquit, *facie humi volutante* oratur, & hoc ad evocandam, atque eliciendam miſericordiſſimi Numinis humanitatem: quod & confirmat Iuſtinus Martyr, qui ait Deum demulceri *oratione, qua ſummiſſo in terram vultu, & flexis humi genibus funditur.*

Lib. 3. c. 18

Dialog. cum Tryphon.

Quam animi corporiſque in oratione demiſſionem, ne reſpuas, ne fugias, Amice Lector, ſcito etiam à Regibus atque Imperatoribus ita uſurpatam.

In cap. 49. Iſay.

A Regibus quidem, ut ait Procopius, *Genu flexo in Eccleſia, terræ frontem allidunt.*

Ab Imperatoribus autem, uti in Theodoſio ſuſpexit & amavit Mediolanenſis Eccleſia, cùm eum vidit in ipſum Eccleſiæ pavimentum abjectum.

III. Sit pœnitens.

Tertiò, ſit etiam *pœnitens*, erit autem ſi ei infundantur & lacrymæ, quæ peccati maculas eluant, & Numen, ſi fortè iratum ſit, placent.

Lib. 6 in Cantica.

Et hoc etiam Sanctis familiare fuiſſe teſtatur Rupertus, ubi de illis ait. *Genua frequentius excelſo Deo curvare, & genas lacrymoſas genibus curvis applicare.*

Alludit ad modum, quo infans in utero matrum generatur, ita ſcilicet, *ut genua genis oppoſita ſint*, unde inquit, & à genis genua dicuntur.

IV. Sit erecta.

Quartò, ſit in Deum *erecta*, ut nimirùm ipſa quoque mens & animus, cum habitu corporis conſentiat: quod & notat & exigit illud D. Bernardi viri religioſiſſimi oraculum. *Flexo corpore, mens erigenda in Deum eſt.* Certè niſi ſic erigatur, fruſtra eſt: porrò ut erigatur, monet illud Sacerdotis inter Miſſarum ſolemnia monitum, *Surſum corda.* Surſum & oculi, ſurſum & manus, ut ipſa corporis compoſitio ipſeque habitus, animi motum atque erectionem indicet.

In Medit. c. 6.

Eam certè prodebant primævi in Eccleſia Chriſtiani, de quibus illud Tertulliani in Apologetico. *In Cœlis ſuſpicientes, manibus expanſis orare conſueviſſe.* *Cap. 30.*

Profectò ille Cœli contuitus, ſi religiosè fiat, & amorem incendit, & fiduciam auget, & cum oculis animi votum adjungit ad Patrem, qui in Cœlis eſt.

V. Sit attenta.

Quintò denique, ſit *attenta*, non autem *vaga*, non *duplex*, non *nutabunda* & quodammodò *ebria*.

Vaga erit, ſi abeat à ſeipſa inutili per creaturas peregrinatione, & cogitationum quaſi tumultu atque inter ſe pugna.

Duplex erit, ſi una pars cogitationum Deo detur, altera rebus à Deo alienis.

Nutabunda erit & quaſi *ebria*, ſi ut ebrius nutet, nec ulli ſit affixa.

Ne porro ea ſit, obſervanda erit illa Conſtitutio Apoſtolica apud Clementem. *Ne ſis duplex in oratione tua:* ſed omninò ſimplex, hoc eſt is, qui in Deo uno hæreat ſiſtatque. Si ia ſis, Dei domum non facies ſpeluncam latronum; ſed ex vero, ſicuti eſt, Domum orationis.

FERIA

FERIA QVARTA

HEBDOMADÆ PRIMÆ QUADRAGESIMÆ.

SALVATOR optimus ut objectam ſibi à Scribis & Phariſæis calumniam dilueret: Primò oſtendit Sabbatho licete diſcipulis ſuis vellere ſpicas, & ſibi deinde curare ægros; tum etiam dæmoniacum ſanat, ex eóque velut uſurpato malè hoſpitio, dæmonem ejicit, tum probat ſe id non faeere ope Beelzebub, ſed in digito Dei: tum petentibus à ſe ſignum, dat ſignum Ionæ; tum objicit quod & Ninivitæ, & Regina Saba, Iudæos incredulos condemnabunt in extremo illo ac decretorio die Iudicii; denique aſſerit ſuos fratres, & matres, eſſe eos, qui fecerint voluntatem Patris ſui: Et hæc Evangelii hodierni ſumma ſunt capita, à quibus delabor ad pauculas quæſtiones.

QUÆSTIO PRIMA

LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Tunc reſponderunt ei quidam de Scribis & Phariſæis dicentes: Magiſter volumus à te ſignum videre.* Matth. c. 12. v. 38.

QVI SVNT ILLI QVI SIGNVM PETVNT? Quódve ſignum, & an eo dato conquieſcent?

verſ. 24. AD primum quod attinet, qui ſignum à Chriſto petunt, ſunt è Scribis & Phariſæis, ii ipſi qui Chriſto per immanem calumniam obtruſerant illud:

Hic non ejicit dæmones niſi in Beelzebub principe dæmoniorum. Quos cùm repuliſſet Chriſtus, & clara argumentorum luce refutaſſet conviciſſetque, ne tamen victi, & convicti viderentur, id ipſum ſigno aliquo, id eſt miraculo, confirmatum voluerunt, & quidem miraculo è cœlo petito, quod liquet ex
Luc. c. 11. v. 16. illo Lucæ: *Et alii tentantes, ſignum de cœlo quærebant ab eo fieri.*

Miracula Meſſiæ ſigna ſunt. Signa in terris ediderat Chriſtus, cæcis viſum, ſurdis auditum, mutis vocem, claudis greſſum, leproſis & morbidis ſanitatem reſtituerat, imò & vitam mortuis: ſed hæc omnia ſigna atque miracula, terra viderat ſenſeratque, & muta quadam voce loquebatur: nec tamen illa ſatis erant incredulis; poſtulant alia de cœlo, ut, quod teſtatur terra, teſtetur & cœlum, quaſi dicerent.

Tua, ô Chriſte, miracula, in terra terrena ſunt; at nos volumus è cœlo cœleſtia: in cœlo enim velut in ſua regia habitat Deus, quem tu miraculorum tuorum authorem facis, & prædicas. Ais
Matth. c. 12 verſ. 28. enim: *Ego in ſpiritu Dei ejicio dæmones*: age ergo, ſi in ſpiritu Dei, in digito Dei, dæmones ejicis, in hujus fidem atque auctoramentum, ſignum exhibe de cœlo.

Sunt & Prophetarum. Ita certè exhibuerunt olim majores noſtri. Ælias in eo quod illi fuit cum Prophetis Baala, pro religione, proque Deo certamine, ignem è cœlo devocavit: *Ad ejus enim preces & vota cecidit ignis Domini, & devoravit holocauſtum; & ligna, & lapides, pulverem quoque, & aquam, quæ erat in aquæ ductu lambens.* *3. Reg. c. 18. v. 38.*

Ad id verò miraculi, & populi ſtupor, & ſacer horror, & prona ac facilis fides data eſt. Et tibi dabitur, ſi ex eo quod dæmonia è corporibus expellis, ſignum è cœlo dederis, ſecus ſi non dederis.

Samuelis hortatu monitiſque, in Philiſtinos arma movit Iſraël, pugnavit, vicit, triumphavit: *Sunt & Antiquorum.*

Intonuit enim *Dominus fragore magno, in die illa ſuper Philiſthiim, & exterruit eos, & cæſi ſunt à facie Iſrael.* *1. Reg. c. 7. v. 10.*

Ecce ſignum è cœlo, tonitrua, fulgura, fulminaque; fac ſimiliter, ut ad vocem tuam cœlum tonet, fulgura ac fulmina demittat in terras, & fidem dabimus, non ſine ſacro quodam horrore. *Eaque ferè cœleſtia.*

Joſue, invictus Iſraëlis Dux, in quinque Reges oppugnãtes Gabaon, armatus venit, & Cœlo auſpice ac vindice eos fugavit, profligavit, extinxit. Ac ne vel eorum unus elaberetur fuga, ſolem etiam verbo ſtitit: *Dixit* enim *coram eis.* *Uti in Joſue.*

Sol contra Gabaon ne movearis, & Luna contra vallem Ajalon, ſteteruntque Sol & Luna donec ulciſceretur ſequens de inimicis ſuis. *Joſue c. 10. v. 13.*

Et hæc tacitè objecêre Scribæ & Phariſæi, cùm à Chriſto ſignum de cœlo quæſierunt fieri; in quo & perſtringunt Miracula ab eodem in terris facta, veluti aliquas dæmonis præſtigias; quaſi verò non eſſet ejuſdem potentiæ ac virtutis, Miracula in terris facere atque in cœlis: cùm & hæc & illa ſint ſuprà omnem naturæ vim atque ordinem, ex quo fit, ut tam hæc quàm illa Chriſtum ut Meſſiam verè loquantur ac prædicent.

Sed hic fuit genius illorum hominum: effugium quærunt, & dato uno miraculo, aliud atque aliud ſine fine, ſine modo poſtulant, nec unquam acquieſcunt. Et hoc etiam eſt ingenium curioſorum, & cavillatorum, uti & infidelium, atque hereticorum; ſigna quærunt, eaque ex ſuo genio, neque iis acceptis unquam credunt, quia ſunt ſicut talpæ ad Solem, & in ipſa meridiana luce caligant, & quod inficiari non poſſunt, id omne calumniis obruere nituntur. Sed fruſtra ſunt: ſtat enim, ſtabitque in ævum omne illud veritatis oraculum: *Nemo poteſt facere miracula niſi ſolus deus, aut Deus cum illo.*

Ex quo, & conſequens fuit iſtud, miracula à Chriſto edita, ea fuiſſe, quæ nemo facere potuit purus homo, & qui Deus non eſſet, & qui non poſſet ſibi vindicare titulum *Magni Dei*: uti patebit ex quæſtione ſequenti.

QUÆSTIO SECUNDA
THEOLOGICA.

Ad illa verba: *Volumus à te ſignum videre.* Matth. cap. 12. v. 38.

AN EA SIGNA, QVÆ IAM EDIDERAT CHRISTVS, non ſatis abundè probarent eum eſſe Meſſiam, nec purum hominem; ſed ſimul Deum & hominem?

Lib. 1 n. 28.

VTAR hîc eodem argumento, quo uſus eſt Arnobius adverſus Ethnicos, ut evinceret CHRISTUM non eſſe unum è nobis; ſed verum & magnum Deum, certè Deum ſimul, & hominem, quod ut faciat in compendium reducit omnia propè miracula à CHRISTO patrata, & ſic eos alloquitur:

Miracula jam edita à Chriſto Meſſiam probant.

Quid dicitis? ô iterum quid dicitis? ergo ille mortalis, aut unus fuit è nobis, cujus imperium, cujus vocem popularibus, & quotidianis verbis valetudines, morbi, febres, aliaque corporum cruciamenta fugiebant?

Unus fuit è nobis, cujus fœdæ vitiligines juſſioni obtemperabant pulſæ ſtatim, & concordiam colorum commaculatis viſceribus relinquebat? unus fuit è nobis, cujus ex levi tactu ſtabant profluvia ſanguinis, & immoderatos cohibebant fluores?

Unus fuit è nobis cujus præſentiam, cujus viſum, gens illa nequibat ferre merſorum in viſceribus dæmonum, conterritaque vi nova, membrorum poſſeſſione cedebat?

Unus fuit è nobis, cujus manus intercutes & veternoſæ fugiebant undæ, penetrabilis ille vitabat liquor, & turgentia viſcera ſalutari ariditate deflabant?

Unus fuit è nobis, qui claudos currere præcipiebat, & jam operis res erat, porrigere mancas manus, & articuli mobilitates jam ingenitas explicabant captos membris aſſurgere, & jam ſuos ferebant lectos, alienis paulò ante cervicibus lati, viduatos videre luminibus, & jam cœlum, diemque cernebant nullis cum oculis procreati?

Unus, inquam, fuit è nobis, qui debilitatibus variis, morbiſque vexatos, centum, aut hoc amplius ſemel una interceſſione ſanabat? cujus vocem ad ſimplicem furibunda & inſana explicabant ſe maria, procellarum turbines, tempeſtateſque ſidebant, qui per altiſſimos gurgites pedem ferebat in lutum, calcabat ponti terga undis ipſis ſtupentibus in famulatum ſubeunte natura? qui ſequentium ſe millia quinque ſaturavit quinque panibus? ac ne eſſe præſtigiæ incredulis illis viderentur, & duris; bis ſenarum ſportarum ſinus reliquiarum fragminibus aggerabat?

Unus fuit è nobis, qui redire in corpora, jamdudum animas præcipiebat efflatas? Prodire ab aggeribus conditos, & poſt diem funeris tertium pollinctorum velaminibus expediri?

Unus fuit è nobis, qui, quid ſinguli volverent, quid ſub obſcuris cogitationibus continerent, tacitorum in cordibus pervidebat?

Unus fuit è nobis, qui cùm unam emitteret vocem, à diverſis populis, & diſſona oratione, loquentibus familiaribus verborum ſonis, & ſuo cuique mens exiſtimabatur eloquio? Hactenus ad Ethnicos Arnobius, quæ ego hodie, & Scribis ac Phariſæis, & aliis ejuſdem farinæ hominibus, puta ævi noſtri hæreticis, qui eodem cum Ethnicis ſpiritu acti, nec miracula admittunt, nec eam fidem, quæ tamen ſola iis fulcitur ac roboratur, qualis eſt illa unica, quæ Catholica ac Romana dicitur, & in qua etiamnum auditur & illud Chriſti: *Mortui reſurgunt, cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur*; atque in ipſo Chriſti nomine expelluntur ſpiritales nequitiæ, non horrore nominis (ut fabulatos Ethnicos meminit Arnobius) ſed majoris licentia poteſtatis, cui tamen nec credunt, nec fidem concedunt hæretici, ſimiles omninò Scribis illis ac Phariſæis: Similes & Pharaoni, qui plagas per Moyſen olim factas, per ſuos quoque maleficos fieri nitebatur, ne illæ divinitus fieri crederentur. Quod & nituntur hac ætate noſtrâ, hæretici, qui miracula ab Apoſtolis, & viris Apoſtolicis facta, vel elevare conantur, vel in artes magicas, vel in naturales vires referre, ne tantis teſtimoniis convicti, ſibi Catholicæ Religionis fidem, ac religionem perſuaderi patiantur.

Miracula in ſola Ecclesia Catholica.

QUÆ-

QUÆSTIO TERTIA
LITTERALIS ET MORALIS.
Ad eadem verba: *Volumus à te ſignum videre.*
CVR CHRISTVS SIGNA FECERIT PLERVMQVE in Sabbatho, & cur in Sabbatho?

Miracula pleraque in Sabbatho.

LEGIMUS Servatorem optimum miracula quàm plurima patraſſe in Sabbatho.

Luc c. 13. v. 11. Primùm enim mulierem à ſpiritu infirmitatis, quo laborarat decem & octo totos annos, ab eo liberavit in Sabbatho.

Luc c. 14. v. 4. Secundò hydropicum apprehendit, & ſanavit in Sabbatho, ac dimiſit.

Math. c. 13. v. 22. Tertiò dæmoniacum, qui cæcus erat & mutus, etiam curavit in Sabbatho, ita ut loqueretur & videret.

Joan. c. 5. v. 2. Quartò paralyticum in probatica piſcina, triginta & octo annis jam ægrotantem, perfecta donavit ſanitate, etiam in Sabbatho.

Matth. c. 12. v. 13. Quintò hominem, cujus manus erat exſucca & arida, etiam ſanitati reddidit; dixit enim ad illum: *Extende manum tuam, & extendit, & reſtituta eſt ſanitati ſicut altera.*

Et hinc à Scribis & Phariſæis injecta interrogatio: vers. 10. *Si licet in Sabbathis curare*, injecta, inquam, invidiæ ſpiritu, maledicentiæ ac malevolentiæ genio, ut ſcilicet *accuſarent eum*, quaſi reum violatæ legis, & Sabbathi, in quo ſua debet eſſe ab opere quies.

Cui interrogationi Chriſtus fecit ſatis interrogatione altera, hâc videlicet, liceretne Sabbatho benefacere? ſi licet, licet & manum aridam curare, hoc eſt enim benefacere, hoc eſt miſerum levare, quod miſerationis eſt & beneficientiæ, quam exhiberi debere etiã in Sabbatho probat à fortiori, ut in ſcholis loquimur. Hoc ſcilicet argumento, hâc & quæſtione: Et cur in Sabbatho?

Matth. c. 12. *Quis erit ex vobis homo, qui habeat ovem unam, & ſi ceciderit hæc Sabbathis in foveam, nonne tenebit & levabit eam? Quantò magis melior eſt homo ove.*

Quod ſi ovem tenere ne cadat, & levare cùm ceciderit, liceat in Sabbathis, quidni & hominem, qui ove potior eſt, curare?

Et hæc Incarnatæ Sapientiæ argumentatio, cui credas eſt neceſſe, niſi ſtupidus, durus atque inſipiens audiri velis, & eſſe.

Sed remanet propoſita à me quæſtio, ea videlicet cur Chriſtus, Servator optimus, ſigna plerumque fecerit in Sabbatho?

Pro ratione potuit eſſe vel una Chriſti Deique voluntas, quæ rationum eſt inſtar omnium; cui tamen addi poteſt cauſa aliqua, quæ eſt, & dicitur congrua, ea videlicet, quòd Chriſtus miracula operaretur ea facilitate ac ſi nihil omninò operaretur, & inde operando miracula, dici nec debuit, nec potuit Sabbathũ violare, non ſecus ac is qui nihil operatur, dici nec debet, nec poteſt eſſe Sabbathi violator: & hæc ratio militabat contra Scribas & Phariſæos, qui hæc temerè jactabant in Chriſtum, *Non eſt hic homo à Deo, qui Sabbathum non cuſtodit.*

Joan c. 19. Temerè, inquam, & omninò falsè; nec enim ægros curare, nec miracula facere, erat Sabbathum non cuſtodire: uti jactabat inanis illa Phariſæorum calumnia, uti deinde & hæreticorum, quorum meminit Tertullianus lib. 4. contra Marcionem & Marcioniſtas, qui Patrem Chriſti eſſe alium à Deo veteris Teſtamenti, hoc argumento probabant, quia Chriſtus Sabbathum non ſervavit, perperam tamen & falsò, uti jam oſtendi, & fuſiùs oſtendit Toletus in Caput quintum Joannis, Annotatione 11. his rationibus.

Primò, quia miracula illa omnia, quæ operatus eſt in Sabbatho, non erant opera ſervilia, ſed altiore, id eſt divina virtute facta. Certè ſi Joſue & Eliſæus Sabbathum non ſunt tráſgreſſi, quia opera illa divina virtute facta fu[illegible]t: multò minus Chriſtus Sabbathum ſolvit, cuj[illegible] opera multò diviniora erãt. I. Ratio.

Secundò, quia miracula illa erant opera religionia, ad Dei cultum maximè pertinentia, erant enim argumenta latentis in Chriſto Divinitatis, erant veritatis & fidei luculenta teſtimonia, ad manifeſtandam Dei promiſſionem, & hominum fidem conciliandam. II. Ratio.

Tertiò, ea miracula erant opera ſanitatis & medicinæ: ſi autem licebat medico in Sabbatho manum ægro abſcindere propter ſanitatem, cur non licuit Chriſto ſanam facere in Sabbatho? III. Ratio.

Si opera mechanica, qualia faciunt pharmacopolæ & chirurgi, licita fuerunt in Sabbatho, cur non licita Chriſti miracula, quæ verbo faciebat, quæ luto, quæ ſalivâ.

Quartò, ea opera ordinata erant ad ſalutem animæ, cui ſcilicet dabatur ſalus, cùm corpori ſanitas dabatur IV. Ratio.

Denique, opera illa mirabilia fecit Chriſtus plerumque in Sabbatho, ut cùm dies ille quieti eſſet deſignatus & divino cultui, hominum animos ad eorum conſiderationem magis intenderet, provocaretque ad dandam ſibi fidem & doctrinæ ſuæ authoritatem conciliandam. V. Ratio.

Ab his rationibus redeo ad primam, quæ fuit facilitas illa magna in patrandis illis mirabilibus, & quæ *in digito Dei* faciebat Chriſtus. Cur in digito Dei?

Opera quæ fiunt manu vel brachio, videntur, & ſunt gravioris molíminis; quæ autem digito, levioris.

Et ejuſmodi ſunt mirabilia Dei, quæ etiam agnoverunt Magi Pharaonis, qui nova illa, & à ſæculis inaudita prodigia (quibus feriebatur Ægyptus tota) intuentes exclamarunt: *Digitus Dei eſt hic.* Exod. c. 8. v. 19.

Non brachium, inquiunt, non manus: ſed digitus: quia ut annotat Philo Judæus: Manus ejus ne à terra quidem quanta, quanta; imò nec à mundo univerſo ſuſtineri poteſt; ideoque digitum tantum admovet, ut pœnas etiam graviſſimas infligat, ut operetur mirabilia, uti facit & hîc etiam Chriſtus, qui *in digito Dei* ejicit dæmonia. Sed hæc paucis notaſſe ſit ſatis: Videamus, quid ad Scribas & Phariſæos, ſignum poſtulantes, reſponderit Salvator noſter. Lib. 1. de vita Moyſis.

QUÆSTIO QUARTA
LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Generatio mala & adultera ſignum quærit.* Matth. cap. 12. v. 39.

QVÆ SIT ILLA GENERATIO MALA ET ADVLTERA?

Natio Judaica eſt adultera.

GRÆCE legitur, *natio mala*, gens malæ & adulteræ, hoc eſt invida & infidelis, & talis erat eò loci ac temporis natio Judaica, infida Deo, ceu Sponſo, cui ſcilicet in circumciſione ſeſe deſponderat, & jam eo relicto, adhærebat dæmoni, praviſque ejus ſuggeſtionibus. Ita S. Hieronymus, Chryſoſtomus, Euthymius, Theophilactus, cujus fuit hoc placitum:

Adulteram generationem vocat, quia deſciſcebant à Deo, & adhærebant dæmoni.

Falſa.

Et hæc prima hujus voculæ, *adultera*, explicatio, cui affinis eſt altera, hoc eſt *adulterina*, ut aurum dicitur adulterinum, quod non eſt verum aurum; ſed falſum, & veri ſpeciem tantum habet, non autem rem ipſam: & talis erat Iſraëlitica natio, quæ Iſraëlis nomen habebat, non verò rem ipſam.

Degener.

Et hæc ſecunda illius vocis interpretatio, cui accedit tertia, ut *adultera* eadem ſit quod degener: degener, inquam, à fide & moribus Abrahæ, Iſaaci, Jacobi, & aliorum Patriarcharum, quos ut parentes habebant, & à quorum fide degenerabant.

Hi enim crediderunt in Meſſiam etiam futurum ex Prophetarum oraculis tantum; Scribæ autem, & Phariſæi etiam præſentem, & tot miraculis probatum agnoſcere noluerunt, ideoque rectè dicuntur & ſunt *adulteri*, vel, ut Hebræi legunt, *Benechar* id eſt filii alieni, alieni, inquam patris, puta adulteri ac ſpurii.

Spuria.

Et hæc de illa vocula, *adultera*; videamus, cur *adultera*? & qui etiam modò adulteri? & quàm varii?

Anima fidelis ſponſa Chriſti quot titulis?

Ut ea quæſtio ponatur in aperto, claraque luce, id ſtatuo, hominis animam eſſe poſſe Dei, Chriſtique ſponſam, & hoc alio, atque alio cœleſtium donorum appulſu.

Cap. 2.

Primùm enim à fide, quam haurit anima ad aquas, & baptiſmi fontes. De hac ſic Oſeas Prophetæ: *Deſponſabo te mihi in fide.*

C. 61. v. 10.

Deinde à *Gratia*, quæ ſi prima ſit, hauritur & illa à baptiſmo, quo eluitur anima, ſin autem ſecunda, petitur à Pœnitentiæ Sacramento, in quo anima, ſi fortè à gratia exciderit, eidem redditur Pœnitentiæ beneficio. De hac ſic apud Iſaiam: *Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo*, & rationem gaudii, atque exultationis mox adiicit; quia *induit me veſtimentis ſalutis, & indumento lætitia circumdedit me, quaſi ſponſam ornatam monilibus ſuis.* Veſtimenta ſalutis & indumentum luſtitiæ, eſt gratia; monilia verò ſunt virtutes aliæ, quas morales dicimus & quæ gratiam ſequuntur, ut Dominam pediſſequæ.

Oſeæ 2. v. 19.

Denique, anima juſti fit Dei Chriſtique ſponſa in Cœli regia, ſedeque beatitatis. Et de hac ſic ipſum Numen, ore, calamoque Prophetæ. *Sponſabo te mihi in ſempiternum.*

Adulteri qui?

His ita conſtitutis ex Dei placito, ex Scripturæ oraculis, attendamus quomodo Scribæ & Phariſæi ſint ex vero *adultera natio.* Oſtendemus ex ipſo adulteræ genio.

Nihil ſimilius re, nihil magis uſitatum eſt adulteræ, quàm bona verba ſponſo dare, rem autem præſtare peſſimam: quid enim illa? Cor ſuum illa, amores ſuos illa dat ganeoni, magna ſponſi ſui injuria, dedecore magno, infamia magna: ut autem ei imponat fraudulenta, ſeque ab illo ſervet incolumem, ei verbis blanditur amiciſſimis; quid enim illa?

Tu vita mea, tu anima mea, tu amores mei, tu ſolatium unicum & quò turpiorem in eum ordiatur telam, eò ſecuriorem reddit fucatis illis verbis & adulatione blanda.

Sic & Scribæ, ſic & Phariſæi ad Chriſtum, Magiſtrum paſſim vocant, qui à Deo venit, qui viam Dei in veritate docet, qui non accipit perſonam hominum, & cui non eſt cura de aliquo: blanda verba, bona verba; ſed res peſſima, intentioque peſſima: eam excipiamus ore, calamoque Evangeliſtæ. Sic enim, inquit: 1. Scribæ & Phariſæi.

Tunc abeuntes Phariſæi, conſilium inierunt, ut IESVM caperent in ſermone, utque caperent, *mittunt ei diſcipulos ſuos cum Herodianis dicentes:* Matth. c. 22. v. 16.

Magiſter ſcimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non eſt tibi cura de aliquo, non enim reſpicis perſonam hominum.

En bona verba, en adulatio blanda, en laudes plenæ fuco, plenæ malitia & dolo: ad quid enim & hæc & illa? *Vt caperent JESVM in ſermone*; ut traducerent apud plebem, ut Cæſari redderent odioſum, verbo uno, ut perderent, ex verò adulteri, qui Chriſto, ceu ſponſo, dant amica verba, animo prorſus inimico. quid facias? eſt generatio adultera, adulteræ natio, quæ loquitur, quæ agit omnia, ex genio adulteræ, quæ dum blanditur ſponſo ſuo, fidem fallit.

Hanc porrò generationem, compoſuit aliquando Deus ore Jeremiæ cum Hyena: ſic enim de illa aliquando queſtus: *Spelunca latronum facta eſt domus iſta.* Septuaginta legunt: *Spelunca Hyenæ facta eſt domus mea mihi.* C. 7. v. 11.

Eſt Hyena animal vafrum, doloſum, ſimul & efferum ac perfidum: dolos porrò ac perfidiam ex eo agnoſces, quod ut notat Plinius, canum latratus imitetur, ut eo latratu canes alliciat, allectoſque devoret: imò, quod in animali mireris ac ſtupeas, accedit ad ipſa paſtorum tuguriola, & ſi fortè paſtoris alicujus nomen inaudierit, aure retinet, ſilentio paulisper premit, & mox vocem quaſi humanam effingit, paſtoremque ſuo nomine compellat, ſicque ad ſe allectum invadit, rapit, diſcerpit. Plin. lib. 8. c. 30. Hyenæ ſimiles.

Quod Hyena canibus, quod paſtori, hoc Scribæ & Phariſæi Chriſto: cum ſuo nomine compellant, *Rabboni, Magiſter*, & ſic vocatum, & quaſi illectum, calumniis impetunt, ore devorant, & facto perdunt, & hoc ex genio adulteræ, quæ ubi amores ſuos aliò traxit, avertitque à ſponſo ad adulterium, illum ſubinde aut veneno, aut ferro tollit, quod & Chriſto ſponſo fecere Phariſæi, qui eum tandem in crucem egerunt. Nec mirum, quia adulteri. ſed abeamus ab illis, & videamus qui præterea adulteri.

Ii ſunt

II. Hypocritæ. Ii ſunt Hypocritæ, qui aliud ore, aliud corde tegunt & celant: ore quidem ſpecioſa omnia, Sancta omnia, divina propè omnia; & corde, & animo, turpia omnia, mala omnia, terrena omnia, averſa à Deo omnia.

De his ſic Dominus Iſayæ voce: *Populus iſte, ore* C. 29. v. 13. *ſuo & labiis ſuis glorificat me, cor autem ejus longè eſt à me.* Is fuit populus Judaicus, cui nihil in ore frequentius, quàm *Domine, Domine, Templum Domini, Templum Domini*, & his affinia nomina, quibus Deum colere, Chriſtum revereri videbantur: at re tamen ipſa, & à Deo, & Chriſto Servatore ſuo alieniſſimi, ex vero hypocritæ atque adulteræ ſimiles, quæ ſponſo dat verba, dat ventoſam linguam; at cor ipſum mundo, carni, dæmoni mancipat, dum mancipat amores ſuos, ſtudiaque ſua; quibus acce-

III. Hæretici. dunt Hæretici, qui à fide, quam Deo dederunt ad Baptiſmi fontes, longius abeunt, abeunt à Spiritu divino ad ſpiritum privatum, quo ſe regunt, à Scriptura ſacra, quam adulterant & detorquent ad errores ſuos, & relicto genuino ſenſu, ad interpretationes adulterinas deflectunt, ex vero *generatio adultera*, cui etiam ſe adjungunt mali Chriſtiani, qui & ipſi

IV. Mali Chriſtiani. aliud extrinſecus, aliud intrinſecus profitentur.

Extrinſecus oves, intrinſecus lupi, extrinſecus quaſi Deo ſacri, intrinſecus Deo & Angelis abominabiles, quibus conveniret imago illa quæ olim Ezechieli objecta.

Raptus ille in ſpiritu in Jeruſalem, ibique vidit

Cap. 8. Idololatriam, & abominationes quadruplices, quæ fiebant in templo, & quidem primò, Idolum zeli;

V. Sacerdotes. 2. depicta Idola in exedris, & Sacerdotes eis thurificantes. 3. Mulieres plangentes Adonidem. 4. Sacerdotes obvertentes terga Sancto Sanctorum, adorare Solem orientem. Juvat audire, quæ ad illum

verſ. 5. Deus; ſic enim, inquit, *Fili hominis leva oculos tuos ad viam Aquilonis*, & levavi, & ecce Idolum zeli: tum

verſ. 6. illi Dominus. *Fili hominis putáſne, vides tu quid iſti faciunt? abominationes magnas? videbis & majores*, utque videret ſic illi Dominus:

verſ. 8. Fili hominis, *Fode parietem*: & cum *fodiſſem parietem* apparuit oſtium unum. Et dixit ad me:

verſ. 9. *Ingredere, & vide abominationes peſſimas, quas iſti faciunt.*

verſ. 10. *Et ingreſſus vidi, & ecce omnis ſimilitudo reptilium, & animalium abominatio, & univerſa idola domus Iſrael, depicta erant in pariete, in circuitu per totum.*

verſ. 11. *Et ſeptuaginta viri de ſenioribus domus Iſraël, & unuſquiſque habebat thuribulum in manu ſua, & vapor nebulæ de thure conſurgebat.* Et dixit ad me:

Adhuc converſus videbis abominationes majores, & introduxit me per oſtium portæ Domûs Domini, & ecce ibi mulieres ſedebant plangentes Adonidem. Et dixit ad me:

verſ. 15. *Certè vidiſti Fili hominis, adhuc converſus videbis abominationes majores his.*

Et introduxit me in atrium Domûs Domini interius, & ecce in oſtio Templi Domini, inter veſtibulum & altare, quaſi viginti quinque viri, dorſa habentes contra Templum Domini, & facies ad Orientem, & adorabant ad ortum Solis.

A Solymæ tectis tranſeamus ad Dei Domum, ad Eccleſiam, quam Chriſtus ceu animarum Sponſus, elegit in ſponſam, penetremus intima mentium, & ſecreta conſciéntiarum audiamus, & nobis dictum credamus, quod Ezechieli.

Fili hominis fode parietem, oſtium aperi conſcientiarum, ingredere, & vide abominationes peſſimas, quas faciunt etiam Chriſtiani, & videbis, VI. Peccatores omnes. quæ olim Ezechiel.

Videbis, inquam, primò ſimilitudinem omnium reptilium & animalium, *Leonis per ſuperbiam, Lupi per voracitatem, aſini per ſtoliditatem, vituli per laſciviam, Tauri per extollentiam, Pardi per hypocriſim, Simia per geſticulationem, Hyena per crudelitatem, Ericii per aſperitatem, Oricis per pigritiam, Aſpidis per inobedientiam, Hirci per infamia fœtorem, Apri per iram, Porci per immunditiam, Canis per invidiam, Cameleonis per ſimulationem, Leporis per timiditatem, Serpentis per calliditatem, Vulpis per hæreſim, Cameli per gibboſitatem, id eſt divitiarum & avaritiæ ſarcinam.*

Ecce quæ homini ſimilitudo reptilium, & animalium; ſimilitudo, inquam vitiorum, quæ illis quidem natura indidit, etiam ſine noxa: at Chriſtianis non ſine gravi culpa.

Videbis deinde idola depicta in animi pariete, & in circuitu per totum, tot ſcilicet idola, quot vitia, & quidem in cupido pecuniam & avaritiam, quæ eſt idolorum ſervitus, in ambitioſo honorem & celſitudinem, in ebrioſo vinum & Bacchum, in obſceno cupidinem & venerem, in hæretico proprium judicium: hæc enim omnia ſunt idola, quæ quiſque vitioſus in animi ſui pariete depingit, & quibus ſeſe inclinat velut diis ſuis; nec tantum vulgus & popellus, ſed quod horreas ac deteſteris, etiam ſeniores, etiam judices ac magiſtratus, ut olim ex Iſraële ſeptuaginta de ſenioribus ſtabât in medio, ante picturam, ante idola picta, & unuſquiſque habebat thuribulum in manu ſua, & iis adolebat incenſum: ſic & è Chriſtianis, proh dolor, pudorque! plerique etiam in foro & roſtris, etiam in judiciis & avaritiæ ſuæ, & injuſtitiæ, ceu idolis, thus incendunt: neque hi tantum, ſed & Sacerdotes in oſtio templi Domini, inter veſtibulum, & altare, dorſa habentes contra templum Domini, id eſt averſi à Deo vel beneficia beneficiis accumulant inſatiabili cupiditate, vel eorum proventus opimos in luxuriam & venerem fœdè prodigunt, vel ditandis conſanguineis, extollendiſque etiam ſupra ſortem effundunt contra Eccleſiæ leges & pacta, contra ſacros Canones, qui Beneficiorum fructus, ceu bona Domini, ceu res pauperum, ceu patrimonium Crucifixi, aut in egenos diſtribui, aut ad pia opera traduci decernunt.

Denique, etiam Chriſtianæ mulieres, etiam Virgines Deo ſacræ, ſedent in otio, & inerti deſidia, Adonidemque dum plangunt, colunt ac velut adorant, & hoc *in abſcondito cubiculi ſui*, in quo & efferunt impium illud atque atheum. *Non videt Dominus* verſ. 12. *nos*, dereliquit Dominus terram; efferunt, inquam, atque in reluctantes auras emittunt illud, ut majore licentia, audaciaque peccent, dum opinantur non eſſe ſe ſub oculis Dei, omnia tamen contuentis, etiam in tenebris abdita, etiam in occulto cubiculi parata, in quas & illud Chriſti cadere poſſet: *Generatio mala, atque adultera*; verè adultera, ut quæ Chriſto, ceu cœleſti ſponſo, datam fidem fallit.

Digitized by Google

QVÆSTIO QVINTA
LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Et ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Ionæ Prophetæ.* Matth. cap. 12. verſ. 39.

CVR SIGNVM IONÆ, NEC ALIVD?

CUm Joannes Baptiſta diſcipolos ſuos emiſiſſet ad Chriſtum, ut ex eo quærerent illud. Matth. c. 11. verſ. 3. *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* hoc eſt Meſſias es tu? reſpondit Chriſtus, non per verba; ſed facta, puta miracula: addidit enim: Euntes renunciate Joanni quæ audiſtis & vidiſtis. *Cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt.* Ita nimirùm his probavit ſe eſſe Meſſiam, à tot ſæculis in lege promiſſum.

Cur non alia miracula? Cur igitur Scribis & Phariſæis ſignum petentibus, non obtulit eadem omninò ſigna? cur non alia, quæ deinde facturus erat ad uſque vitæ mortiſque confinia? cur non ea, quæ in occaſu vitæ, in ara Crucis, cùm in ea caderet ſalutis humanæ victima? cur non Solis deliquium? cur non terræ motum? cur non diſciſſa marmora? cur non mortuos vitæ redditos & luci? cur iis omiſſis, quæ jam in oculis erant, objicit illis ſignum Jonæ Prophetæ?

Voluntas ejus eſſe potuit rationum inſtar omnium, quia tamen illa nuſquam eſt ſine ratione, eam hîc inquiremus. Ea poteſt eſſe alia atque alta: poteſt enim vel à Chriſto peti, vel à Jona Propheta, & tam hujus, quàm illius analogia, vel denique à Scribis ipſis ac Phariſæis.

Ab his eſt illa, volebant illi ſignum è Cœlo ad vanam oſtentationem, ſpiritu utique vano altoque ſupercilio, quod odit horretque Chriſtus, qui idcirco dat ſignum Jonæ, hoc eſt de profundo maris, dat ſignum ſuæ Reſurrectionis è terra, è tumulo; è ſublimi nihil. Ita Gloſſa interlinealis.

A Chriſto eſt iſta, quòd eo ſigno pateret, cur mortuus, cur affixus Cruci, ut ſcilicet mundi Salvator, ut reparator generis noſtri, qui cùm è terra ſurrexit; & mortis & peccati domitorem ſe oſtendit, ut Cœli terraque Dominum, verbo uno ut Meſſiam.

Cur à Jona? A Jona denique eſt illa, quòd hic figura eſſet Chriſti, & ſepulti & reſurgentis; ut enim Jonas fuit in ventre ceti, tribus diebus & tribus noctibus: ſic & Chriſtus in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus: ut deinde Jonas luci redditus evaſit è ventre ceti, ceu ductili quodam ſepulchro; ſic & Chriſtus ex imo terræ, & ſepulchri tenebris ſeipſe vitæ reſtituit, & luci, & in quo ſanè ſe Deum probavit, & vitæ mortiſque dominum.

Et hæ rationes faciunt pro Jona, & Chriſto: quæ ſequuntur pro hujus, atque illius analogia, quam explicabimus D. Auguſtini calamo, ſic ille in ſymbolo ad Catechumenos.

Lib. 4. *Miſſus Jonas* in Niniven, ut ejus finem prædicaret, miſſus Chriſtus à Patre, ut finem mundi omnibus demonſtraret. Fugit Jonas in Tharſis à facie Domini. Fuga velox tranſitus Chriſti. Aſcendit navem Propheta, lignum Chriſtus. Irruit tempeſtas in mari, perturbatio maris perfidia Judæorum. Data eſt ſors ut Propheta fugitivus in mare mitteretur, ſors data ſuprà Chriſti veſtimenta, ut unitas omni mundo prædicaretur. Projectus eſt è navi in mare Jonas, mors Chriſti in cordibus Gentium collocata eſt. Suſceptus eſt à beſtia Propheta cuſtodiendus, non comedendus; audi hic vocem Chriſti per Sanctum David. *Non derelinques animam meam apud inferos, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* Homil. 2 de Paſcha. In ventre beſtiæ marinæ poſitus oravit Jonas, in infernũ Chriſtus deſcendẽs mortuos reſuſcitavit. Tertio die Propheta littori incolumis eſt redditus, die tertiâ Chriſtus de ſepulchro ſurgens, ſuper Cœlos eſt exaltatus. Ad prædicationem Jonæ Prophetæ, per pœnitentiam ſalvata eſt Civitas; per Chriſti prædicationem Sancta Jeruſalem redempta eſt Civitas. Hactenus D. Auguſtinus, cui non abſimilia addidit Euſebius Emiſſenus, ex quo etiam pauca.

Ionas iram Domini prædicaturus ad magnam Ninivitarum deſtinatur civitatem, & Chriſtus ad mundi mittitur civitatem; Ionas navem expetit, Chriſtus Eccleſiam. Ionas fluctibus agitatur, & Chriſtus mundi turbinibus exercetur. Niſi Ionas perditum detur, naufraga navis periculum non ſedatur, ſic & non liberatur Eccleſia, niſi Chriſti morte ſalvetur. Ionam cetus piſcis excipit immerſum, ſed non contigit devoratum, & quem malitia hominum perdidit, beſtia eſuriens cuſtodivit. Et Chriſtus quem ſæva mors, inexplebilis bellua, in eſcam ſuam rapuit & prædam ſuam captiva contremuit. Præcepit Dominus piſci, & evomuit Ionam in aridam; præcepit morti ſemper eſurienti, præcepit abyſſo & inferno, ut mundo reſtitueret Salvatorem. Evomuit autem cùm ex imis viſceribus mortis victrix vita remeavit, atque eam ex imis præcordiis inferni, perditio exulcerata reddidit. Hæc Euſebius, à quo tranſeo ad Chryſologum, qui rationem reddit, cur non daretur ſignum aliud generationi illi peſſimæ, niſi ſignum Jonæ Prophetæ: quia, inquit, ſicut *Jonas ſignum fuit Ninivitis, ita erit & filius hominis generationi iſti:* cujus & cauſam hanc adjicit. Serm. 37.

Quia Judaica perfidia fluctuante, inferni Chriſtus demiſſus eſt in profundum; & triduano curſu tota tartari occulta percurrens, & Iudaicæ incredulitatis, & Majeſtatis ſuæ, ac perempta mortis dedit indicium cùm reſurgeret; qui deinde & rationem addit, cur ſurgent Ninivitæ in judicio, & condemnabunt illam generationem: *Quia,* inquit, *illius unius Prophetæ naufragi, advenæ ignoti præconio corriguntur, iſti poſt virtutes tantas, mirabilia tanta, cum toto reſurrectionis coruſco ad fidem non veniunt, ad pœnitentiam non moventur.* Hactenus ore aureo S. Præſul quo cum finio.

QUÆ-

QUÆSTIO SEXTA
LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Fiunt noviſſima hominis pejora prioribus.* Matth. cap. 12. verſ. 43.

QUÆ SINT ILLA NOVISSIMA PEIORA PRIORIBUS?

INSISTIT Servator materiæ, de qua inciderat quæſtio, videlicet expulſionis dæmonum, quæ cùm à Chriſto fieret, Scribæ & Phariſæi ex invidiæ genio, & maledicentiæ ſpiritu, calumniabantur fieri à Beelzebub, dæmoniorum principe, quam calumniam ut repellat Chriſtus, ſimulque oſtendat, quod periculum adirent, parabolam proponit, Syrorum more, modoque: eſt autem ejuſmodi.

Sicut homo exul, & profugus vagatur per arida, incultaque loca, ſic & diabolus Dei digito pulſus ab homine, quem jam occuparat, hoc eſt à vobis, ô Judæi, qui fuiſtis aliquando Dei populus, Dei ſedes, vagatur per avia, & invia loca, & requiem quærit, quam cùm non inveniat niſi in homine, videatque vos jam oblatam à me gratiam contemnere, ad vos redit, tanquam ad domum vacuam, cui ut pejus ſit, aſſumit ſeptem alios ſpiritus nequiores ſe, tum ut ſimul animis veſtris jucundius perfruatur, in eo ſociorum dæmonum comitatu, tum ut expellatur difficilius, tum ut vos nequiores reddat, quod & facit. dum in me, meamque doctrinam, ac miracula blaſphemias jacere facit ac dicere, me in Beelzebub principe dæmoniorum ejicere dæmonia; tum denique, ut me ad mortem uſque perſequamini, quod ſummum eſt in vobis ſcelus.

Pejora quæ?

Hæc ubi in Scribas ac Phariſæos extulit, tum adjicit ad extremum illud: *Et fiunt noviſſima hominis illius pejora prioribus*; pejora, inquam, quia ſcilicet pro uno diabolo, quem expuli, ſubintrant ſeptem alii pejores prioribus.

Et hæc paucis dicta ſint pro litterali ſenſu, à quo verbulo tranſeo ad myſticum & moralem: Anima peccatrix eſt domus illa vacua, vacua dico gratiâ, vacua & Deo, ideoque capax ut ſit diaboli domus.

Quæ domus vacua.

Scopis eſt mundata, quia everſa, expulſaque ex ea virtus omnis, ſi fortè fidem excipias & ſpem.

In hac quietem quærit atque invenit malus dæmon, nullibi aliàs inventurus, quia (ut annotat Abulenſis) *quando nocere homini poteſt, tum quieſcit aliquo modo*; & hoc ex invidiæ genio, & malevolentia; invidiæ quidem, quia homini invidet cœlum ex quo cecidit; malevolentiæ autem, atque in Deum odii, cui cùm nocere non poſſit, nocet illius imagini, id eſt homini, & nocendo quietem quærit ſibi, atque invenit. Quia ut obſervat D. Chryſologus:

Diabolus hominum damnum, ſuum computat lucrum; & quod perierit hominibus, hoc ſe æſtimat acquiſiviſſe.

Noviſſima quæ?

His ita ea litterali, moralique ſenſu explicatis, venio ad quæſtionem initio propoſitam, quæ ſint illa *noviſſima hominis pejora prioribus?*

Recidiva.

Verbo expedio. Eſt relapſus in peccatum pejor omninò lapſu, ſicut pejor eſt morbo recidiva morbi.

Injuria in Deum.

Eſſe autem pejorem, patet ex eo, quòd recidivus ſit injurius Deo, Divæ Matri, Superis omnibus, ſibi ipſi; atque inſuper quàm maximè noxius.

Explicemus paucis ſingula capita, & quidem primò, quomodo in Deum ſit injurius.

Injurius eſt ex eo capite, quod *diabolum Deo præponat*, quod apertè declarat Tertullianus eo quo ſolet eloquentiæ nervo:

Pœnitens, inquit, *dum in priſtina peccata relabitur, eaque quaſi canis ad vomitum relambit, Diabolum Domino præponit. Comparationem enim videtur egiſſe, qui utrumque cognoverit, & judicat pronuntiaſſe eum meliorem, cujus ſe rurſum eſſe maluerit: ita qui per delictorum pœnitentiam, inſtituerat Domino ſatisfacere, diabolo per aliam pœnitentiæ pœnitentiam ſatisfaciet*: ſatisfaciet, inquam, ſed execranda, pœnitentiæ pœnitentia, à qua & aliud ingens malum, quod & deplorat, & damnat ille ipſe Tertullianus, qui clarè probat, quod recidivus non ſolum diabolum Domino præponat; ſed & erigat, faciatque ut Deo quodammodo inſultet: ſic enim arguit:

Lib. de pœnitent. c. 5.

In Dominum peccat, qui cum æmulo ejus diabolo pœnitentiâ renuntiaſſet, & hoc nomine illum Domino ſubjeciſſet, rurſus eundem ſuo regreſſu erigit, & exultationem ejuſdem ſeipſum facit.

Suprà.

Cum à primo crimine pœnitentiam egiſti, renuntiaſti diabolo, eumque Deo ſubjeciſti, ceu vile mancipium, ceu edomitum hoſtem: at ubi rurſus in peccatum incidis, eum ſic erigis, ut Deo quaſi victor inſultet, dum te victum tenet & quaſi ſpolium Deo ereptum oſtentat, quod certè Deo de te per pœnitentiam victori injurium eſt.

In Dei matrem.

Sed & injurium Divæ Matri, quod familiari ſimilitudine oſtendo, etiam in humanis.

Sit unus aliquis reus læſæ majeſtatis, ſit ſub Rege judice, jam jam damnandus ad ferrum, ad ignem; pro eoque ſupplex Regina ad Regis pedes accidat, & veniam impetret, ac deinde ille ipſe reus, & ſui immemor, & Reginæ ingratus ac perfidus, in alia, atque alia ſcelera delabitur, & quidem ejuſmodi, quæ reum ſtatuant læſæ rurſum Majeſtatis: quid de illo dixeris? dixeris certè in Reginam vel maximè injurium.

Quod in civili foro, quod in judicio ac tribunali humano pronuntiaris, hoc pronuntia in cœleſti ac divino.

Eſt Dei Mater, cæli terræque Regina, eſt & Mater miſericordiæ, eſt & peccatorum refugium, eoque titulo ac nomine, cum peccaſti, ſupplex ad Deum venit, veniam poſtulavit, impetravitque. Tu vero, ô recidive, in Deum rurſus peccans, in Deum inſurgis improbè, & quà licet, quà non licet Deum tollis in teipſo, Deum negas impiè: atque ita in Reginam, Deique Matrem injurius es quàm maximè: ſed & in Chriſtum ejus filium. quod alto cum gemitu deploravit aliquando D. Bernardus, argumento petito ex ipſa Chriſti reſurrectione, ipſaque Paſchatis etymologia, quæ vel ſuo nomine damnat recidivam, & ſic inquit:

In ejus Filium.

In hac præcipua ſolemnitate, quid commendetur nobis ſedula cogitatione perpendamus.

Nempe Reſurrectio, tranſitus, & tranſmigratio. Chriſtus enim, fratres, non recidit hodie; ſed reſurrexit, non redit, ſed tranſit; tranſmigravit, non remeavit.

Denique

Denique & ipſum quod celebramus Paſcha, tranſitus, non reditus interpretatur. Hæc ubi dixit, ex ipſa Paſchatis notione, & Paſchali ſolemnitate, tum elabitur longius, atque invehitur in eos, qui huic & illi injurii, qui in priora ſcelera recidivi, non ſine aliqua ipſius ſolemnitatis injuria, quam ſic luget ac plorat.

Obnubilat, inquit, *fratres, ſolemnitatis lætitiam materia triſtior; ſed & ipſius plangimus ſolemnitatis injuriam, quam diſſimulare non poſſumus, nec in ipſa, imò multò minus in ipſis.*

Serm. 1. de Reſurrect. *Proh dolor!* inquit, *peccandi tempus recidendi, facta eſt reſurrectio Salvatoris. Ex hoc nempe commeſſationes, & ebrietates, redeunt cubilia, & impudicitiæ repetuntur, & laxantur concupiſcentiis fræna, quaſi ad hoc Chriſtus, & non magis ad juſtificationem noſtram.*

Hæc ubi exulit S. Præſul, tum converſa ad recidivos illos oratione, ſic exclamat:

Sic honoratis miſeri Chriſtum, quem ſuſcepiſtis? venturo paraſtis hoſpitium, confitentes peccata cum gemitu, caſtigantes corpora, eleemoſynas impendentes: & ecce ſuſceptum produtis inimicis; imò exire compellitis, priores nequitias admittendo, ut eo ſaue in Chriſtum Virginis filium injurii, ſed & etiam in ſuperos.

In Superos. Amabilis Dei providentia eos cœlo aſcivit, & beatitati, ut pro nobis ſupplices venirent, ſi quando ſceleris alicujus rei, ſalutis periculum adiremus: & verò ſupplices veniunt, noſtri apud Deum oratores, in quos profectò injurii ſumus, ſi eorum interceſſionibus accepta priorіs culpæ venia, in aliam, atque aliam recidivi labimur, quod diſces à ſimili.

Sit in curia unus aliquis accuſatus, & convictus de crimine læſæ Majeſtatis humanæ, pro eo apud Regem ſupplicabundi accedant Aulæ principes, Regnique proceres, & genu flexo, ſi voles, culpam remitti petant, atque impetrent. Si deinde reus, ſibi & libertati redditus, in Regem, regnique jura temerarius, quid moliatur, nonne in proceres tibi videbitur injurius? videbitur enimverò, & eò quidem, ut qui pro illo viſi ſunt interceſſores, depoſita ſupplicis perſona, judicis ac vindicis perſonam induant.

Quod in humanis, hæc & in divinis: in his ut recidiva pejor; ſic & pœna gravior: exemplo res erit illuſtrior.

Surius in ejus vita. Diaconus unus aliquis, cui nomen *Danſe.ius* cum divinis impenſius vacare deberet officiis, Deoque pro inſtituto ſuo accinere, *B. Conſtabilis*, Abbatis Cavenſis ſepulchro ſæpiùs indormire ſolitus, pigra ſanè damnandaque ſocordia. Non tulit S. Præſul id ſibi & ſepulchro ſuo injuriæ, ſed per ſomnum ita ſeverè monuit: *Quare tu ex ſepulchro meo grabatum facis?*

His reſipiſcere viſus eſt Diaconus, & ſoporem illum excutere, & vincere ad menſes aliquot: deinde ſomno rurſus inclinare, cedereque viſus, cui iterum apparens Abbas, hæc etiam illi; ſed ſpiritu, voceque acriore: *Nonne dixi tibi ne de ſepulchro meo grabatum faceres.*

Pupugit ea vox Diaconum, terruitque, & vigiliæ, ſibique reſtituit: at non ſine dolore, & gemitu, ſenſit enim brachium contractum, ſtupidum, atque immobile. Ita nimirum injuriam à recidiva & ſibi, & tumulo quodammodo illatam, ultus eſt vindex Præſul, qui prius pro illo ſupplex. Nec mirum, ſi

In ſeipſum. ſuperi, Deuſque puniat infidum caput. Quidni enim infidum dixero, qui obligatam in pœnitentia fidem toties fallit, Deo & ſuperis injurius, & ſibi etiam noxius: noxium agnoſces ex aliis, atque aliis capitibus, è quibus hoc primum.

Quod à recidiva difficilior ſit curatio: evenit enim in peccatis (qui morbi ſint animi) quod in corporis ægritudine, in qua recidiva periculoſior, quia curatu difficilior.

Vulnus accipiat unus aliquis, primum non difficulter ſanatur, ſecundum, & tertium ægerrimè.

Os alteri frangatur, & primò facilè reſtituitur in integrum; frangatur ibidem ſecundò, difficilius, tertiò nequaquam.

Luxetur alicui brachium, levi opera ſibi redditur; luxetur iterum, iterumque, vix eſt modus ut in priſtinam ſedem revocetur, & maneat.

Quod in corporis morbo & vitiis: hoc & in animi ægritudine, quæ à culpa obvenit. Si à recidiva fuerit illa, remedium adhibebitur difficillimè.

Hoc argumento uſus aliquando D. Eligius Epiſcopus Novionenſis, qui ſic ad ſuos è pulpito. Homil. 16.

Si alicui crus frangatur, aut manus, cum labore ſolet ad priſtinum revocari officium, ſi verò ſecundò, aut tertio eodem loco membra frangantur, poſt multos, & longos labores, vix erit unquam, ut ad priſtinum ſtatum membra ipſa valeant revocari. Similis ratio in animarum fracturis exiſtimanda eſt.

Fractura porrò prima, eſt primum ſcelus admiſſum in animum, à quo frangitur illius vis, & robur, velut in corpore oſſa: ſecunda, & tertia eſt recidiva in idem ſcelus; à quo & difficilior curatio, difficilior & medicina, uti & in morbis. Peccatum enim eſt animi morbus, recidiva in morbum eſt recidiva in peccatum, cui proinde difficilior medicina. Audi quid de illa S. Cyrillus:

Incaſſum, inquit, *ſumitur medicina ſi poſt inſtauratam ſanitatem, per vitæ incontinentiam, qui convaluit in priſtinum incidat morbum.*

Ex hoc ergo capite recidivus eſt ſibi noxius, ſed & ex illo, quod per frequentiorem relapſum in idem crimen, naſcatur in anima habitus, ſeu facilitas quædam labendi: eſt enim habitus ille veluti quoddam pondus aggravans, & inclinans in malum: evenit enim à recidiva, quod in ſcientiis ab habitu; naſcitur hic ab actibus frequentatis, & natus facilitat ad omnes omninò actus ejuſdem ordinis, & eò quidem ut quod primò videbatur difficillimum, poſtea ſentiatur facillimum. Sic & in peccatis à recidiva in eadem.

Quod ipſum declarat D. Bernardus, in illa verba Jobi, *quæ priùs nolebat tangere anima mea præ anguſtia, cibi mei ſunt.* Cap. 6 v. 7.

Primùm, inquit, tibi videbitur importabile aliquid proceſſu temporis, ſi acquieſcas, judicabis non adeò grave, paulò poſt benè ſenties, paulò poſt nec ſenties, paulò poſt etiam delectabit, ita paulatim in duritiam itur: ex hac porrò duritia evenit illud, quod ſtylo notavit D. Auguſtinus, *ut peccata quamvis gravia & horrenda, cùm in conſuetudinem venerint, aut parva, aut nulla eſſe credantur.* Lib. 1. de Confeſſ. c. 2.

Cùm venerint, inquit, in conſuetudinem ab actibus ſcilicet repetitis, à qua ſicut & habitus gignitur, ſic & conſuetudo, quæ quantum ſit malum, ex eo diſces, quod ut rectè Publius Mimus: *Graviſſimum ſit conſuetudinis imperium*, cui obſiſtere ut velis quàm maximè, vix poſſis: nec mirum, quia ut habet vetus parœmia, In Enchirid. c. 22.

Conſuetudo eſt altera natura; imò naturâ ipsâ ſuperior ac fortior; excludit enim ab animo quod ipſa natura indiderat.

In natura ſibi relicta, eſt ingenuus pudor, eſt gratus rubor, & hunc & illa omnia depellit ex animo, atque eorum loco inducit impudentiam, procacitatem, audaciam, amplius dico neceſſitatem. Sub hac cum gemuit D. Auguſtinus, ſic de illa, ſuo malo doctus.

Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & conſtrinxerat me. Quippe ex voluntate perverſa facta eſt libido, & dum ſervitur libidini, facta eſt conſuetudo, & dum conſuetudini non reſiſtitur, facta eſt neceſſitas. Lib. 8. Confeſſ. c. 5.

Multa hic, eaque gravia velut in cumulum colligit

ligit D. Auguſtinus, quæ obſervare ſingula erit operæ pretium.

Primum eſt, quòd velle ejus teneret inimicus, quæ ingens & miſeranda ſervitus.

Deinde, quòd ſibi catenam feciſſet, & quaſi funiculos, quibus raperetur, & teneretur obſtrictos; verè enim peccata peccatis addita, catenam faciunt, & veluti funem nauticum, quem ut velis, effringere non poſſis.

Tum etiam ex voluntate perverſa (utique ex multis actibus) facta eſſet illi libido; & prurigo quædam peccandi, cui dùm indulgetur, facta eſſet conſuetudo, cui dum non reſiſtitur, facta eſſet veluti quædam neceſſitas, quæ ſanè ſummum eſt animæ malum, quod omne uti & alia plurima ſunt à recidiva, de qua plura qui volet, inveniet fuſiùs deducta Tom. ſexto operum meorum in Tractatibus Aſceticis, parte tertia, Tractatu de recidiva in peccatum, ejuſque gravitate, damnis, periculis, pœnis, ac remediis, pag. 63.

QUÆSTIO SEPTIMA
LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in Cœlis eſt, ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt.* Matth. 12. v. 43.

QVOMODO FRATER, SOROR, ET MATER?

CUM ad frequentem populum diceret Orator divinus, injecit unus aliquis iſtud quod carnem ſapiebat, & ſanguinem: *Ecce mater tua & fratres tui foris ſtant, quærentes te.* Cui Dominus: *Quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei?*

verſ. 47. — *v. 48.* — *v. 49.*

Tum oratione, vultu, manuque ad Diſcipulos converſa, dixit: *Ecce mater mea, & fratres mei:* grande beneficium, grandis & honos, ut Diſcipuli dicerentur, & eſſent Chriſto & mater, & fratres, non quidem natura, carne, & ſanguine, ſed ſpiritu, ſed gratia, ſed adoptione: nec illi tantum, ſed & ii omnes, qui feciſſent voluntatem Patris Æterni, qui in cœlis eſt: ipſi, inquam omnes, vel ipſo primæ veritatis oraculo, Chriſto eſſent, & fratres, & ſoror, & mater: quod qui fiat, hîc inquirimus.

Gratia & adoptione.

Dixit Dominus & *frater*, & *ſoror*, ut ſic utrique ſexui eſſet benè. *Frater* enim ad virilem ſexum attinet, *ſoror* ad fœmineum.

Quiſquis igitur facit Æterni Patris voluntatem, Chriſti frater, aut ſoror eſt, non natura, ſed adoptione; quippe à gratia ille filius efficitur ejuſdem cum Chriſto patris: hæc autem filia, adeoque ille cum Chriſto *frater* eſt, & hæc ſoror; imò ſubinde mater, quia Chriſtum in ſe, & aliis quodammodo parit, partu ſcilicet ſpiritali, qui fit docendo, prædicando, hortando, conſulendo. Ita D. Gregorius Pont. Max. è pulpito.

Frater. — *Soror.*

Sciendum, inquit, *nobis eſt, quia Chriſti, frater & ſoror eſt credendo, addiderim & amando: mater efficitur prædicando.* Rationem adjicit: *Quaſi enim parit Dominum, quem cordi audientis infuderit. Et mater ejus efficitur, ſi per ejus vocem, amor in proximi corde generatur.*

Mater. — *Hom. 3 in Evang.*

Quod & probat exemplo *S. Felicitatis*, quæ ſeptem omninò filios, quos carne pepererat mundo; ſpiritu parturivit & Deo, dum eos quà nutu, quà voce, ad ſubeundam pro Chriſto mortem animavit. Duplici titulo mater & carne & ſpiritu, & hoc quidem felicios: parum enim erat peperiſſe mundo, niſi peperiſſet & Chriſto. Hic enim partus illius ſervit Cœlo ac beatitati, ille verò terris tantùm, & fortè etiam ſerviiſſet inferis, quod ſanè fuiſſet infeliciſſimum.

Cum D. Gregorio conſenſit D. Auguſtinus, cujus & hoc effatum: *Mater ejus* (nempe Chriſti) *eſt omnis anima pia faciens voluntatem Patris ejus fœcundiſſima caritate, in iis, quos parturit donec in eis ipſe formetur.*

De Virginit. c. 3.

Hoc oraculo probè edocta *S. Victoria* Virgo & Martyr ſub Imperatore Diocletiano Proconſuli roganti: *Vis ire cum Fortunatiano fratre tuo?* liberè reſpondit, *Volo* & rationem addidit: *Chriſtiana ſum, & illi ſunt fratres mei, qui Dei præcepta cuſtodiunt.*

Sur. 11. Feb.

R. P. Lobbetius In Ferias Quadrag. Tom. VII.

Libera illa vox Martyrii lauream illi peperit, carcere quippe clauſa, & fame enecta, in ſinum beatitatis evolavit, delitiis æternis ſatianda.

Chriſtiani fratres.

At cur, inquies, ii Chriſto ſunt & fratres & mater, qui fecerint voluntatem Æterni Patris? rationem unam attuli: addamus & alias ex natura ipſa, aut virtute petitas.

E natura eſt hæc: In humanis nihil carius, nihil magis eſt in amoribus, quàm aut frater, aut ſoror, aut etiam mater; naturæ quippe vinculo, vix ullum majus, vix potentius: at fratris, ſororis, aut matris vinculum naturæ vinculum eſt, vinculum & amoris.

Quod naturæ datum eſt; hoc eſt conſenſioni cum divina voluntate, hoc & voluntati noſtræ, ſi modò non tam noſtra ſit, quàm Dei; imò & Dei. Ab hac certè toti imus in Dei amores, toti ſumus & Dei amor, amor & Patris Æterni.

Cùm aliquando vellet Deus aperire, quo in Eccleſiam futurus eſſet amore, quâve inclinatione divinæ ſuæ bonitatis: hæc ad illam Iſayæ voce calamoque: *Non vocaberis ultra derelicta; ſed vocaberis voluntas mea in ea.* C. 62. v. 4.

Vocaberis, id eſt, eris, ut jure vocari poſſis *voluntas mea*, hoc eſt beneplacitum, complacentia, delectatio, delitiæ meæ.

Conſenſione cum Divina voluntate.

At rurſus unde & beneplacitum, & complacentia, & delectatio, & delitiæ Dei eſt Eccleſia, profectò non aliundè, quàm quòd in ea Dei voluntas, Dei placitum: ſemper enim obedit Deo, ſemper ejus facit voluntatem, & inde in ea ſibi complacet Deus, in ea ſeſe oblectat, in ea ſuas invenit delitias amoréſque ſuos defigit: & quia ſic invenit, ſic defigit, eamdem ſuæ quodammodo potentiæ facit eſſe conſortem, ſuæ & gloriæ.

Et hoc ipſum eſt, quod ejuſdem Prophetæ vaticinio ad Eccleſiam Deus; imò & ad animam Dei voluntati obedientem.

Et eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema Regni in manu Dei tui. verſ. 3.

Eris, inquam, *Corona gloriæ*, hoc eſt Deus tibi ut filiæ erit inſtar coronæ, quæ caput tuum cinget, ornabitque, quod eſt amoris, quod & gloriæ: quis enim poteſt eſſe Dei in animam amor, majorque beneficentia quàm à Deo donari corona gloriæ, corona beatitatis? qui amor major, quæve gloria major, quam ipſi Deo eſſe quodammodo pro

corona gloriæ, hoc eſt, in quo glorietur, ac quodammodo triumphet: at hoc Deo eſt obediens; neque hoc tantum, ſed & *diadema regni.*

Diadema, inſigne regium eſt, & eo donatur obediens, qui ex vero Rex eſt, & Dominus & quidem primò ſui, tum etiam mundi, tum denique & mali dæmonis.

Sui quidem, cum iræ dominatur, gulæ, ſuperbiæ, aliiſque animi paſſionibus, ac concupiſcentiis.

Tum etiam opibus, honori, cæteriſque quæ in mundo ſunt, quibus dominatur inſigni eorum deſpicientia.

Tum denique Diaboli, inferiſque poteſtatibus, quas ſub jugo tenet omnis obediens, & quas velint nolint, habet ſibi obſequentes: cujus imperii teſtem adduco *S. Brigidam* virginem inclytam, & prodigiis nobilem: huic aliquando ſeſe conſpiciendum dederat malus dæmon, in quem cùm defixis oculis hæreret, *S. Briga* Abbatiſſa, quæ illi fortè aderat rogavit, Quem ſic attentè intueretur? cui illa, dæmonem, inquit, & hunc & ego videre optarim ait *Briga*. Cui *Brigida*, Videbis, inquit, atque illicò dæmoni imperavit, ut ſe quoque *S. Brigæ*, viſendum daret. Cui mox dæmon: *Non poſſum tibi non obedire, quæ Deo ſemper obedis.* *Bollandus Tom. 1, Feb. 1. in ejus vita c. 12.*

Dixit, & conſpiciendum ſe obtulit, forma ut aliàs ſolebat horribili; *Brigida* tamen, & *Briga* innoxia. Obedientia.

Ecce uti obedienti regnum eſt atque imperium in dæmones inferoſque omnes, ecce ut iis imperat, ut de iis triumphat, ut in his quoque verum ſit illud Sapientis: *Vir obediens loquetur victorias*: & hoc D. Auguſtini: *Sola obedientia tenet palmam, ſola inobedientia invenit pœnam.* *Prov. c. 21, v. 28.* *In Pſal. 70.*

FERIA QVINTA

HEBDOMADÆ PRIMÆ QUADRAGESIMÆ.

DIvus Gregorius Nyſſenus in Oratione funebri quam habuit in obitu PULCHERIÆ AUGUSTÆ, ait, illuſtrium Heroïnarum acta nobis proponi ac prælegi, non eò tantum ut cadant ſub admirationem; ſed vel maximè, ut moveant ad imitationem.

Et ſic in præſens exhibet Evangeliſta mulierem Chananæam, & hac una vocula: *Ecce*, quaſi digito monſtrat exemplar magnarum virtutum, puta Fidei firmæ, Spei ſecuræ, Charitatis accenſæ, Humilitatis profundæ, Patientiæ invictæ, & conſtantis perſeverantiæ, ut apparebit ex pauculis quæſtionibus, quas hîc ſubjicere eſt animus.

QUÆSTIO PRIMA

HISTORICA ET MORALIS.

Ad illa verba: *Et ecce mulier Chananæa à finibus illis egreſſa.* Matth. cap. 15. v. 22.

QVÆ FVERIT ILLA MVLIER CHANANÆA? Et cur ab Evangeliſta annotetur è finibus illis egreſſa?

De Chananæa quid Gentis?

DE hac muliere prima quæſtio incidit, quid gentis, quid & nominis; altera, cur dicatur è finibus illis egreſſa?

Sacer Hiſtoriographus, *Chananeam* vocat, non quòd eſſet ex Cana Galilææ, ut nonnulli crediderunt, ſed quòd oriunda ex Chananæis, poſteris *Chanaan* filiis Cham: Chananæi enim fuêre populus unus è ſeptem qui Palæſtinam juxta mare incoluerunt: atque ab Hebræis Duce Joſue expulſi fuêre, ſed non ex tota Palæſtina, manſerunt enim in Phœnicia, puta in Tyro & Sidone, quam Hebræi nunquam expugnare potuerunt, expugnavit deinde Alexander Magnus, difficili ſanè & longa ſeptem menſium obſidione, cujus pertæſus, cùm Tyrum in mari ſitam cepiſſet, duo Tyriorum millia cruci addixit & infami ligno, uti teſtis eſt Curtius,

S. Marcus *Chananæam* hanc appellat *Syrophœniſſam*, Syrus, ex *Phœnicia Syria*. Arabicus, *Phœniciam*. Græcus, *Syram Phœniſſam*: & quòd eſſet ex illa *Phœnicia* parte, quæ Syriæ erat contermina: ad diſtinctionem ſcilicet alterius *Phœniciæ*, quæ erat extrà Syriam, ex qua oriundi Libii, Pœni, ſive Afri. *Lib. 4. c. 7. v. 26.*

Et hic fuit Interpretum labor, in exprimenda gente, è qua erat hæc mulier, quod factum non eſt ſine Numine, ut inde Judæis pudor & rubor injiceretur, ut qui Chriſtum concivem ſuum, & è ſuo genere prognatum, non agnoſcerent, non revererentur, cùm tamen & agnoſceret & revereretur hæc *Chananæa*, extranea tota atque Gentilis; tum etiam ut nobis, qui Chriſtiani ſumus, daretur exemplum & ſingularis in Chriſtum fiduciæ & pietatis. Et hæc pauca de illius notione ac gente: de nomine ejuſque Etymologia, ſubjiciamus etiam nonnulla. Quid deinde de nominis?

Appellatur

Appellatur *Chananæa* nomine, & omine ſanè felici: *Chananæa* enim, idem aſt quod *negotiatrix*.

Patet illud ex ipſius Scripturæ uſitata phrſi, in qua *Chananæus*, idem eſt ac *negotiator*.

Prov c. 31. v. 28.

Ita cum mentio incidit de Muliere forti, Sapiens illam commendat etiam ex hoc capite, quod *cingulum tradidit Chananæo*, vel ut Arabicus vertit, *negotiatori*.

Quod ſi *Chananæus negatiator*, Certè *Chananæa*, de qua hic incurrit ſermo, *negotiatrix* eſt.

At quod, inquies, illi negotium? & quorum? profectò non aliud quàm ſalutis, atque æternitatis. Neque cum alio, quàm cum Chriſto, quorum negotium egit, & ſalutis in filiam, & in ſe ſpiritalis lucri, à pretioſis mercibus, & ſuppellectile magnarum omninò virtutum & meriti, & præmii, quod ipſam feret æternitatem.

Et hæc de prima illa Quæſtione, quæ fuit, quid Chananæa Gentis? quid & nominis?

Veniamus ad ſecundam, cur ab Evangeliſta notetur iſtud. *Egreſſa è finibus illis?* nec enim illud eſt, ſine Numine, in Scriptura quippe, ſacriſque Paginis, nec unus apex eſt ſine ratione, nec fortuitò illatus; ſed altiore, ſed cæleſti conſilio, quod indagare erit Interpretum induſtriæ & laboris.

Cur egreſſa.

Ex hoc eruetur ea veritas formandis ritè moribus accommoda, quod ſcilicet ad faciendam orationem, ad Dei Chriſtique beneficia promerenda, eaire oporteat è finibus *Tyri*, & *Sidonis*, hoc eſt è ſceleratis, & impiis, quales erant Thyrii & Sidonii, & civitates illæ à Deo & ſuperis maledictæ: clarius eloquor, abeundum à peccatoribus, à peccatis, & eorum occaſionibus, & earum quaſi finibus.

Cùm Iſraeli voluit Deus depluere è Cœlo manna, cùm & colligi; voluit & iſtud, ſummo manè foras egrederetur extra caſtra; ſic enim ad illum.

Exod. c. 16. v. 4.

Ecce ego pluam vobis panes de cœlo. Egrediatur populus, ut colligat, quæ ſufficiunt per ſingulas dies.

Sed cur illud *egrediatur*? cur extra caſtra? nimirum in caſtris tumultus eſt, populi turba, & undique hominum turmæ, & undæ ſcelerum: extra caſtra, & foris, quies eſt, pax alta, innocentia caſta, quæ ideo aptior colligendo manna, colligendis & Dei miſerentis beneficiis, adeoque & ipſi oranti, qui ad Deum ſupplex venit.

Orator ad Deū egrediatur.

Cùm plagis à Deo illatis urgeretur Pharao, rebelle cœlo caput, urgebat & ipſe Moyſen, ut pro ſe ſuiſque ad Deum orator veniret, ut precibus ſuis iratum ſibi populoque Numen placaret. Quid illi Moyſes?

Exod. c. 8. v. 22.

Egreſſus à te orabo Dominum, & recedet muſca à te, & à ſervis tuis, & à populo tuo.

Egreſſus, inquit, *è palatio, è turba aulicorum, è tumultu incantatorum. Egreſſus à te orabo Dominum.*

Extra turbas, & tumultus.

Ecquid illud? an non ſatius fuiſſet Moyſen orare in Pharaonis aula? in illius oculis, in aulicorum luce, in conſpectu incantatorum? ſic enim & exploratа magis fides, & nota omnibus, & poteſtas ſanctitatis & ſanctitas poteſtatis, ſic & incantatoribus rubor, pudorque, in vultu, & omnibus admiratio, cultus ac reverentia Numinis, quæ ſe explicabat vel in unica Moyſis oratione.

Exod. c. 9. v. 29.

Nihil tamen voluit horum Moyſes: ſed illico *egreſſus à Pharaone oravit Dominum, qui fecit juxta verbum illius*, non facturus intra palatii tecta, atque in oculis Pharaonis.

Quod Pharaoni Moyſes; hoc & Ægyptiis: cùm enim hos, & excuſſa de nube grando ſaxorum inſtar, & fulgura, & tonitrua terrerent, perderentque ſceleſta capita, pro iis ſupplex ad Moyſen venit Pharao, & ſic ad illum:

Orate Dominum ut deſinant tonitrua Dei, & grando; Cui *Moyſes, faciam enimvero, & orabo Dominum*; ſed nonniſi cum egreſſus fuero ex urbe extendam palmas ad Dominum, & ceſſabunt tonitrua, fulgura, fulmina, aliaque irati ætheris flagella.

Sed rurſum cur & iſtud, nonniſi cùm *egreſſus* fuero, cur non in urbe? cur non domi? multum enimvero; hic enim, & illic obſtant ſcelerata capita, ne Deum oret, neve quod orat impetret. Nimirum verum hic & iſtud D. Ambroſii. *Qui ſuis meritis eſt firmus, turbatur alienis.*

Extra conſortiū peccatorum.

Firmus à fide Moyſes, firmus ab inſigni in Deum fiducia, firmus denique à meritis, & magnarum virtutum exemplis; ſed qui ſuis meritis firmus erat, turbari potuit *alienis*. Aulæ ſcilicet fuco, Pharaonis pervicacia, atque obduratione, incantatorum dolis ac fraudibus: adeò verum illud: *Qui ſuis meritis firmus eſt, turbari alienis.*

Matth c. 8. v. 24.

Aſcenderat in naviculam Chriſtus, itaque & diſcipuli ejus, cum *Ecce* derepentè, *motus magnus factus eſt in mari*, ſævientibus utique ventis, turbatoque elemento, & ita quidem ut *navicula operiretur fluctibus*.

At quæ cauſa illius motus? & inde etiam naufragii imminentis? non alia quàm Judas proditor. Audi D. Ambroſium. Sic ille:

In c. 5. Lucæ

Non turbatur navis, quæ Petrum habet, turbatur illa, quæ Judam habet. Etſi multa illic diſcipulorum merita navigabant; tamen eam adhuc perfidia proditoris agitabat. In utraque Petrus: ſed qui ſuis meritis firmus eſt, turbatur alienis.

Erat in ea navi Chriſtus, ipſa ſanctitas, ipſa & bonitas, erat & Petrus altus ex humili, ex aquis evectus ad ſydera, erant & alii Apoſtoli, magnæ illæ puriſſimæque mentes, erat & cum illis Judas, futurus deinde proditor, & ab hujus unius pondere ſubſidit cymba, nec eam tot Apoſtolorum merita poſſunt ſuſtinere, adeo grave peccati, & peccatoris pondus, adeo res plena periculi malorum ſocietas, à qua ut egrediaris oportet ſi tibi velis eſſe benè cautum, ſi ſuperis Deóque acceptum quod poſtularis, ſi tibi beneficum Numen. Fatendum, enim quod res ipſa ſæpè ſæpius docuit, Deum Opt. Max. non concedere etiam ſervis ſuis eas gratias, ea beneficia, quæ aliàs eſſet conceſſurus, ob alicujus peccatoris demerita, atque crimina.

D. Chryſoſtomus orator utique aureus, dicam & entheus totus, potiſſimum verò in ſacratiore illo Miſſæ Sacrificio, in quo & divinæ conſolationis dulcedine diffluere ſolebat, totus & cœleſtibus etiam viſis illuſtrari atque recreari.

D. Chryſoſtomi ariditas à ſacellano miniſtrante.

Die verò quadam dum efferretur eximio quodam, ac ſingulari ardore mentis in Deum. Ecce ſubitò *depulſa fuit viſio S. Spiritus. Deterſa & cæleſtes illæ imagines*; nec ultra à Deo, ut videbatur, auditus.

Metaphraſtes Tom. I. 27 Januar.

Quid hic Chryſoſtomus? hæret attonito ſimilis, atque ingemiſcit, veritus ne ſubſtracta illa lumina, extinctus & ardor, & incaſſum fuſæ preces ſuo aliquo vitio: ſed mox deterſus eſt metus, & reddita quies animo; intellexit enim, Deo revelante, non ea ſua culpa exaruiſſe cæleſtes illos fontes: ſed Sacellani ſui, qui fortè ſacris miniſtrabat, aſpectu curioſo mulieris, in cujus ſcilicet faciem levіuſculè, & liberè nimis oculos conjecerat.

Id ubi, Deo auſpice ac miſerente, audiit Chryſoſtomus, & Sacellano mandavit, ut inde excederet ocyus, & ſe ſibi relinqueret, ac Deo. quod ubi factum eſt, & ſolitus ardor accenſus eſt, & conſueta illuxere lumina, & exauditæ de more preces. Tanti refert emitti procul, qui iis obſtaculū ponere poſſet. Sic (ut eò redeam, unde paululum abii) mulier noſtra Chananæa, *egreſſa è finibus Tyri, & Sidonis*, ut à Chriſto audiri poſſet atque exaudiri, aliàs non audienda: impedimento enim erat vel unicum malorum conſortium.

QVÆSTIO SECUNDA MORALIS.

Ad illa verba: *Egreſſa clamavit.* Matth. cap. 15. verſ. 22.

QVIS ILLE CLAMOR, ET VNDE?

Clamor ecquit?

NE crede, Mi LECTOR, abſque Dei nutu, atque conſilio eveniſſe, ut Evangeliſta notarit eam voculam *clamavit*, contenta ſcilicet voce & valida, contenta & mente, & affectu ſanè valido, à quo & clamor ille validus.

Sed quis, inquies, eſt ille clamor? alius certè, atque alius.

I. Afflictionis. Primus eſt *Afflictionis:* hæc enim clamat, & quidem potenter, atque in Cœlos ipſos evadit, atque ad ipſas Chriſti Deique aures appellit, & miſericordiam impetrat.

Cùm Iſraëlem à tergo urgeret premeretque Exod. c. 14. v. 15. Pharao, ad Dominum clamavit Moſes pro auxilio ſibi & ſuis impetrando, & inde illud Dei ad ipſum: *Quid clamas ad me?*

Inſtabant Philiſtini, & filiis Iſaël incumbebant toti, & quidem denſis agminibus, cùm dixerunt 1 Reg. c. 7 v. 9. ad Samuelem: *Ne ceſſes pro nobis clamare ad Dominum Deum noſtrum, ut ſalvet nos de manu Philiſtinorum.* Ecce ab afflictione clamor & ad Samuelem, & ad Dominum, non futurus, niſi ab afflictione.

A rebelli filio, ab Abſalone, profugus ibat David, ſpiritum collegit, & vocem, quæ ſonaret efficaciùs, quò altiùs: ſic enim de ſeipſo. Pſal. 140. *Domine clamavi ad te, exaudi me.*

A Saule, ad vincula, ad ferrum, ad mortem petebatur David; quæ ut effugeret, in antra, & latebras abdiderat ſeſe. Quid inde? exclamat, atque in Pſal. 129. cœlos emittit illud: *De profundis Clamavi ad te Domine*, non clamaſſet niſi de profundis, id eſt de afflictionibus: maneat ergo afflictiones hujus ævi mortalis clamorem eſſe, & quidem validum. Et is fuit in Chananæa: quæ enim bonæ matri major obvenire poteſt afflictio, quàm ut filia longè cariſſima à dæmonio malè vexetur: quæ etiam filiæ gravior, quàm ut dæmonem, velut hoſpitem peſſimum, admittat in intima corporis, in ipſa cordis penetralia? & hæc afflictio fuit, hic & illius clamor; *clamavit* enim afflicta mater, & hic primus fuit clamor.

II. Deſiderii. Alter fuit ab incenſo deſiderio, quo tota æſtuabat Chananæa; deſiderio inquam, quo ardebat ut à dæmone liberaretur filia.

Ne mireris, Amice lector, quod deſiderium clamorem vocitem. Vatem habeo D. Bernardum. Sic ille quondam.

In Dei auribus, deſiderium vehemens, clamor magnus. Quippe animarum verba, ſunt ipſa deſideria: Hæc porrò concipiuntur corde, & exprimuntur voce, imò vox animi ſunt, & cordis clamor: & is fuit in Davide, qui hæc & ingenuè, & verè de ſeipſo. Pſal. 118. *Clamavi in toto corde meo.* Non latius os deduxi, non linguam expedivi, non labia explicui, non vocem, niſi que cordis eſt. Illâ clamavi, & illâ ſum exauditus, quia Deus magis audit clamores cordis, quàm oris. Lib. 1. de Cain c. 9. *Cor ergo prius clamet, ut ferme poſſit audiri*, inquit Ambroſius.

Et ita clamavit Chananæa mulier, corde primùm, & deſiderio, deinde ore: & hic ſecundus illi clamor fuit.

Tertius fuit Amoris, qui ſe his prodiderit: *Miſerere mei Domine, fili David.*

Miſerere mei, inquit: *mei*, certè, quia magis eſt in filia, quàm in ſe: amans enim magis eſt in amato quàm in ſe: ideo dicit *miſerere mei*, non filiæ, quia filiam amat ut ſe; imò magis quàm ſe. quod & ſolent parentes omnes, ſi modo ii ſint, quos natura eſſe voluit: hac enim duce, ac motrice, parentes magis amant liberos ſuos quàm ſe, eujus rationem reddit Ariſtoteles cùm injicit illam quæſtionem, cur parentes magis ament liberos ſuos, quàm ab iis amentur? III. Amoris.

Cauſa eſt, inquit, quòd amor naturalis deſcendat, quodque parentes optent filios ſibi ſupereſſe, ut poſt mortem in iis vivant, perennent, & quaſi immortales ſint, ac veluti quamdam æternitatem, quam in ſeipſis habere nequeunt, in filiis ac nepotibus aſſequantur.

Et hic amor enituit in muliere illa *Chananaa*, in qua, qui fuit clamor, amoris fuit; altùm enim inſonat amor, altùm & clamat: & ita clamavit ad Chriſti aures, cum ſic ad illum, *Miſerere mei Domine fili David.*

Et hic tertius ab ea clamor, ab amore, qui apud Deum valet quàm maximè: ut enim nonnemo. *Apud Deum valet, non magnus clamor; ſed magnus amor.* Et hic fuit in Chananæa, uti deinde & quartus ab oratione, cui ſuus quoque eſt clamor, & quidem ejuſmodi, qui in Cœlos ipſos evadit.

Teſtes volo, teſtes appello illas Dei ad Moyſen IV. voces: *Quid clamas ad me?* non legimus Moyſen Orationis. clamaſſe, non oraſſe contenta voce: legimus populo tumultuanti, atque ad imminens excidium contremiſcenti, animos feciſſe: legimus, ad ſpem erexiſſe, atque in Deum fiduciam: legimus hæc ad eum dixiſſe: *Dominus pugnabit pro nobis, & vos tacebitis.* verſ. 14. Et verò tacuit Moyſes, & ſi oravit, tacitè oravit: apud ſe, apud Deum oravit, illumque unicum & teſtem habuit, & auditorem ſuæ orationis, & tamen hæc illi Dominus. *Quid clamas ad me?* nempe oratio, etſi tacita ſit, clamor eſt, & quidẽ validus, qui cœlos ipſos pervadit, atque ad Deum evadit.

Et is quoque Davidi fuit, cùm ut ſupra diximus, *De profundis clamavit*, hoc eſt de profunda ſolitudine, de latebris, de antris, & ſpeluncis: & tamen ut in iis oraret, etiam in alto ſilentio, clamabat tamen, & ſic nos clamare docebat.

Uti deinde & docuit D. Auguſtinus, cujus hæc admonitio oranti opportuna. *Cum oras, clama, non voce, ſed mente; nam tacentes audit Deus: nec mirum, quia taciturnitas mater eſt orationis, & ſecretus in Deum profectus, occultus aſcenſus*, ut rectè Climacus. Gradu 11.

Et hic quoque fuit in *Chananaa* noſtra: etſi enim non clamaret ad Dominum, mente tamen magis clamabat, quàm voce: clamabat & ſecreto in Deum profectu, & occulto aſcenſu: clamabat & profectu in virtutibus, quibus ſua quoque vox, ſuus & clamor, ut jam oſtendemus.

Divus Ambroſius mellifluus orator in illa Pſal- V. miſtæ verba: *Et oratio ejus fiat in peccatum*, docet Virtutum primò eſſe *diffidere de potentia Dei, aſtimare quod* Pſal. 118. *non audiatur, niſi clamaverit.*

Deinde oſtendit ſi in oratione clamandum ſit, quomodo clamandum: ſic enim inquit:

Clament

Lib. 1. de Cane 19. *Clament opera tua, clamet fides, clamet affectus, clament paſſiones tua, clamet ſanguis tuus, ſicut S. Abel de quo dixit Deus ad Cain, Vox ſanguinis fratris tui ad me clamat. Audit enim Deus in occultis, qui mundat in occultis.*

Tum ſubjicit diſcrimen, quod eſt Deum inter, & mortales omnes.

Nos, inquit, *niſi loquentem aliquem audire non poſſumus, apud Deum loquuntur non verba, ſed cogitationes.*

Et ita loquebantur in Chaonæa noſtra cogitationes, loqoebantur opera; imò & fides clamabat: clamabat affectua in Chriſtum, quem agnoſcebat, quem ſuſpiciebat, amabatque ut filium David, hoc eſt ut Meſſiam: clamabant in ea paſſiones, quas induetat in ea filiolæ ſuæ afflictatione, & vexatione à malo dæmone; clamabat & filiæ ſanguis, & ſanguis ſous, ex quadam cum illa compaſſiuoe: verbo uno clamabant virtutes ptopè omnes, uti patebit ex Quæſtione ſequenti.

QUÆSTIO TERTIA
MORALIS.

Ad illa verba: *Etiam Domine, nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa Dominorum ſuorum.* Matth. c. 15. verſ. 27.

QUÆ BONÆ ORATIONI VIRTUTES SINT COMITES?

Oratio Omnipotens. MAGNIFICUM illud, & tamen vetum Theodoreti de oratione pronuntiatum: *Omnipotens oratio, cùm ſit una, omnia poteſt.* Flectit enim, & vincit Omnipotentem, & quidvis ab eo impetrat, ſi modo ea ſit, quæ ex virtute eſſe debet, ſi comites habeat virtutes, quæ Omnipotentem moveant, atque ad orantis vota inflectant.

Virtutes orationi comites. Ex porrò patebunt in exemplo, quod poſteris reliquit mulier Chananæa, in ſua illa ad Chriſtum oratione: *Miſerere mei Domine Fili David.* Brevis oratio, ſed quæ comites babuit eas virtutes, quarum & præco fuit Servator optimus, dum ſic ad illam: *O mulier, magna eſt fides tua.*

Quæ autem fuerint illæ, explicabit ipſa rei tum geſtæ ſeries, & quidem

Primò, quæ illi fuerit, & quàm perfecta reſignatio, & cum divina voluntate conſenſio: ea patebit ea paucis illis voculis, quas orationi ſubintulit. In muliere Chananæa. *Filia mea malè à Dæmonio vexatur:* non addit veni, & libera eam, veni ad dæmonem, malum utique hoſpitem, expelle, veni, & matrem ſolare, ſolare & filiam: nihil horum dicit, ſed nudè miſeriam repræſentat, cætera committit ejus prudentiæ, voluntati, & caritati.

Secuodò inſignis in Chriſtum fiducia, cui malum aperuiſſe, credit plus ſatis eſſe ad ſanitatem, ad ſalutem.

Tertiò patientia ſingularis: cùm enim Chriſtus ne verbum illi reſpondiſſet, noo deſpoodit animo, non ſpem abjecit, non deſtitit ab oratione: etſi enim audiſſet à Chriſto oraculum illud: *Non ſum miſſus niſi ad oves, quæ perierunt domus Iſrael,* venit nihilominus, atque cum ſupplex *adoravit,* dicens,
verſ. 25. *Domine adjuva me.*

Quartò Perſeverantia, juncta cum inſigni humilitate: cùm enim repulſam eſſet paſſa, audiſſetque inſuper & iſtud à Chriſto: *Non eſt bonum ſumere*
verſ. 26. *panem filiorum, & mittere canibus,* non indignata, ſe ot canem haberi, canem dici, atque ut canem à Domini menſa repelli, ſubintulit illud, quod ſanè
verſ. 27. humilis erat animi. *Etiam Domine; nam & catelli edunt de micis quæ cadunt de menſa Dominorum ſuorum.*

Ecce ut humili de ſe ſenſu, & canem ſe agnoſcit, nec par eſſe credit, oec decens, ut panis filiorum, hoc eſt gratia miraculorum, quæ Judæis, utpote, filiis, conceſſus, ſibi, ut Gentili, adeoque ut cani, etiam concedatur.

Et hæ fuere in muliere Chananæa virtutes exceſſæ, quæ profectò clamabant ad ipſas Chriſti aures longè potentiùs, quàm ulla vox, ullúſve clamor: ut & in nobis, noſtráve oratione, eædem altùm clament, paulò fuſiùs eas deducam, firmaboque SS. Patrum teſtimoniis vel etiam exemplis.

I. VIRTUS ORATIONI COMES.
Reſignatio & conſenſio cum Divina voluntate.

Hanc Chriſtus, divinus orator, & verbo docuit, & exemplo. *Verbo* quidem, cùm modum orandi docuit; cùm orationem, quæ à nobis dicitur, & eſt Dominica, expreſſit ipſe, atque à nobis exprimi, voluit, atque uſurpari, in qua & expreſſum illud orantis ad Patrem æternum: *Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo & in terra.* Matth c. 6.

Exemplo deinde, cùm inter vitæ mortiſque confinia ſic ad Patrem: *Pater ſi vis, transfer calicem iſtum à me: verumtamen non mea, ſed tua voluntas fiat.*

Noo erat in Chriſto unica voluntas, ut falsò voluetuht Monotelytæ; ſed duæ, eæque omnino diſtinctæ, atque diſcretæ; *Humana* una, *Divina* altera: cùm ad Patrem Æternum venit Orator, humanam divinæ peoitus ſubjicit, noſque exemplo ſuo ſubjicere docet in omni oratione, & quæcumque nobis incumbat tempeſtas malorum, ſeu ea in caput noſtrum incidat, ſeu in conſanguineos, hanc omnem Divinæ vult committi voluntati.

Et verò committi omninò debet, nec quicquam in omni petitione relinqui propriæ voluntatis: ſi enim relinquatur, nihil è cœlo opis, ſubſidii nihil expectandum.

Abbas Paſtor, inter Antiquiores nominatus, dicere ſolebat: *Voluntatem hominis eſſe veluti murum æreum inter nos & Deum.* In vitis PP. lib 5 n.60.

Voluntas propria murus æreus inter Deum & nos. Beneficia autem Dei eſſe veluti fontes è Cœlo manantes, eſſe veluti lumina quædam, quæ in nos emittit indulgens Numen. Quod ſi nos inter & Deum objicis & murum æreum, adeoque obicem ponis, & cœleſtia beneficentiæ rivulis, & divinis luminibus, ne vel illi in nos defluant, vel hæc nos illuſtrent.

Abſit ergo ab omni oratione, omni petitione voluntas propria: adſit autem divina, & omnimoda cum illa conſenſio, atque conformitas: ut autem ea ſit,

Advertendum eſt illud, quod voluntas noſtra debeat eſſe conformis Divinæ voluntati, primò *effectivè* (ut loquuntur in ſcholis Theologi) quia ut voluntas noſtra ſit bona, debet velle id, quod eam velle vult Deus. Voluntas noſtra ſecundo modo conformis cum Divina.

Deinde debet eſſe conformis *in objecto formali,*

ſive in ratione volendi: debet enim velle, quod rectæ rationi, adeoque quod & divinæ voluntati conſonum, conſonum & legi æternæ, quæ eſt recta ratio & Dei voluntas.

Non eſt tamen neceſſe ut voluntas noſtra ſit divinæ conformis *in objecto materiali*, ſeu volito etiam cognito.

Patet illud aliis atque aliis Scripturæ ſacræ exemplis; è multis unum erit inſtar omnium. Volebat Deus Sodomam ſubvertere, Abrahamus autem, quantum in ſe erat, nolebat, unde & Dominum impenſius & ſæpius orabat ne id faceret, nec tamen in eo difformis erat divinæ voluntati; nec enim Deus vult nos ſemper velle quod ipſe vult, ſed ſubinde etiam oppoſitum, & hoc ſine ullo culpæ nævo, quod maximè verum eſt in voluntate Dei, quæ dicitur & eſt *permiſſiva*: ſed de his pro inſtituto meo ſatis.

II. VIRTUS ORATIONI COMES, *Patientia & Perſeverantia.*

Et hanc & illam docuit aliquando ipſa Incarnati Verbi Sapientia; cùm enim è Diſcipulis ejus unus aliquis injeciſſet illud. *Domine doce nos orare.* Primùm orationem ſub oculos poſuit, orationem dico, quæ dicitur *Dominica*, tum etiam modum orandi ſubjecit in longa ſcilicet *patientia* & conſtantia, ac propè importuna *Perſeverantia*, & hoc quidē exemplo etiam ex humanis petito, & ſimilitudine familiari. Lubet audire Oraculum veritatis, & hoc ipſum illius verbis expreſſum. Sic enim, inquit.

Luc. c. 6. v. 5. *Quis veſtrûm habebit amicum & ibit ad illum mediâ nocte & dicet illi. Amice commoda mihi tres panes, quoniam amicus meus venit de via ad me, & non habeo quod ponam ante illum. Et ille de intus reſpondens, dicat. Noli mihi moleſtus eſſe, jam oſtium clauſum eſt, & pueri mei mecum ſunt in cubili, non poſſum ſurgere & dare tibi.*

Orationis importunitas impetrat. *Et ſi ille perſeveraverit pulſans; dico vobis etſi non dabit illi ſurgens, eò quòd amicus ejus ſit, propter improbitatem tamen ejus ſurget, & dabit illi quotquot habet neceſſarios.*

Exemplum hic ponit in amico, & ſuis quaſi circumſtantiis veſtit.

Primò, quod ad amicum veniat nocte, tempore quidem importuno, quod tamen arguit impoſitam quaſi neceſſitatem commodandi panes, & quidem etiam pro amico, qui venit de via, itinere longo, & difficili, quale eſſe ſolet intempeſta nocte. Tum etiam indigentiam ſuam exponit, non ſine rubore, dum ſe fatetur nihil habere, quod ante illum ponat, paupere ſcilicet & vacuo penu.

Quid deinde ab amico de intus audiat? Primò crudum illud atque acerbum. *Noli mihi moleſtus eſſe.*

Deinde *jam oſtium clauſum.* Quod proinde nulli pateat, ne amico quidem. Tum etiam quòd pueri cum eo ſint in cubili, quòd quieſcant quodque profundùm dormiant, quos excitare abſonum, ideoque audit & adjicit illud: *Non poſſum ſurgere & dare tibi.* Deſperaſſet alius, non tamen deſperat amicus; ſed perſeverat; ſed pulſat opportunè, importunè: indigentis enim nihil intereſt. Quid tum? victus importunitate, victus & conſtantiâ ac patientiâ, ſurgit amicus ille & dat amico, non dico tres panes; ſed quotquot habet neceſſarios, & hoc quidem non propter amicitiam, non propter cognatum ſanguinem, non propter eam, quæ interceſſe potuit neceſſitudinem: ſed propter ejus *improbitatem*, hoc eſt, ut græca verſio habet, propter ejus *impudentiam*, ioverecundiam, vel *importunitatem*, uti vertit Arabicus. Ecce quid non vincit improba quædam importunitas, etiam in humanis: accipe quid etiam in divinis, de his & illis ita D. Auguſtinus.

Serm. 5. de verbis Domini. *Quid eſt propter improbitatem? quia pulſare non deſtitit; quia & cùm eſſet negatum, ſe non avertit ille, qui nolebat dare, quod & petebatur, fecit quia ille in petendo non deſtitit.*

Quantò magis dabit Deus bonus, qui nos hortatur ut petamus, cui diſplicet ſi non petamus importunè, cum inſigni patientia & quidem ac perſeverantia: hæc quippe & illâ delectatur, & hoc unum in votis habet, hoc & in amoribus, ut affectu magno inſtemus, pulſemus, urgeamus, & quaſi cogamus ad dandum. Oratio vim Deo infert.

Nimirùm *hæc vis grata Deo*, ut diſertè Tertullianus. Lib. de Oratione v. 9.

Per immania ſcelera Cœlos eò uſque fatigârat Iſraël, ut totus in iram, in pœnam, in vindictam iret Deus. Hinc illæ ad Moyſen voces.

Peccavit populus tuus. Dimitte me, ut iraſcatur furor meus contrà eos, & deleam eos, vel ut Chaldæus, *intermitte precationem. Dimitte me*; ſentiebat igitur ſe teneri, & quodammodò ligari ne ſæviret in populum quem delere; & verò tenebatur atque ligabatur. Exod. c. 3. v. 7. 10. Patet in Moyſe.

At quibus, inquies, vinculis? non aliis quàm oratione Moyſis, eaque non intermiſſa.

Moyſes autem orabat, inquit Scriptura. *Placatuſq; eſt Dominus, ne faceret malum, quod locutus fuerat adverſus populum ſuum.* verſ. 14.

Ita nimirùm ita Dei, imò & *ſententia Dei Sanctorum precibus frangitur.* Ut Scitè D. Hieronymus. In Ezechiel. 13.

Precibus dico, ſi modò non levitet, non quaſi curſim, & per tranſennam, ſed fortiter, ſed conſtanter, hoc eſt, cum illuſtri patientia, ac perſeverantia fiant. Ea Dei manus ligant, atque conſtringunt, ne ſe in pœnas explicent. Amplius dico, ea Deo vindici frænum quodammodo injiciunt. In Sanctis.

Audax inquies, pronuntiatum, quod ſanè eſſet non audetem, niſi prius extuliſſet Iſaias, aût potius Deus ipſe Iſayæ voce, calamoque; ſic enim ad illum aliquando. Cap. 49. v. 9.

Laude mea infrænabo te. vel ut Vatablus ex Hebræo vertit. *Propter laudem meam frænum injiciam mihi tui cauſa, ne te omninò exſcindam.* Oratio Deo eſt quaſi frænum.

Igitur Deus propter laudem ſuam, quæ illi in oratione penditur, ſibi ipſi frænum injicit, ne genus humanum, ne rebellia Cœlo capita exſcindat. Tanta vis eſt orationis, quam demiratus S. Bernardus illa Dei ad Moyſen verba; *Dimitte me.* Faciendi, inquit, *licentiam* quærit à Moyſe, qui Moyſen fecit.

Quod Moyſi Deus, quod Iſayæ; hoc & Jeremiæ vati; cùm enim punituras eſſet Judam, hæc illi dedit in mandatis.

Tu inquit, *noli orare pro populo hoc, nec aſſumas pro eis laudem*, & orationem, ne obſiſtas mihi. Sentiebat nimirum indulgens Numen, ſibi obſiſti à ſua laude, & oratione, quam conſtanter fundebat Vates pro populi illius ſalute: adeò potens erat illa, adeò & omnipotens, ut quæ Omnipotēti obſiſteret. C. 7. v. 16.

III. VIRTUS ORATIONI COMES, *Humilitas.*

Pugnemus hic exemplis, non verbis, & producamus illuſtres ab humilitate Oratores: In Oratione.

Ea iis erit Magnus Gentium Parens Abraham, qui orationem ſuam ab humili abjectoque de ſe ſenſu, ſic eſt exorſus:

Loquar ad Dominum meum, cùm ſim pulvis & cinis. Gen. c. 18. v. 27.

Clamor Sodomorum & Gomorrhæ in Cœlum evaſerat, & Angelos utique furores tantorum ſcelerum vindices, è cœli regia in terras exciverat, cujus conſcius Abraham, *Stabat coram Domino*, pro Sodoma & Gomorrha futurus apud Deum Orator & ſupplex: *Stabat*, inquam, quod erat reverentiæ, & quia ſemel cœperat loqui, iterum iterumque locutus, quod fuit perſeverantiæ. At quomodò locutus? & quomodo orationem exorſus? certè ab inſigni ſui demiſſione, *Cum ſim pulvis & cinis*, inquit, viliſſimis & abjectiſſimis. qualis eſt pulvis & cinis, I. Gradus reverentiæ.

qui

qui ſub pedibus eſt; & ia videri & eſſe geſtiebat Abraham, cùm ad Deum veniret Orator, certus Deo nihil placere magis, quàm inſignem ſui demiſſionem, maximè autem in oratione, quæ ut Deo ac Superis grata ſit, humiliatem ſibi comitem habeat adjutricem in arduis.

II. Gradus humilitatis. Et ita etiam habuit in Davide, qui clamaſſe, hoc eſt oraſſe legitur ad Dominum. ſed nonniſi *de profundis*, hoc eſt de abyſſo nihili ſui, qua nihil profundius; ſic enim orans ſeſe abjiciebat David, atque immergebat in nihilo ſui, ut altiùs clamaret, quò profundiùs; & ita nos clamare, ita & orare docuit Sapiens, cùm extulit illud, de vi atque efficacia orationis, cui comes & ſocia humilitas.

Eccleſ. c. 35. v. 18. *Oratio humiliantis ſe, nubes penetrabit, & donec propinquet non conſolabitur, & non diſcedet, donec Altiſſimus aſpiciat.*

Ita Nimirum dum pius animus ſeſe deprimit, illa ſurſum tendit, & quantò magis ille abjicitur, tantò ſublimius iſta evolat, & donec propinquet, non conſolabitur; nec enim contenta nubes ſuperaſſe, uſque ad ſummæ Triadis ſolium attollitur, nec ab eo diſcedit, donec altiſſimus benigniore vultu aſpiciat, & conſolationem omni pretio æſtimabilem infundat, roburque addat, & vim natura ſuperiorem.

Ita addidit *S. Auxentio* Archimandritæ, cujus oratio, & cœcis lumen oculorum, & leproſis ſanitatem, & paralyticis uſum membrorum reſtituebat. Ea quippe via in illa erat ad patranda omnis generis miracula.

At unde illa vis? certè non aliundè, quàm à profunda humilitate, quâ ſeſe abjiciebat, quantum quis poteſt.

Abraham Deum orans ſeſe depreſſit ad infima terræ, ad pulveris modicum. David profundiùs ad abyſſum nihili.

III. Gradus humilitatis. *S. Auxentius* profundiſſimè ad peccatores & peccati abyſſum, quâ nihil abjectius; cùm enim pro miſellis illis Deum oraret, ſic orare ſolitus, & ſic Deum exorare. *Sanat vos JESVS Chriſtus; ego enim ſum homo peccator.*

Bollandus 14. Febr. in ejus vita c. 3. Ad humilem illam abjectamque voculam *peccator*, indulgens humili Altiſſimus ea dabat miracula, ad quæ terra attonita obſtupeſcebat, & ipſi inferi contremiſcebant: eâ quippe dæmones, maligni illi ſpiritus, deſertis corporibus mergebantur in tartara. Tantum valebat oratio humilis, etiam ad corporum curationem: videamus etiam quantum ad animorum.

Chriſtus ceu Magiſter optimus, in publica concione duos produxit oratores, mirum quantum diſſimiles.

Luc. c. 18. *Duo homines*, inquit, *aſcenderunt in templum ut orarent, unus Phariſæus, & alter Publicanus. Phariſæus ſtans hat apud ſe orabat, Deus, gratias ago tibi, quòd non ſum ſicut cæteri hominum, raptores, adulteri, velut etiam*
verſ. 11. *hic Publicanus. Jejuno bis in Sabbatho, decimas do omnium quæ poſſideo.*

Oratio Phariſæi. En tibi, AMICE LECTOR, primus ad Deum orator, ecquis ille ſit, expende. *Phariſæus* eſt, hoc eſt *ſegregatus* à vulgo, imò & ab aliis omnibus, non vitâ & motibus uti oportuiſſet; ſed ſuperbiâ, ſed faſtu inſolentiore, quod non decebat. *Stans*, non ex reverentia Numinis, ſed ex tumore mentis, quem & declarat vox græca ϛαθεὶς, id eſt *conſiſtens & erectus*, in cœlum ſcilicet, quaſi cum Deo diſputaturus, & meritorum ſuorum rationem exacturus, quod & ſonabat ipſa oratio quanta erat; primùm enim in ea cæteros omnes deſpicit atque infrà ſe ponit.

Non ſum, inquiebat, *ſicut cæteri hominum.*

Deinde eorum malefacta propalat, ait enim *raptores, injuſti, adulteri.*

Tum etiam ſua ſilentio tegit.

Denique & Publicanum præ ſe deſpicit; dicit enim, *velut etiam hic Publicanus.*

Audiſti, BENEVOLE LECTOR, primum oratorem, elatum illum ac ſuperbum, & ſua improbè jactantem. Audi & ſecundum: erit ille *Publicanus*, Oratio Publicani.
qui à longè ſtans, nolebat nec oculos in Cœlum levare; ſed percutiebat pectus ſuum, dicens: Deus propitius eſto mihi peccatori. verſ. 13.

Stat ille quidem, ſed ut reus coram judice ſolet, non quaſi *conſiſtens* in pedes; ſed tremebundus ac tremens totus: *Stat à longè*, non ut Phariſæus aut primus, aut inter primos propè altare; ſed procul: non *erectus*; ſed incurvus, inflexaque cervice: non elatis in Cœlum oculis; ſed abjectis in terram: non ſua jactitans, non oſtentans merita ſua, non ulli ſe præferens, aut comparans; ſed *percutiens pectus ſuum*, addensque & iſtud humilis animi, atque ad divina judicia contremiſcentis: *Deus propitius eſto mihi peccatori*: hoc ſibi nomen aſciſcit, quod ſanè abjectiſſimum, quod viliſſimum eſt: nihil enim, cœlo judice, abjectius, nihil vilius peccatore.

Spectaſti, AMICE LECTOR, & hunc & illum oratorem, ſuperbum unum, & humilem alterum; excipe quid de hoc, & illo Incarnata Divini Verbi Sapientia, & omnium ſupremus Judex.

Dico vobis, inquit, *deſcendit hic juſtificatus ab illo.* verſ. 14.
Ita nimirum factum eſt, & Cœlo judice factum quàm optimè: *Phariſæum vacuum reduit, quia plenitudinem ſimulavit, & Publicanus qui exinanivit ſeipſum,* Serm. 3. de Annunciatione.
qui vacuum vas exhibere curavit, gratiam retulit ampliorem, ut ſcitè D. Bernardus.

Nimirum eſt ille Divinæ Providentiæ ludus amabilis: *Deus ignoſcit quando ipſe agnoſcit, à longè ſtabat, ſed eum Dominus de propè attendebat: excelſus enim Dominus, & humilia reſpicit*, ut diſertè D. Auguſtinus. Serm. 3 de verbis Dom.

Ut te quoque reſpiciat, quiſquis pagellam hanc decurris, age, orationem ama, orationem funde; ſed humilem, teipſe incuſa, & pectus tunde, teipſe damna, & peccatorem proclama: *In confeſſione enim, ſui accuſatio, Dei eſt laudatio, adeoq; & perfecta oratio*, ut rectè ille ipſe D. Auguſtinus; ſed à Publicano redeo ad mulierem Chananæam, à qua paululùm abii, ejus humilitas in hoc vel maximè enituit, quod ut audiit à Chriſto illud: *Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus*; illicò ſubjecit illud quod humilis animi fuit, & de ſe abjectè ſentientis: *Etiam Domine, nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum.* Serm. 8 de verbis Dom.

Quid deinde ab illa demiſſione laudis? quid & præmii? Laudis illud Chriſti ad illam: *O mulier magna eſt fides tua.* Præmii verò illud: *Fiat tibi ſicut vis, & ſanata eſt filia ejus ex illa hora.*

Præmii & hoc, quod diſertè explicat D. Chryſologus: *Meritò, quæ ſe canem confeſſa eſt, in hominem commutatur; meritò adoptatur in filiam, levatur, honoratur ad menſam, quæ ſe ſub menſa, laudabili & provida humilitate, projecit.* Serm. 100.

IV. VIRTUS ORATIONI COMES, *eſt Fides.*

Mulieri Chananææ pro filia roganti objecerat Chriſtus, *Non ſum miſſus niſi ad oves quæ perierunt Domus Iſrael.* Ita nimirum, ut eleganter D. Chryſologus, *Promiſſionis ſuæ memor Chriſtus, Iſraelitici populi primum venerat ad ſalutem, ut quod Abrahæ promiſerat & ſemini ejus, Davidi, ejuſque poſteris fidele redderet perſolutum, ſed quia indignos ſe ſuâ perfidiâ præſtiterunt, obtinuit, rapuit, traxit fides Gentium, quod infidelitas perdidit Judæorum.* Suprà.

Et ita hic obtinuit, rapuit, traxit fides etiam Chananææ.

Obtinuit, inquam, primò enim in Chriſtum credidit,

QUÆSTIO QUINTA
LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Et ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Ionæ Prophetæ.* Matth. cap. 12. verſ. 39.

CUR SIGNUM IONÆ, NEC ALIUD?

CUM Joannes Baptiſta diſcipulos ſuos emiſiſſet ad Chriſtum, ut ex eo quærerent illud.

Matth. c. 11. verſ. 3. *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* hoc eſt Meſſias es tu? reſpondit Chriſtus, non per verba; ſed facta, puta

Cur non alia miracula? miracula: addidit enim: Euntes renunciate Joanni quæ audiſtis & vidiſtis. *Cæci vident, claudi ambulant, lepraſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt.* Ita nimirùm his probavit ſe eſſe Meſſiam, à tot ſæculis in lege promiſſum.

Cur igitur Scribis & Phariſæis ſignum petentibus, non obtulit eadem omninò ſigna? cur non alia, quæ deinde facturus erat ad uſque vitæ mortiſque confinia? cur non ea, quæ in occaſu vitæ, in ara Crucis, cùm in ea caderet ſalutis humanæ victima? cur non Solis deliquium? cur non terræ motum? cur non diſciſſa marmora? cur non mortuos vitæ redditos & luci? cur iis omiſſis, quæ jam in oculis erant, objicit illis ſignum Jonæ Prophetæ?

Voluntas ejus eſſe potuit rationum inſtar omnium, quia tamen illa nunquam eſt ſine ratione, eam hîc inquiremus. Ea poteſt eſſe alia atque alia: poteſt enim vel à Chriſto peti, vel à Jona Propheta, & tam hujus, quàm illius analogia, vel denique à Scribis ipſis ac Phariſæis.

Ab his eſt illa, volebant illi ſignum è Cœlo ad vanam oſtentationem, ſpiritu utique vano altoque ſupercilio, quod odit horretque Chriſtus, qui idcirco dat ſignum Jonæ, hoc eſt de profundo maris, dat ſignum ſuæ Reſurrectionis è terra, è tumulo; è ſublimi nihil. Ita Gloſſa interlinealis.

A Chriſto eſt iſta, quòd eo ſigno pateret, cur mortuus, cur affixus Cruci, ut ſcilicet mundi Salvator, ut reparator generis noſtri, qui cùm è terra ſurrexit; & mortis & peccati domitorem ſe oſtendit, ut Cœli terræque Dominum, verbo uno ut Meſſiam.

Cur à Jona? A Jona denique eſt illa, quòd hic figura eſſet Chriſti, & ſepulti & reſurgentis; ut enim Jonas fuit in ventre ceti, tribus diebus & tribus noctibus: ſic & Chriſtus in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus: ut deinde Jonas luci redditus evaſit è ventre ceti, ceu ductili quodam ſepulchro; ſic & Chriſtus ex imo terræ, & ſepulchri tenebris ſeipſe vitæ reſtituit, & luci, & in quo ſanè ſe Deum probavit, & vitæ mortiſque dominum.

Et hæ rationes faciunt pro Jona, & Chriſto: quæ ſequuntur pro hujus, atque illius analogia, quam explicabimus D. Auguſtini calamo, ſic ille in ſymbolo ad Catechumenos.

Lib. 4. *Miſſus Jonas* in Niniven, ut ejus finem prædicaret, miſſus Chriſtus à Patre, ut finem mundi omnibus demonſtraret. Fugit Jonas in Tharſis à facie Domini. Fuga velox tranſitus Chriſti. Aſcendit navem Propheta, lignum Chriſtus. Irruit tempeſtas in mari, perturbatio maris perfidia Judæorum. Data eſt ſors ut Propheta fugitivus in mare mitteretur, ſors data ſuprà Chriſti veſtimenta, ut unitas omni mundo prædicaretur. Projectus eſt è navi in mare Jonas, mors Chriſti in cordibus Gentium collocata eſt. Suſceptus eſt à beſtia Propheta cuſtodiendus, non comedendus; audi hic vocem Chriſti per Sanctum David. *Non derelinques animam meam apud inferos, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* Homil. 1 de Paſcha. In ventre beſtiæ marinæ poſitus oravit Jonas, in infernū Chriſtus deſcendēs mortuos reſuſcitavit. Tertio die Propheta littori incolumis eſt redditus, die tertiâ Chriſtus de ſepulchro ſurgens, ſuper Cœlos eſt exaltatus. Ad prædicationem Jonæ Prophetæ, per pœnitentiam ſalvata eſt Civitas; per Chriſti prædicationem Sancta Jeruſalem redempta eſt Civitas. Hactenus D. Auguſtinus, cui non abſimilia addidit Euſebius Emiſſenus, ex quo etiam pauca.

Ionas iram Domini prædicaturus ad magnam Ninivitarum deſtinatur civitatem, & Chriſtus ad mundi mittitur civitatem; Ionas navem expetit, Chriſtus Eccleſiam. Ionas fluctibus agitatur, & Chriſtus mundi turbinibus exercetur. Niſi Ionas perditum detur, naufraga navis periculum non ſedatur, ſic & non liberatur Eccleſia, niſi Chriſti morte ſalvetur. Ionam cetus piſcis excipit immerſum, ſed non contigit devoratum, & quem malitia hominum perdidit, beſtia eſuriens cuſtodivit. Et Chriſtus quem ſæva mors, inexplebilis bellua, in eſcam ſuam rapuit & prædam ſuam captiva contremuit. Præcepit Dominus piſci, & evomuit Ionam in aridam; præcepit morti ſemper eſurienti, præcepit abyſſo & inferno, ut mundo reſtitueret Salvatorem. Evomuit autem cùm ex imis viſceribus mortis victrix vita remeavit, atque eam ex imis præcordiis inferni, perditio exulcerata reddidit. Hæc Euſebius, à quo tranſeo ad Chryſologum, qui rationem reddit, cur non daretur ſignum aliud generationi illi peſſimæ, niſi ſignum Jonæ Prophetæ: quia, inquit, ſicut *Jonas ſignum fuit Ninivitis, ita erit & filius hominis generationi iſti:* cujus & cauſam hanc Serm. 37. adjicit.

Quia Judaica perfidia fluctuante, inferni Chriſtus demiſſus eſt in profundum; & triduano curſu tota tartari occulta percurrens, & Iudaica incredulitatis, & Majeſtatis ſuæ, ac perempta mortis dedit indicium cùm reſurgeret; qui deinde & rationem addit, cur ſurgent Ninivitæ in judicio, & condemnabunt illam generationem: *Quia*, inquit, *illis unius Prophetæ naufragi, advenæ ignoti præconia corriguntur, iſti poſt virtutes tantas, mirabilia tanta, cum toto reſurrectionis coruſco ad fidem non veniunt, ad pœnitentiam non moventur.* Hactenus ore aureo S. Præſul quo cum finio.

QUÆ-

QUÆSTIO SEXTA
LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Fiunt noviſſima hominis pejora prioribus.*
Matth. cap. 12. verſ. 43.

QVÆ SINT ILLA NOVISSIMA PEIORA PRIORIBVS?

INSISTIT Servator materiæ, de qua inciderat quæſtio, videlicet expulſionis dæmonum, quæ cùm à Chriſto fieret, Scribæ & Phariſæi ex invidiæ genio, & maledicentiæ ſpiritu, calumniabantur fieri à Beelzebub, dæmoniorum principe, quam calumniam ut repellat Chriſtus, ſimulque oſtendat, quod periculum adirent, parabolam proponit, Syrorum more, modoque: eſt autem ejuſmodi.

Sicut homo exul, & profugus vagatur per arida, incultaque loca, ſic & diabolus Dei digito pulſus ab homine, quem jam occuparat, hoc eſt à vobis, ô Judæi, qui fuiſtis aliquando Dei populus, Dei ſedes, vagatur per avia, & invia loca, & requiem quærit, quam cùm non inveniat niſi in homine, videatque vos jam oblatam à me gratiam contemnere, ad vos redit, tanquam ad domum vacuam, cui ut pejus ſit, aſſumit ſeptem alios ſpiritus nequiores ſe, tum ut ſimul animis veſtris jucundius perfruatur, in eo ſociorum dæmonum comitatu, tum ut expellatur difficilius, tum ut vos nequiores reddat, quod & facit, dum in me, meamque doctrinam, ac miracula blaſphemias jacere facit ac dicere, me in Beelzebub principe dæmoniorum ejicere dæmonia; tum denique, ut me ad mortem uſque perſequamini, quod ſummum eſt in vobis ſcelus.

Hæc ubi in Scribas ac Phariſæos eatulit, tum

Pejora quæ? adjicit ad eaeternum illud: *Et fiunt noviſſima hominis illius pejora prioribus*; pejora, inquam, quia ſcilicet pro uno diabolo, quem expuli, ſubintrant ſeptem alii pejores prioribus.

Et hæc paucis dicta ſint pro litterali ſenſu, à quo verbulo tranſeo ad myſticum & moralem: Anima

Quæ domus vacua. peccatrix eſt domus illa vacua, vacua dico gratiâ, vacua & Deo, ideoque capax ut ſit diaboli domus.

Scopis eſt mundata, quia everſa, expulſaque ex ea virtus omnis, ſi fortè fidem excipias & ſpem.

In hac quietem quærit atque invenit malus dæmon, nullibi aliàs inventurus, quia (ut annotat Abulenſis) *quando nocere homini poteſt, tum quieſcit aliquo modo*; & hoc ex invidiæ genio, & malevolentia; invidiæ quidem, quia homini invidet cœlum ea quo excidit; malevolentiæ autem, atque in Deum odii, cui cùm nocere non poſſit, nocet illius imagini, id eſt homini, & nocendo quietem quærit ſibi, atque invenit. Quia ut obſervat D. Chryſologus:

Diabolus hominum damnum, ſuum computat lucrum; & quod perierit hominibus, hoc ſe æſtimat acquiſiviſſe.

Noviſſima quæ? His ita ex litterali, moralique ſenſu explicatis, venio ad quæſtionem initio propoſitam, quæ ſint illa *noviſſima hominis pejora prioribus?*

Verbo expedio. Eſt relapſus in peccatum pejor

Recidiva. omninò lapſu, ſicut pejor eſt morbo recidiva morbi.

Eſſe autem pejorem, patet ex eo, quòd recidivus ſit injurius Deo, Divæ Matri, Superis omnibus,

Injuria in Deum. ſibi ipſi; atque inſuper quàm maximè noxius.

Explicemus paucis ſingula capita, & quidem primò, quomodo in Deum ſit injurius.

Injurius eſt ex eo capite, quod *diabolum Deo præponat*, quod apertè declarat Tertullianus eo quo ſolet eloquentiæ nervo:

Pœnitens, inquit, dum in priſtina peccata relabitur, itaque quaſi canis ad vomitum relambit, Diabolum Domino præponit. Comparationem enim videtur egiſſe, qui utrumque cognoverit, & judicat pronuntiaſſe eum meliorem, cujus ſe rurſus eſſe maluerit: ita qui per delictorum pœnitentiam, inſtituerat Domino ſatisfacere, diabolo per aliam pœnitentiæ pœnitentiam ſatisfaciet: ſatisfaciet, inquam, ſed execranda, pœnitentiæ pœnitentia, à qua & aliud ingens malum, quod & deplorat, & damnat ille ipſe Tertullianus, qui clarè probat, quod recidivus non ſolum diabolum Domino præponat; ſed & erigat, faciatque ut Deo quodammodo inſultet: ſic enim arguit: Lib. de pœnitent. c. 5.

In Dominum peccat, qui cum æmulo ejus diabolo pœnitentiâ renuntiaſſet, & hoc nomine illum Domino ſubjeciſſet, rurſus eundem ſuo regreſſu erigit, & exultationem ejuſdem ſeipſum facit. Suprà.

Cum à primo crimine pœnitentiam egiſti, renuntiaſti diabolo, eumque Deo ſubjeciſti, ceu vile mancipium, ceu edomitum hoſtem: at ubi rurſus in peccatum incidis, eum ſic erigis, ut Deo quaſi victor inſultet, dum te victum tenet & quaſi ſpolium Deo ereptum oſtentat, quod certè Deo de te per pœnitentiam victori injurium eſt.

Sed & injurium Divæ Matri, quod familiari ſimilitudine oſtendo, etiam in humanis. In Dei matrem.

Sit unus aliquis reus læſæ majeſtatis, ſit ſub Rege judice, jam jam damnandus ad ferrum, ad ignem, pro eoque ſupplex Regina ad Regis pedes accidat, & veniam impetret, ac deinde ille ipſe reus, & ſui immemor, & Reginæ ingratus ac perfidus, in alia, atque alia ſcelera delabitur, & quidem ejuſmodi, quæ reum ſtatuunt læſæ rurſum Majeſtatis: quid de illo dixeris? dixeris certè in Reginam vel maximè injurium.

Quod in civili foro, quod in judicio ac tribunali humano pronuntiaris, hoc pronuntia in cœleſti ac divino.

Eſt Dei Mater, cæli terræque Regina, eſt & Mater miſericordiæ, eſt & peccatorum refugium, eoque titulo ac nomine, cum peccaſti, ſupplex ad Deum venit, veniam poſtulavit, impetravitque. Tu vero, ô recidive, in Deum rurſus peccans, in Deum inſurgis improbè, & quà licet, quà non licet Deum tollis in teipſo, Deum negas impiè: atque ita in Reginam, Deique Matrem injurius es quàm maximè: ſed & in Chriſtum ejus filium, quod alto cum gemitu deploravit aliquando D. Bernardus, argumento petito ex ipſa Chriſti reſurrectione, ipſaque Paſchatis etymologia, quæ vel ſuo nomine damnat recidivam, & ſic inquit: In ejus Filium.

In hac præcipua ſolemnitate, quid commendetur nobis ſedula cogitatione perpendamus.

Nempe Reſurrectio, tranſitus, & tranſmigratio. Chriſtus enim, fratres, non recidit hodie; ſed reſurrexit, non redit, ſed tranſit; tranſmigravit, non remeavit.

Denique

Denique & ipſum quod celebramus Paſcha, tranſitus, non reditus interpretatur. Hæc ubi dixit, ex ipſa Paſchatis notione, & Paſchali ſolemnitate, tum elabitur longius, atque invehitur in eos, qui huic & illi injurii, qui in priora ſcelera recidivi, non ſine aliqua ipſius ſolemnitatis injuria, quam ſic luget ac plorat.

Obnubilat, inquit, *fratres, ſolemnitatis lætitiam materia triſtior; ſed & ipſius plangimus ſolemnitatis injuriam, quam diſſimulare non poſſumus, nec in ipſa, imò multò minus in ipſa.*

Serm. 1. de Reſurrect. *Proh dolor!* inquit, *peccandi tempus recidendi, facta eſt reſurrectio Salvatoris. Ex hoc nempe commeſſationes, & ebrietates, redeunt cubilia, & impudicitia repetuntur, & laxantur concupiſcentiis fræna, quaſi ad hoc Chriſtus, & non magis ad juſtificationem noſtram.*

Hæc ubi extulit S. Præſul, tum converſa ad recidivos illos oratione, ſic exclamat:

Sic honoratis miſeri Chriſtum, quem ſuſcepiſtis? veſtra paraſtis hoſpitium, confitentes peccata cum gemitu, caſtigantes corpora, eleemoſynas impendentes: & ecce ſuſceptum proditis inimicis: imò exire compellitis, priores nequitias admittendo, in ea ſane in Chriſtum Virginis filium injurii, ſed & etiam in ſuperos.

In Superos. Amabilis Dei providentia eos cœlo aſcivit, & beatitati, ut pro nobis ſupplices venirent, ſi quando ſceleris alicujus rei, ſalutis periculum adiremus: & verò ſupplices veniunt, noſtri apud Deum oratores, in quos profectò injurii ſumus, ſi eorum interceſſionibus accepta prioris culpæ venia, in aliam, atque aliam recidivi labimur, quod diſces à ſimili.

Sit in curia unus aliquis accuſatus, & convictus de crimine læſæ Majeſtatis humanæ, pro eo apud Regem ſupplicabundi accedant Aulæ principes, Regnique proceres, & genu flexo, ſi voles, culpam remitti petant, atque impetrent. Si deinde reus, ſibi & libertati redditus, in Regem, regnique jura temerarius, quid moliatur, nonne in proceres tibi videbitur injurius? videbitur enimverò, & eò quidem, ut qui pro illo viſi ſunt interceſſores, depoſita ſupplicis perſona, judicis ac vindicis perſonam induant.

Quod in humanis, hæc & in divinis: in his ut recidiva pejor; ſic & pœna gravior: exemplo res erit illuſtrior.

Surius in ejus vita. Diaconus unus aliquis, cui nomen *Danſe.ius* cum divinis impenſius vacare deberet officiis, Deoque pro inſtituto ſuo accinere, *B. Conſtabilis*, Abbatis Cavenſis ſepulchro ſæpiùs indormire ſolitus, pigra ſanè damnandaque ſocordia. Non tulit S. Præſul id ſibi & ſepulchro ſuo injuriæ, ſed per ſomnum ita ſeverè monuit: *Quare tu ex ſepulchro meo grabatum facis?*

His reſipiſcere viſus eſt Diaconus, & ſoporem illum excutere, & vincere ad menſes aliquot: deinde ſomno rurſus inclinare, cedereque viſus, cui iterum apparens Abbas, hæc etiam illi; ſed ſpiritu, voceque acriore: *Nonne dixi tibi ne de ſepulchro meo grabatum faceres.*

Pupugit ea vox Diaconum, terruitque, & vigiliæ, ſibique reſtituit: at non ſine dolore, & gemitu, ſeoſit enim brachium contractum, ſtupidum, atque immobile. Ita nimirum injuriam à recidiva & ſibi, & tumulo quodammodo illatam, ultus eſt vindex Præſul, qui prius pro illo ſupplex. Nec mirum, ſi

In ſeipſum. ſuperi, Deuſque puniat infidum caput. Quidni enim infidum dixero, qui obligatam in pœnitentia fidem toties fallit, Deo & ſuperis injurius, & ſibi etiam noxius: noxium agnoſces ex aliis, atque aliis capitibus, è quibus hoc primum.

Quod à recidiva difficilior ſit curatio: evenit enim in peccatis (qui morbi ſunt animi) quod in corporis ægritudine, in qua recidiva periculoſior, quia curatu difficilior.

Vulnus accipiat unus aliquis, primum non difficulter ſanatur, ſecundum, & tertium ægerrimè.

Os alteri frangatur, & primò facilè reſtituitur in integrum; frangatur ibidem ſecundò, difficilius, tertiò nequaquam.

Luxetur alicui brachium, levi opera ſibi redditur; luxetur iterum, iterumque, vix eſt modus ut in priſtinam ſedem revocetur, & maneat.

Quod in corporis morbo & vitiis: hoc & in animi ægritudine, quæ à culpa obvenit. Si à recidiva fuerit illa, remedium adhibebitur difficillimè.

Hoc argumento uſus aliquando D. Eligius Epiſcopus Novionenſis, qui ſic ad ſuos è pulpito. Homil. 16.

Si alicui crus frangatur, aut manus, cum labore ſolet ad priſtinum revocari officium, ſi verò ſecundò, aut tertia eodem loca membra frangantur, poſt multos, & longos labores, vix erit unquam, ut ad priſtinum ſtatum membra ipſa valeant revocari. Similis ratio in animarum fracturis exiſtimanda eſt.

Fractura porrò prima, eſt primum ſcelus admiſſum in animum, à quo frangitur illius vis, & robur, velut in corpore oſſa: ſecunda, & tertia eſt recidiva in idem ſcelus; à quo & difficilior curatio, difficilior & medicina, uti & in morbis. Peccatum enim eſt animi morbus, recidiva in morbum eſt recidiva in peccatum, cui proinde difficilior medicina. Audi quid de illa S. Cyrillus:

Incaſſum, inquit, *ſumitur medicina ſi poſt inſtauratam ſanitatem; per vitæ incontinentiam, qui convaluit in priſtinum incidat morbum.*

Ex hoc ergo capite recidivus eſt ſibi noxius, ſed & ex illo, quod per frequentiorem relapſum in idem crimen, naſcatur in anima habitus, ſeu facilitas quædam labendi: eſt enim habitus ille veluti quoddam pondus aggravans, & inclinans in malum: evenit enim à recidiva, quod in ſcientiis ab habitu; naſcitur hic ab actibus frequentatis, & natus facilitat ad omnes omninò actus ejuſdem ordinis, & eò quidem ut quod primò videbatur difficillimum, poſtea ſentiatur facillimum. Sic & in peccatis à recidiva in eadem.

Quod ipſum declarat D. Bernardus, in illa verba Jobi, *quæ priùs nolebat tangere anima mea præ anguſtia, cibi mei ſunt.* Cap. 6 v. 7.

Primùm, inquit, tibi videbitur importabile aliquid proceſſu temporis, ſi acquieſcas, judicabis non adeò grave, paulò poſt benè ſenties, paulò poſt nec ſenties, paulò poſt etiam delectabit, ita paulatim in duritiam itur: ex hac porrò duritia evenit illud, Lib. 1. de Confeſſ. c. 2.

quod ſtylo notavit D. Auguſtinus, *ut peccata quamvis gravia & horrenda, cùm in conſuetudinem venerint, aut parva, aut nulla eſſe creduntur.*

Cùm venerint, inquit, in conſuetudinem ab actibus ſcilicet repetitis, à qua ſicut & habitus gignitur, ſic & conſuetudo, quæ quantum ſit malum, ex eo diſces, quod ut rectè Publius Mimus: *Graviſſimum* In Enchirid. c. 22.

ſit conſuetudinis imperium, cui obſiſtere ut velis quàm maximè, vix poſſis: nec mirum, quia ut habet vetus parœmia,

Conſuetudo eſt altera natura; imò naturâ ipsâ ſuperior ac fortior; excludit enim ab animo quod ipſa natura indiderat.

In natura ſibi relicta, eſt ingenuus pudor, eſt gratus rubor, & hunc & illa omnia depellit ex animo, atque eorum loco inducit impudentiam, procacitatem, audaciam, amplius dico neceſſitatem. Sub hac cum gemuit D. Auguſtinus, ſic de illa, ſuo malo doctus.

Lib. 8 Confeſſ. c. 5. *Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & conſtrinxerat me. Quippe ex voluntate perverſa facta eſt libido, & dum ſervitur libidini, facta eſt conſuetudo, & dum conſuetudini non reſiſtitur, facta eſt neceſſitas.*

Multa hic, eaque gravia velut in cumulum colligit

ligit D. Auguſtinua, quæ obſervare ſingula erit operæ pretium.

Primom eſt, quòd velle ejus teneret inimicus, quæ ingens & miſeranda ſervitus.

Deinde, quòd ſibi catenam feciſſet, & quaſi funiculos, quibus raperetur, & teneretur obſtrictus; verè enim peccata peccatis addita, catenam faciunt, & veluti funem nauticum, quem ut velis, effringere non poſſis.

Tum etiam ex voluntate perverſa (utique ex multia actibus) facta eſſet illi libido; & prurigo quædam peccandi, cui dùm indulgetur, facta eſſet conſuetudo, cui dum non reſiſtitur, facta eſſet veluti quædam neceſſitas, quæ ſanè ſummum eſt animæ malum, quod omne uti & alia plurima ſunt à recidiva, de qua plura qui volet, inveniet fuſiùs deducta Tom. ſexto operum meorum in Tractatibua Aſceticia, parte tertia, Tractatu de recidiva in peccatum, ejuſque gravitate, damnis, periculis, pœnis, ac remediis, pag. 63.

QUÆSTIO SEPTIMA
LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in Cœlis eſt, ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt.* Matth. 12. v. 43.

QVOMODO FRATER, SOROR, ET MATER?

Cum ad frequentem populum diceret Orator divinus, injecit unua aliquis iſtud quod carnem ſapiebat, & ſanguinem: *Ecce mater tua & fratres*
verſ. 47. *tui foris ſtant, quærentes te.* Cui Dominus: *Quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei?*
v. 48
Tum oratione, vultu, manuque ad Diſcipulos
v. 49. converſa, dixit: *Ecce mater mea, & fratres mei:* grande beneficium, grandis & honos, ut Diſcipuli
Gratia & adoptione, dicerentur, & eſſent Chriſto & mater, & fratres, non quidem natura, carne, & ſanguine, ſed ſpiritu, ſed gratia, ſed adoptione: nec illi tantum, ſed & ii omnes, qui feciſſent voluntatem Patria Æterni, qui in cœlis eſt: ipſi, inquam omnes, vel ipſo primæ veritatis oraculo, Chriſto eſſent, & fratres, & ſoror, & mater: quod qui fiat, hic inquirimus.

Dixit Dominus & *frater, & ſoror*, ut ſic utrique ſexui eſſet benè. *Frater* enim ad virilem ſexum attinet, *ſoror* ad fœmineum.

Frater. Quiſquis igitur facit Æterni Patria voluntatem, Chriſti frater, aut ſoror eſt, non natura, ſed adoptione; quippe à gratia ille filius efficitur ejuſdem cum Chriſtu patris: hæc autem filia, adeoque ille
Soror. cum Chriſto *frater* eſt, & hæc ſoror; imò ſubinde mater, quia Chriſtum in ſe, & aliis quodammodo parit, partu ſcilicet ſpirituali, qui fit docendo, prædicando, hortando, conſulendo. Ita D. Gregorius Pont. Mox. è pulpito.

Mater. *Sciendum*, inquit, *nobis eſt, quia Chriſti, frater & ſoror eſt credendo, addiderim & amando: mater efficitur prædicando.* Rationem adjicit: *Quaſi enim pa-*
Hom. 3 in Evang. *rit Dominum, quem cordi audientis infuderit. Et mater ejus efficitur, ſi per ejus vocem, amor in proximi corde generatur.*

Quod & probat exemplo *S. Felicitatis*, quæ ſeptem omninò filios, quos carne pepererat mundo; ſpiritu parturivit & Deo, dum eos quà nutu, quà voce, ad ſubeundam pro Chriſto mortem animavit. Duplici titulo mater & carne & ſpiritu, & hoc quidem felicius: parum enim erat peperiſſe mundo, niſi peperiſſet & Chriſto. Hic enim partus illius ſerviit Cœlo ac beatitati, ille verò terris tantùm, & fortè etiam ſerviiſſet inferia, quod ſanè fuiſſet infeliciſſimum.

Cum D. Gregorio conſenſit D. Auguſtinua, cujua & hoc effatum: *Mater ejus* (nempe Chriſti)
De Virginit. c. 3. *eſt omnis anima pia faciens voluntatem Patris ejus fœcundiſſima caritate, in iis, quos parturit donec in eis ipſe formetur.*

Hoc oraculo probè edocta *S. Victoria* Virgo & Martyr ſub Imperatore Diocletiano Proconſuli roganti: *Vis ire cum Fortunatiano fratre tuo?* liberè reſpondit, *Volo.* & rationem addidit: *Chriſtiana ſum,* Sur. 11. Feb.
& illi ſunt fratres mei, qui Dei præcepta cuſtodiunt.

Libera illa vox Martyrii lauream illi peperit, Chriſtiani
carcere quippe clauſa, & fame enecta; in ſinum fratres.
beatitatis evolavit, deliciis æternis ſatianda.

At cur, inques, ii Chriſto ſunt & fratres & mater, qui fecerint voluntatem Æterni Patris? rationem unam attuli: addamua & alias ex natura ipſa, aut virtute petitas.

E natura eſt hæc: In humanis nihil carius, nihil magis eſt in amoribus, quàm aut frater, aut ſoror; aut etiam mater; naturæ quippe vinculo, vix ullum majua, vix potentius: at fratris, ſororis, aut matris vinculum naturæ vinculum eſt, vinculum & amoris.

Quod naturæ datum eſt; hoc eſt conſenſioni cum divina voluntate, hoc & voluntati noſtræ, ſi modò non tam noſtra ſit, quàm Dei; imò & Dei. Ab hac certè toti imus in Dei amores, toti ſumus & Dei amor, amor & Patris Æterni.

Cùm aliquando vellet Deus aperire, quo in Eccleſiam futurus eſſet amore, quáve inclinatione divinæ ſuæ bonitatis: hæc ad illam Iſayæ voce ca- C. 62. v. 4.
lamoque: *Non vocaberis ultra derelicta; ſed vocaberis voluntas mea in ea.*

Vocaberis, id eſt, eris, ut jure vocari poſſis *vo-* Conſenſione cum Divina voluntate.
luntas mea, hoc eſt beneplacitum, complacentia, delectatio, delitiæ meæ.

At rurſua unde & beneplacitum, & complacentia, & delectatio, & delitiæ Dei eſt Eccleſia, profectò non aliundè, quàm quòd in ea Dei voluntas, Dei placitum: ſemper enim obedit Deo, ſemper ejua facit voluntatem, & inde in ea ſibi complacet Deus, in ea ſeſe oblectat, in ea ſuas invenit delitias amoréſque ſuos defigit: & quia ſic invenit, ſic defigit, eamdem ſuæ quodammodo potentiæ facit eſſe conſortem, luæ & gloriæ.

Et hoc ipſum eſt, quod ejuſdem Prophetæ vaticinio ad Eccleſiam Deus; imò & ad animam Dei voluntati obedientem.

Et eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema verſ. 3.
Regni in manu Dei tui.

Eris, inquam, *Corona gloriæ*, hoc eſt Deus tibi ut filiæ erit inſtar coronæ, quæ caput tuum cinget, ornabitque, quod eſt amoris, quod & gloriæ: qui enim poteſt eſſe Dei in animam amor, majorque beneficentia quàm à Deo donari corona gloriæ, corona beatitatis? qui amor major, quæve gloria major, quam ipſi Deo eſſe quodammodo pro

corona gloriæ, hoc eſt, in quo glorietur, ac quodammodo triumphet: at hoc Deo eſt obediens; neque hoc tantum, ſed & *diadema regni.*

Diadema, inſigne regium eſt, & eo donatur obediens, qui ex vero Rex eſt, & Dominus & quidem primò ſui, tum etiam mundi, tum denique & mali dæmonis.

Sui quidem, cum iræ dominatur, gulæ, ſuperbiæ, aliiſque animi paſſionibus, ac concupiſcentiis.

Tum etiam opibus, honori, cæteriſque quæ in mundo ſunt, quibus dominatur inſigni eorum deſpicientia.

Tum denique Diaboli, inferiſque poteſtatibus, quas ſub jugo tenet omnis obediens, & quas velint nolint, habet ſibi obſequentes: cujus imperii teſtem adduco *S. Brigidam* virginem inclytam, & prodigiis nobilem: huic aliquando ſeſe conſpiciendum dederat malus dæmon, in quem cùm defixis oculis hæreret, *S. Briga* Abbatiſſa, quæ illi fortè aderat rogavit, Quem ſic attentè intueretur? cui illa, dæmonem, inquit, & hunc & ego videre optarim ait *Briga*. Cui *Brigida*, Videbis, inquit, atque illicò dæmoni imperavit, ut ſe quoque *S. Brigæ*, viſendum daret. Cui mox dæmon: *Non poſſum tibi non obedire, quæ Deo ſemper obedis.* Bollandus Tom. 1, Feb. 1. in ejus vita c. 12.

Dixit, & conſpiciendum ſe obtulit, forma ut aliàs ſolebat horribili; *Brigidæ* tamen, & *Briga* innoxia. Obedientia.

Ecce uti obedienti regnum eſt atque imperium in dæmones inferoſque omnes, ecce ut iis imperat, ut de iis triumphat, ut in his quoque verum ſit illud Sapientis: *Vir obediens loquetur victorias*: & hoc D. Auguſtini: *Sola obedientia tenet palmam, ſola inobedientia invenit pœnam.* Prov. c. 21. v. 28. In Pſal. 70.

FERIA QVINTA

HEBDOMADÆ PRIMÆ QUADRAGESIMÆ.

DIvus Gregorius Nyſſenus in Oratione funebri quam habuit in obitu PULCHERIÆ AUGUSTÆ, ait, illuſtrium Heroïnarum acta nobis proponi ac prælegi, non eò tantum ut cadant ſub admirationem; ſed vel maximè, ut moveant ad imitationem.

Et ſic in præſens exhibet Evangeliſta mulierem Chananæam, & hac una vocula: *Ecce*, quaſi digito monſtrat exemplar magnarum virtutum, puta Fidei firmæ, Spei ſecuræ, Charitatis accenſæ, Humilitatis profundæ, Patientiæ invictæ, & conſtantis perſeverantiæ, ut apparebit ex pauculis quæſtionibus, quas hîc ſubjicere eſt animus.

QUÆSTIO PRIMA

HISTORICA ET MORALIS.

Ad illa verba: *Et ecce mulier Chananæa à finibus illis egreſſa.* Matth. cap. 15. v. 22.

QVÆ FVERIT ILLA MVLIER CHANANÆA? Et cur ab Evangeliſta annotetur è finibus illis egreſſa?

De Chananæa quid Gentis?

DE hac muliere prima quæſtio incidit, quid gentis, quid & nominis; altera, cur dicatur è finibus illis egreſſa?

Sacer Hiſtoriographus, *Chananæam* vocat, non quòd eſſet ex Cana Galilææ, ut nonnulli crediderunt, ſed quòd oriunda ex Chananæis, poſteris *Chanaan* filiis Cham: Chananæi enim fuêre populus unus è ſeptem qui Palæſtinam juxta mare incoluerunt: atque ab Hebræis Duce Joſue expulſi fuêre, ſed non ex tota Palæſtina, manſerunt enim in Phœnicia, puta in Tyro & Sidone, quam Hebræi nunquam expugnare potuerunt, expugnavit deinde Alexander Magnus, difficili ſanè & longa ſeptem menſium obſidione, cujus pertæſus, cùm Tyrum in mari ſitam cepiſſet, duo Tyriorum millia cruci addixit & infami ligno, uti teſtis eſt Curtius.

S. Marcus *Chananæam* hanc appellat *Syrophœniſſam*, Syrus, ex *Punicia Syriæ*. Arabicus, *Phœniciam*. Græcus, *Syram Phœniſſam*: & quòd eſſet ex illa *Phœniciæ* parte, quæ Syriæ erat contermina: ad diſtinctionem ſcilicet alterius *Phœniciæ*, quæ erat extrà Syriam, ex qua oriundi Libii, Pœni, ſive Afri. Lib. 4. c. 7. v. 26.

Et hic fuit Interpretum labor, in exprimenda gente, è qua erat hæc mulier, quod factum non eſt ſine Numine, ut inde Judæis pudor & rubor injiceretur, ut qui Chriſtum concivem ſuum, & è ſuo genere prognatum, non agnoſcerent, non revererentur, cùm tamen & agnoſceret & revereretur hæc *Chananæa*, extranea tota atque Gentilis; tum etiam ut nobis, qui Chriſtiani ſumus, daretur exemplum & ſingularis in Chriſtum fiduciæ & pietatis. Et hæc pauca de illius notione ac gente: de nomine ejuſque Etymologia, ſubjiciamus etiam nonnulla.

Quid deinde nominis?

Appellatur

Appellatur *Chananæa* nomine, & omine ſanè felici: *Chananæa* enim, idem eſt quod *negotiatrix*.

Patet illud ex ipſius Scripturæ uſitata phraſi, in qua *Chananæus*, idem eſt ac *negotiator*.

Ita cum meatio incidit de Muliere forti, Sapiens

Prov c. 31. v. 18. illam commendat etiam ex hoc capite, quod *cingulum tradidit Chananæo*, vel ut Arabicus vertit, *negotiatori*.

Quod ſi *Chananæus negotiator*, Certè *Chananæa*, de qua hic incurrit ſermo, *negotiatrix* eſt.

At quod, inquies, illi negotium? & quorum? profectò non aliud quàm ſalutis, atque æternitatis. Neque cum alio, quàm cum Chriſto, quorum negotium egit, & ſalutis in filiam, & in ſe ſpiritalis lucri, à pretioſis mercibus, & ſuppellectile magnarum omninò virtutum & meriti, & præmii, quod ipſam feret æternitatem.

Et hæc de prima illa Quæſtione, quæ fuit, quid Chananæa Gentis? quid & nomina?

Veniamus ad ſecundam, cur ab Evangeliſta notetur iſtud. *Egreſſa è finibus illis?* nec enim illud eſt, ſine Numine, in Scriptura quippe, ſacriſque Paginis, nec unus apex eſt ſine ratione, nec fortuitò illatus; ſed altiore, ſed cæleſti conſilio, quod indagare erit Interpretum induſtriæ & laboris.

Ex hoc eruetur ea veritas formandis ritè moribus accommoda, quod ſcilicet ad faciendam orationem, ad Dei Chriſtique beneficia promerenda, exire

Cur egreſſa. oporteat è finibus *Tyri*, & *Sidonis*, hoc eſt è ſceleratis, & impiis, quales erant Thyrii & Sidonii, & civitates illæ à Deo & ſuperis maledictæ: clarius eloquor, abeundum à peccatoribus, à peccatis, & eorum occaſionibus, & earum quaſi finibus.

Cùm Iſraeli voluit Deus depluere è Cœlo manna, cùm & colligi; voluit & iſtud, ſummo manè foras egrederetur extra caſtra; ſic enim ad illum.

Exod. c. 16. v. 4. *Ecce ego pluam vobis panes de cœlo. Egrediatur populus, ut colligat, quæ ſufficiunt per ſingulos dies.*

Sed cur illud *egrediatur*? cur extra caſtra? nimirum in caſtris tumultus eſt, populi turba, & undique hominum turmæ, & undæ ſcelerum: extra caſtra, & foris, quies eſt, pax alta, innocentia caſta, quæ ideo aptior colligendo manna, colligendis & Dei miſerentis beneficiis, adeoque & ipſi oranti, qui ad Deum ſupplex venit.

Cùm plagis à Deo illatis urgeretur Pharao, rebelle cœlo caput, urgebat & ipſe Moyſen, ut pro

Orator ad Deū egrediatur. ſe ſuiſque ad Deum orator veniret, ut precibus ſuis iratum ſibi populoque Numen placaret. Quid illi Moyſes?

Exod. c. 8. v. 22. *Egreſſus à te orabo Dominum, & recedet muſca à te, & à ſervis tuis, & à populo tuo.*

Egreſſus, inquit, *è palatio, è turba aulicorum, è tumultu incantatorum. Egreſſus à te orabo Dominum.*

Extra turbas, & tumultus. Ecquid illud? an non ſatius fuiſſet Moyſen orare in Pharaonis aula? in illius, oculis, in aulicorum luce, in conſpectu incantatorum? ſic enim & explorata magis fides, & nota omnibus, & poteſtas ſanctitatis & ſanctitas poteſtatis, ſic & incantatoribus rubor, pudorque, in vultu, & omnibus admiratio, cultus ac reverentia Numinis, quæ ſe explicabat vel in unica Moyſis oratione.

Nihil tamen voluit horum Moyſes: ſed illico

Exod. c. 9. v. 29. *egreſſus à Pharaone oravit Dominum, qui fecit juxta verbum illius*, non facturus intra palatii tecta, atque in oculis Pharaonis.

Quod Pharaoni Moyſes; hoc & Ægyptiis: cùm enim hos, & excuſſa de nube grando ſaxorum inſtar, & fulgura, & tonitrua terrerent, perderentque ſceleſta capita, pro iis ſupplex ad Moyſen venit Pharao, & ſic ad illum:

Orate Dominum ut deſinant tonitrua Dei, & grando; Cui Moyſes, faciam equidem, & orabo Dominum; ſed nonniſi cum egreſſus fuero ex urbe extendam palmas ad Dominum, & ceſſabunt tonitrua, fulgura, fulmina, aliaque irati ætheris flagella.

Sed rurſum cur & iſtud, nonniſi cùm *egreſſus* fuero, cur non in urbe? cur non domi? multum enimvero; hic enim, & illic obſtant ſcelerata capita, ne Deum oret, neve quod orat impetret. Nimirum verum hic & iſtud D. Ambroſii. *Qui ſuis meritis eſt firmus, turbatur alienis.*

Firmus à fide Moyſes, firmus ab inſigni in Deum fiducia, firmus denique à meritis, & magnarum virtutum exemplis; ſed qui ſuis meritis firmus erat, turbari potuit *alienis*, Aulæ ſcilicet fuco, Pharaonis pervicacia, atque obduratione, incantatorum dolis ac fraudibus: adeò verum illud: *Qui ſuis meritis firmus eſt, turbari alienis.* *Extra conſortiū peccatorum.*

Aſcenderat in naviculam Chriſtus, unaque & diſcipuli ejus, cum *Ecce* derepentè, *motus magnus factus eſt in mari*, ſævientibus utique ventis, turbatoque elemento, & ita quidem ut *navicula operiretur fluctibus*. *Matth c. 8. v. 24.*

At quæ cauſa illius motus? & inde etiam naufragii imminentis? non alia quàm Judas proditor. Audi D. Ambroſium. Sic ille:

Non turbatur navis, quæ Petrum habet, turbatur illa, quæ Judam habet. Etſi multa illic diſcipulorum merita navigabant; tamen eam adhuc perfidia proditoris agitabat. In utraque Petrus: ſed qui ſuis meritis firmus eſt, turbatur alienis. *In c. 5. Lucæ*

Erat in ea navi Chriſtus, ipſa ſanctitas, ipſa & bonitas, erat & Petrus altus ex humili, ex aquis evectus ad ſydera, erant & alii Apoſtoli, magnæ illæ puriſſimaque mentes, erat & cum illis Judas, futurus deinde proditor, & ab hujus unius pondere ſubſidit cymba, nec eam tot Apoſtolorum merita poſſunt ſuſtinere, adeo grave peccati, & peccatoris pondus, adeo res plena periculi malorum ſocietas, à qua ut egrediaris oportet ſi tibi velis eſſe benè cautum, ſi ſuperis Deóque acceptum quod poſtularis, ſi tibi beneficum Numen. Fatendum, enim quod res ipſa ſæpè ſæpius docuit, Deum Opt. Max. non concedere etiam ſervis ſuis eas gratias, ea beneficia, quæ aliàs eſſet conceſſurus, ob alicujus peccatoris demerita, atque crimina.

D. Chryſoſtomus orator utique aureus, dicam & entheus totus, potiſſimum verò in ſacratiore illo Miſſæ Sacrificio, in quo & divinæ conſolationis dulcedine diffluere ſolebat, totus & cœleſtibus etiam viſis illuſtrari atque recreari.

Die verò quadam dum efferretur eximio quodam, ac ſingulari ardore mentis in Deum. Ecce ſubitò *depulſa ſunt viſa S. Spiritus. Deterſæ & cœleſtes illæ imagines*; nec ultra à Deo, ut videbatur, auditus. *D. Chryſoſtomi ariditas à ſacellano miniſtrante.*

Quid hîc Chryſoſtomus? hæret attonito ſimilis, atque ingemiſcit, veritus ne ſubſtracta illa lumina, extinctus & ardor, & incaſſum fuſæ preces ſuo alì. quo vitio: ſed mox deterſus eſt metus, & reddita quies animo; intellexit enim, Deo revelante, non ex ſua culpa exaruiſſe cæleſtes illos fontes: ſed Sacellani ſui, qui fortè ſacris miniſtrabat, aſpectu curioſo mulieris, in cujus ſcilicet faciem leviuſculè, & liberè nimis oculos conjecerat. *Metaphraſtes Tom. I. 27. Januar.*

Id ubi, Deo auſpice ac miſerente, audiit Chryſoſtomus, & Sacellano mandavit, ut inde excederet ocyus, & ſe ſibi relinqueret, ac Deo. quod ubi factum eſt, & ſolitus ardor accenſus eſt, & conſueta illuxere lumina, & exauditæ de more preces. Tanti refert emitti procul, qui iis obſtaculū ponere poſſet. Sic (ut eò redeam, unde paululum abii) mulier noſtra Chananæa, *egreſſa è finibus Tyri, & Sidonis*, ut à Chriſto audiri poſſet atque exaudiri, aliàs non audienda: impedimento enim erat vel unicum malorum conſortium.

Digitized by Google

QVÆSTIO SECUNDA MORALIS.

Ad illa verba: *Egreſſa clamavit.* Matth. cap. 15. verſ. 22.

QVIS ILLE CLAMOR, ET VNDE?

Clamor ecquis?

NE crede, Mi LECTOR, abſque Dei nutu, atque conſilio eveniſſe, ut Evangeliſta notarit eam voculam *clamavit*, contenta ſcilicet voce & valida, contenta & mente, & affectu ſanè valido, à quo & clamor ille validus.

Sed quis, inquies, eſt ille clamor? alius certè, atque alius.

I. Afflictionis.

Primus eſt *Afflictionis:* hæc enim clamat, & quidem potenter, atque in Cœlos ipſos evadit, atque ad ipſas Chriſti Deique aures appellit, & miſericordiam imperat.

Exod. c. 14. v. 15.

Cùm Iſraelem à tergo urgeret premeretque Pharao, ad Dominum clamavit Moſes pro auxilio ſibi & ſuis impetrando, & inde illud Dei ad ipſum: *Quid clamas ad me?*

1 Reg. c. 7 v. 9.

Inſtabant Philiſtini, & filiis Iſraël incumbebant toti, & quidem denſis agminibus, cùm dixerunt ad Samuelem: *Ne ceſſes pro nobis clamare ad Dominum Deum noſtrum, ut ſalvet nos de manu Philiſtinorum.* Ecce ab afflictione clamor & ad Samuelem, & ad Dominum, non futurus, niſi ab afflictione.

Pſal. 140.

A rebelli filio, ab Abſalone, profugus ibat David, ſpiritum collegit, & vocem, quæ ſonaret efficaciùs, quò altiùs: ſic enim de ſeipſo. *Domine clamavi ad te, exaudi me.*

Pſal. 129.

A Saule, ad vincula, ad ferrum, ad mortem petebatur David; quæ ut effugeret, in antra, & latebras abdiderat ſeſe. Quid inde? exclamat, atque in cœlos emittit illud: *De profundis Clamavi ad te Domine*, non clamaſſet niſi de profundis, id eſt de afflictionibus: maneat ergo afflictiones hujus ævi mortalis clamorem eſſe, & quidem validum. Et is fuit in Chananæa: quæ enim bonæ matri major obvenire poteſt afflictio, quàm ut filia longè cariſſima à dæmonio malè vexetur: quæ etiam filiæ gravior, quàm ut dæmonem, velut hoſpitem peſſimum, admittat in intima corporis, in ipſa cordis penetralia? & hæc afflictio fuit, hic & illius clamor; *clamavit* enim afflicta mater, & hic primus fuit clamor.

II. Deſiderii.

Alter fuit ab incenſo deſiderio, quo tota æſtuabat Chananæa; deſiderio inquam, quo ardebat ut à dæmone liberaretur filia.

Ne mireris, Amice lector, quod deſiderium clamorem vocitem. Vatem habeo D. Bernardum. Sic ille quondam.

In Dei auribus, deſiderium vehemens, clamor magnus. Quippe animarum verba, ſunt ipſa deſideria: Hæc porrò concipiuntur corde, & exprimuntur voce, imò vox animi ſunt, & cordis clamor: & is fuit in Davide, qui hæc & ingenuè, & verè de ſeipſo.

Pſal. 118.

Clamavi in toto corde meo. Non latius os deduxi, non linguam expedivi, non labia explicui, non vocem, niſi que cordis eſt. Illâ clamavi, & illâ ſum exauditus, quia Deus magis audit clamores cordis, quàm oris.

Lib. 1. de Cain c. 9.

Cor ergo prius clamet, ut ſermo poſſit audiri, inquit Ambroſius.

Et ita clamavit Chananæa mulier, corde primùm, & deſiderio, deinde ore: & hic ſecundus illi clamor fuit.

Tertius fuit Amoris, qui ſe his prodiderit: *Miſerere mei Domine, fili David.*

III. Amoris.

Miſerere mei, inquit: *mei*, certè, quia magis eſt in filia, quàm in ſe: amans enim magis eſt in amato quàm in ſe: inde dicit *miſerere mei*, non filiæ, quia filiam amat ut ſe; imò magis quàm ſe. quod & ſolent parentes omnes, ſi modo ii ſint, quos natura eſſe voluit: hac enim duce, ac motrice, parentes magis amant liberos ſuos quàm ſe, cujus rationem reddit Ariſtoteles cùm injicit illam quæſtionem, cur parentes magis ament liberos ſuos, quàm ab iis amentur?

Cauſa eſt, inquit, quòd amor naturalis deſcendat, quodque parentes optent filios ſibi ſupereſſe, ut poſt mortem in iis vivant, perennent, & quaſi immortales ſint, ac veluti quamdam æternitatem, quam in ſeipſis habere nequeunt, in filiis ac nepotibus aſſequantur.

Et hic amor enituit in muliere illa *Chananæa*, in qua, qui fuit clamor, amoris fuit; altùm enim inſonat amor, altùm & clamat: & ita clamavit ad Chriſti aures, cum ſic ad illum, *Miſerere mei Domine fili David.*

Et hic tertius ab ea clamor, ab amore, qui apud Deum valet quàm maximè: ut enim nonnemo. *Apud Deum valet, non magnus clamor; ſed magnus amor.* Et hic fuit in Chananæa, uti deinde & quartus ab oratione, cui ſuus quoque eſt clamor, & quidem ejuſmodi, qui in Cœlos ipſos evadit.

IV. Orationis.

Teſtes volo, teſtes appello illas Dei ad Moyſen voces: *Quid clamas ad me?* non legimus Moyſen clamaſſe, non oraſſe contenta voce: legimus populo tumultuanti, atque ad imminens excidium contremiſcenti, animos feciſſe: legimus, ad ſpem erexiſſe, atque in Deum fiduciam: legimus hæc ad eum dixiſſe: *Dominus pugnabit pro nobis, & vos tacebitis.* Et verò tacuit Moyſes, & ſi oravit, tacitè oravit: apud ſe, apud Deum oravit, illumque unicum & teſtem habuit, & auditorem ſuæ orationis, & tamen hæc illi Dominus. *Quid clamas ad me?* nempe oratio, etſi tacita ſit, clamor eſt, & quidẽ validus, qui cœlos ipſos pervadit, atque ad Deum evadit. verſ. 14.

Et is quoque Davidi fuit, cùm ut ſupra diximus, *De profundis clamavit*, hoc eſt de profunda ſolitudine, de latebris, de antris, & ſpeluncis: & tamen ut in iis oraret, etiam in alto ſilentio, clamabat tamen, & ſic nos clamare docebat.

Uti deinde & docuit D. Auguſtinus, cujus hæc admonitio oranti opportuna. *Cum oras, clama, non voce, ſed mente; nam tacentes audit Deus: nec mirum, quia taciturnitas mater eſt orationis, & ſecretus in Deum profectus, occultus aſcenſus*, ut rectè Climacus. *Gradu 11.*

Et hic quoque fuit in *Chananæa* noſtra: etſi enim non clamaret ad Dominum, mente tamen magis clamabat, quàm voce: clamabat & ſecreto in Deum profectu, & occulto aſcenſu: clamabat & profectu in virtutibus, quibus ſua quoque vox, ſuus & clamor, ut jam oſtendemus.

V. Virtutum.

Divus Ambroſius mellifluus orator in illa Pſalmiſtæ verba: *Et oratio ejus fiat in peccatum*, docet primò eſſe *diffidere de potentia Dei, æſtimare quod non audiatur, niſi clamaverit.* Pſal. 108.

Deinde oſtendit ſi in oratione clamandum ſit, quomodo clamandum: ſic enim inquit:

Clament

Clament opera tua, clamet fides, clamet affectus, clament paſſiones tua, clamet ſanguis tuus, ſicut S. Abel Lib. 1. de Caine 19. *de quo dixit Deus ad Cain, Vox ſanguinis fratris tui ad me clamat. Audit enim Deus in occultis, qui mundat in occultis.*

Tum ſubjicit diſcrimen, quod eſt Deum inter, & mortales omnes.

Nos, inquit, *niſi loquentem aliquem audire non poſſumus, apud Deum loquuntur non verba, ſed cogitationes.*

Et ita loquebantur in Chananæa noſtra cogitationes, loquebantur opera; imò & fides clamabat: clamabat affectus in Chriſtum, quem agnoſcebat, quem ſuſpiciebat, amabatque ut filium David, hoc eſt ut Meſſiam: clamabant in ea paſſiones, quas induerat in ea filiolæ ſuæ afflictatione, & vexatione à malo dæmone; clamabat & filiæ ſanguis, & ſanguis ſuus, ex quadam cum illa compaſſione: verbo uno clamabant virtutes propè omnes, uti patebit ex Quæſtione ſequenti.

QUÆSTIO TERTIA
MORALIS.

Ad illa verba: *Etiam Domine, nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa Dominorum ſuorum.* Matth. c. 15. verſ. 27.

QVÆ BONÆ ORATIONI VIRTVTES SINT COMITES?

Oratio Omnipotens. MAGNIFICUM illud, & tamen verum Theodoreti de oratione pronuntiatum: *Omnipotens oratio, cùm ſit una, omnia poteſt.* Flectit enim, & vincit Omnipotentem, & quidvis ab eo impetrat, ſi modo ea ſit, quæ ex virtute eſſe debet, ſi comites habeat virtutes, quæ Omnipotentem moveant, atque ad orantis vota inflectant.

Eæ porrò patebunt in exemplo, quod poſteris reliquit mulier Chananæa, in ſua illa ad Chriſtum Virtutes orationi comites. oratione: *Miſerere mei Domine Fili David.* Brevis oratio, ſed quæ comites habuit eas virtutes, quarum & præco fuit Servator optimus, dum ſic ad illam: *O mulier, magna eſt fides tua.*

Quæ autem fuerint illæ, explicabit ipſa rei tum geſtæ ſeries, & quidem

Primò, quæ illi fuerit, & quàm perfecta reſignatio, & cum divina voluntate conſenſio: ea patebit ex paucis illis voculis, quas orationi ſubintulit. In muliere Chananæa. *Filia mea malè à Dæmonio vexatur:* non addit veni, & libera eam, veni ad dæmonem, malum utique hoſpitem, expelle, veni, & matrem ſolare, ſolare & filiam: nihil horum dicit, ſed nudè miſeriam repræſentat, cætera committit ejus prudentiæ, voluntati, & caritati.

Secundò inſignis in Chriſtum fiducia, cui malum aperuiſſe, credit plus ſatis eſſe ad ſanitatem, ad ſalutem.

Tertiò patientia ſingularis: cùm enim Chriſtus ne verbum illi reſpondiſſet, non deſpondit animo, non ſpem abjecit, non deſtitit ab oratione: etſi enim audiſſet à Chriſto oraculum illud: *Non ſum miſſus niſi ad oves, quæ perierunt domus Iſrael,* venit nihilominus, atque cum ſupplex *adoravit,* dicens,
verſ. 25. *Domine adjuva me.*

Quartò Perſeverantia, juncta cum Inſigni humilitate: cùm enim repulſam eſſet paſſa, audiſſetque inſuper & iſtud à Chriſto: *Non eſt bonum ſumere*
verſ. 26. *panem filiorum, & mittere canibus,* non indignata, ſe ut canem haberi, canem dici, atque ut canem à Domini menſa repelli, ſubintulit illud, quod ſanè
verſ. 27. humilis erat animi. *Etiam Domine; nam & catelli edunt de micis quæ cadunt de menſa Dominorum ſuorum.*

Ecce ut humili de ſe ſenſu, & canem ſe agnoſcit, nec par eſſe credit, nec decens, ut panis filiorum, hoc eſt gratia miraculorum, quæ Judæis, utpote, filiis, conceſſus, ſibi, ut Gentili, adeoque ut cani, etiam concedatur.

Et hæ fuere in muliere Chananæa virtutes excelſæ, quæ profectò clamabant ad ipſas Chriſti aures longè potentiùs, quàm ulla vox, ullúſve clamor: ut & in nobis, noſtráve oratione, eædem altùm clament, paulò fuſiùs eas deducam, firmaboque SS. Patrum teſtimoniis vel etiam exemplis.

I. VIRTUS ORATIONI COMES.
Reſignatio & conſenſio cum Divina voluntate.

Hanc Chriſtus, divinus orator, & verbo docuit, & exemplo. *Verbo* quidem, cùm modum orandi docuit; cùm orationem, quæ à nobis dicitur, & eſt Dominica, expreſſit ipſe, atque à nobis exprimi, voluit, atque uſurpari, in qua & expreſſum illud orantis ad Patrem æternum: *Fiat voluntas tua, ſicut* Matth c. 6. *in cœlo & in terra.*

Exemplo deinde, cùm inter vitæ mortiſque confinia ſic ad Patrem: *Pater ſi vis, transfer calicem iſtum à me: verumtamen non mea, ſed tua voluntas fiat.*

Non erat in Chriſto unica voluntas, ut falsò voluerunt Monotelytæ; ſed duæ, eæque omnino diſtinctæ, atque diſcretæ; *Humana* una, *Divina* altera: cùm ad Patrem Æternum venit Orator, humanam divinæ penitus ſubjicit, noſque exemplo ſuo ſubjicere docet in omni oratione, & quæcumque nobis incumbat tempeſtas malorum, ſeu ea in caput noſtrum incidat, ſeu in conſanguineos, hanc omnem Divinæ vult committi voluntati.

Et verò committi omninò debet, nec quicquam in omni petitione relinqui propriæ voluntatis: ſi enim relinquatur, nihil è cœlo opis, ſubſidii nihil expectandum.

Abbas Paſtor, Inter Antiquiores nominatus, In vitis PP. lib 5 n. 60. dicere ſolebat: *Voluntatem hominis eſſe veluti murum æreum inter nos & Deum.*

Beneficia autem Dei eſſe veluti fontes è Cœlo Voluntas propria murus æreus inter Deum & nos. manantes, eſſe veluti lumina quædam, quæ in nos emittit indulgens Numen. Quod ſi nos inter & Deum objicis & murum æreum, adeoque obicem ponis, & cœleſtia beneficentiæ rivulis, & divinis luminibus, ne vel illi in nos defluant, vel hæc nos illuſtrent.

Abſit ergo ab omni oratione, omni petitione voluntas propria: adſit autem divina, & omnimoda cum illa conſenſio, atque conformitas: ut autem ea ſit,

Advertendum eſt illud, quod voluntas noſtra debeat eſſe conformis Divinæ voluntati, primò *effectivè* (ut loquuntur in ſcholis Theologi) quia ut Voluntas noſtra ſecundo modo conformis cum Divina. voluntas noſtra ſit bona, debet velle id, quod eam velle vult Deus.

Deinde debet eſſe conformis *in objecto formali,*

 ſive

Digitized by Google

qui ſub pedibus eſt; & is videri & eſſe geſtiebat Abraham, cùm ad Deum veniret Orator, certus Deo nihil placere magis, quàm inſignem ſui demiſſionem, maximè autem in oratione, quæ ut Deo ac Superis grata ſit, humilitatem ſibi comitem habeat adjutricem in arduis.

II. Gradus humilitatis.

Et ita etiam habuit in Davide, qui clamaſſe, hoc eſt oraſſe legitur ad Dominum; ſed nonniſi *de profundis*, hoc eſt de abyſſo nihili ſui, qua nihil profundius; ſic enim orans ſeſe abjiciebat David, atque immergebat in nihilo ſui, ut altiùs clamaret, quò profundiùs; & ita nos clamare, ita & orare docuit Sapiens, cùm extulit illud, de vi atque efficacia orationis, cui comes & ſocia humilitas.

Eccleſ. c. 35. v. 18.

Oratio humiliantis ſe, nubes penetrabit, & donec propinquet non conſolabitur, & non diſcedet, donec Altiſſimus aſpiciat.

Ita Nimirum dum pius animus ſeſe deprimit, illa ſurſum tendit, & quantò magis ille abjicitur, tantò ſublimius iſta evolat, & donec propinquet, non conſolabitur; nec enim contenta nubes ſuperaſſe, uſque ad ſummæ Triadis ſolium attollitur, nec ab eo diſcedit, donec altiſſimus benigniore vultu aſpiciat, & conſolationem omni pretio æſtimabilem infundat, roburque addat, & vim natura ſuperiorem.

Ita addidit *S. Auxentio* Archimandritæ, cujus oratio. & cœcis lumen oculorum, & leproſis ſanitatem, & paralyticis uſum membrorum reſtituebat. Ea quippe vis in illa erat ad patranda omnis generis miracula.

At unde illa vis? certè non aliundè, quàm à profunda humilitate, quâ ſeſe abjiciebat, quantum quis poteſt.

Abraham Deum orans ſeſe depreſſit ad infima terræ, ad pulveris modicum. David profundiùs ad abyſſum nihili.

III. Gradus humilitatis.

S. Auxentius profundiſſimè ad peccatores & peccati abyſſum, quâ nihil abjectius; cùm enim pro miſellis illis Deum oraret, ſic orare ſolitus, & ſic Deum exorare. *Sanat vos* JESVS *Chriſtus; ego enim ſum homo peccator.*

Bollandus 14. Febr. in ejus vita c. 3.

Ad humilem illam abjectamque voculam *peccator*, indulgens humili Altiſſimus ea dabat miracula, ad quæ terra attonita obſtupeſcebat, & ipſi inferi contremiſcebant: eâ quippe dæmones, maligni illi ſpiritus, deſertis corporibus mergebantur in tartara. Tantum valebat oratio humilis, etiam ad corporum curationem: videamus etiam quantum ad animorum.

Chriſtus ceu Magiſter optimus, in publica concione duos produxit oratores, mirum quantum diſſimiles.

Luc. c. 18.

Duo homines, inquit, *aſcenderunt in templum ut orarent, unus Phariſæus, & alter Publicanus. Phariſæus ſtans hæc apud ſe orabat, Deus, gratias ago tibi, quòd non ſum ſicut cæteri hominum, raptores, adulteri, velut etiam hic Publicanus. Jejuno bis in Sabbatho, decimas do omnium quæ poſſideo.*

verſ. 11.

Oratio Phariſæi.

En tibi, AMICE LECTOR, primus ad Deum orator, ecquis ille ſit, expende. *Phariſæus* eſt, hoc eſt *ſegregatus* à vulgo, imò & ab aliis omnibus, non vitâ & moribus uti oportuiſſet; ſed ſuperbiâ, ſed faſtu inſolentiore, quod non decebat. *Stans*, non ex reverentia Numinis, ſed ex tumore mentis, quem & declarat vox græca σαθεὶς, id eſt *conſiſtens & erectus*, in cœlum ſcilicet, quaſi cum Deo diſputaturus, & meritorum ſuorum rationem exacturus, quod & ſonabat ipſa oratio quanta erat; primùm enim in ea cæteros omnes deſpicit atque infrà ſe ponit.

Non ſum, inquiebat, *ſicut cæteri hominum.*

Deinde eorum malefacta propalat, ait enim *raptores, injuſti, adulteri.*

Tum etiam ſua ſilentio tegit.

Denique & Publicanum præ ſe deſpicit; dicit enim, *velut etiam hic Publicanus.*

Oratio Publicani.

Audiſti, BENEVOLE LECTOR, primum oratorem, elatum illum ac ſuperbum, & ſua improbè jactantem. Audi & ſecundum: erit ille *Publicanus, qui à longè ſtans, nolebat nec oculos in Cœlum levare; ſed percutiebat pectus ſuum, dicens: Deus propitius eſto mihi peccatori.*

verſ. 13.

Stat ille quidem, ſed ut reus coram judice ſolet, non quaſi *conſiſtens* in pedes; ſed tremebundus ac tremens totus: *Stat à longè*, non ut Phariſæus aut primus, aut inter primos propè altare; ſed procul: non *erectus*; ſed incurvus, inflexaque cervice: non elatis in Cœlum oculis; ſed abjectis in terram: non ſua jactitans, non oſtentans merita ſua, non ulli ſe præferens, aut comparans; ſed *percutiens pectus ſuum*, addenſque & iſtud humilis animi, atque ad divina judicia contremiſcentis: *Deus propitius eſto mihi peccatori*: hoc ſibi nomen aſciſcit, quod ſanè abjectiſſimum, quod viliſſimum eſt: nihil enim, cœlo judice, abjectius, nihil vilius peccatore.

Spectaſti, AMICE LECTOR, & hunc & illum oratorem, ſuperbum unum, & humilem alterum; excipe quid de hoc, & illo Incarnata Divini Verbi Sapientia, & omnium ſupremus Judex.

Dico vobis, inquit, *deſcendit hic juſtificatus ab illo.* verſ. 14.

Ita nimirum factum eſt, & Cœlo judice factum quàm optimè: *Phariſæus vacuus rediit, quia plenitudinem ſimulavit, & Publicanus qui exinanivit ſeipſum, qui vacuum vas exhibere curavit, gratiam retulit ampliorem*, ut ſcitè D. Bernardus.

Serm. 3. de Annunciatione.

Nimirum eſt ille Divinæ Providentiæ ludus amabilis: *Deus ignoſcit quando ipſe agnoſcit, à longè ſtabat, ſed eum Dominus de propè attendebat: excelſus enim Dominus, & humilia reſpicit*, ut diſertè D. Auguſtinus.

Serm. 3 de verbis Dom.

Ut te quoque reſpiciat, quiſquis pagellam hanc decurris, age, orationem ama, orationem funde; ſed humilem, teipſe incuſa, & pectus tunde, teipſe damna, & peccatorem proclama: *In confeſſione enim, ſui accuſatio, Dei eſt laudatio, adeoque & perfecta oratio*, ut rectè ille ipſe D. Auguſtinus; ſed à Publicano redeo ad mulierem Chananæam, à qua paululùm abii, ejus humilitas in hoc vel maximè enituit, quod ut audiit à Chriſto illud: *Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus*; illicò ſubjecit illud quod humilis animi fuit, & de ſe abjectè ſentientis: *Etiam Domine, nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum.*

Serm. 8. de verbis Dom.

Quid deinde ab illa demiſſione laudis? quid & præmii? Laudis illud Chriſti ad illam: *O mulier magna eſt fides tua.* Præmii verò illud: *Fiat tibi ſicut vis, & ſanata eſt filia ejus ex illa hora.*

Præmii & hoc, quod diſertè explicat D. Chryſologus: *Meritò, quæ ſe canem confeſſa eſt, in hominem commutatur; meritò adoptatur in filiam, levatur, honoratur ad menſam, quæ ſe ſub menſa, laudabili & provida humilitate, projecit.*

Serm. 100.

IV. VIRTUS ORATIONI COMES, *eſt Fides.*

Mulieri Chananææ pro filia roganti objecerat Chriſtus, *Non ſum miſſus niſi ad oves quæ perierunt Domus Iſrael.* Ita nimirum, ut eleganter D. Chryſologus, *Promiſſionis ſuæ memor Chriſtus, Iſraelitici populi primum venerat ad ſalutem, ut quod Abrahæ promiſerat & ſemini ejus, Davidi, ejuſque poſteris fideliter redderet perſolutum, ſed quia indignos ſe ſuâ perfidiâ præſtiterunt, obtinuit, rapuit, traxit fides Gentium, quod infidelitas perdidit Judæorum.*

Suprà.

Et ita hic obtinuit, rapuit, traxit fides etiam Chananææ.

Obtinuit, inquam, primò enim in Chriſtum credidit,

credidit, & Meſſiam agnovit, tum etiam gratiam miraculorum, cùm in filiæ ſanitatem rapuit, & traxit ipſam Chriſti potentiam, & fide ſuâ, & demiſſione vim quodammodo ipſi fecit.

Verum enim in illa fuit, quod generatim pronuntiavit ille ipſe S. Præſul.

Vim fecit fides Gentium, ut raperet hæreditatem Patris, ipſam hæreditatem totam diriperet filiorum.

Et ita vim *fecit fides* Chananææ, vim dico amabilem, vim & laudabilem, vel ipſo Veritatis Incarnatæ oraculo, quo ſic ad illam: *O mulier magna eſt fides tua:* ut & in nobis quoque magna ſit, paucis exponam, quæ orationi noſtræ comes eſſe debeat fides, & quanta, ut cùm Deum oramus, etiam exoremus.

Ea certè quam expoſuit aliquando ipſe Chriſtus, cùm ſic ad diſcipulos: *Habete fidem Dei.* At quænam illa? & quæ illius vis? excipite ipſis Chriſti verbis:

Matth. c. 11. v. 23. *Amen quippe dico vobis, quia quicumque dixerit huic monti: tollere, & mittere in mare, & non hæſitaverit in corde ſuo; ſed crediderit, quia quodcumque dixerit fiat, & fiet ei.*

Sit ergo ea fides, quæ non hæſitet, ſit quæ non nutet quaſi dubia, quaſi incerta de oraculo: ſi ea ſit, quodcumque dixerit fiat, fiet ei.

Orationi fidei junctæ obediunt omnia.

In prima hujus Univerſi molitione unâ voculâ *fiat*, facta ſunt omnia: nec mirum, vocula erat Omnipotentis, adeoque & ipſa Omnipotens. *Fiat lux, & facta eſt lux. Fiat firmamentum in medio aquarum, & dividat aquas ab aquis; & factum eſt ita. Germinet terra herbam virentem, & facientem ſemen, & lignum pomiferum; & factum eſt ita. Fiant luminaria in firmamento cœli, & ſint in ſigna, & tempora, dies & annos; & factum eſt ita. Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram; & factum eſt ita.* Sicque una voce faciamus, facta ſunt omnia.

Quod eò loci ac temporis ab illa vocula, hoc deinde ſæculis longè conſequentibus ab oratione fidei juncta: cùm dixit illa, *Fiat*, factum illicò. Crederes & elementa, & cœlos, & jumenta, & ipſos inferos audire voculam illam orationis, *Fiat*: ita enim fit.

Probetur illud factis ipſis, quibus certè major & tutior fides, quàm verbis.

In vit. PP. l. 3 c. 215.

Aqua.

Ad littus maris inambulabat *Dulas*, Abbatis *Beſarionis* diſcipulus, qui à ſiti exareſcens totus, dixit ſeni. *Siti me macerat Pater.* Orat *Beſarion*, & aquam è mari tolli jubet, jubet & ebibi, & dulceſcit illicò, & ſalſedinem ponit, & ſitim extinguit.

Agricola cum fortè ſpectaſſet *Davidem Ægyptium* ſenio, & annis gravem ſedere ad meſſem, neque cum illis incumbere. Hæc ad illum. Cur non metis ſenex? cui ille. Expecto dum deferveſcat æſtus, ne de ſpicis grana decidant tuo damno. Cui Agricola; ſurge, labora, ardeant omnia. Cui ſenex, Et vis ut ardeant? ita planè, inquit: nec mora, ardet ager, ardet meſſis, ardent & omnia. His territus agricola, & ſe ipſe incuſans, ac damnans, ad *Davidem* ſupplex accidit, orat, obſecratque, ut Deum pro ſe, próque ſua meſſe oret, exoretque: facit ſenex, ſtatque medius inter incenſos manipulos, & fuſa oratione ignem extinguit. Putares elementum, etſi quàm maximè vorax, orationis vim ſenſiſſe: & verò ſenſerat etſi ſine ſenſu, & vorare deſierat ad nutum orantis.

Ignis.

Aër.

In monaſterio *S. Sabæ* Abbatia, erat ſenex nomine *Cyriacus*, vir annis & meritis ſpectandus in paucis: exierat hic è cellula ad milliaria omninò duodecim, cumque ad eam remearet, inſolens ſolis æſtus illi ſic incubuit, ut liqueſceret totus, ac propè deficeret. Quid conſilii? quid remedii in arente ſolo? ad orationem confugit, oculos in cœlos levat, levat & manus, levat & vocem. Et ſic, ad Deum, *Domine tu ſcis, quia præ æſtu præque ſiti ambulare non poſſum.* Orantis vocem audit miſericors

Lib. 10. c. 4.

Deus, exauditque, & ſtatim aërem in nubem cogit, quæ ſenis capiti tamdiu inſiſtit, donec cellulæ reddatur ſuæ, hoc eſt eo temporis ſpatio, quo decurri poterant milliaria omninò duodecim.

Spectaſti ad orationem cum fide conjunctam addenſari nubes: accipe, quomodo etiam diſſolvi. Ex Eremicolis venerat ſenex in montem Sinai, cùm ei occurrit è fratribus unus, queriturque pertinaci ſiccitate exareſcere omnia; cui ſenex: *Veni, ſtemuſque pariter ad orationem*: dixit, & manus in Cœlos extendit, vocemque explicuit, & ſtatim denſus imber concidit, & terram irrigavit: ita quæ in aëris regione conſiſtunt, orationi parent; nubes ſcilicet, & pluviæ: accipe, ut etiam venti. Lib. 5. n. 14.

Lib. 8. c. 59.

Fortè de via feſſi Abbas *Surus*, & *Iſayas*, & *Paulus*, ad fluvium convenerant, optabantque unà reddi ſuis cellulis: ſed fluvius intererat, nec erat navis ad manum, nec ventus faventior, qui propelleret afflaretque à puppi. Orat Abbas *Surus*, & ecce derepente & apparet navigium, & ventus ita perflat, ut uno propè momento, etſi adverſo flumine, ſuis reſtituantur cellulis. Venti.

Vidimus & Aquam & Ignem & Aërem orationi paruiſſe: attendamus qui etiam ipſa terra. Terra.

Abbas *Coptes* nominatus inter Antiquiores à vitæ ſanctimonia, & miraculis, venerat in agrum maligna quadam ſterilitate damnatum, cui agricolæ, & ipſi primum Baptiſmi aquis eluti, hic ager, inquiunt, adeo ſterilis eſt, ut vix duplicatum ſemen reddat cultori ſuo.

Quibus Abbas: *Orate, & habete fidem Dei.* & hanc arenam, quàm calcatis, tollite, & unà cum ſemine jacite. Parent illi, orant, fidem excitant, arenamque collectam unà cum ſemine jaciunt, & ecce terra fructum reddit eo fœnore, ut omnem Ægypti fœcunditatem ſuperaret: adcò orationi cedit terra, & ſterilitatem ſuam damnat ac deponit. Lib. 8. c. 3.

Vidimus elementa omnia orationis vim ſenſiſſe, eique ceſſiſſe: ſuſpiciamus eam ipſam & in Cœlo, & aſtris, aſtrorumque principe Sole, magno illo mundi oculo. Cœli, & aſtra.

E Thebaidis deſerto exierat *Marius* Eremita, caritatis ergo, ut ægrum è monachis unum viſeret ac ſolaretur: ſed, ô malum! dum peregrè proficiſcitur, Sol ad occaſum properat: veritus itaque ne deficiente Sole, deficeret ea quoque caritas, eaque obſequia, quæ ægro parabat impendere: Deum ſupplex orat, tum & ad Solem converſus, ei imperat ùt curſum ſiſtat, nec pergat occidere, uſque dum ad ægrotantis cellulam venerit: oranti, atque imperanti Sol obedit, ut viri ſancti caritati obſequatur.

Quod illi, hoc & *Bezarioni* Abbati, hoc & *S. Patricio*, qui oratione fidéque Solem tamdiu ſtitit, donec abſoluta eſſet ea concio, quam ad populum habebat etiam ad horas.

Tranſeamus ad jumenta, ad animalia; nam & hæc quoque orationi paruiſſe legimus: è multis pauca producam. Animalia.

S. Zoſimo Anachoretæ aſellus erat ad ſarcinas, & onera portanda, hunc è ſylva erumpens leo voraverat. Quid deinde *Zoſimo*, quid & ſarcinis? ut eas ipſe ferat, ſenex eſt, & impar oneri, & jam aſellos eſſe deſiit. Quid igitur? ad Deum venit ſacer orator, tum ſurgit, & ſic ad leonem: *Amice mihi jam iter præpediri penitus vides, annis quippe jam onuſtus, onera ſarcinarum ferre nequeo, quæ ideo aſelli humeris impoſueram. Age igitur, & onera ferto.* Evagrius l. 4. c. 7.

Quid hîc leo animalium princeps? dedidicit feritatem, acceſſit, atque blandiri cœpit, tum etiam ipſo corporis nutu obſequii ſignificationem facere, ſuccollare ſarcinis, eaſque portare ad portas uſque Cæſareæ civitatis, non ſine ſtupore & orationis, obedientiæque miraculo.

Quid

Quod leo Abbati *Zoſimo*, hoc & lupus animal vorax, & ferum *S. Kentigerno*, Epiſcopo Galaſcuenſi, in Scotia: Huic cùm deeſſent equi, & boves ad arandum, è vicino ſaltu evocati cervi duo, adſuerunt promptiſſimè, & aratrum ducere juſſi; ſed ô periculum! ô malum à lupo famelico! erumpit hic è ſylva denſiore, & unum è cervis devorat, & fugit.

S. Jamines in ejus vita 13 Jan.

Quid hîc Dei ſervus? in vicinum nemus innoxias manus extendit, extendit & in Cœlum Deo ſupplex, tum ea in faventes auras emittit.

In nomine Sanctiſſimæ Trinitatis, præcipio, ut lupus, qui mihi damnum hoc intulit, ſine mora ſatisfacturus accedat.

Mirum ſanè dictu viſuque, lupus è ſylva proſiliens, facti illius reus, & quaſi pœnitens cùm ingenti ululatu ad illius pedes corruit veluti rogaturus veniam: cui vir Sanctus ait ſurge: *In nomine JESU, præcipio tibi, ut loco cervi, quem devoraſti, ad ſtivam applicitus, ares ex integro quod arandum eſt.*

Paruit illico lupus, jugum admiſit, & cervo alteri probè junctus, novem omnino jugera arando explevit, & tum perſoluto penſo liber abire permiſſus eſt.

Ecce ut orationi & fidei obediunt animalia quantumvis effera. Mitto alia his affinia; & cogitatione ſtyloque, deſcendo ad inferos, ipſoſque cacodæmones.

Dæmones.

Cùm in Ægyptum veniſſet Servator infans, Ægypti ſimulacra penitus corruerunt. nec mirum: eò quippe venerat, ut cacodæmonum ſimulacra everteret, & occupatum ab illis in terris imperium everteret, & verò etiam evertit.

Quod ſua præſentia Chriſtus etiam infans, hoc etiam oratione viri Sancti, quos inter *Apollo Abbas*.

Erat hic in Thebaide nominatus in paucis, & Idolorum hoſtis acerrimus: argumento erit iſtud.

In quodam vico colebatur Idolum, ad quod eo concurſu confluebant Gentiles, ut vix eos caperet templum, quamvis ampliſſimum, non tulit Apollo eam Cœlo Deoque fieri injuriam, cum cultum reddi Cacodæmoni; in genua prolapſus oravit, ut furentem eo loci ac temporis multitudinem ſiſteret cohiberetque: & verè ſtitit cohibuitque: eo quippe momento, & Idolum obmutuit, & tota illa Gentilium multitudo manſit immobilis, non ſine omnium ſtupore & miraculo: cujus novitate atque inſolentiâ exciti è regionibus remotioribus populi ſpectaturi adfuerunt, adfuerunt & Idoli illius prophani Myſtæ, quos & ſuis precibus immobiles fecit Apollo: ut huic malo tam inſolenti tamque novo remedium facerent Idololatræ, multa juga boum copularunt, ut Idolum, aliàs immobile, amoverent abducerentque; ſed irrita cecidere omnia, & Idolum hæſit immobile, & Sacerdotes immobiles, & denſa illa hominum multitudo pariter immobilis, & neque hæc, neque illi loco moveri unquam potuerunt, niſi ejuſdem Abbatis oratione fuſiſque ad Deum precibus, quas dedit pius Abbas, maximè cùm intellexit eos omnes, errore damnato everſoque Idolo, ad Chriſti ſacra tranſituros.

In vit. PP. l. 8. c. 52.

Spectaſti vim orationis in Idola atque idololatras, ſpecta in ipſum dæmonem, quem etiam ſiſtit oratio fidei connexa.

Julianus Apoſtata cùm moveret in Perſidem, dæmonem præmiſit, qui referret quàm celerrimè nuntium pro expeditione, quam meditabatur. Cùm autem dæmon veniſſet ad locum, quem incolebat Monachus aliquis, ibi ſtetit per decem omninò dies, quaſi immobilis, nec ultrà progredi potuit, & hoc, quia Monachus noctu diuque Deum orabat.

Lib. 6. libello 2. n. 12.

Itaque regreſſus, re penitus infectâ, cùm ex eo quæſiſſet *Julianus* cur tardaſſet? reſpondit, ad dies decem hæſi uni quaſi affixus loco, & expectavi donec *Publius Monachus* ab oratione ceſſaſſet, & quia non ceſſavit, ea oratio fuit mihi pro vinculo, ne pergerem ulterius, ſic ad te vacuus redii. Hîc indignari, hîc furere *Julianus*, & Monacho illi exitium minari, atque intentare, ſed hoc avertit amabilis Dei providentia, quæ bonis ſemper invigilat, & *Julianum* è vita ſuſtulit, atque inferis dedit.

A malis geniis, qui orationi fideique cedere coguntur; tranſeo ad bonos Angelos, qui & ipſi orantibus concedunt quæ petuntur.

Angeli boni.

In tertio Capitulo Generali Ordinis Seraphici, convenerunt Aſſiſii ad plura millia, vel negotiorum ergo, vel certè videndi S. Franciſcum Seraphici amoris prodigium.

Ei Capitulo interfuit & ipſe D. Dominicus, qui cùm advertiſſet deeſſe tantæ multitudini annonam, ſic ad D. Franciſcum.

Eamus hinc, & Chriſtum oremus ſeduli, ut qui in deſerto quinque hominum millia pavit paucis panibus, & hic etiam fratres paſcat.

Eunt igitur unà, & unà etiam orant, redeuntque ad horam diei nonam. Tum D. Dominicus. *Eamus,* inquit, *Fratres, eamus pranſum.* Cui illi, *quò ibimus? nec panis mica ſuppetit, nec vini guttula, nec quicquam eduli.* Quibus ille, ut erat cœleſti fiduciâ plenus, *Confidite in Domino*, inquit.

Itur ergo, benedicitur menſis; imò & vacuis aſſidetur. Et ecce amabile divinæ providentiæ miraculum; è Superum regia elabuntur cœleſtes Genii, numero viginti, aſſumptâ ad eam beneficentiæ ſcenam adoleſcentum formâ, ſpecioſâ illâ, & multùm ſpectabili, expediti omnes & probè accincti, Fratribus omninò quingentis, & panem, & vinum & omne genus edulii ſubminiſtrârunt, nunquam aliàs tam lautè pranſum.

Ubi autem ſacratiori illi epulo datum eſt ſatis, fratribus omnibus urbaniter, ex more ſalutatis bini, & bini è triclinio egreſſi, videri deſierunt. Iracta nimirum erat ea ſcena, cujus ergo venerant.

Wadingus in Annal. Minorum anno 122.

Hic porro *S. Dominicus* actis de more ſuper menſam gratiis, loco & tempori accommodam orationem habuit, in quam multa de Dei in ſuos beneficentia, multa de collocanda in eum fiducia dixit, & facundè & piè.

Suſpeximus hîc, & amavimus bonos Angelos orationi Sanctorum obſequentes; ſuſpiciamus magis, atque amemus Deum ipſum, eidem obſecundare ac quodammodo obſequi.

Deus ipſe.

Liberum, inquies, effatum atque audax, quod certè non efferrem, niſi prius extuliſſent ſacræ paginæ, adeóque & Deus ipſe.

Recole animo, & cogitatione, quæ olim in Cœlos emiſit invictus Dux Iſraelis Joſue, cùm arma moveret in quinque Reges, qui oppugnabant Gabaon: cùm & in manibus eſſet hoſtia, veritus, ne prius ſol occideret, quam fuſus, fugatusque eſſet, ſic ad ſolem. *Sol contra Gabaon ne movearis, & Luna contra vallem Ajalon*; ad has orantis, imò & imperantis voces, ſteterunt ſol, & luna, donec ulciſceretur ſe de inimicis ſuis.

Joſue c. 10.

Stetit, inquam, ſol in medio die, & non feſtinavit occumbere ſpatio unius Diei. Non fuit antea nec poſtea tam longa dies, *obediente domino voci hominis*; voci dico, ſed quæ plena fuit fide, plena & altiore in Deum fiducia: quæ ejuſmodi eſt, ex vero dici poteſt omnipotens, ei quippe obedit omne illud quod terra cœloque clauditur, quod & inferis abſconditur, ſeu illud ſit intra, ſeu ſupra naturæ leges: nec mirum, cùm ei quoque obedit ipſe author naturæ Deus.

FERIA SEXTA
HEBDOMADÆ PRIMÆ QUADRAGESIMÆ.

DIVUS Ioannes, ceu CHRISTI ſcriba, multa hîc proponit, & quidem:

Primò, quod dies eſſet feſtus Iudæorum, ſeu eum eſſe voles Pentecoſten, ut nonnulli opinantur; ſeu certè, quod verosimilius, ipſum Paſcha, quod antonomaſticè dicebatur & erat dies feſtus Iudæorum.

Secundò, meminit Probaticæ Piſcinæ, ad quam concurrebat ingens multitudo languentium, ſanitatis obtinendæ cauſa.

Tertiò, quod Angelus Domini deſcendebat ſecundùm tempus in Piſcinam, & movebatur aqua.

Quartò, quod is qui prior deſcendiſſet in Piſcinam, poſt motionem aquæ, ſanus fieret, & liber à quacumque detineretur infirmitate.

Quintò, producit hominem languidum, qui jam ab annis octo ſupra triginta, pertinaci tenebatur ægritudine, quam ſeu verbo ſuo, ſeu etiam imperio depulit CHRISTUS: quod altioris fuit ac Divinæ poteſtatis.

Et hæc ferè ſumma Evangelicæ hiſtoriæ capita, ex quibus ad doctrinam multa, ad mores etiam multa, quæ per alias atque alias Quæſtiones evolvemus.

QUÆSTIO PRIMA
HISTORICA ET MORALIS.

Ad illa verba: *Eſt autem probatica piſcina, quæ cognominatur Hebraïcè Bethſaida.* Joan. cap. 5. v. 2.

QUÆ FUERIT ILLIS PROBATICA PISCINA? Quæ & nobis?

DE *Probatica piſcina* duplex incidit quæſtio. Una, quid nominis? Altera, quid rei?

Probatica quid. & unde? Dicitur *Probatica*, quia erat apud *probaticum*, id eſt forum pecuarium, aut receptaculum, in quo oves, & pecudes in ſacrificium ſervabantur: vel quia erat ad portam quæ dicebatur Pecudum: una enim portarum Hieroſolymis erat, per quam ſolam introducebantur greges ſacrificio deſtinati, & vulgò appellabatur, *Porta gregis*, ſeu *Porta ovis*.

Piſcina quid & unde? Piſcina nominabatur, non quòd piſces contineret actu; ſed quia continere poterat; erat enim inſtar ſtagni, in quo & piſces & homines ipſi natare potuiſſent, & hinc græcè dicta eſt *natatoria*, in ea porro oves Deo immolandæ quotidie mane & veſpere abluebantur.

Ea nomen obtinuit *Betſibeida*, vel ut legit D. Hieronymus *Bethſeda*. Cujus vocula alia atque alia eſt notio atque etymologia.

Bethſeda enim idem eſt quod *domus effuſionis*, ſeu decurſus aquarum, vel quia aquæ pluviales in eam confluebant, vel quod veroſimilius eſt, quia aquæ templi ad uſum Sacrificiorum per canales è templo in eum locum confluebant,

Bethſaida verò dicitur quaſi *Bethſceda*, id eſt *Domus miſericordiæ*, quod in ea Domini miſericordia in ſanandis ægris exerceretur. Bethſaida quid?

Hanc porro piſcinam extruxerat Salomon pro miniſterio templi, unde & à Joſepho nuncupatur *Stagnum Salomonis*: in eo Nathinæi lavabant victimas, quas deinde tradebant Sacerdotibus in templo offerendas: unde & à Syro dicitur *Baptiſterium*. *Lib. 6. Bell.*

Habebat illud quinque porticus, vel ad decumbendum, vel ad quieſcendum, ut ſcilicet ægri eſſent in iis tuti, tum à pluvia, tum ab æſtu Solis, indeque in piſcinam vicinam illicò exilirent, cùm Angelus aquam commoviſſet. Sed hinc moveri poſſunt aliæ atque quæſtiones, quas paucis luci dabimus. Et quidem:

Prima, quis illius Piſcinæ ſit Author? Quis & Porticuum? Ejus Author.

Piſcinæ authorem communius exiſtimant Interpretes Salomonem, uti & exiſtimavit Joſephus; Porticuum autem nonnulli credunt fuiſſe Perſarum Regem, eo tempore quo Jeremias in ea ſacrum ignem abſcondit, & Nehemias aquam craſſam in eo inventam, rurſum in ignem convertit, quo etiam tempore accepiſſe creditur donum curandi quoſlibet morbos, indulgente Numine, qua etiam de cauſa, eo-

ſa, columnis, porticibus aliiſque fabricis, ab eodem Rege aucta atque ornata.

Sed, ut ingenuè dicam quod ſentio, incertum illud ac minus probatum. Magis probatum iſtud, etiam porticuum authorem fuiſſe Salomonem, uti & piſcinæ: ſed hinc alia Quæſtio, eaque

Quando piſcinæ tradita vis miraculoſa? Secunda, quandonam illi piſcinæ conceſſa vis iſta miraculorum, virtuſque ſanandi quoſcumque demum morbidos. In re ancipiti & dubia, magis placet iſtud, ſub tempus Chriſti nam ante Chriſtum nulla illius virtutis mentio, nec in authoribus antiquioribus, nec in veteri Teſtamento: ſed hinc ulterius inquiritur, unde illi piſcinæ indita ea vis ſanandi? Ne crede à victimis in ea lotis, néve à lignis in fundo jacentibus, ex quibus deinde fabricata Crux Chriſti: hæc enim olent Rabbinica commenta. Sed à Deo ter Opt. ter Max. qui aquæ illi vim aliquam naturâ ſuperiorem conceſſit, ut publicum illud & toti populo commune beneficium orbi daretur, ſub naſcentis Chriſti ferias, aut etiam non ita poſt, aut denique ſub ipſius ad populum conciones, ut occaſione ſanitatis, quam eò loci ac temporis paralytico reddere debebat Chriſtus, à Judæis & Meſſias & Deus agnoſceretur: quod ſuadet etiam illud, quod & beneficium iſtud, & vim ſanandi quaſi medicam à Judæis & à piſcina Deus abſtulerit, poſtquam ab illis per ſummum nefas in Crucem actus eſt Chriſtus: ex eo quippe tempore, nulla deinceps extitit illius beneficæ virtutis memoria, quod argumento eſt deſiiſſe: quod & inſinuavit Tertullianus libro adverſus Judæos, in quo etiã hæc,

Cap 13. *Piſcina Bethſaida uſque ad adventum Chriſti curando invaletudines ab Iſraël, deſiit à beneficiis, deinde ex perſeverantia furoris ſui cùm nomen Domini per ipſos blaſphemaretur.*

Et hinc quæſtioni ſecundæ fit ſatis, nempe quandonam piſcinæ, & illius aquæ, ea vis data: ſupereſt

Et quomodo? tertia, Quomodo? hoc eſt cur nonniſi poſt motionem aquæ? ſeu, ut græca habent, poſt turbationem aquæ?

Pro ratione eſſe potuit Dei voluntas, quæ rationum eſt inſtar omnium: quia tamen ea nunquam eſt ſine cauſa congrua, eam hic proferemus.

Cur per motum aquæ? Una fuit quaſi *Litteralis*, altera *Moralis*. Litteralis eſt hæc, ut ſignificaretur eam ſanandi vim non provenire ab ipſius aquæ natura; ſed à motione Angeli: ipſoque Dei nutu.

Hæc porrò motio, nec imprimebat aquæ vim aliquam, nec qualitatem phyſicam, ad ſanandum quemlibet morbum (hanc enim nec Angelus efficere, nec aqua recipere potuit) ſed tantum ſignum erat illabentis Angeli, & virtutis atque actionis, quæ ſuprà omnem naturæ vim ægro allatura erat ſanitatem: ægro, inquam, qui prior in aquam deſcendiſſet.

Sed cur, inquies, & ad quid ea aquæ motio? pro hac ſerviet ea cauſa, quæ dicitur & eſt *Moralis*.

Ea verò eſt cjuſmodi: una, ut indicaret Dei beneficium jam eſſe in oculis atque manibus; altera, ut eſſet quaſi tacita invitatio ad ægros omnes illic aſtantes, ut alter alterum prævenire ſtuderet diligentiâ, & quaſi præcipiti in piſcinam illapſu.

Sed rurſus, inquies, cur ea aquæ motione, ſeu ſignò, uſus Angelus? ut eſſet index ſanitatis & quaſi vitæ reddendæ: vita enim conſiſtit in motu, uti mors in quiete ac torpore. Hinc aquæ vivæ dicuntur eæ, quæ moventur & fluunt, uti ſunt fontium & fluminum; mortuæ autem, quæ ſtant & ſtagnant, uti ſunt lacuum & piſcinarum: uti erat & hæc ipſa piſcina, de qua in præſens eſt quæſtio, eaque numerò quarta, cur ſcilicet ex ægris, qui ad eam jacebant quamplurimi, ſanaretur unus.

Pro ratione eſſe potuit etiam una Dei voluntas: quia tamen ea nunquam eſt ſine ratione, hæc cæteras inter eſſe potuit.

Hoc piſcinæ miraculum quantum, quantum eſt, figura erat futurorum. Angelus in piſcinam deſcendens & movens aquam, eſt ipſe Chriſtus, Angelus utique Teſtamenti: movet piſcinam aquarum: aquæ multæ, paſſiones illius multæ, & mors per illa expreſſa. Æger ille unicus, qui ſanatur per illam aquæ motionem, per Paſſionem utique Chriſti, eſt genus humanum, quod melius in uno homine repræſentatur, quàm in multis, ad exprimendam ſcilicet morbi univerſitatem atque unitatem: omnes enim uno morbo laborabant, omnes eadem damnatione tenebantur, & quia unicus erat morbus, unica & damnatio. Hinc appoſitè ad myſterium ſanatur etiam unicus æger. Cur unicus ſanatus?

Sic, ut à ſimili petatur argumentum, ad unicum viduæ filium ſuſcitandum miſſus Elias, ſic unus 3 Reg c.17.
Naaman ſanatus ab Eliſæu. 4 Reg. c.5.

Sic in ipſa parabola de eo, qui incidit in latrones, à quibus & ſpoliatus & vulneratus eſt, unus Luc c. 19. homo ponitur, & in uno homine omne genus humanum, omnia quippe eo loci ac temporis per figuràm fiebant, adeoque & in uno filio viduæ, in uno Naaman, in uno qui incidit in latrones, genus humanum repræſentabatur: ſicque deinde & in uno ægro ad piſcinam ſanato, genus omne noſtrum, quod ut dixi melius in uno repræſentabatur, quàm in multis; maximè verò in Paralytico, qui & ipſe erat figura generis humani: & hinc appoſitè ad rem noſtram ſanatus à Chriſto unicus, iſque Paralyticus.

Sed Quæſtio ſupereſt de tempore, quo poſt motionem aquæ in piſcina ſanabatur æger, hoc An ſemel tantum in anno? eſt, an ſemel tantum in anno, videlicet aut in Pentecoſte, aut in Paſchate, an verò ſæpiùs per annum.

Evangeliſta dubium illud non evolvit: ait enim unicum illud: *Angelus autem Domini deſcendebat* Luc. c 5. v. 4. *ſecundum tempus in piſcinam*, id eſt certo quodam tempore, hominibus quidem incognito, noto autem uni Deo, & Angelo.

At quod illud? alta nox. An ſæpius? etiam alta nox, in qua ſi quid lucis affulgere poteſt, affulgebit ab affluente ægrorum multitudine, etiam quovis tempore: ſi enim in ea morborum curatio, miraculo dita, aut in Pentecoſte tantùm, aut ſi mavis in Paſchate etiam tantùm (ut opinatur S. Cyrillus, & Tertullianus) fieri ſolita fuiſſet, Lib de Bapt. certè ægri omnes ad illud uſque tempus domi remanſiſſent, nec confluxiſſent ad piſcinam niſi ſub tempus, aut Pentecoſtes, aut Paſchatis: quod tamen ſecus factum inſinuat Evangeliſta, dum ait:

In hac jacebat multitudo magna languentium: jacebat, inquit, quod moram aliquam longioris temporis inſinuare videtur; aliàs enim nec jacuiſſe, nec in porticibus illis decubuiſſe opus erat- ſuffeciſſet eo die adfuiſſe; ita Euthymius, Cornelius, aliique, quibus aſſentior: & cum Euthymio opinor, frequẽtius in anno id genus beneficii obtigiſſe, & propterea inibi multitudinem languentium decubuiſſe.

Tranſeo ad ſecundam partem propoſitæ initio Quæſtionis, quæ ſcilicet Chriſtianis ac Fidelibus dici poſſit, & verò etiam eſſe Probatica Piſcina, longè potior illâ antiquiore.

S. Ephrem *Piſcina* eſt *Eccleſia*, homines piſces Quæ fidelibus piſcina? ſunt. Piſcatores verò Doctores, qui verbo prædicationis homines capiunt, ut hamo piſces: conſonat huic appellationi vel ipſa Apoſtolorum vo- Orat. in omnes Martyres. catio, ad quos ſic olim Chriſtus: *Venite poſt me, faciam vos fieri piſcatores hominum.*

Vacabat Petrus, vacabat & Andreas piſcationi, Matth. c. 4. v. 19. & tam hic quàm ille explicabat retia, & mittebat in mare, cùm ad aliam piſcationem evocavit Chriſtus, utique piſcationem hominum: ſic enim etiam Petro. *Ex hoc eris homines capiens*: capiens utique non ad mortem, ut fit in piſcibus; ſed ad vitam, ut annotat D. Ambroſius, qui vertit vivificans: *Magnum enim*

diſcrimen eſt inter piſcatoret piſcium & hominum : illi enim capiuntur ad mortem, hi autem ad vitam; primùm gratia, deinde & gloria.

Et hoc eſt miraculum longè majus illo, quod Chriſtus ad piſcinam fecit: ad hanc enim unum cepit Paralyticum, ad illam innumeros cepit, & ſanctitate vitaque cœleſti donavit, & hos inter coronata capita, quod & miratur & altè prædicat D. Au-
Tract. 7. in Joan. guſtinus; ſic enim inquit, *Volens Chriſtus ſuperborum cervices frangere, non quæſivit per oratorem piſcatorem, ſed de piſcatore lucratus eſt Imperatorem.* Magnus orator Cyprianus; ſed prius Petrus piſcator.

Quod in naſcente Eccleſia, ceu piſcina, fecit Chriſtus; hoc deinde labentibus longè ſæculis fecit Deus, de quo ſic ore prophetico Jeremias.

C. 16 v. 8. *Ecce ego mittam piſcatores multos dicit Dominus, & piſcabantur eos.*

I. B. Petrus Damianus Piſcinam, ceu vivarium
Clauſtrum. quoddam animarum, opinatur eſſe clauſtrum monaſterii, & in eo Monachos piſces, qui pennulas habent, & per quoſdam veluti ſaltus attolluntur in altum ſuper aquas, hoc eſt ſuper vulgus, ſuper populos: *Aqua multa, populi multi*; quibus ſanè eminent viri religioſi, dum ſeſe per pennulas contemplationis piaque deſideria, veluti ſaltus quoſdam, attollunt ſuper omne quod humanum eſt, atque in cœleſtia ac divina rapiuntur toti, quibus proinde Willeramus Abbas aptari vult illud Canticorum:
Cap. 7. v 4. *Oculi tui ſicut piſcina in Heſebon.*

Heſebon hæbraicè, idem eſt quod cogitatio, ruminatio, meditatio, contemplatio: & hæ ſunt oculi animæ ſanctæ, ſunt & veluti piſcinæ: ut enim in piſcinis aluntur piſces; ſic in meditatione, & contemplatione nutriuntur piæ mentis affectiones, cœleſtia deſideria: & ſicut piſcinæ lympidæ reddunt imaginem intuentis; ſic anima in meditatione fit quaſi ſpeculum Dei imaginem repræſentans. ſed ne longiùs.

Lib de Baptiſmo c. 5. Tertulliano, Piſcina illa nobis eſt *Baptiſmus*: in quo ſacris aquis eluti, ab omni infirmitate ſpirituali curamur, ſicut olim in piſcina illa probatica à cor-
II. porali, quæcumque demum ea eſſet; & hinc eam
Baptiſmus. componit cum illa. illum audiamus:

Primò enim oſtendit quomodo veteres aquis ſeſe expiare ſoliti: *Penes veteres*, inquit, *quiſquis ſe homicidio infecerat, purgatrice aqua ſe expiabat.*

Tum liquidò oſtendit aquis baptiſmalibus, potiori ſanè ratione elui ſcelera quævis, argumento petito à fortiori.

Igitur, inquit, *ſi de ſola natura aquæ, quòd propria materia ſit adlegendi auſpicii emundationis, blandiuntur; quantò id verius aqua præſtabunt per Dei authoritatem, à qua omnis earum natura conſtituta eſt. Si religione aquam medicari putant, quæ potior Religio, quàm Dei vivi.*

Hæc ubi de emundatione, quæ fit per aquam, tum eam, quæ fit per Baptiſmum, componit cum ea, quæ facta eſt ad piſcinam, & ſic ait.

Angelum aquis intervenire ſi novum videbitur, exemplum futuri præcucurrit. Piſcinam Bethſaidam Angelus interveniens commovebat, obſervabant qui valetudinem querebantur: nam ſi quis prævenerat deſcendere illuc, queri poſt lavacrum deſinebat: figura iſta medicinæ corporalis, ſpiritalem medicinam canebat, ea forma, qua ſemper carnalia in figura ſpiritalium antecedunt.

Hæc ubi extulit de Probatica Piſcina, quæ figura erat Baptiſmi, tum exhibet diſcrimen, quod inter hunc & illam erat.

Proficiente, inquit, *in hominibus gratia Dei, plus aquis & Angelo acceſſit: qui vitia corporis remediabant, nunc ſpiritum medentur: qui temporalem operabantur ſalutem, nunc æternam reformant: qui unum ſemel anno liberabant, nunc quotidie populos conſervant, deleta morte per ablutionem delictorum.*

Hactenus Tertullianus, à quo tranſeo ad D. Au- III.
guſtinum, cui pro piſcina nobis eſt Chriſti Sanguis, Chriſti ſanguis.
in quem deſcendimus per fidem, & quo etiam eluimur & purgamur ab animi morbis.

Deſcendere in aquam turbatam, inquit, *hoc eſt humi-* Aug. loc.
liter credere in Domini Paſſionem. In illa & ab illa ſanabatur dumtaxat unus; in hac & ab hac longè plurimi, quotquot ſcilicet fide & affectu pio ſeſe illi immergunt: eſt enim Paſſio Chriſti medica, non corporibus; ſed animabus: eſt Baptiſmus, ſed ſanguinis.

Denique Piſcina nobis eſt *Pœnitentia*, quæ ſani- IV.
tatem animæ reſtituit, omni in illa ſeſe immergenti, Pœnitentia.
ideoque & dicitur veluti Baptiſmus alter, qui ſordes animi lavat & innocentiam reſtituit.

Et hæc DD. Patres de Piſcina, quæ in Lege Evangelica Fidelibus parata & patens, non ſemel in anno, ſed ſæpius; non uni tantùm, ſed pluribus, ſed & omnibus, ſi modò velint.

QVÆSTIO SECUNDA
LITTERALIS ET MORALIS.
Ad illa verba: *In his jacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum.* Joan. cap. 5. verſ. 3.

QVOT HIC GENERA ÆGRORVM PHYSICE? Quot & moraliter?

SACER Hiſtoricus hic recenſet quatuor genera ægrorum corpore. In primo erant Languidi, qui ſcilicet aut febribus, aut morbo aliquo laborabant: hi omnes communi appellatione dicebantur languentes. In ſecundo Cœci. In tertio Claudi. In quarto Aridi, hoc eſt ii, qui aut pedem, aut manum, aut quodvis aliud membrum habebant deſtitutum ſucco & virtute

Hi omnes jacebant in quinque illis porticibus, quæ Piſcinæ adjacebant, expectantes avidè motum aquæ, ut in eam protinus inſilirent, & ſanitatem recuperarent.

Erat ea orbe toto celebris ex multis capitibus, è quibus primum erat, quod in eam è cœlis illaberetur Angelus, cœleſtis utique genius, ad id muneris à Deo electus. Deinde quòd moveret aquam, & eo motu, velut indicio illabentis miraculoſæ virtutis, omnes ſanaret infirmitates. Deinde quòd perenne eſſet miraculum, adeoque & perennis è Cœlo favor & gratia.

Hæc porrò Piſcina ſymbolum fuit Pœnitentiæ: ut enim illa data Iſraëli, fideli utique populo, & quaſi Dei peculio; ſic & Pœnitentia conceſſa fidelibus

libus Chriſtianis in medelam omnium peccatorum, quæ ex vero animæ infirmitates ſunt: de hac & illa ſic Tertullianus ſuprà citatus.

Lib. de Baptiſmo c. 5. *Figura iſta medicinæ corporalis, ſpiritualem medicinam canebat, eâ formâ, quâ ſemper carnalia in figura ſpiritualium antecedunt.*

Quam Tertullianus in veteri Teſtamento figuram agnovit, eandem etiam in novo ſuſpexit D. Ambroſius, & hanc quidem in ſocru SS. Petri & Andreæ.

Fortaſſis, inquit, *in typo mulieris illius, ſocrus Simonis & Andreæ, variis criminum febribus caro noſtra languebat, & diverſarum cupiditatum immodicis æſtuabat illecebris, nec minorem febrem amoris eſſe dixeris, quàm caloris.*

In Luc. 5. c. 5. *Itaque illa animum febris, hæc corpus inflammat: febris enim noſtra avaritia eſt, febris noſtra libido eſt, eo quòd agnita ſint cupiditate. Febris noſtra luxuria eſt, febris noſtra ambitio eſt, febris noſtra iracundia eſt: quæ licet corporis vitia ſint, ignem tamen oſſibus implicant, mentem, animum ſenſumq; pertentant.*

Ecce quæ languorum varietas, ecce quæ *languentium multitudo.* Scire vis quæ etiam cæcorum, *claudorum, aridorum*; paucis excipe: hæc enim ferè tria ſunt peccatorum genera, ad quæ cætera revocantur.

Sacratior Theologia, peccata omnia reducit ad tria, quæ D. Joannes his tribus infirmis deſcribit;
Lib. 4. in c. 5. Epiſt. ad Rom. nimirum *Ignorantiæ, debilitatis, & malitiæ*, quæ Origenes docet his tribus nominibus indicari: *Infirmi, peccatores, impii.*

Infirmi peccant ex Ignorantia, peccatores ex debilitate, Impii verò ex malitia. Itaque habes hîc *cæcos, claudos, & aridos.*

Qui ex ignorantia peccat, cœcus eſt: tam enim cœcus eſt, qui nihil ſcit, quàm qui nihil videt: hic enim corpore, ille mente cœcus eſt.

Qui ex debilitate peccat, claudus eſt. Habet homo duos pedes, carnem, & ſpiritum: cum ex debilitate carnis cadit ſpiritus, tum homo claudicat: & hanc claudicationem diſcipulis indictam voluit Chriſtus, Magiſter optimus, cùm ſic ad illos: *Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma.*

Denique, qui ex malitia deliquit, is ſiccus, & aridus eſt: eſt enim malitia quoddam veluti venenum, cujus proprium eſt exſiccare.

Et hæc tria peccatorum genera, cum ipſis mundi cunis originem ſumpſere: *In Æva, Adamo, & ſerpente*:
Gen. c. 3. v. 13. Æva enim peccavit ex *ignorantia*, & deceptione, quod indicavit ipſa cùm dixit. *Serpens decepit me.* Adam offendit ex *imbecillitate*, ut qui *blandiens*
Lib. 24. de Civit. c. 11. *fœmineo compulſus, ſociali neceſſitudine paruit*, ut annotat Auguſtinus.

Serpens denique ex *malitia* deliquit, ut qui nihil aliud intenderit, quàm *homini* nocere, & humanum genus perdere: quod perditæ malitiæ fuit. Et his peccatorum generibus plenus eſt *mundus*, qui totus in *maligno poſitus.*

Qui cœci? Primò, plenus *eſt cœcis*: at quinam illi? ſunt luxurioſi, qui libidini, qui veneri ſe manciparunt totos.

Cupidinem, Deum luxuriæ, cœcum effinxerunt Poëtæ veteres: quod ſi Deus ille cœcus eſt & captus oculis, certè & cœcos, & captos oculis oportet eſſe eos omnes, qui ſe illi conſecrarunt ut Domino ſervi, & mancipia. Ecquid enim? an non cœcus eſt ille, qui non videt quid agat, quid deſideret, quid moliatur quò, & tendat? at hoc non videt luxurioſus: qui enim videret? *Cæca eſt omnis libido*, inquit D. Ambroſius, *quod eſt ante ſe non videt.* *Lib. 1. de Abrah. c. 6.*

Ante ſe habet pudendum ſcelus, infamiam, & vindicem Dei manum: at hanc non videt, non attendit, non exhorreſcit: nec mirum, quia cœcus eſt. Sodomitas luxuriæ mancipia, Cupidinis ſervos Deus punivit cæcitate. *Percuſſi ſunt cæcitate à minimo uſque ad maximum*: qua enim potius? Mentis eorum oculus excœcatus erat, inquit, D. Chryſoſtomus, *propter quod & viſu privati ſunt*: & meritò, ut qui jam mentis oculum amiſerant, amitterent & corporis.

Et hoc primum eſt peccatorum, ſeu infirmorum genus, videlicet cœcorum.

Alterum eſt claudorum: at quinam illi? Certè *Qui claudi?* ambitioſi, qui honores venantur, & iis ſeſe inclinant, ut ſolet pede claudus, qui ut incedat baculum quærit ac ſuſtentaculum: ſic & ambitioſus magnatum gratiam & favorem aucupatur, ut eo ſe ſuſtineat ac ſuſtentet, ut aſſolet claudus, qui ſi pedes incedat, ſtatim ab omnibus agnoſcitur; at ſi ſemel equum conſcenderit, tum non apparet claudus: ſic & ambitioſus quamdiu humi jacet, & in humilibus verſatur, apparet omninò claudus, & modò huic, modò illi ſe inclinat atque abjicit; at ſi ſemel ad aliquod dignitatis ac honoris faſtigium aſcenderit, tum verò non amplius videtur claudus, nulli ſeſe demittit, nulli ſe ſubjicit, nullum reveretur, faſtidit omnes. Quid facias? claudus eſt.

Et hoc ſecundum genus peccatorum ſeu infirmorum, cui accedit & tertium, & illud quidem *aridorum.* At rurſus quinam illi?

Avari, quibus nihil aridius, ſiccius eſt nihil: *Qui aridi?* habet enim cor aridum, ſiccum, durum, ſine ullo ſucco pietatis ac miſerationis.

Exemplum habes in divite Epulone, qui Lazaro etiam micam panis negavit, & in tormentis guttulam aquæ petiit nec impetravit. Qui enim impetraret? certè domini arido, ſicco, & omnis miſerationis in vita experti, nulla debetur à morte miſeratio, pietas omninò nulla. Par ſupplicium pari peccato redditur, & qui aliis ſe durum atque immiſericordem exhibuit, experitur & Deum & Superos omnes immiſericordes ſibi atque duros.

De amicis ſuis conqueſtus olim Jobus, quòd ex- *C. 6. v. 15.* aruerint ſicut torrentes. *Tranſierunt*, inquit, *ſicut torrens.*

Ubi tranſiit torrens alveum ſuum, ita relinquit aridum, ita durum, ut nec aratro effringi, nec comminui ligone, nec ſarculo poſſit emolliri. Et huic ſimile eſt cor avari, obſtipum illud ac lapideum, qui nec pauperum clamoribus frangitur, nec indigentium gemitibus cedit, nec pupillorum, nec viduarum lacrymis emollitur.

De his olim fatidico ſpiritu Propheta Amos. *C. 6. v. 6.* *Nihil patiebantur ſuper contritione* pauperum, egenorum, miſerorum; qui enim paterentur? aridi ſunt, ſicci, duri, ſaxei.

Et horum in porticibus hujus mundi multitudo; nec multitudo tantùm, ſed & magna, ſed propè innumera. Totus enim mundus in maligno poſitus. In maligno, inquam, cœcæ libidinis ac luxuriæ, ambitionis vanæ atque improbæ, avaritiæ duræ atque immitis.

Optandus eſſet aliquis è Cœlo Genius, qui & conſcientiæ aquam moveret & lacrymas effunderet contritionis, atque in Pœnitentiæ piſcinam immitteret totos, ut ſanarentur toti.

QUÆSTIO TERTIA MORALIS.

Ad illa verba: *Erat homo triginta & octo annos habens in infirmitate ſua.* Joan. cap. 5. v. 4.

VNDE TAM LONGA, ET TAM PERTINAX INFIRMITAS?

POTUIT ea aſcribi vitio naturæ, & nativæ complexioni, quæ in eam ægritudinem inclinabat.

Potuit & inſcitiæ atque imperitiæ medicorum, quos fefellit morbi vis.

Potuit & impotentiæ medicamentorum, quæ eluſit infirmitatis pertinacia atque tenacitas.

Potuit denique & ipſa paralyſis natura, atque malignitas, quæ remedia non facilè admittit.

Potuit, inquam, ex aliqua harum cauſa producta eſſe in triginta & octo annos ea infirmitas.

Verum, ut dicamus quod tacitè inſinuavit ipſe Chriſtus, traxit illa originem ex ipſis illius peccatis, velut è ſentina morborum, quam nec foes advertebat, nec exhaurire ſatagebat, ideoque eadem ad tot annos laboravit infirmitate: quod illi indicatum voluit ipſe Chriſtus optimus & corporum & animorum medicus, dum ſic ad illum:

A peccato? *Jam amplius noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat.* Qua loquendi formula ſatis indicat hoc ipſum illi contigiſſe, quia & peccarat, & morbi originem necdum ſuſtulerat, ex quo conſequens eſt, ut morbo medelam ſi velis, ad illius originem ſpectes, ad illam pergas, & quà licet purges: fruſtra alibi remedia inventurus, niſi eâ vel purgatâ, vel ſublatâ.

Ad Eliſæum acceſſerunt filii Prophetarum, & ſupplices expoſuerunt, quæ civitatem Hierichuntinam opprimeret calamitas, nempe, *aqua peſſima, &*
4. Reg. 19. *terra ſterilis.*

Quid hic Eliſæus? non deflectit ad fluenta, non ad aquas præterlabentes; ſed recto tramite vadit ad fontem, eique ſalem injicit. & ſalubrem reddit ac ſapidum, ut ſic ipſa flumina ſalubria reddat, & ſapida, fruſtrà hoc facturus ad illa: parum enim fuiſſet fluenta ipſa ſalubria facere, niſi ſalubrem feciſſet & fontem: hic enim mox illa omnia infeciſſet rurſum ac perdidiſſet.

Quod aquis illis Eliſæus; hoc & paralyticus noſter præſtare debuerat: curare, tollere mali fontem, morbique originem: peccatum ſcilicet: quod quia non ſuſtulit, nec ſuſtulit morbum; ſed tenuit eum ad annos triginta octo.

Cœlum ac ſuperos omnes ſuis ſceleribus fatigacat Ægyptus: hinc ei Deo vindice intentantur graves moræ atque ingentia mala, quæ illaturus erat armatâ manu Nabuchodonoſor: quæ dum prævidet atque à longè proſpicit, remedia quærit; ſed fruſtrà, nec enim tollitur malum, niſi prius tollatur origo mali: quod illi oſtendit Deus per Vatem ſuum Jeremiam, exhibetque ſpecie virginis, quæ potu nimio repleta, remedium quærit exonerandi ſtomachum, ac liberè reſpirandi, oppletis interim venis, & liena ex potu continuato: ſic enim ad illam.

Jerem. c. 46. v. 11. *Aſcende in Galaad & tolle reſinam virgo, filia Ægypti fruſtra medicamina multiplicas, ſanitas non erit tibi:* quaſi diceret illi in aurem.

O paupercula virgo. ô miſella, ſtultitiæ te arguo, ut quæ reſinam quæras Galaad, & Indiarum arundines, diverſaque morbis tuis medicamina: operam & oleum perdis, niſi radicem evulſeris, ex qua tibi naſcitur ægritudo. Quæ porrò ſit illa radix, ſi quæris, tua ſunt crimina, tua adulteria, libidines tuæ, cupiditates tuæ: illas ſi non ſuſtuleris, *fruſtrà medicamina multiplicas, ſanitas non erit tibi.*

Quod Ægypto Vates Jeremias, hoc & paralytico noſtro dici potuit: incaſſum inveterato morbo medicamina quæritas, incaſſum quereris, in caſſum clamitas & illud: *Hominem non habeo.* Teneris. & porrò teneberis ea infirmitate ad annos octo ſuprà triginta, eoque amplius, niſi prius infirmitatis illius tuæ cauſam ſuſtuleris, hoc eſt peccatum: eo non ſublato, *Fruſtrà medicamina multiplicas, ſanitas non erit tibi.*

Quod illi paralytico, hoc & omnibus peccatoribus dici poterit, quibus eveniet quod olim nautis, qui cum Jona profugo vehebantur, quibus derepentè intumuit mare, afflarunt inſolentiùs venti, elati montes aquarum, & tandem aquis non obruta navis, ſæviente ſcilicet tempeſtate. Quid illi remedii?

Exiſtimantes nautæ eam irati maris inſolentiam, ex cauſis communibus & naturalibus ortam eſſe, ad remedia ordinaria confugiunt, navim allevant, merces ejiciunt, & quidquid arbitrantur oneri eſſe idomne abjiciunt in mare. *Miſerunt vaſa, quæ erant* Jonæ c. 1.
in navi in mare, ut alleviaretur ab eis, inquit Scriptura. v. 5.

Sed incaſſum cecidere & excidere omnia: nec enim à vaſis illis ac mercibus onus erat; ſed à Jona à facie Dei profugo: ab illo pondus omne navis, ab illo tempeſtas & fœda illa jactatio, quæ non ceſſabit niſi in mare abjiciatur Jonas, & in illo peccatoris, ac peccati pondus, quod navim degravat, quod maria commovet, quod ventos excitat, quod ciet tempeſtatem: fruſtrà enim ad alia omnia confugiunt nautæ.

Arbitrantur, inquit D. Hieronymus, navim ſolito onere prægravari, & non intelligunt totum pondus eſſe fugitivi Prophetæ: nihil enim peccato eſt gravius: ſolidiſſimi ſunt Cœli, & quaſi ære fuſi, & non potuerunt illud ſuſtinere; ut ejicerent, ut exturbarent in rebellibus Angelis, fuit neceſſe.

Quod navi illi, quod & nautis, & tibi ſæpiùs, ô! infirme: jactatur corpuſculi tui navis, ab ægritudine pulſatur, à morbi moleſtiis, ab æſtu febriculæ, ab eluvie catharri: id ortū eſſe credis, quòd plus æquo, aut comederis, aut biberis, quòd ſtomachum gravâris, quòd humores commoveris, quòd bilem incenderis, quòd Boreali vento incautiùs te objeceris, ideoq; in illud incumbis totus, ut navim tuam, hoc eſt corpus tuum exoneres purgationibus, evacuationibus, ſectione & apertione venæ, ac ſanguinis emiſſione: falleris tamen, & ſæpe ſæpius falleris: una morbi cauſa & fons unicus illius alluvionis à catharro, eſt à peccato, quo te inquinaſti. Indormiſti ut Jonas, & in profundo conſcientiæ ſceleratæ veterno jacuiſti diu, quaſi inſepultus, ſocors, & in ſalutis tuæ negotio deſes atque iners, & hinc morbi via ac tempeſtas, hinc animæ & corporis jactatio ab ægritudine. Age & Jonam à Domino fugitivum projice in altum pœnitentiæ pelagus, & jactari ab infirmitate deſines:

deſines : clariùs eloquor : peccati pondus ab animo projice, & ſimul etiam morbum omnem atque infirmitatem projeceris.

Pſal. 40. v. 5. Ita projecit David, cùm ſic ad Dominum ſupplex. *Sana animam meam, quia peccavi tibi.* Sentiebat nimirùm animi morbum à peccato, eeo proxima cauſa manare, uti & plerique etiam corporis. Sed ne fuſiùs, hæc attigiſſe ſit ſatis, & hoc occaſione illius infirmitatis, quâ per annos triginta octo occupatus fuerat noſter Paralyticus.

QUÆSTIO QUARTA
LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Hunc cùm vidiſſet IESVS, dicit ei, Vis ſanus fieri?* Joan. c. 5. verſ. 6.

CVR HVNC DICATVR VIDISSE IESVS? Curque ex illo quæſiſſe, Vis ſanus fieri?

CUM ea Piſcinæ fama & miraculoſa vis illi quodammodo indita, non ſolùm in Judæam evaſiſſet; ſed & in regiones vicinas, imò & remotiores penetraſſet, non eſt dubium quin longè plurimos eò exciviſſet, & quidem aut avitâ generis nobilitate ſpectabiles, aut divitiis illuſtres, aut à litteris nominatos, & quidem multo ſamulitio ſtipatos, atque in pluma & molli anſere jacentes : cur ergo eos non dicitur vidiſſe JESUS? cur nominatim hunc miſellum, & quidem unicum?

Ratio prima. Ratio poteſt eſſe alia atque alia; una quia hic pauperculus erat proindeque Deo relictus. *Tibi*, inquiebat David, tibi, ô Deus, *derelictus eſt pauper.* Et tibi ô Chriſte etiam derelictus. Pſal. 9. v. 36

II. Ratio Altera, quia etiam ab omnibus derelictus, omnique humano ſubſidio deſtitutus, quod indicârunt ex ipſæ voces. *Hominem non habeo.*

Eſt ille ludus amabilis divinæ providentiæ, ut filiis per parentum ſollicitam curam proſpiciat, parentibus per filiorum diligentiam, amicis per amicorum opem atque auxilium, divitibus per famulos, aliis per aſſeclas : at verò ei, qui ab omnibus desertus eſt, per ſeipſum, quod & facit in ipſis animantibus. Pullis corvorum derelictis atque in nido pipientibus accurrit Deus, adeſtque modo planè ſingulari, muſcaſque in os immittit etiam agmine facto.

Pſal. 146. v. 9. *Pullis corvorum invocantibus eum*, id eſt providum Numen, inquit Pſaltes.

Adeſt & ovis ſtruthionum in arena relictis, & mox tranſeuntium pedibus calcandis, ea quippe calore ſovet atque excludit, uti fatetur apud Jobum. C. 39. v. 14. *Quando dereliquit ova ſua in terra, tu forſitan in pulvere calefacies ea?* calefacies enimverò atque excludes.

Quod ſi id pullis, id ovis concedit Deus, quantò magis homini animantium principi?

III. Ratio. Tertia ratio, quia vilis erat homuncio atque abjectus, & hujus ſortis hominem videt Chriſtus, elatos autem nec dignatur oculo nec aſpectu : quod dum ſuſpicit & amat ſponſa, ſic de illo, ceu ſponſo. Cant. c. 2. v. 8. *Ecce ipſe venit ſaliens in montibus, tranſiliens colles.*

Si mons occurrat aut collis, ſalit ſponſus & tranſilit : clariùs eloquor : ſi ſuperbus aliquis, ſi elatus, ſi tumens, ſalit Chriſtus, & tranſilit : ſin autem humilis atque abjectus, in eo ſiſtit, pedémque, id eſt affectum defigit : & ita factum hîc ad Piſcinam, ad quam indubiè vel aſtabant, vel etiam jacebant divites ac nobiles, viríque principes, & ipſi languidi, exciti ſanitatis recuperandæ deſiderio, & tamen hos non videt, non aſpicit JESUS, ſed unicum hunc, pauperculum, atque miſellum, ad quem etiam illud : *Vis ſanus fieri?* Et hinc mihi injicitur ſecunda Quæſtio, quid & quantum importet illud Chriſti?

Videre Dei quid ſit? Tantum certè, quantum videre Dei. At rurſus quantum illud? profectò tantum quantum probare & laudare, quantum & amare, quantum miſereri & benefacere.

Gen. c. 4. Orbis infantia duos habuit, viditque fratres Cainum & Abelem, & hic, & ille hoſtias obtulit Authori ſuo & univerſorum Conditori. *Et reſpexit Deus ad Abel, & ad munera ejus.*

Reſpexit, id eſt probavit laudavitque. Ita nimirum reſpicere Dei, eſt probare laudareque, quod ingens bonum : nec illud tantùm; ſed & amare ac benefacere : cujus probè conſcius David, hoſce Dei oculos, hunc & aſpectum impenſiùs amavit ac quæſivit : ſic enim ad illum : *Domine quando reſpicies?* hoc eſt, quando amabis, & amando miſereberis, & opem feres? hoc enim omne importat vel unius Dei aſpectus. Pſal. 34.

Quod Dei, hoc & Chriſti. Tua appello Zachæe tempora, tuamque fidem, tuam & experientiam. Aſcenderas in arborem Sicomorum, ut videres eum : vidiſti enimvero, vidiſti, & ipſe etiam te vidit. Quid deinde? audiamus ex D. Chryſologo.

Serm. 54. Vidit enim, inquit, & *vidit ad veniam, reſpexit ad gratiam, intendit ad vitam, contemplatus eſt ad ſalutem.*

Videre Chriſti quid importet. Quod tum Zachæo dedit aſpectus Chriſti, hoc & Paralytico, de quo agimus. Vidit eum JESUS, vidit, inquam, *ad veniam, reſpexit ad gratiam, intendit ad vitam, contemplatus eſt ad ſalutem* : veroſimile enim eſt id Paralytico noſtro datum, quod & aliis infirmis, quos Chriſtus ſanavit, quibus unà cum ſanitate corporis, dedit etiam eam, quæ erat mentis : itaque vidit ad veniam à culpa, reſpexit ad gratiam ſanitatis, intendit ad vitam ſpiritalem, contemplatus eſt ad ſalutem.

Ubi porrò ſic vidit, ſic reſpexit, quæſivit ex illo, *Vis ſanus fieri?* At cur, inquies, id quæſivit? cur ſic interrogavit ſupremus ille & corporũ & animorum Medicus? Ecquis enim medicorum id interroget?

Interrogatio Medici. Hypocrates certè medicorum inſtructor & princeps, has ægro interrogationes faciendas eſſe proponit. Quî vales? quomodo te habes? quod tuum malum? & unde? & à quo tempore, & quibus intervallis? interrupténe, an continuè? aliaque ejuſmodi quæ ratio exigit, & morbi natura.

Et hoc longè veriſſimum in medico, quia nec morbum, nec morbi cauſas, nec origines, nec intervalla, nec tempus pervidere poteſt : at in Chriſto iis non erat opus, qui intima infirmi noverat, qui morbos & illorum cauſas atque origines penetrabat, etiam clariùs, etiam certiùs quàm æger ipſe.

Et hoc extra litem erat & controverſiam : at illud controverſum videri poterat, cur ab eo quæſitum, *Vis ſanus fieri?* ea quippe quæſtio cenſeri poterat ſuperflua, & planè ſupervacanea. Quis enim neſciat

ægro

ægro nihil magis eſſe in votis, quàm ut ſanus fiat? cui igitur interogat? cur quærit *vis ſanus fieri?* cùm ſciat nihil potius velle.

Et Chriſti ceu medici.

Aliæ ſunt atque aliæ rationes, quarum aliquæ ſpectabunt ad Chriſtum, ceu medicum; aliæ ad Paralyticum, ceu infirmum.

Ejus orationes.

Ad Chriſtum hæ, ut ea quæſtione ſuam in eum clementiam oſtenderet ac miſerationem, ut qui ab ægro non rogatus, eum præveniat, & ſanare ſatagat.

Magnum, inquiebat D. Cyrillus, *miſericordia Chriſti eſt argumentum, non expectare ſemper laborantium preces, ſed ſuâ miſericordiâ prævenire.* Et ita hîc prævenit Chriſtus dum rogat, *Vis ſanus fieri?* in quo & aliud luce clarius oſtendit Meſſiam ſe eſſe & Deum, ut qui verbo vel unico ſanaret, virtute ſcilicet divinâ, à qua & ſua Piſcinæ vis erat; dum enim audit ab infirmo. *Domine hominem non habeo*, vel ut vertit Arabicus. *Utique Domine, ſed non eſt mihi homo*, ſubjicit illicò. *Surge, tolle grabatum tuum, & ambula.* Surgit; grabatum tollit, & ambulat. Ita nimirum Sermo ille Chriſti practicus erat & efficax: dicendo enim *ſurge*, infirmum erigit & ſanat: non enim *operis imperium fuit, ſed operatio ſanitatis*, ut annotat D. Auguſtinus, qui & iſtud adjicit: *Verè neceſſarius erat ille homo* (JESUS ſcilicet) *ad ſalutem; ſed homo ille, qui & Deus eſt.*

Et hæ rationes ad Chriſtum attinebant, eæ, quas ſubjicio, ad infirmum, à quo dum quærit: *Vis ſanus fieri?* ſimul in eo excitat ingens deſiderium ſanitatis, ſimul & ſpem illius obtinendæ à Chriſto, ſimul & in eum fidem, quæ omnia vel maximè diſponebant ad impetrandam perfectam ſanitatem, uti deinde re etiam ipſa impetravit.

Tract. 24. in Joan.

D. Auguſtinus aliam rationem adjicit, quæ latens myſterium aperit, hoc videlicet, quod ſicut corporis infirmitates ſymbolum ſunt defectuum animæ: ita & eorum medela par eſſe debet. Ut enim à Paralytico quæſivit Chriſtus: *Vis ſanus fieri?* utique corpore, ſic à te & animo ſi æger ſis, quærit: *Vis ſanus fieri?* vis & ſalvus fieri: nec enim fies niſi velis, quia ut verè, & diſertè D. Auguſtinus:

Serm. 15. de Verb. Dom.

Qui fecit te ſine te, non ſalvabit te ſine te.

Latueras æternitate tota in abyſſo nihili: ut inde exires, non quæſivit à te creator tuus: *Vis fieri?* vis creari: fecit ipſe te, creavit te ipſe, non expectata tua voluntate: adeò fecit te ſine te; ſed non ſalvabit ſine te. Cur ita?

Dei modus in agendo quis?

Hæc eſt quæſtio quam movent Doctores nonnulli, cur Deus ter Opt. ter Max. ut me hominem faceret, non requiſivit voluntatem meam, non expectavit conſenſum meum: ut autem beatum faceret, ut ſempiterna donaret vita, & voluntatem meam, & conſenſum expectavit, imò, & cooperationem.

Videt Deus, & vidit jam inde ab ipſa æternitate peccatorem, qui ad ignes properat æternos, ad ipſa inferorum incendia convolat: cur non ſiſtit? cur non retinet potenti manu? cur non injicit amica vincula, amantis vincula? vincula compatientis? Certè in humanis ſi Pater unus aliquis filium videret qui ad laqueum vadit, ad præcipitium currit, ad incendia involat, ut eſt amans filii, ut ſalutis illius cupidus, ei manus injiceret, ſiſteretque properantem in abyſſum perditionis, ac deſperationis barathrum. Cur igitur idem peccatori non facit Deus? qui & illi Pater eſt, & ſimul etiam Deus, Pater, ut velit; Deus, ut poſſit? Hæc quæſtio, quæ etiam commovet ſubinde puſillas mentes, & cœleſtium viarum atque conſiliorum ignaras: quibus ut fiat ſatis, ut evellatur ſcrupulus, pauca ſubjicio, eaque petita ex naturæ gremio, imò & ipſius Dei quaſi ſinu, in ejuſque attributis. Eſt Deus omnipotens, eſt & miſericors; ſed eſt etiam & ſummè ſapiens, & ſummè juſtus. Si aut tantum eſſet omnipotens; aut tantum miſericors, indubiè ſalvaret te ſine te: at quia ſimul & ſummè ſapiens eſt, & ſummè juſtus, nunquam ſalvabit te ſine te. Cur ita.

Cùm ſit ſummè ſapiens, exigit ejus ſapientia, ut cuncta regat juxta naturam ſuam, quæ neceſſitate quadam naturali agunt, & aguntur, ut herbæ, ut plantæ, ut animalia *juxta genus ſuum.* Quæ autem libera ſunt, quæ ſui arbitrii, etiam juxta hujus atque illius naturam, & ſpeciem ſuam. At homo liber eſt, ſuique arbitrii; ideoque & ſui quodammodo juris; igitur juxta illud, ut à Deo regatur, omninò poſtulat, ut liberè, non coactè.

Et hoc eſt, quod ſic enuntiavit Sapiens, & per eum cœleſtis divinusque Spiritus.

Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilii ſui. Eat ad dexteram, declinet ad ſiniſtram, illud vult Deus, quia bonus; hoc patitur, quia ſapiens: ſalvet ſe, hoc & vult, & amat Deus quia miſericors; damnet ſe, hoc & permittit, quia juſtus, & ſummè juſtus. Eccleſ. 15. v. 14.

At rurſus inſtabis, in humanis pater id non pateretur in filio; imò nec pati deberet, nec poſſet: non abnuo, at illud dico. Pater eſt cauſa ſecunda, cauſa particularis, quæ tantùm mali nec pati debet, nec poteſt, ſi modò impedire poſſit: At Deus eſt cauſa prima, cauſa univerſalis, quæ etiam malum permittere poteſt, imò quodammodo debet, ſi modò agere velit, & agi ab unoquoque ſecundùm naturam ſuam: uti hîc in homine, & cum homine fit: imputet hic ſibi, non Deo ſi pereat: vult enim Deus, ô homo, te ſalvum fieri, ſed non vult ſine te: ut velis, oportet, ideoque ex te etiam quærit: *Vis ſanus*, vis ſalvus fieri?

Mala cur permittat.

Ita quæſivit aliquando Chriſtus ex illo adoleſcente, *Vis ad vitam ingredi?* ſed adjecit, *ſerva mandata:* en ejus voluntatem, en ejus cooperationem: ſine hac & illa, nec ipſe ad vitam ingredi poterit, neque tu poteris, quiſquis es homo, adeóque tibi etiam uni aſcribe, ſi peris, ſi excluderis à vita æterna ac beata: ad te voluit intrare cœleſtis Sponſus, ut & tu cum illo intrares ad cœleſtes nuptias; ſed non voluit, niſi & tu velles. Matth. c. 19. v. 7.

Argumentum habes è Canticis petitum; in his ſponſus vocat ſponſam, ædes ejus accedit, oſtiumque pulſat, verbere etiam repetito, & ait.

Aperi mihi ſoror mea ſponſa, quia caput meum eſt plenum rore, & cincinni mei guttis noctium.

Exegerat nimirùm cœleſtis Sponſus etiam noctem, etiam & auroram, ad ſponſæ oſtium, neque tum admiſſus erat, tantæ fuit non impatiens moræ: ſed amabo te ſponſe, cur non aperis oſtium? cur non effringis fores? cur non evertis cardines? cùm ſis Sampſone fortior, & ille ipſe de quo cecinit Regius Vates: *Qui contrivit portas æreas, & vectes ferreos confregit.* Pſal. 106. v. 16.

Fatebor ille ipſe eſt; verùm, ut ia ſit, nec vim parat, nec cogere vult nolentem, nec admitti in intima domûs neceſſitate, ſed voluntate: ideoque ingeminat amantis illud, *Aperi mihi.* Optat quidem illi jungi ut ſponſus ſponſæ, parat illi cœleſtes nuptias; ſed ad eas invitat, non cogit. Cur non impedit?

Ecce, inquiebat olim ore calamoque Diſcipuli, quem diligebat JESUS, *Sto ad oſtium, & pulſo, ſi quis audierit vocem meam & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum.* Apocal. c. 3. verſ. 20.

Ecce, inquit, quod promptitudinis, quod celeritatis eſt; *Sto*, quod illuſtris ac divinæ patientiæ; *ad oſtium*, quod profundæ demiſſionis; *& pulſo*, quod immenſæ caritatis: *ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam.* En ſibi januam aperiri vult, januam dico cordis ac voluntatis, quâ non apertâ & quidem ſpontaneè, non intrabit ad illum, nec cœnabit cum illo, in cœna beatitatis: adeò verum illud, quod nulli vim inferat, ad nullum veniat niſi admiſſus illius voluntate.

Vocat

Vocat quidem Deus, clamat, inſpirat, minatur etiam ſubinde: ſi obſurdeſcas nec volueris; ſed ad inferna feſtines, vim tibi afferet nullam, tranſibit, & te deſeret: & hoc, quia, ut dixi, divina Sapientia te regit ſuaviter, *& diſponit omnia ſuaviter.* Cunctatio autem contraria eſt ſuavitati: ne porrò ſit, ex te quærit ô homo, ô peccator! *Vis ſanus fieri?* vis & ſalvus fieri? ſi velis, eris & ſanus & ſalvus: quod ut explicetur, magisque ponatur in aperto, ſit

Sap. c. 8. v. 1.

QUÆSTIO QUINTA

THEOLOGICA ET MORALIS.

Ad eadem verba: *Vis ſanus fieri.*

QVÆ VOLVNTAS REQVIRATVR, VT QVIS SANVS FIAT, atque ut etiam ſalvus?

Voluntas in homine duplex.

DUPLEX à Theologis diſtinguitur voluntas: una eſt inefficax, quæ etiam dicitur velleitas, altera eſt efficax.

Inefficax eſt illa, quæ non deſcendit ad media, quibus aſſequatur finem ſibi propoſitum, & hunc, vel quia ab eo retrahit occurrens aliqua difficultas, vel quia ab eo revocat bonum aliquod inauguratum, quo dum privari metuis, avocaris à fine, nec illum vis, uti oportuit.

Efficax.

Efficax autem eſt illa, quæ amplectitur media quibus videt finem ſibi eſſe obtinendum, nec ab iis refugit, vel metu alicujus mali imminentis, vel horrore difficultatis, vel etiam alterius cujuſpiam boni, quod ſibi fingere poſſet.

Exemplo res erit illuſtrior, & hoc etiam in argumento quod mihi eſt præ manibus, videlicet in noſtrâ juſtificatione, & ſalute, pro qua eſt & illud Chriſti, *Vis ſanus fieri?* vis & ſalvus fieri?

Efficax ſit ad ſalutem.

Voluntas Dei eſt ſanctificatio noſtra. Deus vult omnes homines ſalvos fieri. Solum tu velis: quia verò non vis, inquit D. Chryſoſtomus, ea non obtines. Non vis, inquam, voluntate efficaci: ad hanc quippe *ſufficit ſi velis, ut oportet, & facias, ea quæ ſunt volentis:* niſi enim ea facias, certè non vis. Demus in humanis exempla, demus & in ordine naturæ; ex his enim gradus fiet ad ea quæ ſunt ordinis ſuperioris, uti eſt ſanctificatio noſtra, & ſalus noſtra.

Procatur aliquis virginem prædivitem, & nuptias cum illa ambit. Ad has non eſt ſatis, quod eam velit, quod amet, quod depereat: neceſſum inſuper eſt ut eam ſibi devinciat, ut gratiam captet, ut venetur amores, ut per ſe, perque alios ſollicitet, atque urgeat: ea niſi fecerit, profectò, non vult ut oportet, non vult efficaciter, quia non facit ea, quæ in hoc genere ſunt volentis.

Mercator unus aliquis vult merces Indicas, ad iſtud quale, quale eſt velle, non ſufficit, quòd domi contentus, & ſedens velit; ſed præterea neceſſum ut navim conducat, nautas & remiges eligat, marique ſe committat, & tranſeat in orbes exteros, ex iiſque merces revehat: ni id fecerit, non convincetur efficaciter velle, quia non fecit ea, quæ ſunt volentis.

Sit alius eſuriens, & propè famelicus, expectetque dum cibi ultrò veniant, domique interim maneat decuſſatis manibus, certè non dicetur ille velle refici, velle ſatiari, quia nec ille facit quæ ſunt volentis; nec enim laborat, nec alimenta cogit.

Quod in his & ſimilibus uſu venit: hoc & in juſtificatione noſtra, hoc & in ſalute.

Objicitur tibi lux amœna gratiæ ſanctificantis, offertur Cœleſtis beatitas, & gloriæ ſplendor æternæ: benè eſt: & hæc, & illa in oculis eſt, atque amoribus, eſt & in votis. Vis hanc, & illam: at dum non facis ea, quæ ſunt volentis, profectò argueris neque hanc, neque illam efficaciter velle. Producamus hujus, atque illius exempla probata vel ipſo primæ Veritatis oraculo.

Unum ducetur à parabola eorum qui invitati fuerunt ad cœnam magnam, nullus eorum adeò inurbanus fuit ut dixerit ſe nolle venire, nihili ſe facere favores illos, & gratiam: ſed hi, & illi impedimentum prætexere, excuſationem afferre.

Primus dixit, villam emi, & neceſſe habeo exire, & videre illam, rogo te habe me excuſatum. Et alter, juga boum emi quinque, & eo probare illa, rogo te habe me excuſatum. Et alius dixit, uxorem duxi, & ideo non poſſum venire.

Luc. c. 14. v. 18.

Potuit & hos & illos allicere cœna magna, & paratæ in illis delitiæ, potuit in his & illis fuiſſe voluntas iis fruendi, & ſe cibo, & potu ingurgitandi probè: atque, ut opinor, etiam reipſa fuit, ſed velleitas fuit, ſed inefficax fuit, quia obicem poſuerunt alia atque alia impedimenta: huic quidem empta villa, illi juga boum quinque, iſti uxor; erat enim uxorius totus. Et inde eorum nemo venit ad Cœnam magnam.

Alterum exemplum erit ab Adoleſcente, qui ſic olim ad Chriſtum. *Magiſter bone, quid faciam, ut vitam æternam percipiam?* Cui Chriſtus. *Præcepta noſti?* novi, & *omnia obſervavi à juventute mea.* JESUS autem *intuitus* eum, dilexit eum. Tum etiam addidit: *Unum tibi deeſt: Vade, quæcumque habes vende, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo, & veni, & ſequere me.* Quid ad hæc? ne verbum, mutus ut piſcis, & vultum pallor, & animum mœror occupavit. Contriſtatus enim in verbo, abiit mœrens: *erat enim habens multas poſſeſſiones.* Quid inde? una parte eum allicit promiſſi magnitudo, & ingens theſaurus in cœlo repoſitus; altera retrahit opima in terris poſſeſſio. Et hæc prægravat, hæc prævalet: Fuit in illo cæleſtis theſauri amor, & cupiditas, & adipiſcendi voluntas quædam inefficax; & hinc malum, hinc fortè & illius æterna privatio.

Marci c. 10. v. 18.

v. 21.

v. 22.

Aliud exemplum erit ab Herode, qui in imo luxuriæ merſus, *Metuebat Joannem, ſciens eum eſſe virum juſtum & ſanctum, & cuſtodiebat eum, & audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat.*

Marci, c. 6. v. 20.

Audierat illum è pulpito tonantem in amores illos inceſtuoſos, in publicum ſcandalum, quod longè latèque fundebatur ab uxore fratris, quam ſibi per ſummum nefas conjunxerat, & hinc indubiè ibat in ſaniora conſilia, in voluntatem illius à ſe ablegandi; ſed erat illa inefficax, velleitas erat infirma, non maſcula voluntas: huic enim obſtabat affecto malè ſuada unius pellicis. Et hinc malum, hinc & æterna damnatio.

De ejuſmodi farinæ hominibus, deponi poſſunt eæ querelæ, quas olim depoſuit Iſaias Propheta.

Cap 3. v 7. *Venerunt filii uſque ad partum, & virtus non aſt pariendi.*

Componit eos Vates cum puerpera, quæ ſummum vitæ periculum adit, ſi cùm venit tempus pariendi, deſit virtus ad pariendum: hæc enim à natura impoſita neceſſitas, aut pariendi, aut moriendi.

Quod puerperæ; hoc & illis, hoc & tibi ô peccatrix anima: audiſti fortè ab Eccleſiaſte, quod tibi periculum ab hac, aut illa ſocietate, à familiaritate cum hac aut illa muliercula; cum hoc, aut illo amiſio; concepiſti bona deſideria, longiùs ab his & illis abeundi: veniſti uſque ad partum; ſed non eſt virtus pariendi; ea nimirùm deſideria in lucem edendi: & tamen aut pariendum, aut moriendum.

Audiſti non dimitti furtum, niſi reſtituatur ablatum, niſi malè parta ſuis reddantur dominis, veniſti uſque ad partum, & non eſt virtus pariendi, rectè ſcilicet propoſita exequendi: & tamen aut pariendum, aut moriendum.

Audiſti excedendum è luto tuarum voluptatum, è cœno putidæ Veneris, ac libidinis tuæ; ab hoc & illo horreſcis totus, & abire vis. Benè habet, veniſti uſque ad partum; et non eſt virtus pariendi: & tamen aut pariendum, aut moriendum: hæc enim tibi à Cœlo impoſita neceſſitas, aut pariendi, aut moriendi: hoc eſt aut abeundi, re etiam ipſa, ab illis luxuriæ tuæ ſordibus, aut certè pereundi.

Gratia non deeſt volenti. Sed, inquies, ab iis abire non poſſum, niſi adſit virtus aliqua naturâ ſuperior, quæ veluti porrecta manu, è ſentina vitiorum educat, quæ extrahat. Et hoc ipſum tibi concedo, ô peccator; ſed & iſtud aſtruo, paratam tibi atque expeditam Dei manum, parata atque expedita ſufficientia ſalutis auxilia, quæ nulli negat Deus. Ipſe Judas, etſi infamis Chriſti proditor, poterat à peccato reſipiſcere, niſi carnifex ſui fuiſſet; ſi ad genua accedens miſericordiam fuiſſet deprecatus, veniam, quæ omni petenti conceditur, indubiè conſecutus fuiſſet.

Certè hujus indulgentiæ & teſtes, & præcones ſunt ii ipſi, qui de crucifigentibus ad pœnitentiam reverſi, & pœnitendo ſalutem adepti ſunt.

Eos imitare quiſquis in eadem malorum ſentina es, quiſquis & à peccato, ceu graviore morbo, malè ſanus es, & ſanitatem conſequêris: ſanitas enim noſtra, & ſalus noſtra in manibus noſtris eſt, medicus intrà nos, medicina intrà nos eſt, pretium medici intrà nos eſt, non requiritur niſi voluntas noſtra medico annuens: voluntas dico; ſed ea quæ ſit efficax, & faciat ea quæ ſunt volentis.

D. Thomas, Doctor Angelicus fortè ad ſororis ædes diverterat, cui illa, ut erat ſalutis ſuæ amantior: Amabo te, inquit, mi frater, *Quid faciendo vitam æternam obtinebo?* cui ille, deſiderando, & volendo: tanto quippe Deus ſalutis noſtræ ardet deſiderio, ut paratus ſemper ſit illam dare, ſi modò velimus, ut oportet: in quo ſanè mirum, quantùm elucet divina miſeratio atque in mortales indulgentia, quos & ſic invitat:

Iſay. c. 55. v. 1. *Omnes ſitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, properate, emite & comedite. venite, emite abſque argento, & abſque ulla commutatione vinum, & lac.*

Omnes, inquit, *ſitientes*: ecce, inquit D. Gregorius Nazianzenus, ut ſitit ſitiri Dominus:

Orat in S. Baptiſm. quæ eſt 40. *Venite ad aquas*, non illas, quæ olim in Piſcina Probatica, ſed alias longè potiores aquas, doctrinæ ſcilicet, ſcilicet & gratiæ Chriſti: *Venite & emite abſque argento, & abſque ulla commutatione.*

Cùm aurum, argentumque in uſu fuit, eo res quælibet emebantur; ubi & hoc, & illud defuit, rerum aliarum commutatione comparabatur, & hoc in commerciis ſumitur uſitatum: at non ſic in divinis: in his enim emptio fit ſine auro, argentóve, & ſine ulla commutatione, hoc eſt gratis, ut interpretatur Divus Hieronymus, Cyrillus, aliique.

At quod illud, quod ſic gratis emitur? *Vinum & lac*, hoc eſt gratiam, tum eam, quæ eſt incipientium, tum quæ perfectorum: hæc enim vini, & lactis ſymbolo deſignabatur. Unde (ut advertit D. Hieronymus) mos in Occidentis Eccleſiis hodie uſque ſervatur, ut renatis in Chriſto, vinum, lacque tribuatur. Symbolo utique gratiæ Baptiſmalis, quæ infunditur, & datur renatis, ſine auro argentóve, & ſine ulla commutatione, hoc eſt omninò gratis: prima enim *gratia* (uti eſt illa) *non cadit ſub meritum*, ſed cùm datur, gratis datur: in quo amabis infinitam Dei bonitatem atque beneficentiam, quæ gratiæ, ſalutiſque noſtræ pretium non aliud ſtatuit quàm velle noſtrum. Gratia prima gratis datur.

Suprà. *O miram*, inquit Nazianzenus, *beneficentiæ celeritatem: ô facilem contrahendi rationem: hoc bonum ſolo voluntatis pretio emendum tibi proponitur. Appetitionem ipſam Deus ingentis pretii loco æſtimat. Sitire ſitiri, bibere cupientibus potum præbet: cùm à Deo beneficium petitur, beneficio affici ſe putat. Prompta, munifica, prolixa natura eſt, jucundius dat, quam alii accipiunt.*

Hæc S. Præſul de admirabili illa ſtupendaque Dei ter Opt. ter Max. beneficentia, quæ clariùs elucebit, ſi eam compoſueris cum ea, quæ videtur in commerciis humanis: in his profectò non cenſetur rei pretium eam velle, amare, optare, quinimo derideretur ille, qui illud rei venalis pretiū offerret. Dei in hoc munificentia.

Adeat quis aurifabri officinam, ex ea empturus opus aliquod auro, argentóve affabre elaboratum, ac gemmis nitens; eique dicat: *Domine vende mihi illud opus*, & ille quærat ex eo, quod appendis pretium? reſpondeatque: *Domine non aliud quam velle me illud.* Explodetur illicò extrudeturque velut, inops mentis, experſque rationis: ecquod enim illud pretium, *Velle, amare, optare.* Declaratur in ſimili.

Sit alius qui ingrediatur tabernam mercatoriam, in qua merces omnis omninò generis, & has inter etiam telæ ſubtiles, pretioſæ, filiis argenteis aureiſve intertextæ, tum earum avidus inſtitori dicat: Ecquod ſtatuis illius pretium? Tum ille, Ecquod, inquit, offers & tu? Tum hic ſubjiciat, Non aliud *quàm eas me velle.*

Quid ad hæc mercator ille, quod de tali emptore feret judicium? quem eum credet? quem dicet? certè non alium quàm amentem, & inſanum; ut qui pretium rei venalis, rei tantæ, tamque pretioſæ, non aliud æſtimet, quàm velle, quàm amare, quàm optare. Certè eo pretio nulla merces eſt venalis, ne viliſſima quidem, multò minus quæ pretioſa.

Et hoc in confeſſo eſt apud omnes in mercimoniis humanis: at non ſic in divinis, non ſic in foro gratiæ, & gloriæ: hujus, enim, atque illius pretium eſt voluntas, velleque eſt emere: *neque enim pretium quæſivit à nobis, qui pro nobis ſanguinem ſui pretium ſolvit*, inquiebat D. Ambroſius. Lib. de Joſeph. c. 7.

Negotiemur ergo, & pro prima gratia demus *velle*, & pro ſecunda demus cooperationem, & ſic & hanc & illam ememus. Ita monet, ita urget Abbas Joachim, vir notæ ſanctitatis, cujus hoc effatum, hoc & monitum:

In cap. 3. Apoc. *Negotiemur cum minore Dei gratia, ut majorem ememus, & comparemus.*

QUÆ-

QUÆSTIO SEXTA
THEOLOGICA ET MORALIS.

Ad illa verba: *Reſpondit ei languidus: Domine, hominem non habeo.* Joan. cap. 5. verſ. 7.

ESQVIS ILLE HOMO?

AD Quæſtionem ſibi à CHRISTO factam: *Vis ſanus fieri?* directè non reſpondet æger: ſupponit enim quod in aperto eſt, quod & omnibus notiſſimum, optare ſe, velle ſe ſanitatem: Ecquis enim illam non velit? certè ea homini propè eſt ſummum bonum, utpotè ſine quo omnia vix bona ſunt, & ſi ea concidat, alia omnia concidere, aut ſaltem minus ſapere neceſſum eſt.

Sanitas quantum bonum.

Inde ſanitas cuique eſt in primis curis ac votis, Pyrrhus Epirotarum Rex ſolam ſanitatem à Diis ſuis precari ſolitus.

Antiochus non aliam militi ſuo teſſeram dare, quàm *Benè valere.* Et Theodoſius IV. Imperator Auguſtus, tumulo ſuo Epitaphii loco, non aliud inſcribi voluit, quàm hanc unicam vocem; *Sanitas.*

Quòd ea cuique eſſet in oculis, atque amoribus: ea perſuaſio, quæ unicuique à natura eſt inſita, fecit ut languidus ille noſter, ad hanc quæſtionem ſibi à Chriſto propoſitam: *Vis ſanus fieri?* non reſponderit, nec dixerit omninò velle ſe ſanitatem; ſed de modo eam adipiſcendi per Piſcinam ſermonem injecerit: quaſi diceret: Ego ob paralyſim ad Piſcinam ire nequeo, neque hominem habeo, qui me eò deferat: ſum enim hominum pauperrimus; itaque ſi quid in ea re potes, adjuva me: credebat enim Chriſtum, cùm hoc quæreret, *Vis ſalvus fieri?* Vis ut & ego te deferam ad Piſcinam, ut Angelo aquam movente primus injiciaris in eam, & ſanus fias?

Et hæc ad litteram ſonat ea languidi illius reſponſio: *Domine, hominem non habeo.* Ad myſterium autem & mores formandos, longè alia, aliaq; remotiora à littera, & à communi mortalium ſenſu aliena, quæ hic exponere eſt animus, è quibus hoc ad mores primùm eſt, quod & inſinuant ſacræ paginæ: *Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum, & à Domino recedit cor ejus.*

verſ. 7.

Fiducia in homine quam noxia.

Jeremiæ c. 17. v. 5.

Maledictus, inquit, qui totam fiduciam reponit in homine, qui ut velit, ſanare non poteſt.

Patet in Rege Aſa.

Ita maledictus Rex Aſa, qui in duobus peccaſſe ſcribitur: Primum in eo quod à Baaſa Rege Iſrael, bello impetitus Benadab Regem Syriæ in auxilium vocarit, non autem Deum, ad quem ideo ſic Hanani Propheta: *Quia habuiſti fiduciam in Rege Syriæ, & non in Domino Deo tuo, idcircò evaſit Syriæ Regis exercitus de manu tua.*

Paralip. c. 16. v. 7.

Secundò in hoc, quòd in infirmitate ſua non quæſivit Dominum; ſed magis in medicorum arte confiſus eſt, ideoque & mortuus vel eo, quòd in homine magis quàm in Domino fiduciam ſuam repoſuerit.

In Iſraële.

Ita maledictus Iſraël, maledicti Judæi, quorum calamitatem ſic deplorat Jeremias: *Defecerunt oculi noſtri ad auxilium noſtrum vanum, cùm aſpiceremus attenti ad gentem, quæ ſalvare non poterat.*

Thren. c. 4. v. 17.

Erat ea Gens Chaldæa, ad quam oculos, & animos flectebant Judæi, & cujus imagines vivis coloribus adumbratas, atque animatas colebant, ac venerabantur.

Erant Hieroſolymis tapetea, & aulæa acu picta, in quibus viſebantur facinora, victoriæ, triumphi, & trophæa exercitus Chaldeorum. Ubi verò tribulationibus atteri ſe, obſideri, cingique viderunt Judæi, imparesque eſſe hoſtibus, nec ullo modo reſiſtendo, deficientes animis, primò lugere, ac lacrymari, tum oculos convertere, ad viros illos in parietibus depictos, aut in aulæis expreſſos, ad eoſque recurrere, auxilium ab iis opemque petituri: ſed fruſtra. quæ enim vis, quod robur, quæ auxilia, in hominibus depictis, aut acu pictis? enimverò nulla. Audiamus etiam ipſius prophetæ verbis, ſic ille de infelici Solyma:

Auxit fornicationes ſuas, id eſt adulteria ſua, cumque vidiſſet viros depictos in pariete, imagines Chaldæorum expreſſas coloribus, & accinctos balteis renes, & tiaras tinctas in capitibus eorum, formam ducum omnium, inſanivit ſuper eos concupiſcentia oculorum ſuorum.

Ezechiel. c. 23. v. 14.

Meritò ſanè *inſanivit.* Ecquid enim an non inſania illa, ad homines pictos, aut acu figuratos oculos animoſque vertere, ab iis opem ſperare, ac petere, eoſque pro Numinibus habere, colere? fuerant illi quondam mortales inter robuſti, potentes, invictique, non abnuo: at modò non homines ſunt, ſed homines dumtaxat picti, adeoque imbelles, elumbes, inertes, impotenteſque, & in iis ſpem reponere, in iis confidere, ad eos recurrere, quis ſtupor, & quæ inſania? ſtupor enimverò, atque inſania, quam in Hieroſolyma ac Judæis & ridemus, & deploramus: & tamen, ô ſtupor! ô dolor! ô nefas, quod ipſi quondam, hoc & nos modò, qui à Chriſto Chriſtiani & videri, & eſſe volumus. Ecquid enim? an non relicto Deo, relictoque Deo-homine, id eſt JESU Chriſto, ad homines tranſire, ad homines vota dirigere, atque in iis fiduciam omnem conſtituere, eſt ad homines pictos aſpicere, atque ad eos recurrere? Enimvero præ Deo, præ Chriſto homines ſunt, ſed picti, & ludus dumtaxat oculorum. Et tamen id facimus, id molimur in præſentia. Ita nimirum *defecerunt oculi noſtri ad auxilium noſtrum vanum.*

In pleriſque hominum.

Tentatur quis graviore morbo, & tantum non contabeſcit, intelligit in hac aut illa regione commorari medicum ſapientiſſimum, & multa doctum experientia, & in hoc ſperat totus & non in Deo.

Urgetur alius, ac premitur implexis litibus & in civili foro, ſcit agi de cauſa ſua, deque fortunis omnibus. Advocatum quærit in paucis doctum, ejuſque facundia nititur, & non in Deo, ac ſuperis.

Alter dignitatis alicujus candidatus, & ambitioſus in paucis, audit in aula unum aliquem Regi familiarem, atque inprimis gratum, & mox illius gratiam favoremque aucupatur avidè, & prenſat avidiùs, atque in homine plus fiduciæ ſtatuit quàm in Deo. An non hic? an non & illi homines aſpiciunt, honorant, ac colunt? aſpiciunt certè honorant atque colunt: ſed homines præ Deo pictos, à quibus ſolidi nihil, nihil veri ac boni ſperandum, aut expectandum.

Dicere certè poſſunt, quod languidus ille noſter, *Domine hominem non habeo.* Nec enim ex vero habent vel medicum, qui ſalvare certò, vel advocatum, qui cauſæ ſuæ patrocinari tutò, vel aulicum,

qui ex æquo poſſit providere: ad hominem ſimul & Deum, recurrat oportet: ſed à ſanitate, quæ corpori quæritur, tranſeamus ad illam, quæ eſt animi, & videamus an non etiam in hac dicere poſſint plerique quod ille languidus.

Domine hominem non habeo.

Homini dum in vivis agit, ſua eſt animi ſanitas ſuus & morbus. Sanitas eſt à gratia, & charitate, morbus autem à peccato, quod ſi lethale ſit, lethalis eſt morbus: imò quot peccata lethalia, tot & lethales morbi, quibus ſanè quærendus, & habendus eſt homo: ſed proh dolor, pudorque! multi ſic languidi, ſic & morbidi, hominem non habent, dicereque poſſunt ac debent, cum hoc paralytico: *Domine hominem non habeo*: & hic quidem ſine culpa dixit, illi verò non. Cur ita? ratio eſt in oculis, & clara luce.

Piſcinæ virtus erat illi probè nota, atque perſpecta, minimè tamen proficua, quia non habebat ad manum hominem aliquem validum, & robuſtum, qui eum tolleret in humeros, qui deferret ad piſcinam, in eamque injiceret, cùm primùm moveri cœpiſſet aqua, & hoc, ut inſinuavi, factum ſine illius noxa, Nec enim habere poterat, cum eſſet pauper, & infimæ ſortis homuncio.

Pœnitentia Chriſtianis eſt Piſcina.

Quod Piſcina Probatica Judæis? hoc Chriſtianis omnibus eſt pœnitentia: quæ enim illi virtus erat ad corporis ſanitatem, eadem & huic ad eam, quæ eſt animi: ſed ô grande malum, plerique ex iis, hominem non habent, & quidem ſua culpa.

Fornicator es, adulter es, ſcortator es, jaceſque profundè merſus in cœno voluptatum tuarum, vagæque libidinis, nec ex eo evadis in auras meliores, diciſque, *Hominem non habeo.* Non habes enimvero hominem, quia confeſſarium non habes virum probum, ſincerum, zeli plenum, qui te moneat qui arguat, ut ſcortum expellas è domo, è penetralibus, & ni feceris, qui abſolutionem neget ac veniam.

Sed plerique hominem non habent.

Uſurarius es, & lucris etiam injuſtis inhians per mille tricas, doloſque mille, neque ex iis expedire, extricareque te vales, diciſque, *Hominem non habeo*: nec verò etiam habes, quia confeſſarium quæris indoctum, rudem, ignarum, & tantum non ſtupidum, qui fraudes illas tuas, technas tuas, nec retegere poſſit, nec tibi ſub oculos ponere.

Advocatus es, & totus in movendis litibus, in tricis, & laqueis, quibus & viduas & orphanos implices, & perdas, dicis. *Hominem non habeo*: & ex verò non habes. qui confeſſarium tibi deligis, qui nec in foro illo contentioſo verſatus ſit, nec is qui dolos tuos, & malas artes detergat.

Nobilis es atque è primatibus unus aliquis, qui ſeu adulatione, ſeu malis conſiliis Principem tuum, Regem tuum, in mille, & mille peccati laqueos injicias, itaque induas, ut exuas nunquam, & ais, *Hominem non habeo*: & certè non habes, quia confeſſarium non habes, virum doctum, ſincerum, & timoratæ conſcientiæ qui tibi ſcrupulum moveat.

Iracundus es, & avidus vindictæ, qui fulminare, qui tonare, qui & ferire noveris totus, qui & in campum prodire, & in arma ruere, & in cædes proſilire ſoles, & dicis & ipſe: *Hominem non habeo*; & verè non habes, quia confeſſarium adlegiſti tibi hominem timidum, puſillanimem, qui & ipſe plus æquo te revereatur, & timet, nec intentat Irati cœli fulmina atque tonitrus.

Et Princeps, & Rex, & Cæſar es, purpura nitens, ſceptro timendus, coronáque illuſtris, qui populis jura das & leges, & ingeminas etiam ipſe, *Hominem non habeo*: & ſanè non habes, quia nec tibi conſiliarium adſciſcis, qui libera voce, liberiore & mente vera dicat, ſed potius eum qui norit obſervare nutus omnes tuos, qui blandiri, qui palpare improbè, imò nec confeſſarium quem monentem audias, & velis.

Denique ne per omnia vitia videar evagari; recidivus es, qui ut canis ad vomitum ſemper redeas, ſemper iiſdem te implices, involvaſque ſceleribus, & tamen inſuſurras etiam iſtud, *Hominem non habeo*; & profectò non habes, quia confeſſarium evocas tibi, qui ſit mutus ut piſcis, qui nec examinet fanda, nefandáque, nec pœnitentiam imponat ex merito, nec de recidiva, ejuſque graviore periculo moneat: imò cui fortè ſit ſatis, nummulum oſtendiſſe, ut venalem habeat conſcientiam & ſuam & tuam, & qui dicit: *Pax, pax, & non eſt pax.* *Jerem. c. 6. v. 14.*

Sed iſta ad mores ſatis, ex illo Paralytici effato, *Hominem non habeo*. Aſcendamus ad myſterium, quod & tegunt pauculæ iſtæ voculæ.

Languidus ille noſter, figura quædam expreſſa fuit generis humani, quod graviore peccati infirmitate detinebatur, non ad annos triginta octo, ut ille, ſed ad ſæcula, nec fuerat toto illo ſæculorum lapſu, qui ſanaret, unde & potiori jure Deo ſuo, ac Domino dicere poterat, quòd ille, *Hominem non habeo.*

Et verò non habebat: nec enim aut ullus Angelorum aut hominum eſſe poterat, qui naturam humanam à peccato ægram ſanitati redderet, qui gratiæ reſtitueret, qui cœlo redonaret, perſoluto libertatis noſtræ pretio, ad hæc proinde neceſſarius fuit Deus-homo.

Homo ille Chriſtus.

Ratio in aperto eſt: Primò ex parte perſonæ offenſæ, quæ Deus erat ter Opt. ter Max. infinitæ utique dignitatis, infinitæ & majeſtatis.

Secundò, ex parte perſonæ offendentis, quæ homo erat, Deo ſuo infinitè inferior, cui proinde ex æquo ſatisfacere nullo modo poterat: ut enim ex æquo fiat ſatis, neceſſarium eſt ut perſona ſatisfaciens ſit aut ejuſdem, aut ſaltem æquæ dignitatis, atque perſona offenſa: quod quia nec in hominem cadit, nec in Angelum, nec in puram creaturam, conficitur illud, neque Angelum, neque hominem, nec ullam creaturam, poſſe Deo ſuo ac Domino, ex æquitate atque condignitate, ſatisfacere pro peccato mortali vel unico.

Denique ex ipſo peccati debito, quod vel unicum eſt ſimpliciter infinitum, quia tantum, quanta offenſio perſonæ læſæ: hæc autem eſt ſimpliciter infinita, adeoque & illud, & inde neceſſum omninò fuit ut natura humana, quanta, quanta erat, ex veritate diceret etiam & iſtud Paralytici ad Chriſtum: *Domine, hominem non habeo.* Hominem dico, ſed qui ſimul & Deus.

Et hæc pro inſtituta mihi brevitate ſint ſatis, plura in operibus meis, hinc & inde ſparſa, quæ hic in compendio collegi.

QUÆ-

QUÆSTIO SEPTIMA MORALIS.

Ad illa verba Chriſti ad Paralyticum: *Surge, tolle grabatum tuum, & ambula.* Joan. cap. 5. v. 8.

QUÆ IN HIS NORMA ADEPTÆ PERFECTÆ SANITATIS?

Sanitas ex tribus oſtẽditur.

TRIA hîc Paralytico præcipit ſupremus, & corporum, & animorum medicus: Primum exprimitur ea vocula, *Surge.* Alterum iſta, *Tolle grabatum tuum*, id eſt lectum tuum, in quo hactenus malè jacuiſti, & qui te tulit quam peſſimè. Poſtremum hoc, *Et ambula.*

Fuit hic ſermo Chriſti *practicus*: dicendo enim, *ſurge* erexit & ſanavit: *non enim operis imperium fuit ſed operatio ſanitatis*, ut rectè D. Auguſtinus.

Et verò ad eas voculas ſurrexit languidus, grabatum ſuum extulit, & ambulavit non ſine ſtupore aſtantium, & Chriſti ceu medici commendatione, à quo venio ad eam ſanitatem, quæ eſt animi, & cujus norma quædam, ac veluti typus aliquis eſt illa quæ collata eſt paralytico: hæc ut videretur & eſſet perfecta, tria exhibuit.

Quænam illa?

Primum in illo, *Surge*; ſecundum in eo, *tolle grabatum tuum*; tertium in hoc, *& ambula*: & ita eò loci ac temporis factum eſt, & factum quàm optimè: ſurrexit enim, grabatum tulit & ambulavit: & ita in ſpiritu facias oportet quiſquis evaſiſti à ſpiritu ſanus.

I. Surge.

Primò, *Surge.* Ita ſurrexit olim filius ille prodigus. In ſe quippe *reverſus eſt*: Quid enim aliud? *In ſe redit, ut rediret ad Patrem, qui ante à ſe receſſerat, cum receſſit à Patre*, ut diſertè D. Chryſologus.

Serm. 2.

Dixit deinde *ſurgam. Jacebat certè qui dixit ſurgam, intellexit lapſum, ſenſit ruinam, jacere ſe turpis luxuriæ reſpexit in lubrico, & ideo exclamavit: Surgam. Et ſanè ſurrexit ille mentis & corporis de ruina, ſurrexit de profundo inferni, Cœli alta contingens, & apud celeſtem Patrem filius ſurrexit, plus de venia, quàm corruit de reatu.*

Serm. 3.

Et ita ſurgas oportet, quiſquis à Chriſto, ejuſque gratia ſanus factus es, non corpore, ſed ſpiritu: ni ſic ſurrexeris, perfectam hujus ſanitatem non aſſequeris; prima enim lex adeptæ ſanitatis eſt ſurgere.

Eia ergo quiſquis es ſcortator, fornicator, adulter ſurge à tuo concubinatu, & ab indecora illa vivendi ratione, in qua tot jam ab annis jacuiſti.

Eia fœnerator, eia inſtitor, ſurge à lucris injuſtis, & uſuris fraudulentis, quibus & depreſſus animus, & cor abiectum.

Eia quiſquis es avare, & cumulandis pecuniis inhians totus, ſurge ab auro, à gazis illis tuis, quibus immerſus, & quaſi inſepultus hactenus fuiſti.

Eia acedioſe, qui dies, & annos, & vitam omnem in otio inertè teris, qui deſidiæ indormis immemor tuæ ſalutis, immemor Cœli & Dei, ſurge, & labori te redde, & diligentiæ, curæque animæ tuæ: certè ni feceris, argueris nunquam ex vero ſanus fuiſſe. Hæc enim ſanitati ſcripta lex, & conſcripta illa vocula, *Surge.* Sed proh dolor pudorque! multis evenit, quod dormitabundis, quod ſomnolentis, caput hi ſubinde attollere, ſubinde levare de pulvinari videntur, videntur & velle ſurgere, nec tamen ſurgunt: ſimiles impio Regi *Achab*, ſimiles impio inſolentique Nabuchodonozori. Juvat hujus, illiuſque pauca meminiſſe.

Vineam Naboth concupierat Achab, ſibique negatam indignè ſenſerat, & ſuaſu Jezabel etiam innocentem falſis teſtibus circumvenerat: imò & lapidibus per ſummum nefas obruerat.

Facti conſcius Elias Propheta, Achab occurrit, & cœlo vindice extrema minatur omnia. Quid deinde? facti pœnitens videtur Achab & à ſcelere, in quo jacuerat, ſurgere velle: *Scindit enim veſtimenta ſua, operit cilicio carnem ſuam, jejunat & dormit in ſacco & cinere*; non tamen ideo ſurgit, nec vineam Naboth, quam injuſtè occuparat, reſtituit, quod tamen facere debuerat, ut à peccato reſurgeret.

3. Reg. c. 21. verſ. 27.

Quod Achabo: hoc & Nabuchodonozori. impotens cœlo caput ſibi ſtatuam aurεam erexerat, volueratque in foro adorari: quod cùm recuſaſſent adoleſcentes illi tres, *Sidrach, Miſach, & Abdenago*, in fornacem miſſi ſunt: ſed flamma eos reverente, ne capillus quidem arſit: crederes ignem oblitum ſui, oblitum & caloris, & vis nativæ: tantum enim non exuſſit, ſed inſtar roris, pro refrigerio fuit.

Quid inde? ad id prodigii primùm attonitus ſtetit Nabuchodonozor, tum eorum Deo benedizit: ait enim, *Benedictus Deus eorum*; tum edixit, ne quis in Deum blaſphemiam jaceret, ſecus ſi feciſſet, diſperiret illicò: tum prædicavit, *ſigna ejus, quia magna ſunt, & mirabilia ejus, quia fortia & regnum ejus ſempiternum.* Quis non crederet jam ſurrexiſſe? ex verò tamen non ſurrexit, quia nec ſtatuam evertit, nec populum ſolvit immani jugò ſervitutis, nec erepta de templo ſpolia reſtituit.

Daniel. c. 3. v. 95.

Similes Achabo, ſimiles & Nabuchodonozori hoc ævo quamplurimi: ſimilis & tu fœnerator: accidiſti quidem ad Confeſſarii genua, fœnus injuſtum agnoviſti, at necdum ablata reſtituiſti: neque tu alienæ famæ proditor, ablatam proximo famam, nomenque reddidiſti, neque tu fornicator ſcortum dimiſiſti: viſus es ſurgere: at re etiam ipſa non ſurrexiſti, quod tamen omninò factum oportuit, ad perfectam animæ ſanitatem: huic enim prima lex poſita: *Surge*, cui ut accedat altera neceſſum eſt: ea videlicet, *tolle grabatum tuum.* At quod, inquies, illud grabatum? SS. Patres in alias atque alias deſcendunt ſententias.

II. Tolle grabatũ tuum, & ecquod illud?

S. Gregorio Pont. Max. grabatum ſunt tentationes carnis, quibus ſuccubuit peccator, & in quibus aliquando cùm voluptate quievit, & quas tollit in humeros dum eas cùm pœnitentia tolerat: ſic enim inquit:

Ægro ad ſalutem reducto præcipitur, Tolle grabatum tuum, id eſt porta lectum in quo portatus es, quia neceſſe eſt ſanatus quiſque portet contumeliam carnis, in qua prius jacebat ægrotus.

Homil. 12. in Ezechiel.

D. Auguſtino, *Surge*, inquit, id eſt dilige Deum qui ſurſum eſt. *tolle grabatum tuum*, hoc eſt, dilige proximum, infirmitates ejus portando. *Cùm eſſes languidus*, inquit, *portabat te proximus tuus; ſanus factus es, porta proximum tuum.*

Tract. 17. I.

Ita tentationes carnis portavit S. Maria Ægyptiaca, & hoc à converſione ſua ad annos ſeptemdecim, quia totidem annis prius portarat, iiſque ſuccubuerat, & hoc quidem non ſine gravi nævo; illud autem non ſine merito.

Ad Galat. c. 6. Ita proximum portavit Apoſtolus, portareque nos docuit, cum ſcripſit, *Alter alterius onera portate.*

D. Thomas Doctor Angelicus, aliò mentem, ſtylumque vertit; opinatur enim Chriſtum animæ

In hunc locum. peccatrici, ceu languidæ, ceu ægræ, dicere illud ipſum, quod olim Paralytico. *Surge, tolle grabatum tuum & ambula.*

Et in his tribus præſcribi ſalutarem medicinam & tria principia adipiſcendæ perfectæ ſanitatis ſpiritualis, videlicet contritionem, confeſſionem & ſatisfactionem.

In primo, quod exprimitur hâc voculâ *Surge*, deſignari contritionem, per quam peccator avertitur à creatura ad quam turpiter acceſſit, & convertitur ad Deum, à quo turpiùs receſſit: contritio enim eſt *dolor* propter Deum, in quo continetur averſio à creatura, & converſio ad Deum, adeoque illud *ſurge*: ſurgit enim, qui ſic & avertitur, & convertitur.

In ſecundo quod innuitur his verbis. *Tolle grabatum tuum*: indicatur *confeſſio*; per hanc enim peccator, qui ante mollius quievit in lecto ſcelerum ſuorum, ea quodammodò in humeros tollit, & ſibi facit eſſe oneri, quæ priùs fuerant voluptati, dum in iis, in quibus ſibi olim placuit, jam ſibi deſplicet, & diſplicendo ea deponit in aures Confeſſarii, & ſic à ſe abjicit, ac removet.

III. Et ambula. & quid illud? In Tertio denique, quod his indicatur, *& ambula*, proponitur *ſatiſfactio*, per quam peccator ivit viam omninò aliam, & aliis pariter greſſibus incedit, videlicet mortificationis, jejuniorum, ſolitudinis, eleëmoſynarum & bonorum operum. Cùm ires in viam peccatorum, ibas & in viam inferni: cum autem virtutis ſemitam ingreſſus es, & qui ante ambulabas quàm peſſimè per viam voluptatis ac ſcelerum tuorum, jam curris quàm optimè per ſemitas virtutum & gratiarum.

Ita ambulaverunt, ita cucurrerunt olim Ninivitæ, qui ad Jonæ prædicationem, & intentatas è Cœlo minas.

Jonæ c. 3. v. 10. *Converſi ſunt unuſquiſque à via ſua mala, & clamaverunt ad Dominum in fortitudine, & jejunaverunt induentes ſe ſacco.*

Converſi ſunt, ecce Contritio: *& clamaverunt ad Dominum in fortitudine*, ecce *confeſſio. Et jejunaverunt, induentes ſe ſacco, & cooperientes cinere*: en *ſatisfactio.* Ecce judice & Doctore Thoma, quæ nobis præclara morum documenta, his Chriſti vocibus exhibentur: *Surge, tolle grabatum tuum, & ambula.*

Sed & alia hujus voculæ, *& ambula*, eſt interpretatio, eaque ad mores, inſinuatque abeundum à loco, in quo per peccatum malè jacuiſti, abeundum ab occaſionibus peccandi,

Erat tibi, ô adoleſcens, domus mali nominis, malæ famæ, domicilium impudicitiæ, fanum Veneris, ab illa diſcedendum & ambulandum quàm longiſſimè.

Erat tibi ædes Bacchi, popina vinaria, in qua indulgere ſolebas genio liberaliùs, potare, & te ingurgitare inter pocula, ebriaſque menſas: & ab illis quoque excedendum.

Erat & Taberna luſoria, chartarum alearumque tectum, in quo & pecuniam exponere, & perdere ſolitus eras, & prodigere patrimonium omne: & ab hoc quoque abeundum.

Erat tibi ô virgo, erat amaſii domus, erat deſignatus locus impudicis alloquiis, oſculis impudoratis, & aliis quæ pudor vetat nominare: & ab his fugiendum celeri pede, nec redeundum poſthac unquam.

Verbo uno erat occaſio aliqua peccandi, quæcumque demum illa ſit: & hæc quoque deſerenda: & ſic perfeceris illud Chriſti ad Paralyticum, *Et ambula.*

Ita ambulare, ita fugere à Sodomis doctus ab Angelo fuit Loth, & ne quidem ſtare *in omni circà regione*: & quia ſtetit vel ſemel tantùm ejus uxor, quia lumina retrorſum vertit, verſa eſt in ſtatuam ſalis, tanti intereſt ne quidem aſpicere quod ſemel deſerueris. Gen. c. 19. v. 17.

Ita, *Petrus egreſſus foras flevit amarè.* Chriſtum Magiſtrum utique quàm optimum, negârat noſſe ſe in Caiphæ domo; ad ſe ubi rediit, ad Dominum rediit, foras abiit, & ibi *flevit amarè*; at cur non flevit in Caïphæ domo? in loco culpæ? ratio in promptu eſt, difficulter defletur culpa ubi commiſſa eſt: nocet vel ipſe locus, retrahit à bono vel ipſa noxæ ſedes: excedendum, excedendum omninò eſt, & hoc docet ea Chriſti monitio ad Paralyticum, *& ambula.* Luc. c. 22. v. 62.

QUÆSTIO OCTAVA

MORALIS.

Ad illa Chriſti ad Paralyticum verba: *Iam amplius noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Joan. c. 5. v. 9.

CUR DE CAVENDA RECIDIVA HIC MONET Servator optimus?

Recidiva. HIc medici partes egerat Servator Optimus, cùm eum à morbo curârat, quod medici ſolet, non qualis ex Hippocratis aut Galeni ſchola exire ſolet; ſed qualis ille, qui è ſinu Patris exceſſerat, atque in Mundum venerat, futurus utique, non tam corporum Medicus, quàm animorum.

Quomodo cavenda? Ubi quempiam aliquem ex medicinæ principiis, aut vi gratiaque pharmacorum à morbo levavit medicus, tum ritè monet, caveat imprimis à recidiva, caveat ab aëria intemperie, à paſſionum inſolenti tumultu, ab irarum æſtu, à triſtitiæ nebulis, quæ valetudinem labefactant, caveat à cibis noxiis, quæ ſtomachum gravant ac perdunt, verbo uno, ab omni eo, quod recidivæ cauſam afferret.

Quod corpori medicus, hoc animo Chriſtus, cùm ait, *Iam amplius noli peccare.*

Soſpitantis verba ſunt, & docentis, curantis pariter & monentis, inquit D. Cyprianus. *Ecce ſanus factus es, jam noli peccare, ne quid deterius tibi fiat. Dat vivendi morem, dat innocentiæ legem, poſtquam contulit ſanitatem. Nec habenis liberis & ſolutis vagari poſtmodùm patitur; ſed gravius comminatur.* Lib. de diſcipl. & habitu Virgin.

Soſpitantis,

Soſpitantis inquit, & meritò; hoc enim unum ſpectabat Chriſtus, ut dum curaret corpora, curaret & animos. Quod erat in utroque ſoſpitate.

Epiſt. 74. De Euſtathio dixit aliquando S. Baſilius: *Sanitatem ars veſtra ſuppeditat*: quæ ego de Chriſto verius dixero: Sanitatem enim & corporis, & animi ſuppeditavit; imò hanc potiſſimum, nec illam niſi hujus gratia, quod oſtendit Lactantius dum *Lib. 4. c. 26.* inductione facta probat externas curationes internarum fuiſſe veluti figuras; neque illas ſine his.

Aperuit cœcorum lumina cœleſtis virtus, & hoc facto ſignificavit, quod inſipientium pectora illuminaret luce ſapientiæ.

Patefecit aures ſurdorum, ut declararet brevi fore ut qui erant veritatis expertes, & audirent & intelligerent divinas voces.

Mutorum linguas in eloquium ſolvit, ut oſtenderet mox futurum ut cœleſtium rerum nuper ignari de Deo & veritate diſſererent.

Pedes claudorum ad officium gradiendi reformavit, ut cohibitis erroribus vitæ ſæcularis, ac deviæ, iter veritatis aperiretur.

Labes & maculas inquinatorum corporum repurgavit, ut peccatorum labibus, ac vitiorum maculis, inquinatos purificaret doctrina, & eruditione juſtitiæ.

Jacentium mortuorum corpora erexit, eoſque nominibus ſuis inclamatos, à morte revocavit, ut gentes quæ morti ſubjectæ fuerant, cognitione veri luminis animatæ, ad immortalitatis præmia pervenirent.

Hactenus Lactantius, ex quo conficio, Chriſtum ceu cœleſtem medicum, ſic corporibus ægris medicinam attuliſſe, ut magis attulerit & animis, quod & liquet in languido noſtro, ad quem ſic ille:

Iam amplius noli peccare: peccarat enimvero, & inde tam diuturnos languor, primùm corporis, tum etiam animi, & hoc, & illo liber exire jubetur, & ſimul monetur ne in poſterum recidat; & meritò, quia recidiva periculoſior & gravior: & hinc benè additur, *ne deterius tibi aliquid contingat. Soſpitantis verba ſunt, & docentis, curantis pariter & monentis.*

Rectè *monentis*, quia ubi gratiam, ceu animæ ſoſpitatem, à Deo acceperis, eam omni curâ ſerves, oportet: nihil enim difficilius ſervatur, nihil & facilius amittitur. Author non ignobilis appellare ſolebat gratiam *vitream*, quòd ut vitrum vel leviore attactu frangitur aut diſſilit; ſic & gratia etiam vel tenui culpæ lætalis afflatu diſſipetur ac pereat; eóque trahit illud Apocalypſis: *Et in conſpectu ſedis tanquam*
Cap. 4. v. 6 *mare vitreum ſimile criſtallo.*

Mare vocat Baptiſmatis aquas, quæ gratiam uberè lapſu in animas effundunt, ad inſtar vitri criſtallo non abſimilis, ut ea ea nuncupatione nôris, quàm frangi facilis ſit gratia, proindeque quâ tibi curâ cuſtodienda ſit. Eadem ſcilicet quâ vitrum criſtallinum. Sanus ergo factus es: ſanus, inquam, à peccato, ceu lethali morbo; jam amplius noli peccare, noli gratiam, ceu animæ vitam, amittere: eam enim ſi denuò amiſeris, deterius tibi aliquid continget.

Deterius enimverò, & quidem ex multis capitibus. Primùm jam inſinuavi, quia amiſſio gratiæ jam recuperatæ, gravior eſt ac deterior; ea porro fit in omni recidiva, à qua ut averteret D. Bernardus ſic olim è pulpito, ſic modò de cœlo:

Serm. 59. in Cant. *Timeas quidem pro accepta gratia, amplius pro amiſſa, longè plus pro recuperata.*

Ecce triplicem metum incutit S. Præſul: Primus eſt *pro accepta gratia*, ne eam aliquando perdas, unáque omnem cœli theſaurum: Alter eſt *pro amiſſa*, ut eam dum licet recuperes. Poſtremus *pro recuperata*, pro ea quippe retinenda, major incum-
Et cur cavenda? bere debet timor: cujus rationem hanc adiicit,

Ne fortè contingat recidivum pati, adeoque deterius tibi. Audis enim vel ab ipſo Chriſti oraculo recidere, quam incidere eſſe deterius, proinde invaleſcente periculo, invaleſcit & metus.

Ut porro hic invaleſcat, & invaleſcendo te ſervet, *Serm. de lapſu primi hominis.* Chryſoſtomum audi, oratorem utique aureum. *Com. 2.* *Noli peccare poſt veniam, noli vulnerari poſt curam, noli ſordidari poſt gratiam.*

Rationem, ſi voles, accipe etiam ex illo. Sic tibi, ſic omnibus. *Cogita graviorem eſſe culpam poſt veniam, renovatum vulnus pejus dolere poſt curam, moleſtius hominem ſordidari poſt gratiam.* Quod ſi gravior eſt culpa, certè gravior & pœna, quàm etiam exigit Deus ex hoc ævo mortali. Exemplis res fiet illuſtrior. Unum petetur ex D. Bonaventura, in vita *Cap. 2.* Divi Franciſci.

Canonicus Eccleſiæ Primariæ vir magnæ notæ, *Exemplis oſtenditur.* opulentus in paucis, & avito ſtemmate ſpectabilis; ſed vitiis obſcurus, & infami libidine abjectus, cui ut modum poneret Dei miſeratio, cum corripi patitur ardentiſſimâ febri, à qua dum vitæ periculum adit, à D. Franciſco inviſitur, ex eoque inter pia de ſalute colloquia, intelligit morbum hunc non caſu, non vitio corruptæ naturæ, ſed deſtinato Dei nutu atque conſilio immiſſi, ut ei ſit partim pro expiandis illius criminibus, partim pro ſalutari remedio: eſt enim ille ludus amabilis divinæ miſerationis, ut per mala corporis, mala etiam animi curet atq; depellat.

Et ita in illo depulit D. Franciſci precibus, atque *Primum.* benedictione: à qua & ſalutaria hæc monita audiit.

Primùm Deo placitum eſſe ignoſcere, ſi modò facti pœnitens eſſet, tum etiam ſanitatem priſtinam reſtituere, ſi modò ſibi conſtaret animus, ſi benè propoſiti tenax eſſet: ſi in eadem vitia non reincideret: ſecus autem ſi aliquando in illa relaberetur: ſi enim id fieret, futurum omninò, ut cœlo vindice puniretur gravius. Et ſanè ita factum eſt. ubi enim Canonicus ille noſter ſibi redditus eſt, & ſanitati; ſimul etiam redditus & priſtinæ libidini, ratus qui ſibi prius culpam remiſiſſet Deus, idem & ſecundò, & tertiò condonaret; ſed eum fefellit eventus, & ſpes illas inanes, atque inſanas intercidit irati Numinis juſtitia, quæ ſontem à tergo ſequitur, maximè verò recidivum: cùm enim primùm auſu inſolente lupanar ingreſſus eſſet explendæ ſcilicet libidini, deinde & domum alterius Canonici, ad pocula, ad ſaginam, derepentè corruere tecta, corruit & propè ædes tota, cæteriſque (quaſi miraculo) illæſis, ille unicus graviore ruinâ oppreſſus, quia ſcilicet Cœlo judice ſolus ille reus: adeò verum illud etiam authoris prophani. *Raro antecedentem ſceleſtum deſeruit pede pœna claudo*: Sceleſtum dico; ſed potiſſimùm recidivum.

Exemplum aliud habes, vetus quidem; ſed ad *Lib. 4. Dialog. c. 32.* terrorem illuſtre, cujus meminit S. Gregorius Pont. Max. In Provincia Valeriæ, civis erat nobili familia prognatus, is Sabbatho ſancto, quo de more primitiva Eccleſia catechumenos, ad ſacratiores Baptiſmi fontes, admittere ſolebat, puellam pri- *Secundum.* mo de fonte ſuſcepit, tum etiam in ædes ſuas reduxit, ut eam ſacris myſteriis erudiret, imbueretque moribus Chriſtianis, zelo quidem optimo; ſed qui mox in amores impudicos degeneravit, inſtigante malo genio, & concupiſcentia ſua illectus: primùm in oſcula, tum in vetitos amplexus, denique in ſtuprum cum illa conſenſit.

Vix ejus ſceleris reus erat, cùm ecce illius horror eum ſtatim invaſit, tum etiam timor impendentis divinæ ultionis: hi nimirum ſunt peccati fœtus, timor, horror, ſynderesis, qua extimulante urgeri ſe ſenſit, ut Dominica die, quæ erat Reſurrectioni ſolemnis, templum adiret, & commiſſum facinus in confeſſarii aurea deponeret, excuteretque, quo gravabatur onus conſcientiæ: ſed ô grande malum, pudor, & nimius timor! dum eo corripitur, egre-
ditur

Digitized by Google

ditur templo pavidus ac contremiſcens totus: & hic primus illi dies fuit dilatæ pœnitentiæ; cui ſucceſſit ſecundus, quo etiam ad templum venit, ex illo mox ſe proripuit minus tamen pavidus, ac tremens, remiſſus enim ſpatio temporis ille metus, & ille horror: illuxit deinde & dies tertius, quo etiam templum ſubingreſſus; ſed ut rebatur omni propè timore vacuus: ita nimirum lapſu dierum trium lenteſcebat, & remittebatur ſalubris ille metus, ſalubris & horror patrati criminis, quo ſanè depoſito, ſecurus ſibi videbatur: ceſſabat enim domeſticus ille hoſtis, & illi adnata Syndereſis, ſtimulique ſauciæ conſcientiæ; ceſſabat & horror impendentis cæleſtis vindictæ: credebat enim, quaſi placatius ſibi Numen, vel ex eo quod tribus diebus manum ultricem ſuſtinuiſſet; unde & rebatur, quòd etiam ad annos ſuſtineret; ſed omninò ſecus accidit: nec enim diu dilata tanti ſceleris ultio, die quippe ſeptimo, ſubitâ atque inopinatâ morte, ſublatus concidit, futurus æternùm victima nil miſerantis orci: adeò grave malum eſt dilata pœnitentia.

Inexpectatum adeò fatum ac funus viri nobilis terrori fuit atque ſtupori toti Civitati; ſed vel maximè, quando ſpectantibus atque attonitis omnibus, è feretro ac cadavere illo, viſæ ſunt erumpere flammæ, in globus veluti denſatæ, tum etiam ex illis ipſis globis veluti auditus fragor, qualis fere à tonitru, denique cum reſerato feretro, refixiſque clavis, cadaver ipſum apparuit penitus abſumptum à flammis illis vindicibus: tum enim omnes occupavit timor, & horror judiciorum Dei. & pœnarum, quas etiam in hac aura mortali infligit juſta irati Numinis dextra, qua ſcilicet infame putidumque cadaver ita redactum erat in cineres, ot ne corporis quidem veſtigium ullum appareret.

Habes in hoc uno, AMICE LECTOR, ſpeculum impœnitentis animæ, habes & exemplum divinæ ultionis in recidivo, habes & quàm multis noxia vox illa corvina *Cras*, *Cras*, *Cras* habes denique quàm multos deceperit vox illa Sampſonis. *Egrediar ut ante feci, & me excutiam, neſciens quod ab eo receſſiſſet Dominus.*

Jud. c. 16. v. 20. Gazam venerat Sampſon, primò meretricis illectus amoribus; deinde vel unius Dalilæ captus illecebris in ipſius ſinu non ſemel indormierat, tandemque ei reſerârat in quo tandem eſſet prodigioſa illa fortitudo, cujus amiſſæ jàm neſcius, cùm ſenſiſſet irruere in ſe Philiſtæos, conſurgens à ſomno, dixit in animo ſuo. *Egrediar ut ante feci, & me excutiam, neſciens quòd receſſiſſet ab eo Dominus.* Quid inde? Primùm oculis orbatus, deinde catenis vinctus, denique clauſus in carcere & molere coactus.

En quæ illi pœna recidivæ. Quod Sampſoni, hoc & tibi quiſquis es recidivus. Jactas cum eo audax illud ac temerarium: *Egrediar, ut ante feci, neſciens quòd à te receſſerit Dominus.* Receſſerit & gratiæ vis, ac fortitudo receſſerint & auxilia efficacia domandis hoſtibus tuis, id eſt paſſionibus ac vitiis: in ea porrò reincidis, & Cœlo vindice orbaris oculis & divinarum rerum intelligentiâ: deinde vinciris catenis, hoc eſt concatenata conſuetudine vitiorum: tum etiam carcere clauderis, & tuâ quaſi privaris libertate, vile peccati mancipium: denique unà cum dæmonibus, hoſtibus utique tuis, eâdem ruinâ obrueris.

En quæ tibi pœna recidivæ, longè major eâ, quæ Sampſoni fuit: hæc enim corpus dumtaxat oppreſſit, & quidem tantùm in hoc ævo breviore; at illa animam opprimet, perdetque in tota quanta erit æternitate.

Et ſanè juſto Dei vindicis judicio, quod ne tibi videatur ab illius clementia alienum, accipe ex Tertulliano ejus rationes & cauſas. Cauſæ cur recidivus gravius puniatur.

Prima hæc eſt Dei contemptus, quem prodit relapſus in peccatum.

Deſpicit u Deum, qui bonorum ac malorum intellectum ab illo conſecutus, quod intelligit fugiendum, quodq; jam fugit reſumens intellectui ſuo, id eſt Dei dono, contumeliam facit, reſpuit datorem, cùm datum deſerit; negat beneficium, cùm beneficium non honorat. Lib. de Pœnitentia, c. 5.

Secunda eſt enormis quædam atque immanis ingratitudo, quam incurrit recidivus.

In Dominum, inquit, *non modò contumax; ſed etiam ingratus apparet.*

Tertia eſt exhilaratio dæmonis, jurati hoſtis divini nominis.

Non leviter in Dominum peccat, inquit *qui cum æmulo ejus diabolo, pœnitentia renuntiaſſet, & hoc nomine illum Deo ſubjeciſſet, rurſus eundem regreſſu ſuo erigit, & exultationem ejus ſe ipſum facit, ut denuò malus, recuperatà prædà ſuâ, adversùs Dominum gaudeat.*

Quarta eſt illa, quòd diabolum Deo ipſi anteponit, quæ immanis eſt injuria, quam ſic exponit ille ipſe Tertullianus: ſic enim quærit.

Nonne diabolum Deo præponit? Comparationem enim videtur egiſſe, qui utrumque cognoverit, & judicato pronuntiaſſe eum meliorem, cujus ſe rurſum eſſe maluerit. Ita qui per delictorum pœnitentiam inſtituerat Domino ſatisfacere, diabolo per aliam pœnitentiæ pœnitentiam ſatisfaciet, eritq; tantò peroſus Deo, quantò æmulo ejus acceptus. Hactenus Tertullianus, quo cum finio: plura qui volet, conſultat ea, quæ fuſiùs deduxi Tomo Sexto, Tractatu de recidiva.

HEBDOMADA SECUNDA
QUADRAGESIMÆ.

De Dominica ſecunda Quadrageſimæ, vide quæ dixi Tom. I. in Dominicas totius Anni, hic non repeto, ne actum agam, deſcendo ad Ferias ejuſdem Hebdomadæ.

FERIA

FERIA SECUNDA
HEBDOMADÆ SECUNDÆ QUADRAGESIMÆ.

CUM videret CHRISTUS Iudæos apprimè intellexiſſe, quæ docebat, & tamen adhuc nolle credere; imò quod deterius erat, in eum odio ferventiori exardeſcere, & tumere invidia, hæc ad illos:

Ego vado, & quæretis me, & in peccato veſtro moriemini. Joan. c. 8. v. 21. Paucula verba, ſed multæ & atroces minæ, ſed & fatales, quarum primæ exprimuntur his voculis: *Ego vado* ad Patrem, ſcilicet per Mortem & Reſurrectionem & Aſcenſionem meam: ſum quidem morti proximus, & receſſui meo ad Patrem; ſed quia ego volo efficietis jam jam quod deſideratis, ſed nonniſi me volente ac permittente: *Et quæretis me*, hoc eſt, me negato & repulſo, quem præſentem habetis, quæretis & expectabitis, quaſi venturum, qui jam venit, quod nihil aliud eſt, quàm errare, & in falſos Chriſtos loco veri CHRISTI credere, *in peccato veſtro moriemini*: in peccato, inquam, incredulitatis, atque erroris, atque etiam in aliis omnibus peccatis, quæ ſine fide in me remitti non poſſunt. Et hæ in Iudæos jactæ ſunt alteræ minæ, eæque graviſſimæ: nihil enim gravius hac in vita accidere poteſt, quàm in peccato mori, quod quia ſummi eſt momenti, longior & fuſior exponet oratio: hic inſinuaſſe ſatis: *Ego vado, & quò ego vado, non poteſtis venire:* Vado enim ad Patrem, ad quem vos venire non poteſtis, quia non ingredimini viam quæ ad illum ducit, viam ſcilicet fidei, & credulitatis; ſed potius contrà infidelitatis atque erroris. Et hæc ſumma hodierni Evangelii.

QUÆSTIO PRIMA
LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Dixit ergo iterum eis IESVS: Ego vado & quæretis me.* Joan. cap. 8. v. 21.

CVR ET VNDE DIXIT EIS IESVS ITERVM?
Et quid illud: Ego vado, & quæretis me? *& quomodo quærent?*

AUDIERANT Phariſæi turbam tumultuantem, multa de JESU ſubmurmurantem, audierant & Principes Sacerdotum, miſerantque miniſtros, ut cõprehenderent JESUM, quaſi ſeductorem populi; ut eorum adventum, ejuſque cauſas noſſe ſe oſtenderet.

Math. c. 7. verſ. 33. Dixit eis JESUS: *Adhuc modicum tempus vobiſcum ſum*; modicum tempus appellat, quod ſcilicet intercedebat à feſto Tabernaculorum, quod celebrabatur in Septembri, uſque ad Paſcha, ſub cujus ſcilicet tempus iturus erat ad Patrem: iturus, inquam, per Mortem, Reſurrectionem & Aſcenſionem ſuam. Adhuc modicum tempus, inquit Cyrillus, quaſi diceret miniſtris & famulis illis Principum: *Non diu veſtris heris moleſtus ero, quia mihi moleſta cum hominibus mora, aufugiam ab impiis; aufugiam, inquam, per Reſurrectionem & Aſcenſionem, ad eum, qui miſit me.*

Fruſtra igitur in me impietatis gladium exacuiſtis, cohibete invidentia telum, quod ad nihilum recidet, morti vitam non ſubjicietis, reſurgam ad eum, qui me miſit, aſcendam in Cœlum; veſtra nequitia accuſationem apud Angelos in homines pro me ferent.

Hi enim redeuntem admirabuntur, illi procedentes obviam interrogabunt: Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum? Quid ſunt plagæ? Ego verò reſpondebo, his plagatus in domo dilecti mei.

Et hæc interprete D. Cyrillo dixit JESUS miniſtris illis Principum, Sacerdotum, qui ab iis ſubmiſſi erant ut in eum manus injicerent, & vincula, quæ deinde repetit & Phariſæis, & principibus ſacerdotum, dum ſic etiam ad illos. *Ego vado & quæretis me.* Cap. 8 v. 21. *Vado*, inquam, ad mortem, non coactè, ſed ſpontaneè; non neceſſitate, ſed voluntate; non invidia & malevolentia veſtra, ſed mea caritate, ut vos vita meliore donem, mea morte: vitâ inquam gratiæ primùm, dein & gloriæ, ſi

modo ii ſitia, qui debetts.

Sed cur, inquies, *dixit eis iterum* IESVS: *Ego vado?* Hic eſt nodus Quæſtionis, qui mihi ſolvendua erit: ueque enim temerè, aut caſu, aut levitate, aliqua, lapſuque calami Evangeliſta injecit eam. voculam: *Iterum*; ſed deſtinato Dei conſilio, ac providentia ſingulari, qua & mortem ſuam ſignat, & Reſurrectionem, & Aſcenſionem ſuam.

Ut enim D. Auguſtinus ad illa Chriſti verba: *Ego vado. Chriſto mors profectio fuit, quia in illa non manſit, ſed per illam profectus eſt in Cœlum, ad vitam immortalem. Et hinc illis iterum dixit, ego vado.* Sed cur iterum?

Cur Iterũ? Eſt ille ludua amabilis divinæ providentiæ, ut ſi qua Orbi impendentia ſint mala, de iis mortalea præmoneat, ut dum licet caveant, ſibique proſpiciant.

Ut præmoneat de futuris malis. Ita in diluvio. Ita cùm terras aquis tegere, atque immani diluvio obruere voluit, de illis imminentibus Noëmum, admonuit, juſſitque ut ſibi & reliquiis humani generis extrueret arcam, in qua & hæ, & ipſe ſalvus eſſet. Tenuit autem ea arcæ fabrica annos viginti ſupra centum, & interea temporis Noëmua, quem juſtitiæ præconem nominavit Petrus, de imminente

2 Pet. c. 2 v. 5. Dei vindicta, déque illa aquarum eluvie mortalea commoneſacere non deſtitit, & quidem eò uſque, ut hi quaſi pertæſi tot monitionum, tot & minarum, illam ipſam arcam, quam uſurpabant oculis, & cujus fabricam demirabantur, veluti per deriſum, appellarent *Dei pœnitentiam.*

Ita cum Pharaone. Ita cùm Pharaonem, rebelle Cœlo caput, aliis atque aliis plagis affligere voluit, ſemper & præmonitum voluit. Sic enim ad illum modò: Cras

Exod. c. 8. v. 10. erit ſignum iſtud, modò illis: *Cras faciet Dominus verbum iſtud in terra.* En pluam cras hac ipſa hora

Exod. c. 9. v. 15. grandinem *multam nimis.*

Ita cùm Sodomitas impudicitiæ monſtra, igne

Ita cum Sodomitis. punire, ac perdere voluit. & Abrahamum, & Lothum de ſuis illis conſiliis monitos voluit, ut & ipſi ab illis præmonerentur.

Pſal. 104. v. 16. Ita cùm vocavit famem ſuper terram, ut ea Ægyptum conſumeret totam, prius Joſephum in una

Ita cum Ægyptiis. ſomni imagine edoctum voluit, ut de ea imminente, & Pharaonem ipſum, & populum edoceret.

Ita denique (ne antiquiora illa omnia conſecter)

Ita cum Ninivitis. cum Ninivitarum ſceleribus fatigatus Deus in eos gravius animadvertere decrevit, de eò ipſo impendente ſupplicio ſic ad Jonam:

Adhuc quadraginta dies, & Ninive ſubvertetur. Et licet Jonas diverticula quæſiverit, & navem, & tranſmiſerit in Tharſum, expectavit nihilominus Dei patientia donec à tempeſtate, & ceti ſepulchro domum rediret, & iterum juſſus, properaret in Niniven, intonaretque formidandum illud urbe tota: *Adhuc quadraginta dies, & Ninive ſubvertetur.*

Ita cum Judæis. Quod illis olim indulgens & patiens Numen, hoc in argumento, quod mihi eſt in manibus feciſſe auditus eſt Chriſtus, cùm ſic ad Phariſæos: *Ego vado & quæretis me*; ac deinde quæretis me, non invenietis, de quo cùm præmonitos voluit, dixit, *Iterum*, & meritò, quia quærere futurum Meſſiam præſentem cùm habeas, ſumma eſt cœcitas, ſumma & dementia, & non invenire ſumma miſeria, ſummumque malum, quod prius quàm eveniret præmonuit JESUS. Quod & in eo ſummæ bonitatis fuit, ſummæ & miſerationis: ut enim punire nocentem eſt Juſtitiæ: ita præmovere ut caveat, ut ſibi conſulat, eſt clementiæ, eſt miſericordiæ. Dic enim, amabo te, mi LECTOR, ut ab humanis ad divina gradum faciam,

Sit Rex unus aliquis, ſit Præſes, ſit Judex, qui reum criminis jam convictum comprehendere meditetur, atque in vincula conjicere, capitéque plectere, prius tamen vocato ſecretario per litteras etiam ſecundas moneat ut ſe domo ſubducat, ſe ponat in tuto: ſi nihilominus ille & domi maneat, & aleâ chartiſque luſoriis diem fallat & noctem; imò ſe aliis atque aliis flagitiis oneret, Regi ſuo rebellis ac perfidus.

Quid de illo homine dices? Quid de Rege? hoc profectò. Regem in eum ſummæ fuiſſe clementiæ, & reum illum pervicaciæ ſummæ, ſummæ & dementiæ ac perfidiæ. Quod de Rege illo dixeris, quodque de eo pronuntiaris, hoc de Chriſto, hoc & de Phariſæis, quos iterum iterumque præmonuit Servator Optimus.

Et hæc paucia occaſione illius voculæ *iterum*, quam injecit D. Joannes Evangeliſta, qui Chriſto fuit à ſecretis, atque amoribus.

Venio ad illas voculas, *Ego vado*, hoc eſt vos Ego vado. deſero: quod quantum ſit malum, à ſimili collige. quid illud?

In montem aſcenderat Moyſes cum Deo ter Opt. ter Max. collocuturus, interea verò temporis eò dementiæ ac furoris elapſus eſt populus, ut vitulum ſibi conflârit aureum, eumque adorârit: quod ſcelus Moyſes ſuperlativo appellavit *peccatum maximum.* Pro eo ad Deum ſupplex venit Moyſes, & veniam impetravit; veruntamen illud rebelli populo indici vetuit, Inducam quidem eum in terram fluentem lac & mel, imò & mittam ei præcurſorem Angelum, immittamque Chananæum, & Amorrhæum, & Hevæum, & Jebuſæum: tamen *non aſcendam tecum,* Exod c. 33.
quia populus duræ cervicis es. Quid inde? Audiens v. 5.
populus ſermonem hunc peſſimum, luxit, & nullus ex more indutus eſt cultu ſuo.

Videri poterat divinæ miſerationis argumentum, & indicium ſingularis beneficentiæ. Primùm in eo quod vice ſui ei demitteret è Cœli regia Angelum: deinde quòd emitteret, ſuiſque de ſedibus expelleret Chananæum, Amorrhæum & Jebuſæum, timendos ſanè populos, & dira capita: attamen id beneficii, quantum, quantum videri potuit, aut perexiguum, aut propè nullum viſum eſt præ illo malo, quod Deus cum illo non aſcenderet, hoc eſt quod eos defereret, & ab eo quodammodò abiret: tantum nempe malum eſt, vel abire à ſummo bono, vel ab aliquo abire ſummum bonum.

Quod ſi ita eſt, uti ex vero eſt, quod & quantum malum Phariſæis fuit indicatum iis voculis, *Ego vado*, id eſt vos deſero, & à vobis abeo: ego Meſſias veſter, qui Chriſtus, id eſt unctus Domini, qui Deus veſter, qui & ſummum bonum, ego à vobis abeo: abeunte autem ſummo bono, quid aliud reſtat, niſi ſummum malum?

Iſraëli in frugibus & opibus laſcivienti, Deoſque Gentium, quaſi earum largitores eſſent, colenti, alia atque alia ſupplicia minatur vindex Deus, famem, peſtem, captivitatem, exilia, filiorum cædes, & civium ſuorum ſtrages, & cùm longam eorum ſeriem retexuit, quaſi pro coronide, & malorum omnium ſummo adjicit, quod ab eo recederet; & ſic Oſee calamo:

Sed & væ eis cùm receſſero ab eis. In aliis non appo- Cap 9 v. 12.
nit in fronte horrendum & minax illud: *Væ*; ſed in hoc uno: *Væ eis cùm receſſero ab eis.*

Minatus erat eis, primò quod ſobolem impediret, ne naſceretur; ſecundò, quod natum occideret; tertiò, omnimodam deſolationem, & vaſtitatem; ad extremum appendit illud: *Væ eis cùm receſſero ab eis*; id eſt cùm eos orbabo, non ſolùm filiis; ſed & mea cura atque providentia, & ſi velis in Chriſto etiam præſentia, qua privandos Phariſæos premonet Servator optimus, cùm ait: *Ego vado*; hoc eſt vos deſero; quod ſanè illis fuit pro ſummo malo; è contra eum ſemper habere ſecum, erat pro ſummo bono.

Deſeri à Deo quantum malum?

Ea porrò veritas etiam vel ſolo naturæ lumine nota, ac probata, ſic invaluit apud Gentiles, ut

Deos

Digitized by Google

Deos ſuos ſatagerent nunquam non habere præſentes. Hinc ne aliquando abeſſe contingeret, eos aut clavis configebant, aut catenis illigabant, aut pedicis conſtringebant, aut variis ferreis vinculis incluſos cuſtodiebant.

Ut custodiendus Deus.

Ita teſte Alexandro ab Alexandro fecere Tyri, ac Lacedæmonii, & hoc quidem edocti à celebri illo ſuo legiſlatore Lycurgo.

Perſuadebant nimirum ſibi, Deos à ſe abeſſe ſummum malum, & adeſſe ſummum bonum. Quod utinam de Deo, déque Homine-Deo ſibi perſuaſiſſent Phariſæi, utinam & perſuaderent in præſentia Chriſtiani, non tam facile illi à Chriſto abiiſſent, neque hi tam facile à Deo, neque aut Chriſtus ab illis abiiſſet, neque ab his Deus abiret; ſed proh dolor! ut Phariſæi à Chriſto abierunt ſua incredulitate, ſic & Chriſtiani à Deo ſceleribus ſuis, ac depravata vitâ diſcedunt.

Sed ne longiùs, expendamus illud Chriſti ad Phariſæos, *Quæretis me:* & attendamus, qui & quàm varii ſint, qui Chriſtum quærunt, & quàm pauci, qui inveniunt.

Quæretis me quid illud?

Sunt qui Chriſtum quærunt, ut eum è medio tollant, ut occidant: ita quæſiere Judæi, etiam à morte, etiam à reſurrectione, ut ſi minus eum tunc non poſſent occidere, & tollere, ſaltem illius nomen famam, ac religionem è mundo tollerent. Ita quæſiere jam inde a naſcente Eccleſia Tyranni, & hujus perſecutores, & ita hoc quo vivimus ævo quærunt hæretici.

Deus quomodo quærendus.

Alii ſunt qui Chriſtum quærunt, non propter Chriſtum, ſed propter Lazarum: ita quæſierunt olim Judæi, quos ut ait D. Auguſtinus, *Curioſitas adduxit, non caritas.* Curioſitas inquam, ut ex eo audirent ubi fuiſſet à morte, quid vidiſſet, quid egiſſet. Et ita hac qua ſpiramus ætate, in Eccleſia Dei multi Chriſtum quærunt in ſtatu Eccleſiaſtico, non ut illi ſerviant: ſed ut lautius vivant, ut impinguentur opimis beneficiis, ut in honore ſint, & hominum æſtimatione, ut in otio vitam omnem exigant. Hi Chriſtum quærunt, non propter Chriſtum, ſed propter Lazarum.

Sunt alii qui Chriſtum quærunt pura penitus intentione, & propter ipſummet. Ita quæſivit olim Apoſtolus, cujus hoc effatum nobile. *Vivo, jam non ego, vivit verò in me Chriſtus:* ac ſi diceret, inquit D. Bernardus. *Ad alia quidem omnia mortuus ſum, non ſentio, non attendo, non curo: ſi qua vero ſunt Chriſti: hæc me vivum inveniunt & paratum; nam ſi aliud non poſſum, ſaltem ſentio, placet quod ad ejus honorem fieri video, diſplicent quæ aliter fiunt. imo vivo, non tam ego, quam Chriſtus in me.*

Cap. 2. ad Galat. v. 20.

Serm. 7. in Quadragesima.

Quod Apoſtolus, hoc & D. Gregorius Nazianzenus, cujus hoc placitum. *Tibi vivo Chriſte, tibi loquor, tibi incedo, tibi ſedeo.*

QUÆSTIO SECUNDA
THEOLOGICA ET MORALIS.
Ad illa verba: *Quò ego vado, vos non poteſtis venire.* Jo. c. 8. v. 22.

CUR NON POTESTIS? AN QUIA EOS DESERUERUNT BONI genii, futuri utique ad Cœlum duces? An quia eos prior deſeruit ipſe CHRISTUS, *qui Cœlos aperire debuit?*

MERITO Phariſæis edixit Chriſtus, *quò ego vado, vos non poteſtis venire,* quia ego in Cœlos vado, vos in tartara. At cur hoc? cur non & ipſi in Cœlos ire potuerunt unà cum Chriſto? Hic eſt nodus quæſtionis involutus eâ voculâ: *Non poteſtis.* At rurſum cur ita? Non ſine gravi luctu & triſti nænia de Judæa pronuntiavit illud Jeremias: *Egreſſus eſt a filia Sion omnis decor ejus,* quia egreſſus eſt ab illa Chriſtus, egreſſi & boni Genii, à quibus omnis illi decor, omnis & gratia.

Thren. 1. v. 6.

Joſepho teſte poſt Chriſti Paſſionem, priuſquam Imperatores Titus & Veſpaſianus ſuos Solymæ exercitus admoverent, porta Templi interior ære fuſa, adeoque gravis, ut ad illam vertendam, aperiendam aut claudendam, requirerentur ut minimum viginti viri, quot noctibus, nullo penitus manum admovente reſerabatur, deque intimis templi adytis audiebantur voces quaſi invicem colloquentium & dicentium, *Migremus hinc.*

Lib. 7. de bello Judaic. c. 32.

Angeli templo egreſſi.

Quod prodigium adeò tritum & vulgare fuit, ut ad ipſos Scriptores etiam Gentiles, emanârit illius fama, ut videre eſt apud *Tacitum,* quo teſte apertis Templi valvis, auditus eſt ingens ſtrepitus, veluti ſi per eas procederent numeroſæ militum turmæ, & integræ acies etiam catervatim de Templo excederent: *Tanquam Deorum excedentium,* inquit Tacitus, loquitur Gentilium more, modoque, qui plures Deos colebant.

Lib. 5 c. 3.

Nos chriſtianè dicemus, *Tanquam Angelorum excedentium:* ex vero enim erant *Tutelares Angeli,* qui Solymæ ſceleribus fatigati, excedebant è templo, & Solymæ finibus univerſis, ne ſcilicet illius ruinæ teſtes eſſe cogerentur: ita nimirùm cœleſtes illæ, ſupremæque Cœlorum Intelligentiæ, impia illa tecta deſerebant, poſtquam eorum Rex, ac Dominus Chriſtus ea deſeruerat, non tamen ideò de illis protulit timendum illud:

Non poteſtis, unde ergo? an quia ea deſeruerat ipſe Chriſtus? neque illud.

D. Auguſtinus pro ea qua ſolet eſſe arduæ mentis ſolertis, injicit hanc quæſtionem, uter priùs alterum deſerat, Deus peccatorem, an peccator Deum? Et reſpondet quòd nunquam abeat, nec per gratiam deſerat peccatorem; niſi priùs à Deo abierit peccator, cumque per noxam lethalem deſeruerit, quod oſtendit in primo parente, de quo & hoc ponitur in fronte illius capitis. *Quòd Adam peccans, priùs reliquerit Deum, quàm relinqueretur à Deo. In eo enim quod ait, quâ die ederitis ex illo, morte moriemini; tanquam diceret, quâ die me deſerueritis per inobedientiam, deſeram vos per juſtitiam,* ex quo & liquet illud:

Lib. 13. de Civit. c. 15.

Deus non deſerit niſi prius deſeratur.

Quod ad malum Adæ prior fuerit voluntas ejus: ad bonum verò ejus prior voluntas creatoris ejus

D. Auguſtino conſentit D. Bernardus, cujus & hoc pronuntiatum de Deo ter Opt. *Fidelis ſocius eſt, nec deſerit ſperantes in ſe, niſi ipſe prior deſeratur.*

In Medit. c. 7.

Quod ipſum deinde diſertis verbis docuit Tridentinum Concilium, cujus extat hoc Decretum:

Nunquam Deus deſerit hominem, niſi priùs ab homine deſeratur; cujus exemplum habemus in Rege Aſa, & populo Judæorum univerſo, ad quem ſic Propheta

Seſſ. 6 c. 11.

pheta Azarias, ipſo Dei juſſu atque mandato.

2. Paralip. c. 15. v. 2. *Audite Aſa, & omnis domus Iuda, & Benjamin. Dominus vobiſcum, quia fuiſtis cum eo: ſi quæſieritis eum, invenietis; ſi autem dereliqueritis eum, derelinquet vos.*

Quod ipſum Moyſes oſtenſum aliquandò voluit toti Judæorum populo: cùm enim eò ſeſe perfidiæ inclinaſſet, ut pronus accideret vitulo aureo, eumque ſupplex adoraret, deſcendens è monte Moſes.

Exod. c. 33. v. 7. *Tollens tabernaculum, tetendit extrà caſtra procul.*

Erat tabernaculum veluti Dei ſedes, cui inſidebat, & in quo veluti præſens erat in medio populi, ubi verò hic peccavit, ubi ſibi conflavit vitulum aureum, eique divinos honores attribuit, ſicque à Deo ſuo abiit, non greſſu corporis, ſed mentis errore atque inſaniâ; tum & ab illo quoque abiit Deus & procul receſſit extrà caſtra, unà cum Tabernaculo, non abiturus unquam neque receſſurus, niſi prior ab eo populus per idololatriam abiiſſet atque receſſiſſet: maneat ergo indubitatum illud.

Deum non deſerere peccatorem, niſi prius ab illo deſeratur. Ex quo propoſitæ ſolutio quæſtioni fiet ſatis, cur ſcilicet Chriſtus ſic aliquando ad Phariſæos. *Quò ego vado, vos non poteſtis venire*: non poteſtis enim verò, quia non vultis: *Ego quidem vado*, hoc eſt ego vos deſero; ſed quia vos ipſi me deſeruiſtis prius.

QUÆSTIO TERTIA
LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *In peccato veſtro moriemini.* Joan. cap. 8. v. 21.

QUID IMPORTET PRÆPOSITIO IN?
Quæ in peccato mors, & unde?

Particula *In.*

HÆc præpoſitio *In*, duobus modis accipi poteſt. Uno quidem ut indicet, concomitantiâ peccati & mortis. Altero ut cauſalis ſit, idemque ſit mori in peccato, atque mori propter peccatum. At quænam illa mors, vel in peccato, vel à peccato? & unde tam hæc, quàm illa?

Gen. c. 2. v. 17.

D. Auguſtinus in illa Dei ad primum hominem verba. *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris.* Non eſt dictum, inquit, *mortibus, ut eam ſolam intelligamus, quæ fit cùm anima deſeritur ſuâ vitâ, quod illi Deus eſt, cui deinde acceſſit mors altera, de quâ Deus peccatum adhuc puniens, homini dixit: Terra es, & in terram ibis.*

Mors à peccato duplex

Itaque Interprete D. Auguſtino mors homini duplex fuit. Una animæ, cùm ſcilicet eam deſeruit Deus, qui illi erat vita; altera cùm anima corpus deſeret, & hæc ſecunda Adamo mors fuit, illa verò prima, quæ eſt à peccato, vel in peccato, & de hac illæ Chriſti minæ ad Phariſæos. *In peccato veſtro moriemini*: Et hanc mortem Deus nec fecit, nec facere potuit: illam verò, quæ eſt corporis & à qua corpus in terram abit mœſtoſque cineres, Deus, inquam, ſcelerum vindex facere potuit, non tamen per ſe; ſed per accidens, non volens, ſed nolens: fecit enim eam non ut creaturam, v. g. hominem vel Angelum; ſed ut creaturæ recalcitrantis ſupplicium: ut enim

Lib. 1. ad Nonimum c. 19.

S. Fulgentius: *Illius rei Deus ultor eſt, cujus non eſt author.* Et hoc ipſum eſt, quod olim cecinit Sapiens: *Quoniam Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum.* Creavit enim ut eſſent omnia, vel ut in Græco legitur, creavit omnia ad eſſe, ut eſſent illa, non ut deſtrueret: Quis enim artifex id fecerit?

Mortem non fecit Deus.

Quis hortulanus adeò mente captus eſt, qui plantat arbores, ut eradicet?

Quis ſculptor, aut pictor, ſtatuam aut imaginem efformat, ut eandem vel in partes diffindat, vel obliteret atque deleat?

Quis faber cœmentarius domum erigit; palatium extruit, ut deſtruat illam, & hoc evertat æquetque ſolo? Certè omninò nullus.

Quod ſi ita eſt etiam in humanis, multò magis id verum in divinis, in Deo ter Opt. ter Max., in Deo ſupremo rerum omnium Conditore atque Artifice, ea, quæ condidit, condidit ut eſſent quantum eorum natura pateretur; non condidit, non erexit, ut everteret: imò ea ſic condidit, ut in iis ſeſe oblectaret: ut enim Pſaltes Regius, *Lætabitur Dominus in operibus ſuis.* Pſal. 103. v. 31.

Quod ſi verum eſt in aliis omnibus Dei operibus, maximè verò in hominis anima, quam creavit ut viveret: & quidem primò vitâ gratiæ, dein & vitâ gloriæ: & hanc & illam dum ſuſpicit & amat David, Deo ceu Authori ſuo gratias agit, quas poteſt; imò & alios omnes in gratiarum actiones evocat. *Benedicite*, inquit, *gentes Deum noſtrum, qui poſuit animam meam ad vitam*: ad vitam, inquit, non mortalem illam, non eam, quæ plantis, quæ animalibus communis eſt; ſed eam, quæ Angelis propria, quæ & Beatis. Pſal. 65. v. 8.

Et hinc Sapiens ubi dixit: *Deus mortem non fecit*, illicò ſubdit, *ſanabiles fecit nationes*, vel ut alii legunt, *generationes*, quæ ſcilicet à Deo primitùs genitæ eſſent ſalutiferæ.

Et hinc Vatablus legit initia mundi ſalutifera: quidquid enim in ipſius mundi cunis condidit Deus, id omne ſalubre fuit, atque in hominis ſalutem ac bonum vergere potuit ac debuit: Terra quidem, ut hominem ſuſtineret, ac germen ederet ac plantas: Aqua, ut eum refrigeraret: Aër, ut ab eo reſpiraret: Ignis, ut arceret frigus, & acutum gelu temperaret. Cœlum, ut in eum effunderet ſuas influentias: Sol, ut diem ei faceret & amœnum lucis jubar: Luna, ut noctem evigilaret: Animalia, ſeu aquatilia eſſe voles, ſeu terreſtria, ſeu etiam volatilia, ut eſſent ei pro cibo: univerſim creaturæ omnes in ejus uſum ac ſalutem: & hinc ſubjicit ille ipſe Sapiens, *Et non eſt illis medicamentum exterminii*: etſi enim & venena jam inde à mundi initio condidiſſet Deus; etſi etiam animalia venenata, non tamen ea homini nocuiſſent ante peccatum. Non equidem animalia, quia eorum dominium habuiſſet, non etiam venena, quia eorum notitiam perſpectam habuiſſet, accedente potiſſimùm ſingulari Dei protectione ac providentia. Neque etiam ipſi inferi nocuiſſent, aut mortem intuliſſent; addidit enim Sapiens: *Non eſt inferorum regnum in terra*: Infernus quippe, qui tormentorum locus eſt, mortiſque æternæ domicilium, non homini paratus eſt; ſed diabolo & angelis ejus: neque in terra locatus; ſed in illius centro, ut ab homine eſſet remotiſſimus: ex quo conficio, & morbos, & mortem, & inferos, & mala omnia, quæ homini obtingunt, ſeu in hac mortali vita, ſeu etiam in altera,

Deus ſalutifera omnia condidit.

Noxia nulla.

altera immortali, non fuiſſe à Deo; ſed ab unico peccato, per quod mors intravit in mundum, non intratura ſi ei portam non aperuiſſet. peccatum, ſi homo eam non accerſiſſet ſibi: quod dum agnoſcit ac deplorat Sapiens, ſic de impiis illis; impiis, inquam, & ſibi & Deo. Deo quidem, quia nec Deum agnoſcunt, nec timent, nec colunt: ſibi verò, quia ſponte ſibi tantum accerſunt mali, quod impietatis eſt genus. de quo ita Sapiens:

Impii autem manibus & verbis accerſierunt illam; ſcilicet mortem: *manibus* quidem agendo quàm peſſimè, verbis autem blaſphemias in Deum jaciendo, & contumelias in proximum, & defluxerunt in ſuas voluptates ad mortem atque interitum: defluxerunt, inquam, ad inſtar ceræ, quæ ad ignem liqueſcit tota.

Et ſic Phariſæi, impii quidem illi, atque efferi mortem ſibi accerſiverunt: Primùm *manibus*, lapides in eum ſemel aſſumendo, quibus Chriſtum impeterent, atque obruerent per ſummam injuſtitiam, atque immanitatem, tum etiam *verbis*, contumelias & blaſphemias in Chriſtum impudenti ore emittendo: eum vocitando, modò Samaritanum, modò dæmoniacum, modò blaſphemum, modò inclamando, atque in reluctantes auras injiciendo voces illas immanes, atque barbaras: *Tolle, tolle, crucifige eum*, ab invidia in Chriſtum *defluentes*, atque in modum ceræ, colliquati, colliquati dico etiam per frequentem peccandi conſuetudinem, à qua proruerunt in ipſam mortem, tum finalis impœnitentiæ, tum gehennæ, & inde audierunt illud à Chriſto, *In peccato veſtro moriemini*. Quod quàm horrendum ſit, oſtendet ea quæ ſequetur Quæſtio.

QUÆSTIO QUARTA MORALIS.

Ad eadem verba: *In peccato veſtro moriemini.*

QVAM TIMENDVM, ET HORRENDVM SIT in peccato mori?

HÆc præpoſitio, *In*, ut ſupra inſinuavimus, vel eſſe poteſt cauſalis, ut ſenſus ſit, *In peccato veſtro moriemini*, hoc eſt propter peccatum veſtrum moriemini: vel indicat concomitantiam, idémque eſt, quod mors
Mors in peccato duplex. vos exiſtentes in peccato apprehendet. Primum explicuimus Quæſtione ſuperiori, hoc autem, ea quæ jam eſt in manibus, pro qua, advertendum illud, duplicem in peccato mortem. Una cùm ſeparatur anima à corpore, eoque momento illius ſeparationis eſt in peccato lethali. Altera, quæ ex hac eſt conſequens, eſt gehennæ infernalis, æternique cruciatus, in quem delabitur anima cum corpore, delabitur ad inferos. De hac ita Jobus:
Cap 24. v. 19. *Vſque ad inferos peccatum illius.* Et hæc & illa mors eſt quàm peſſima.

Diſputarunt aliquando SS. Patres, Chryſoſtomus, Ambroſius, Auguſtinus, quæ mors eſſet bona, quæ & quærenda, atque laudanda: & è contrario, quæ mala, quæ declinanda, atque inprimis laudanda: in qua Quæſtione ſecernendum, ut vulgi judicium à ſapientis placito, ita mundi opinio à Dei calculo.

Utraque peſſima. Vulgi judicio mors illa cenſetur bona, quæ obvenit in patria ſede, in domo propria, in molli lectulo, inter amicorum ſolatia, inter conjugis oſcula, filiorum amplexus, in alta pace ac quiete, à naturâ ſenſim fatiſcente, ac deficiente.

Contra verò mors illa mala videtur, quæ in extero ſolo, in exilio, in ſolitudine, cáque avia, atque invia, cùm nullus eſt qui abiturientem ſpiritum excipiat, qui extrema libet oſcula.

Pejor verò illa, quæ ſiniſtro aliquo caſu contingit; puta, quæ fortuito incendio, quæ ruina domus, quæ tempeſtate, infami naufragio, aut quæ externa aliqua vi, qualis eſſet ab hoſte ferro peti, atque trucidari, quæ à feris devorari.

Peſſima denique illa, quæ à ſevero, juſto tamen judice decerneretur, atque infligeretur, uti eſt ea mors qua unus aliquis aut è furca ſuſpenditur, aut capite minuitur, aut in rota diſtenditur, aut alio quovis ſupplicio afficitur: hæc inquam mors mundi trutinâ peſſima creditur: Non eſt tamen ex vero peſſima: multi enim etiam rei, è patibulo ſcalas in Cœlos efficiunt, dum id genus ſupplicii pro ſuis criminibus æquo ferunt animo. Neque verò mors ex ſuo genere mala, ſed ex cauſa: alioquin enim illa mala eſſet D. Laurentii, mala & D. Apolloniæ mors, quæ ab igne accidit: mala & D. Ignatii quæ à leonis dente & morſibus: mala D. Petri, quæ à Cruce, mala D. Joannis Baptiſtæ, mala & D. Pauli quæ à ferro, mala S. Euphemiæ quæ ab epoto veneno, mala denique multorum Heroum qui in exilio inter calentes arenas, aut inter gelidos aquilones mortem invenerunt, & tamen, Cœlo judice, pretioſam atque optimam.

Quæ igitur bona mors? ea unica, quæ eſt in Quæ bona mors.
gratia. Quæ autem mala? ea etiam ſola, quæ eſt in peccato. Audiamus ipſius oratoris aurei verbis, Homil 66. in Geneſ.
& mutuata eloquentia. *Nullus miſerum dicat* eum qui in alieno ſolo vitam finivit, neque qui in ſolitudine ex hac vita decedit: neque enim ille dignus eſt, qui miſer dicatur; ſed qui in peccatis mortuus eſt, etiamſi ſuper lectum, etiamſi præſentibus omnibus amicis ſpiritum exhalaret.

Et ne mihi frigida illa verba, ridiculaque, & inſipientiæ plena dicat quis, quòd ille cane vilius mortuus eſt nullo familiarium præſente, neque ſepultura & funus ei contigerunt. Non eſt hoc cane ignominioſius mortuum eſſe, ſed ſi caret virtutis amictu ſe regente: Nam quod hoc non offendat juſtum virtute præditum, diſce quia plerique juſtorum, Prophetas dico, & Apoſtolos, ubi ſiti ſint, paucis exceptis ignoramus. Et alii quidem capite truncati ſunt, alii lapidati, alii aliis pœnis expoſiti, & ludibriis, pro pietate vitam finierunt: & nullus auſus eſt dicere, quod ignominioſa fuerit eorum mors: ſed cum ſacra Scriptura dicit: *Pretioſa eſt in conſpectu Domini*; ſi in terra aliena etſi ſuper pavimentum, imò & inter latrones, & etiam ſi à beſtiis devorentur, pretioſa mors ubi virtus adeſt.

Joannes nonne decollatus eſt? Stephanus lapidatus vitam finivit, Paulus capite truncatus, Petrus Crucifixus? Nonne eorum mortes per totum mundum celebrantur?

Et ſicut pretioſam Sanctorum mortem vocavit, ita dicitur, *mors peccatorum peſſima*. Etſi domi ſuæ

moriantur, & muliere, & filiis præſentibus & familiaribus, & notis aſtantibus, virtute autem careant, mala eorum *mors eſt.*

Hactenus orator aurens: cui addi velim D. Augu-
Quæ mala. ſtinum, qui diſertis verbis id ipſum generatim aſſerit; ſic enim, inquit,

Lib. 1. de civit. c. 11. *Mala mors putanda non eſt, quam bona vita præceſſerit; neque enim facit malam mortem, niſi quod ſequitur mortem.* Hæc ubi dixit, tum in Chriſtiana logica conficit illud.

Non itaque multum curandum eſt eis, qui neceſſario morituri ſunt, quid accidat, ut moriantur: ſed moriendo quò ire cogantur.

Hæc D. Auguſtinus, qui, ne verbis ſolis ſit fides, oculis obiicit & fideli memoriæ, hinc abiecti & pauperculi Lazari mortem, & inde divitis Epulonis. *Cum igitur*, inquit, Chriſtiani noverint longè meliorem fuiſſe religioſi pauperis mortē inter lingentium canum linguas, quàm impii divitis in purpura & byſſu, horrenda illa genera mortium, quid mortuis obfuerunt iis, qui benè vixerunt? omninò nihil: quod ut clarius pateat, compone, mi LECTOR, mortem Lazari cum ea quæ fuit Epulonis.

Lazari mors bona. Jacet Lazarus abjectus ad Epulonis extimas fores, pannoſus totus, ulceribus plenus, adeo lividus adeo famelicus, ut ne mica quidem panis, è divitis menſa decidua ei concederetur, quæ tamen ultro conceditur canibus; jacet, inquam, atque inter canum lingitus atque latratus exhalat animam.

Epulonis mala. Ex adverſo autem dives Epulo decumbit in molli ſtrato, purpura tegitur, & byſſo; atque inter aromata, unguentaque pretioſa, ſuavem expirat odorē; deliciis inſuper affluit totus, & quidquid Orient, quidquid & Occidens congeſſit edulii delicatioris, id omne ægro profunditur, neque ad potum deſunt vina Cretica, neque ſuavis ambroſia, neque amici, neque uxor, neque filii deſunt, neque Aulicorum turba ad ſolatium, neque medici ad ſanitatem. Et tamen ut ea ex voto ſuppetant omnia, hæc inter infelicem evomit animam.

En Lazari mors, en & divitis Epulonis: quod de hac, & illa mundi judicium? indubiè iſtud.

Bona mors Epulonis, Lazari è contrario mala: felix illa atque optanda, hæc autem infelix atque timenda: ſed quod de hac, & illa cœli judicium? quis & ſacræ Scripturæ calculus? excipe illius oraculò, & memori mente reconde.

Luc. c. 16. v. 22. *Factum eſt*, inquit, *Evangeliſta ut moreretur mendicus & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ.* En ultima vitæ periodus, en prima mortis ſcena, in janua beatæ æternitatis, quam mendico illi aperiunt Angeli, facti etiam illius animæ portitores: ſed quò? in ſinum Abrahæ, in Dei ſinum, in ſinum beatæ æternitatis.

Audiſti de Lazari morte cœli ſententiam, attende & de divitis Epulonis exitu, & hoc etiam ex ipſius veritatis oraculo.

Mortuus eſt dives, & ſepultus eſt in inferno. Quid abjectius? quid infelicius? quid acerbius? quid durius? quid ad malorum omnium cumulum abundantius? certè nihil omninò: adeò verum & illud, *Mors peccatorum peſſima*, uti contrà, *pretioſa juſtorum*, inquit D. Bernardus, pretioſa planè, *tanquam finis laborum, tanquam victoriæ conſummatio, tanquam vitæ janua, & perfectæ ſecuritatis ingreſſus*; addo ego & beatæ æternitatis aditus.

Jactavit ſtulta antiquitas & inſolens Judæorum natio, Herodis obitum, & funus, & funeris pompam, & ſepulchri lumina; illius, inquam, Herodis qui ut Chriſtum in cunis adhuc vagientem extingueret, atque ſuffocaret, tot innocentes neci dedit & tumulo. De illius funeratione ſic Flavius Joſephus. Herodis mors & funus.

Poſt hæc funus parabatur Regi, & exequiæ quàm ſplendidiſſimæ Archelao curante, & omnem ornatum proferente, ut in pompa comitaretur mortuum: ferebatur autem in lectica aurea diſtincta variis gemmis pretioſis, & inſtrata purpura: corpus quoque amictum erat purpura, impoſito Capiti diademate, & deſuper corona aurea, ſceptroque in manu dextra. Lecticam ſtipabant filii, & cognatorum numerus. Hos ſequebantur milites diſtributi per nationum genera. Primum ſatellites, deinde Thraces, poſt hos Germani, & deinceps Galli omnes, inſtructi velut ad prælium. Reliqua deinde exercitus multitudo, armata ſub ſuis Ducibus, ac Centurionibus: hos ſequebantur quingenti famuli, ferentes aromata. Ea pompa præceſſit Herodem uſque per octo ſtadia, ubi quemadmodum ante mandaverat ſepultus eſt. Et Herodes quidem ſic *defunctus eſt.* Hactenus Joſephus. Lib. 17. Antiq. Judaic. c. 10.

Quid de hac morte? quid de funeris pompa cenſuit mundus? quid puſilli in terris mortales, quid inſana Antiquitas? Felicem omninò mortem prædicavit, & honoratam funeris pompam prædivitem illam, atque pretioſam, ut quæ pretium efferret multorum millionum, tum in auro, tum vel maximè in gemmis, & margaritis, quarum lux vincebat ſidera.

At Cœli calculo, & Superûm judicio, at Dei ter Opt. ter Max oraculo, quæ illa mors? & qualis? profectò peſſima: quia Herodi, qui a tyranno mortalium immaniſſimo, cui pro ſepulchro inferni chaos, & tenebrarum abyſſus, pro lectica circumfluus ignis, æternique flammarum vortices, pro milite damnatorum colluvies collecta ex toto orbe aſpectabili, pro ſatellitio immanes dæmonum catervæ, qui ſimul & carnifices in tota quanta quanta erit æternitate.

QUÆSTIO QUINTA MORALIS.

Ad eadem verba: *In peccato veſtro moriemini.*

QVIBVS TIMENDVM IN PECCATO MORI?

Primò iis qui ſunt in peccato mortali.

Quid ſit timor PRIMUM hic occurrit, quid ſit timor? Alterum quid timor mortis, & quem potiſſimùm invadere is debeat.

Lib. 2. Ethic. c. 4. Ad primum Ariſtoteli dicitur, *Timor expectatio mali.* Romano oratori, *Timor eſt metus mali impendentis*; ex quibus definitionibus id liquet, quod objectum timoris ſit malum poſſibile, id eſt quod evenire poteſt, & quod poſſe contingere nemo dubitat. Ita Doctor Angelicus. 1. Tuſc. Quæſt.

Ad alterum, quem maximè occupare debeat iſte timor? verbulo reſpondeo, eum omnem, qui cœlo teſte, Deóque judice peccat, potiſſimùm autem ſi mortaliter,

Quod

Quod verò eum ſtatim invadere ſoleat is timor, patet in peccato *Adæ*, quod primum Sol vidit, atque damnavit: cùm enim de fructu vetito comediſſet, audiſſetque vocem Domini deambulantis in Paradiſo: *Adam ubi es?* ait, *Vocem tuam audivi in Paradiſo, & timui.*

Gen. c. 3. v. 10.

Nempè timor primus eſt peccati partus, & ſine mora peccantem occupat, & quidem mortis.

Prima cauſa Timoris quæ?

Ratio eſt in aperto, quia poſſibile eſt ſtatim in peccato mori; quod ſi poſſibile mori, igitur & objectum timoris eſt mors.

Ambular quis in lubrico, & labi timet.

Incedit per ardua, & periculoſa præcipitia, & decidere metuit.

Habet alius ſtrictum enſem capiti impendentem, & quidem è tenui filo, ut olim Damocles Philoſophus, & formidat, & exhorreſcit, quia in caput elabi poteſt.

Furatur quis in conſpectu Judicis, & laqueum timet. Et certè quidni timeat? in oculis eſt crimen, & in promptu judex, & ſi voles etiam carnifex: Quidni ergo timeat ad furcam illicò rapi? enimvero timeat eſt neceſſe, niſi ſtupidus ſit, atque amens.

Timor Dei quis & unde?

Quod furi; hoc & tibi ô peccator, etiam eo momento quo peccas, mortem timeas eſt neceſſe.

Et quid enim ut D. Bernardi verbis te compellem: *Quid tam timendum, quàm poteſtas cui non potes reſiſtere? quam Sapientia, cui abſcondi non potes? Poterat minus timeri Deus alterutro carens, nunc autem perfectè oportet timeas illum, cui nec oculus deeſt, omnia videns; nec manus potens omnia.* Quòd ſi potens omnia, igitur & potens tibi infligere mortem ſtatim ac peccaſti.

Lib. 5. de Conſid. in fine.

Hanc ergò ut timeas eſt neceſſe: Quis enim te ſecurum fecit? ſed, inquies, promiſit mihi Deus indulgentiam, quando me correxero, ſecurus ſum: *Sed dic rogo te*, inquit Auguſtinus, *Ecce ego conſentio & concedo & agnoſco, quia indulgentiam Deus promiſit tibi: Craſtinum tamen diem, quis tibi promiſit? Ubi mihi legis indulgentiam te accepturum, ſi te correxeris: lege mihi ibi quantùm victurus ſis. Non lego, inquis, neſcis ergo quantùm victurus ſis.* Quod ſi neſcis iſtud; ita neſcis an non in peccato tuo morieris.

Serm. 16. de verb. Domini.

Quàm multi ſunt, qui modò tenentur æterno carcere, qui jacent in ſempiternis atque edacibus illis inferorum incendiis, qui mox à peccato mortali è vivis erepti ſunt, ne vel unicâ die, vel unicâ relictâ pœnitentiæ horulâ: quis tibi adpromiſit, quòd non eris ex illis unus?

Serm. 54. in Cant.

Time ergo & contremiſce, Deo tibi, ut ſentis irato, inquit D. Bernardus. Time ne in te cadant illæ Caini voces ad Deum.

Ecce ejicis me hodie à facie terræ.

Gen. c. 4. v. 14.

Infelix Cain, immanis fratricida, cùm animum invidiâ, manus fraterno ſanguine infeciſſet, ut eum ſenſit terra, erubuit, & vocem in Cœlos emiſit; ſed vocem ſanguinis hinc & Dei vindicis ad Cainum voces: *Quid feciſti? vox ſanguinis Fratris tui clamat ad me de terra.* Cui Cain: *Ecce ejicis me hodie à facie terræ.* *Hodie*, inquit, non cras: nec enim tarda irati Numinis vindicta, quam & meritò timere atque expectare debes quiſquis es in mortali peccato, à quo ut mors animæ obrigit; ſic & corporis illicò obtingere poteſt; & quid ſcis an non te etiam ipſa obveniet? multis certè obvenit, quidni & tibi?

Caini timor & unde?

Accedamus ad antiqua ſæcula, avitaſque ætates, & in iis ſpectemus Regem Balthâzarem, multo vino madidum ex vaſe templi largiùs bibentem, & inter ebrias menſas & pocula luxuriantem in Diis ſuis aureis atque argenteis: quid deinde? videt Cœlum, nec diſſimulat: ſpectat Deus, nec tardat ad vindictam.

In eadem quippe hora, apparuerunt digiti, quaſi manus hominis ſcribentis. Sed quid ſcribentis? fatalem profectò ſententiam, tribus dumtaxat voculis expreſſam. *Manè Thecel, Phares.*

Daniel. 5. v. 5.

Manè, numeravit Deus Regnum tuum, & complevit illud.

verſ. 27. 28.

Thecel: appenſus es in ſtatera, & inventus es minus habens

Phares: diviſum eſt regnum tuum, & datum Medis & Perſis.

Hæc fatalis ſententia ſcripta contrà Balthazarem *in eadem hora*, quâ peccavit: non expectavit Deus occidentem Solem, non veſperum; ſed in eadem hora, alto ſcilicet meridie. Quid denique? ſententiam audiſti, excipe ex ea ſecuram mortem. Eadem quippe *nocte interfectus eſt Balthazar Rex Chaldæus.*

Balthaſaris Regis timor & unde?

verſ. 30.

Quæ regio capiti impendit cœleſtis ultio, eadem & tibi, qui peccas: quæ ſubita, quæ inopinata mors illi obvenit, eadem & tibi.

Neque mihi dixeris, miſericors eſt Deus, indulgens eſt Deus: non abnuo; ſed & juſtus eſt, ſed & ultor ſcelerum. *Et qui pœnitenti veniam ſpopondit, peccanti diem craſtinum non ſpopondit*; ut è Petri Sede pronuntiavit D. Gregorius.

Hom. 11. in Evang.

Et hæc prima timoris cauſa ab ultrice Dei manu, & ferro quod noxio capiti quovis die, quavis hora, quovis & momento ſemper imminet.

Altera eſt à divina gratia, ſine qua reſurges nunquam, qui in peccatum incidiſti: & quid ſcis an ea tibi dabitur? Certè Cœli indulgentis eſt beneficium, non debitum, & quis illud ſibi promittere audeat? maximè ſi in eum, qui ſolus dare poteſt, ſit vel maximè injurius & protervus, uti eſt qui peccat. Dic enim ô peccator, ut te in ſimili arguam, & damnem ſit unus aliquis, qui auſu ſanè impudenti brachium attollat, manum explicet, ut ipſi Regi colaphum impingere velle minetur, imò te etiam ipſa impingat, eo niſu atque impetu, in puteum incidat, cujus claves habeat Rex ipſe, & quidem ſolus, ſolus ſit, qui inde eripere poſſit, & levare in auras, Regiam ad id extendens ac porrigens manum. Dic amabo te, quid ſperare, quid expectare is debeat? an non in eo puteo latere atque emori?

Secunda cauſa Timoris quæ?

Certè id ipſum omninò, nec aliud à Rege, quem petulanter offendit, reus læſæ Majeſtatis.

Timor peccatoris unde?

Quod ille, hoc & tu ô peccator: cùm enim ad peccatum mortale manum extendiſti, unà etiam manum extuliſti, ut Deo tuo, Regi tuo ac Domino colaphum impingeres, imò & ipſo facto quantum in te fuit impegiſti: ac ne ſolis verbis meis ſit fides, audi mortalium omnium patientiſſimum Prophetam Jôbum: ſic ille de te, ſic & de omni peccatore.

Tetendit adverſus Deum manum ſuam, & contrà Omnipotentem roboratus eſt.

Cap. 15. v. 25.

Tetendit, inquam, & in eo molimine ſanè impudenti ac temerario, in peccati puteum ac barathrum incidit, cujus claves penes ſunt Deum unicum: ſic enim expreſſis verbis teſtatur Chriſti Secretarius & Scriba Joannes, cujus ore calamoque ſic ipſe Deus:

Ego ſum primus & noviſſimus, & habeo claves mortis & inferni.

Apocal. c. 1. v. 18.

Quod ſi is eſt Deus, quid te fiet, ô peccator? fiet enimverò, quod reo læſæ Divinæ majeſtatis, cui gratiam quis promittat? quis manum porrigat? quis auxilium præbeat? ut levetur, ut evadat ex illo præcipiti puteo ac baratro? An Deus ipſe? at eum graviſſimè offendiſti; at ei colaphum impegiſti, at injuriam enormem intuliſti, at maculam, quam non eluat ullus ſanguis, ulla mors etiam mortalium omnium.

Sed audio, inquies, ô peccator. Ego me erigam, ego me attollam, ego exiboè peccati puteo per pœnitentiam. Benè habet: exibis enimverò ſi poteris: at non poteris, quod oſtendit D. Auguſtinus argumento petito à ſimili.

Sufficiunt

In Enchirid. c. 30. Sufficiunt, inquit, tibi vires. ut ferro pectus confodias, ut laqueum induas & gulam frangas, ut te præcipitio collidas: verbo uno, ut vitam tibi eripias, & animam etiam reluctantem exprimas; ſed ut mortuus denuò ad vitam redeas, enimverò non ſunt tibi vires, nec etiam ulli mortalium ea vis conceſſa, ſervata hæc uni Deo: Pſalmiſtam audi:

Pſal. 67. *Deus noſter, Deus ſalvos faciendi, & Domini Domini exitus mortis.*

Quod ſi Deo ſoli ſalus. Deo ſoli exitus mortis, etiam corporeæ, quis & hunc & illam tibi audeat polliceri, qui in peccato mortali jaces? qui privatus animæ vitâ? nemo certè, nemo unus omnium: vitâ animæ, id eſt gratiâ, orbare te potes: at eam tibi reddere nequaquam potes. Time ergo, time ne in peccato moriaris.

At rurſum obtrudes illud, ô peccator: ego Deum rogabo ſupplex, gratiam ab eo poſtulabo, pronus in terram, ſacco tectus & cinere: benè eſt, gratiam enimverò petes, & fortè impetrahis; fortè etiam non impetrabis. Cyprianum audi, atque excipe illius oraculum. Sic, inquit:

Non omne quod petitur, in præjudicia petentis; ſed in dantis arbitrio eſt. Aliquos audit vitæ & mortis arbiter Deus: aliquos inquam, ne deſperes; alios non audit, ne præſumas: & ut ut ſit, manet ſemper, & manebit in ævum omne iſtud; fortè audiet, fortè non audiet: anceps eſt atque incertæ ſpei ea voecula, *fortè*: ne illi nitaris, ne fidas, & ne dicas, *Erit tempus quando converti licebit. Multi*, inquit D. Chryſoſtomus, *dum malè ac vitiosè viverent, ſubitò perierunt, time ne tibi idem accidat.* *Homil. 22. in 2 ad Corinth.*

Sed multis, inquies, *dedit Deus ſpatium, ut in ultima ſenectute confiterentur. Quid igitur? nunquid & tibi dabitur? fortaſſe dabit, inquis, cogita quod de anima deliberas proinde de contrario etiam cogita & dic: quid autem ſi non det? quid autem ſi det dicis? eſto, dat quidem ipſe; verumtamen hoc certius & utilius.*

Quis prudens jactu aleæ exponat animæ ſalutem & vitam, qui ne bonorum quidem, ne reddituum ſuorum proventus exponeret; imò ne equum, ne jumentum quidem? An tibi anima vilior jumento? ne tibi vilior ſit, aliorum malis eſto cautus, aliorum pœnis ac ſuppliciis eſto timidus.

Lib. de Lapſis. *Plectuntur quidam*, inquit D. Cyprianus, *quo cæteri corrigantur: exempla ſunt omnium tormenta paucorum.* Tum ea adjicit.

Unus ex his, qui ſpontè capitalium negaturus aſcendit: poſtquam Chriſtum negavit, obmutuit. Pœna inde cœpit, unde cœpit & crimen, ut nec rogare jam poſſet, qui verba ad precandam miſericordiam non haberet.

Alia in balneis conſtituta, illic ab immundo ſpiritu immunda correpta cecidit, laniavit dentibus linguam, quæ fuerat vel paſta impiè, vel locuta. Ipſa ſui carnifex extitit. nec diu ſupereſſe poſtmodum potuit; doloribus ventris & viſcerũ cruciatu defecit.

Pergit S. Præſul in argumento ferali, & alia, inquit, qui ſacrificantibus morbus latenter obrepſit, non cibum, ſed gladium, ſibi ſumens, & velut venena lethalia inter fauces, & pectus ſanguinem admittens angi & anima exæſtuante concludi poſtmodum cœpit. Et preſſuram, non jam perſecutionis, ſed delicti ſui paſſa, palpitans, & tremens concidit.

Hæc ubi extulit D. Cyprianus, tum addit, quod vel maximè facit ad argumentum, quod mihi eſt in manibus.

Impunitum diu non fuit, nec occultum diſſimulata conſcientiæ crimen, quia fefellerat hominem, Deum ſenſit ultorem. Ne & eum ſentias ipſe, vide ne pecces, & illud time, ne in peccato ut illa moriaris.

Secundò timeat in peccato mori qui in eo perſeverat.

PErtinax illa in peccato perſeverantia, ex duplici capite oriri poteſt: Primò ex quadam in vitium inclinatione, contracta jam à teneris annis, & longa annorum ſerie roborata.

Qui ejuſmodi ſunt, ſimiles ſunt illi arbori, quam in exceſſu mentis vidit D. Bernardus: ea procera erat adinſtar pini; ſed ab ipſa radice ita inclinabat in ſiniſtram, ut in illam inflecteret ramos omnes eo pondere, ut tota propè à ſummo ad imum deflueret in terram, ita quippè creverat, adeoque nec agricolæ opera, nec ullo ſuſtentaculo erigi poterat, nec ventorum impetu in alteram partem aut detorqueri, aut ſurſum attolli poſſet. Quid facias? *Conſuetudo peccandi eſt quaſi neceſſitas.* eſt nativa quædam neceſſitas ramis ipſis inſita. Et ea quoque eſt peccandi in eo, qui ſic à teneris unguiculis in aliquo ſcelere adolevit & conſenuit. Ubi porrò ad iſtius arboris radicem ſecuris erit poſita, in quam partem cadet? in eam certè in quam inclinavit: quod arbori, hoc & homini, qui arbor eſt inverſa. Si illius rami, hoc eſt cupiditates, à prima ætate inclinarint in ſiniſtram, in ſiniſtram eadem, admota ad radicem ſecuri mortis.

Secundò perſeverantia in peccato, eſt à quadam obduratione, qua fit ut anima peccatrix; nec blanditiis alliciatur, nec promiſſis trahatur, nec minis terreatur: & tales ſunt ii, *quorum peccata fortia facta ſunt*, ut ait Amos Propheta; vel ut Jeremias, *quorum peccata dura facta ſunt.* Ejuſmodi generis homines Deus ipſe Jeremiæ voce appellat, argentum reprobum: ſic enim ad Vatem ſuum: *Argentum reprobum, vocate eos, quia Dominus projecit illos.* *Obduratio in malo.* *Cap. 5 v. 3.* *Cap. 30. v. 14.* *Cap. 6 v. 30*

Utitur hoc ſymbolo Propheta, ut indicet iſtos homines eſſe incurabiles & inexpiabiles: ut enim argentum reprobum eſt illud, quod ita obductum eſt ſcoria ut nec in conflatorio vi ignis, nec follium inſf.tione, nec ulla argentarii induſtria defæcari poſſit, atque mundari: ſic & Judæi, ſic & Phariſæi ad quos illæ Chriſti minæ: *In peccato veſtro moriemini.* Ita fortes in malitia ſua, ita duri fuerunt, ut emolliri, & purgari non poſſent.

Prædicet illis Chriſtus, divinus orator, exhortetur, roget, blandiatur, doceat, terreat, minetur, nihil proficit, nihilo fiunt meliores, nec peccati ſcoriam exuunt, aut ignis vi, inferniq; minis, aut cœleſtis gloriæ blandimentis, & quaſi grata divinioris auræ inſufflatione: utinam non & ii forent Chriſtiani, utinam eorum peccata non eſſent & fortia & dura, utinam & ipſi non eſſent inexpiabiles; ſed proh dolor pudorque! ii quoque ſunt à pervicaci in idem ſcelus perſeverantia. Et hæc quoque, & alimenta ſumit, & incrementa ab inani & ſtulta præſumptione, de Dei miſericordia, ſimul & etiam à libero arbitrio.

A miſericordia quidem, quæ peccatori ſemper eſt parata ſemperque patens, non ſecus ac filio prodigo ſinus patris, non ſecus ac parvulo ſinus matris. *Expandi*, inquiebat miſericors Deus, *manus meas tota die ad populum incredulum.* Tota die vitæ hujus, quæ quamdiu illuceſcit, tamdiu illuceſcit divina miſeratio: nec abnuo; illuceſcit enimverò, niſi ipſe obicem ponas, niſi gratiam ſæpè ſæpiùs oblatam negligas: gratia enim ſemper eſt gratia, cui ſi indignum te reddideris, certè non inveneris. Audi & exhorreſce, quod ad te Deus ore Sapientis: *Convertimini*, inquit, *ad correptionem meam, en proferam Spiritum meum, & oſtendam vobis verba hæc.* *Iſay. c. 65. v. 2.* *Prov. c. 1. v. 24.*

En Dei monentis, en allicientis, en corripientis verba. En ſpiritum ſuum quem offert: ſi illa audieris, & ſpiritum acceperis oblatum, benè habet, converteris, & ſalvaberis. Sin minus, excipies illud irati Numinis fulmen:

Quantum malum.

Quia vocavi, & renuiſtis; extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret. Deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis. Ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo, cum vobis id quod timebatis advenerit.

Cùm irruerit repentina calamitas, & interitus quaſi tempeſtas ingruerit.

Tunc invocabunt me, & non exaudiam; manè conſurgent, & non invenient me.

Hom. 12. in Evang.

Rationem adjicit S. Gregorius Pont. Max. quia *qui tempus pœnitentiæ perdidit, fruſtra ante regni januam cum precibus pulſat.*

Quod attinet ad alterum, videlicet liberum arbitrium quod tibi Deus, naturaque inſitum voluit, fatebor certè quod illius vi *te reliquit in manu conſilii tui: appoſuit tibi aquam, & ignem, ad quod volueris porrige manum tuam.*

Eccleſ. 13. v. 14.

Sed & iſtud aſtruo, quod extra controverſiam eſt, debilitari illud quamplurimum, & vires amittere ad bonum, & hoc quia ut inſinuavi prius, peccata longo uſu roborata, atque inveterata fortia ſunt, dura ſunt, & propè vinci neſcia: vincula ſunt quidem, quibus ut velis quàm maximè, expedire te non poſſis. *Homo*, inquit, D. Bernardus, *interveniente peccato patitur quandam vim, ſed à voluntate, non à natura.*

Appello D. Auguſtini fidem, atque authoritatem, qui experientia ſua malè doctus agnovit, quàm arduum eſſet ac difficile, imo & propè adynaton, peccati vincula diſſolvere cum iis diu te implicitum tenueris: ſic enim iis innexus atque involutus exclamabat non ſine profundo gemitu.

Conſuetudinis perverſæ malum.

Tenebar, non catena ferrea; ſed ferrea mea voluntate: voluntas enim malo diutius occupata, atque in eo obfirmata, ferrea fit, cùm prius cerea eſſet; flecti, frangique difficilis, cùm prius facilis eſſet. Quod & piè, & nervosè declaravit D. Bernardus, qui ſic aliquando è pulpito:

Serm 8. in cant.

Neſcio quo pravo & miro modo ipſa ſibi voluntas peccato quidem in deterius mutata neceſſitatem facit, ut nec neceſſitas, cùm voluntaria ſit excuſare valeat voluntatem; nec voluntas cum ſit illecta, excludere neceſſitatem: cujus rationem hanc adjicit: *Eſt enim neceſſitas hæc quodammodo voluntaria. eſt favorabilis quædam vis premendo blandiens, & blandiendo premens. Unde ſeſe rea voluntas, ubi ſemel peccatis conſenſerit, nec excutere jam per ſe, nec excuſare tamen ullatenus de ratione queat.*

Inde querula illa vox veluti gementis ſub onere neceſſitatis hujus.

Iſai. c. 38. v. 14.

Domine vim patior, reſponde pro me, quid dicam aut quid reſpondebit mihi cùm ipſe fecerim?

Premebatur jugo, non alio tamen, quàm voluntariæ cujuſdam ſervitutis, & erat pro ſervitute quidem miſerabilis; ſed pro voluntate inexcuſabilis.

Hactenus D. Bernardus, de neceſſitate ac ſervitute, quæ homini obvenit, ab illa pervicaci in peccato perſeverantia.

Tertiò, timeat in peccato mori, qui ea multiplicat.

DE peccatis Judæorum hæc olim præſago ſpiritu Jeremias: *Peccatum Iuda ſcriptum eſt ſtylo*

Cap 17. v. 1.

ferreo, in ungue adamantino, exaratum ſuper latitudinem cordis eorum.

Antiqua ſcribendi ratio.

Alludit Vates ad antiquum ſcribendi morem: veteres enim ſcribebant ſtylo ferreo; ſed in tabulis cereis, unde & illud Ovidii:

Dextra tenet ferrum, vacuam tenet altera ceram.

Nonnulli, ſtylo etiam ferreo, *ſed in ungue adamantino*, hoc eſt in tabula adamantina, ut perennis eſſet character, nec delebilis: quod in charta ſcribitur leviore calamo, & nigreſcente atramento, deleri facilè poteſt; ſed quod adamanti inſcribitur, deleri non valet: eſt enim indomitus adamas, adeóque quod in eo ſcribitur eſt pariter indomitum atque indelebile: & tale fuit peccatum Juda: peccatum Judæorum, & Phariſæorum indelebile fuit, & indelebiliter ſcriptum in cordibus eorum: hæc enim illis pro tabula, pro pugillaribus fuerunt: ideoque ad inſtitutum noſtrum optimè vertit Syrus:

Peccata ſcribentur ſtylo ferreo.

Peccatum Juda eſt ſcriptum calamo ferri, & ungue adamantis, obſignatum ſuper tabulas cordis eorum.

Cùm audis ſcriptum in ungue adamantis cogita indomitum, indelebile, & æternum: cùm autem *in tabulis cordis*, & quidem *ſuper latitudinem*, conſice iſtud multiplex fuiſſe, atque extenſum ad omnia propè peccata quæ inſcribuntur cordi, ceu in tabula animata, in qua tot leguntur ſcelera, quot indomitæ paſſiones, quarum fons & origo eſt ipſum cor.

Et quia peccatum Juda pertinax, & à pertinacia in eo quaſi indelebile, quia *ſuper latitudinem cordis*, hoc eſt quia multiplicatum, quia iteratum, ſæpe ſæpiùs, ideò in eum illæ Chriſti minæ: *in peccatis veſtro moriemini.*

Peccata ſunt vincula & funes.

Quod Judæ: hoc deinde & aliis, qui peccata peccatis accumulant: expectent illi, & timeant in peccato mori: & meritò, quia ſibi ex eo funem nectunt, quem ut maximè velint, diſſolvere non poſſint. Audiant illi Sapientis oraculum, & eo probè docti, dum adhuc licet caveant: ſic ille quondam:

Proverb. c. 5.

Iniquitates ſuæ capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorum conſtringitur.

Symmachus legit, *comprehenditur*. Arabicus, *ligatur*, Vatablus *irretitur*. Ita nimirum peccata vincula ſunt, quibus *ligatur* anima: vincula, quibus *comprehenditur*, ut captivus ſolet: retia ſunt quibus *irretitur*, ut aves ſolent: funes ſunt, quibus *conſtringitur*: catenæ ſunt, quibus, ut vertunt Septuaginta, *implicatur*: denique reſtes ſunt, ut legit S. Irenæus, quibus *ſuſpenditur*, ut ſolet patibularius aliquis, qui è reſte & furca pendet, infame illius pondus.

Ecce quæ malorum ſeries à peccatis, maximè verò multiplicatis ad inſtar funium: His enim comparantur illa; ut enim funis ex pluribus etiam minimis coaleſcit, & creſcit: ſic & peccata *tanquam longo fune tenduntur*, ut ait S. Hilarius: unum enim peccatum trahit ad aliud, & gula trahit ad libidinem, libido ad furtum, furtum ad homicidium, ex quibus omnibus fit funis tam implexus, & craſſus, ut rudentibus nauticis, vel carulibus æquari poſſit.

31. Moral. c. 31.

Audi ſuper eo rerum D. Gregorium Pont. Max. de *luxuria*, inquit, *cæcitas mentis, inconſideratio, inconſtantia, præcipitatio, amor ſui, odium Dei, affectus præſentis ſæculi, horror autem & deſperatio futuri, generantur.* Et quid inde? quis tandem finis? accipe oraculo Sapientis:

Ipſe morietur. Cur ita? *quia non habuit diſciplinam, & in multitudine ſtultitiæ ſuæ decipietur.*

Quaſi diceret Sapiens: Aſſiduitas v. g. fornicandi, quaſi funis ligat ſcortatorem, eumque trahit ad mortem: primò præſentem, dein æternam, & hoc quia diſciplinam, inſtitutionemque non admiſit, eique obedire noluit. Unde ob multam ſtultitiam ſuam decipietur, quia cùm ſperabat longam adhuc vitam, ſubita peſte, vel lue corripietur, aut gladio ferietur, aut ſagitta, aut alio ſimili caſu ictus, morietur.

Rurſum ſperabit ſe in ſenio vitam mutaturum in melius, & pœnitentiam acturum; ſed decipietur, & hoc quia in ſenio vitia juventutis ſibi inhærentia, collecta, & quaſi conglutinata reperiet, itaque iis adhæreſcens immorietur, æternumque peribit: ut enim D. Auguſtinus:

Peccator obliviſcitur ſui.

Juſto Dei judicio fit ut peccator, qui in vita oblitus eſt Dei, in morte obliviſcatur & ſui.

Et hæc eſt ſumma ſtultitia, quam ingenerat malus genius, dum longioris vitæ ſpe lactat hoc aut ſimili paralogiſmo.

Tu adhuc validus es, ac hoc ſaltem anno non morieris, facilè vitam ad annum propagabis: hoc igitur anno licebit indulgere voluptati, veneri, libidini, ſequenti pœnitentiam ages.

Hunc autem ſenſum, & ſuggeſtionem quolibet anno renovat, quo fit ut dum annus ipſe mortis adeſt; ſibi idem perſuadeat quòd aliis annis: nempe facilè hunc annum ſuperabis: interim decipiuntur, quia illo anno moriuntur, & quidêm imparati, quia putaverunt ſe illo anno non morituros.

Et hic ut dixi dæmonis eſt paralogiſmus, quo multos decipit, atque implicat ut malè vivant, & moriantur etiam malè.

Ita mortuus *Chryſaorius*, cujus hæ in morte voces: *Inducias uſque mane. Inducias vel uſque mane*; ſed quas petiit non obtinuit, nec orientem Solem vidit, qui occidentem ſibi adhuc Dei indulgentia relictum non attendit, non expendit ſaluti procurandæ.

D. Greg. 4. Dialog. c. 38.

Ita è vivis ereptus eſt Iconii monachus unus aliquis, magni inter ſuos nominis ac virtutis, ut credebatur, ſed in ultimo vitæ actu patuit quis eſſet; imò & aperuit ipſe, & ſcenam clauſit: ſic enim ad confratres ſuos:

Mors peſſima hypocritæ monachi.

Quando me jejunare credebatis vobiſcum, occultè manducabam, & ecce nunc ad devorandum draconi traditus ſum, qui cauda ſua, genua mea, pedeſq; colligavit, caput verò ſuum intra meum os immittens, & ſpiritum meum ebibens extrahit.

Dixit, & ſpirare & vivere deſiit, nec pœnitentiæ locum invenit in ultima vitæ ſcena, qui eam toto vitæ curſu neglexerat.

Ita denique (ne alios conſecter) exceſſit dives ille cujus meminit Evangeliſta. Qui ſic olim ad ſeipſum: *Quid faciam? quia non habeo quò congregem fructus meos.* Et dixit: Hoc faciam, deſtruam horrea mea, & majora faciam, & illuc congregabo omnia, quæ nata ſunt mihi, & bona mea, & dicam animæ meæ,

Divitis mors.

Luc. c. 12. v. 17.

Anima habes multa bona, poſita in annos plurimos, requieſce, comede, bibe, epulare. Hæc illè ſibi, hæc animæ abiturienti. Quid autem illi Deus? hoc certè: *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te, quæ autem paraſti cujus erunt?*

Hæc ubi de divite illo extulit hiſtoricus ſacer, tum adiicit iſtud Epiphonema, *ſic eſt, qui ſibi theſaurizat, & non eſt in Deum dives.*

Quiſquis is eſt, illius exemplo ſapiat, audiatque D. Auguſtinum monentem probè.

Remedia converſionis ad Deum nullis cunctationibus ſunt differenda, ne tempus correctionis pereat tarditate. Et rationem adjicit. *Qui enim pœnitenti promiſit indulgentiam, diſſimulanti diem craſtinum non ſpopondit.*

In ſententiis ſuis. 71.

Audiat et S. Pachomium timentem cautè. Optaſſet hic ſetarum dentibus laniari, vel ex eo quòd quadraginta annorum ſpatio, ſolitudine tanta, Jejuniis tantis, & vitæ aſperitate tanta, dæmonem, ceu hoſtem, expugnare non potuerit, licet illi ſuccubuerit nunquam.

Palladius in Lauſiaca. c. 26.

At cur optaſſet illud? profectò ut ſui ſecurus ſic decederet, decederet ut victor ſui, victus nunquam: & ita decedas opto, AMICE LECTOR.

FERIA TERTIA

HEBDOMADÆ SECUNDÆ QUADRAGESIMÆ.

Cornelius à Lapide in Matth. c. 23.

A Dominica Palmarum illuceſcebat dies ſecundus, qui Eccleſiæ ritu dicitur *Feria tertia*, ſæculi autem more, profano quidem illo, appellatur *dies Martis*. In hac ad turbas, & Diſcipulos ſuos concionem habuit CHRISTUS, in qua omninò juſſit ut Iudæi Scribarum & Phariſæorum doctrinam ſequerentur: mores autem, & vitam non item: doctrina quippe conſentiebat doctrinæ olim à Moyſe traditæ: vita autem & mores diſſentiebant quamplurimum: erat enim illa, & hi pleni fuco, hypocriſi, jactantia, ſimulatione ac ſuperbia; quæ omnia vitiorum monſtra dum in aperto ponit Magiſter optimus, & liberè acriterque carpit, in Scribarum & Phariſæorum odium, & malevolentiam incurrit; vera quippe in ævum omne ea parœmia, *Veritas odium parit.*

Et verò ita pepetit in illis, ut jam non verba redderent, non convitia, non blaſphemias; ſed verbera, ſed vincula, ſed cruciatus, ſed crucem, ſed mortem; & quidem peracerbam, quorum ſanè præſcius Servator viſus eſt hoc ultimum, & cygnæum oraculum edidiſſe, quo & crucem, & mortem præſagiret; imò & ſibi jam accerſeret, adeò & hanc & illam ambiebat, ut poſteris omnibus, maximè verò Divini Verbi præconibus documento eſſet, atque exemplo, ut & ipſi veritatem è pulpito propalarent, etſi ab illa auditorum invidiâ ac malevolentiâ vitæ periculum immineret. Libera quippe ubique veritas, ubique candida, ubique ſuæ coacta nunquam, nunquam fucata, diſſimulata nunquam.

QUÆ-

QUÆSTIO PRIMA
LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi.* Matth. cap. 23. v. 2.

QVÆ FVERIT OLIM ILLA CATHEDRA? Et quæ modò ſit, & quàm neceſſaria?

NE crede Cathedram illam eſſe aut pulpitum è quo ſtans doceat Orator ſacer; ne ſedem aut cathedram, è qua ſedens dicat ad ſubjectam cōcionem: moles illa pulpiti, aut cathedræ ſeu lignea, ſeu lapidea, ſeu ſi voles argento, aurôve nitens opere cælatorio, moles tamen inanima eſt, de qua ſermonem non injicit Servator optimus.

Quid illa Cathedra?

Aliam omnino ſpectavit, aliam voluit, & per Cathedram Moyſi metonimicè intellexit honorem, gratiam, dignitatem, authoritatemque docendi, regendique, quam apud Judæos habuit aliquando Moyſes, & quam deinde longo ſæculorū lapſu tranſmiſit ad poſteros, videlicet ad Scribas, & Phariſæos, quibus annuente cœlo datus eſt honos, gratia, dignitas, authoritaſque, ſeu docendi, ſeu regendi, adeoque & ipſa Moyſis cathedra.

Erant autem Scribæ legis doctores, atque Interpretes, qui eam populo proponerent, & ſi quid occurriſſet dubii, explicarent, ac reſolverent. Phariſæi verò erant populi Rectores, & in magiſtratum adlecti cum ea qua par erat authoritate.

Porro ea Scribis, & Phariſæis adlegebantur ſacerdotes aut Levitæ, quorum imprimis erat docere: horum porro nominibus parcere voluit Chriſtus, ob eum, quem Sacerdotibus ſartum, rectumque honorem etiam eſſe voluit, nec ei quidquam derogatum, ut vel inde diſceret poſteritas, ſacerdotis nomini, utpote ſacro, etiam parcere, nec ulla ratione derogare, etſi ſubindi vitiis infamis eſſet.

Quod ſi in antiqua lege id cautum, multò magis in nova: in hac enim non ſuper Moyſis cathedram ſedent Pontifices noſtri: ſed *ſuper Petri Cathedram*, cui ut ſucceſſerunt in poteſtate, atque authoritate docendi, ac regendi populum chriſtianum; ſic & ſuper Petri Cathedram ſedere dicuntur, non quòd ſedeant in lignea illa Petri Cathedra (à Petro enim nullus Pontificum in ea ſedit) ſed quia & dicunt, & decernunt credenda poteſtate atque authoritate eadem qua Petrus, & ſic ſuper *Petri Cathedram* ſedere pronuntiantur, quam ut agnovit, ſic & veneratus eſt D. Hieronymus, cujus hoc effatum ad Damaſum Papam:

Quid Petri Cathedra?

Ego beatitudini tuæ, id eſt beati Petri, communione conſocior.

Quod velim audiant hæretici Novatores noſtri, maximè verò miniſtelli, qui non tam ex ignorantia, quàm ex prurigine quadam maledicendi irrident ab Eccleſia Catholica celebrari *feſtum Cathedræ S. Petri*, quaſi verò ligneæ illius cathedræ diem feſtum indixerit, ac non potius ejus authoritati, atque poteſtati, quam ut ſuſpicit, ſic & colit.

Verum quidem eſt ligneam illam cathedram, in qua Petrus ſedit religionis & memoriæ ergo aſſervari in ejus baſilica, & quotannis populo oſtendi, quod nec à bonis moribus, nec à religione alienum eſt.

Venio ad alteram partem propoſitæ initio quæſtionis: ea porro erit hujuſmodi, quàm neceſſaria

fuerit in omni lege Cathedra, hoc eſt docendi, atque regendi poteſtas, atque authoritas, & ex illa aliquorum dominium, aliorumque ſubjectio.

Quàm neceſſaria?

Et quidem primò in Lege naturæ: In ea mulier viro ſubiecta; audiit enim illa ſtatim initio ſuæ productionis, *Sub viri poteſtate eris.* In ea filii parentibus ſubditi, & ſervi dominis, licet (ut ingenuè fatear cum D. Auguſtino) *Nomen illud culpa meruit, non natura.*

Gen. 3. 2.

Lib. 11. de civit. c. 15.

Deinde in lege ſcripta. Liquet ex illo Chriſti ad Judæos oraculo, quod jam eſt in manibus. *Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi: omnia ergo quæcumque dixerint vobis ſervate, & facite.*

Unde & in hac lege damnatus error cujuſdam Judæi, cui nomen Judas Gaulonites, qui Judæos utpote parentibus liberis natos, & ipſa lege à Deo donatos, liberos ſic eſſe voluit, ut nulli omninò ſubjacerent, præterquam uni Deo: error fuit quem exploſit Antiquitas.

Hæreſis Judæi Gaulonites.

Denique in lege Evangelica, in qua viget effatum illud Apoſtoli. *Omnis anima poteſtatibus ſuperioribus ſubdita ſit.* Contra quod peccarunt *Begardi* Hæretici antiquiores, & *Illuminati* recentiores, qui docebant Chriſtianos in tantam à Chriſto aſſertos libertatem, ut nulli deinceps ſuperiori ſubiici tenerentur. Error eſt, quem damnavit omnis poſteritas.

Vidimus quæ olim fuerit Cathedra: attendamus etiam quæ modò ſit. Ea non eſt alia quàm Eccleſia Catholica, in qua eſt *Petri Cathedra*, hoc eſt poteſtas, authoritaſque docendi, regendique in ſpiritu veritatis.

Appello fidem Apoſtoli, ſic ille quondam ad Timotheum quem inſtruit. *Hæc tibi ſcribo, ut ſcias quomodo oporteat te in domo Dei converſari, quæ eſt Eccleſia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis.*

Quæ modo Cathedra?

1. Cap. 3. v. 15.

Stimulos addit Timotheo, ut dignè, exactè, & vigilanter converſetur, obeatque munia Epiſcopalia in Eccleſia Dei, quæ ſcilicet

Primò dicitur *domus* Dei Antonomaſticè, quod in ea ſingulari quadam ratione habitet, amore videlicet, cura, gratia, favore, protectione, & non ſic ut in toto hoc mundo aſpectabili, quod & declarat D. Ambroſius.

Eccleſia quid ſit?

Cùm totus mundus, inquit, *Dei ſit Eccleſia, tamen domus ejus dicitur, cujus hodie Rector eſt Damaſus.*

Secundò, quod ſit *Eccleſia Dei vivi*, non qualis apud Gentiles, penes quos non eſt Deus vivus, ſed Dii mortui, & inanima quædam idolorum ſimulachra.

Tertiò, quod Eccleſia ſit *columna & firmamentum veritatis. Columna*, inquam, benè firmata & firmans veritatem. Hinc dicitur *firmamentum veritatis*, tam *activum*, quàm *paſſivum*.

Paſſivum quidem, quia in fide, & veritate paſſivè firmatur à Deo per infallibilem aſſiſtentiam Spiritûs Sancti à Chriſto promiſſam.

Activum verò, quia per eam Fideles omnes activè firmat atque confirmat.

Porro in eo quòd Eccleſiam columnam appellet Apoſtolus, alludit ad duas columnas, quas erexerat olim Salomon in templi aditu, quarum dexteram appellavit *Jachin*; ſiniſtram autem *Boas*, ut in ipſo nomine bonum eſſet omen, & votum ejus expreſſum, quo ſcilicet templo à ſe extructo optabat perennem firmitatem ac ſtabilitatem, quam & portendebant & mutâ quaſi voce loquebantur binæ illæ columnæ.

3. Reg. c. 7. v. 21.

Columnæ Jachin & Boos quid ſignificent?

Jachin quidem quod Hebraicè idem eſt ac *directio*. *Boos* autem id eſt *fortitudo*, quibus ſignificabatur & prudens directio, & fortis executio in Rege Salomone, & templi fabrica, populíque regimine, quæ duo etiam indicantur in Eccleſia Catholica, quæ à Deo dirigitur, & ſtabilitur adinſtar *Columnæ*: dirigitur inquam, & ſtabilitur ne vel minimum à recta veritatis linea deflectat, néve ulla ratione, ulla vi à conſtanti fortiq; veritatis profeſſione divelli poſſit.

Ideoque ſi quæ in eam incurrant hæreſeos monſtra, ſi quæ tyrannorum acies, atque vis effera, ſi quæ etiam tartareæ poteſtates, fruſtra ſunt, manet illa, manebitque firma atque immota, non ſecus ac columna: cujus figura, ut dixi, fuerunt columnæ illæ binæ *Jachin* & *Boos*: uti & illa de qua Vates Regius. *In columna nubis loquebatur ad eos.*

Pſal. 98. v. 7.

Cùm à Deo duceretur Iſraël ex Ægypto, arente utique ac ſterili ſolo, in terram promiſſionis uberem illam ac fœcundam, dux viæ erat *columna nubis* per diem, & *columna ignis* per noctem: nubis quidem contra diurnos æſtus, Solisque ardores; ignis verò contra nocturna frigora denſasque tenebras.

Columna nubis & ignis.

Erat ea columna viſibilis, omniumque oculis expoſita, & in ea veluti ſede reſidebat inviſibilis Deus, ejusque directio ac protectio, quam & loquebatur columna, veluti Cœli lingua.

Quod Iſraëli columna illa, hoc orbi Chriſtiano eſt Eccleſia: viſibilis illa quidem; ſed inviſibilis Dei thronus, qui in ea, & ex ea fundit Oracula primæ veritatis: quid enim aliud prodeat à columna, & firmamento veritatis? quid aliud à Petri Cathedra? quæ eſt una.

Eccleſia eſt columna.

Cùm de Cathedra Moyſis incidit mentio, de ea ſic Chriſtus: *Super Cathedram Moyſis*, non autem ſuper Cathedras. At qui illud? quis neſciat fuiſſe plurimas? & propè innumeras, per Civitates, per Oppida, per vicos ſparſas: & quidem uno in loco ſæpè frequentes?

Una certè Jeroſolyma recer fuit quadringentas octoginta ſynagogas, in quibus ſingulis ſingulæ Cathedræ. Cur igitur Servator optimus dixit, *ſuper Cathedram*, non verò ſuper Cathedras: res non vacat myſterio, quia Cathedra Moyſis erat una: non quidem materialiter; ſed formaliter, uti loquuntur Theologi. At quomodo una?

Quomodo Cathedra una ſit?

Una profectò unitate doctrinæ, quia eandem omnes doctrinam, & fidem profitebantur; licet à vita & moribus non eſſent unus; ſed multi, in doctrina conſentientes omnes, non item in moribus.

Ut Cathedra Moyſis una fuit; ſic & Petri Cathedra eſt una, unitate ſcilicet doctrinæ ac fidei. *Unus Dominus, una Fides, unum Baptiſma*, inquiebat Apoſtolus.

Epheſ. c. 4. v. 5.

Inter Philoſophos ut multæ Cathedræ; ſic & multæ ſectæ, ſic & doctrinæ placita multa.

Cathedræ Philoſophorum plures.

Socrates Cathedram erexit, quæ Stoicorum fuit. Plato illi adverſam, quam Academicam appellavit. Ariſtoteles aliam Platoni omninò contrariam, quam Peripateticam nominavit: Ita multæ Cathedræ, multæque opiniones inter ſe pugnantes. Quid factas? fuerunt illæ hominum Cathedræ, adeoque variæ atque inconſtantes, & inter ſe diſſidentes: & hoc quia hominum, qui & falli poſſunt & fallere.

Cathedra Petri quomodo una?

At Petri Cathedra, non hominis fuit; ſed Chriſti, ſed Dei, qui ut unus eſt, ſic & unam doctrinam effundit: & in hac doctrinæ unitate ſpirat cœleſtis aura, Deique Spiritus.

I. Unitate doctrinæ.

Et is fuit olim in Prophetis, quibus una lingua, unum os: quod indicavit Zacharias magni Baptiſtæ pater, qui ſic de illis:

Sicut locutus eſt per os Sanctorum, qui à ſæculo ſunt Prophetarum ejus. Per os, inquit, non per ora, quia etſi diverſi eſſent, uno tamen ore loquebantur, quia unam doctrinam, & fidem unam prædicabant. Dei ſcilicet ſpiritu, qui unus eſt.

Et is etiam fuit in terra cùm eſſet innoxia, cum ſpiritu humili. Erat terra labii unius, & ſermonum eorumdem: at ubi tumentes illos accepit ſpiritus, ubi audiit ſuperbas illas voces. *Celebremus nomen noſtrum*: Tum verò & illud ſenſit Dei vindicis fulmen. *Confundamus linguam eorum, & non audiat unuſquiſque linguam proximi ſui.* Et verò confuſæ linguæ, atque ab illa confuſione factum, ut tota illa turris moles, quæ jam eo uſque aſcenderat, ut Cœlis ipſis minari videretur, in nihilum reciderit.

Extruxit Salvator optimus Eccleſiam, ſeu turrim fortitudinis, ut aſſurgat illa, atque in Cœlum evadat: non debent confundi linguæ, non dividi; ſed uniri, ut omnes unâ quaſi loquantur linguâ, unâ fide, unâ lege: id ni fecerit, neceſſum eſt collabi ac deſtrui Eccleſiam, quæ turris eſt Domini: neceſſum eſt abire atque elabi in tot ferè ſectas, quot ſunt capita.

Et ita videmus actum in noſtri ævi hæreticis. Exurgit Lutherus, & unà cum cucullo, ſuave Eccleſiæ jugum abjicit, & veritatem illam doctrinæ peſſumdat, ac disjicit. Contra aſſurgit Calvinus, contra advolat Oecolampadius Zuinglius aliique, & quod mireris ac damnes, etiam infimæ ſortis homines, ſartores, ſutores, textores, atque ejuſmodi fariuæ, verbi Dei, ut aiunt, miniſtelli, qui dividuntur in tot doctrinæ capita, quot homines.

Et hinc ſubinde ut etiam in eadem domo pater ſit Lutheranus, mater Calviniſta, filius Proteſtans, filia Zuingliana. Et hæc non ſine gemitu & ſtupore ſpectat Germania, ſpectat & Anglia, quæ miſerè ſectis illis diſcinditur. Et hoc quia à *Petri Cathedra* atque unitate doctrinæ receſſit.

Quod ipſum longè ante præſago ſpiritu & vidit, & extulit Iſayas Vates, interprete D. Thoma, cùm ait: *Sciſſuras Civitatis David videbitis.*

Cap. 22. v. 8.

Quæ ſint illæ ſciſſuræ ſi quæris? ſunt hæreſes, ſunt ſectæ, quæ civitatem David, id eſt Eccleſiam, diſcindunt, atque in tot partes dividunt, quot ſunt ſectæ.

Et hæc pauca dicta ſint de unitate doctrinæ, quæ eſt in Eccleſia: ſubjiciamus nonnulla de unitate capitis, qui eſt Summus Pontifex, & Romanæ Urbis Epiſcopus, ad quem referuntur ſi quæ fortè in Eccleſia exortæ controverſiæ, & cujus judicio ſtandum omninò eſt. Si modò velimus in ea doctrinæ unitate conſiſtere.

II. Unitate Capitis.

Appello D. Hieronymi fidem atque authoritatem; ſic ille de ſeipſo: *Ante annos quamplurimos cùm in Chartis Eccleſiaſticis juvarem Damaſum Romanæ urbis Epiſcopum, & Orientis atque Occidentis Synodicis conſultationibus reſponderem &c.*

Epiſt. 11. ad Gerontium, & 17 ad Euſtoch.

Oſtendit hic qui vocatus eſſet ad Damaſum Pontificem, ut ei eſſet à conſiliis, à ſecretis in dubiis atque conſultationibus, quæ tum ex Oriente, tum ex Occidente ad eum revocabantur, ut in iis decerneret quid juris eſſet, quid & facti: ex quo liquet quis in primæva Eccleſia ſenſus, quis honos, quæ & fides habita Summo Pontifici, & quæ in orbe Chriſtiano conſuetudo uſurpata, jam inde ab omni retro antiquitate, à qua certè mirum quantum degenerant Novatores noſtri, qui ex ſuo quique genio, ex ſuoque cerebello dubia omnia, quæ fortè mota fuerint, definire præſumunt.

Non ſic Majores noſtri, non ſic in primitiva

Digitized by Google

Eccleſia Præſules Infulati, non ſic ipſe D. Hieronymus, qui à Romanæ Curiæ turbis, à tumultu negotiorum ſibi redditus, & otio quietique privatæ vitæ, cùm advertiſſet in extremo Oriente, in quo erat, exurgere altercationes de forma modoque loquendi circa SS. Trinitatis Myſterium, an ſcilicet in ea concedendæ tres hypoſtaſes &c. cenſuit eſſe recurrendum ad Sedem Apoſtolicam, & conſulendum *Damaſum*, quem & ſupplex per Litteras adiit, petiitque ut dubium explicaret, doceretque loquendi formulam, & quid fide tenendum, ſuâ ipſe authoritate decerneret: ſic enim ad illum:

Quoniam vetuſto Oriens inter ſe furore colliſus indeciſſam Domini tunicam, & ſuper contextam minutatim per fruſta diſcerpit, &c. Et Chriſti vineam exterminant vulpes: quæ ſint illæ quæris? ſunt hæretici, ſunt Schiſmatici, qui Chriſti vineam, id eſt Eccleſiam, exterminabant; etiam illo ævo, quo ſpirabat D. Hieronymus, qui ut exemplo ſuo doceret quid agendum in rebus controverſis, hæc etiam de ſeipſo:

Ideo mihi Cathedram Petri & fidem Apoſtolico ore laudatam cenſui conſulendam. Quaſi diceret, ego, Beatiſſime Pater, longiſſimè diſſitus à Romana ſede, diſſitus, inquam, locorum intervallo, non animo, ad Petri Cathedram recurro, veluti ad aſylum, velut ad officinam veritatis, è qua tot manant oracula quot verba; hoc enim me docuit Chriſtus ipſa veritas, cujus hoc effatum: *Ubicunque fuerit corpus, illuc congregabuntur & Aquilæ.* tum proſequitur, & ait:

Epiſt. 57. & 58. ad Damaſ. *Cum ſucceſſore piſcatoris & diſcipulo Crucis loquar. Ego nulli primum niſi Chriſtum ſequens beatitudini tuæ, id eſt Cathedræ Petri communione conſocior: ſuper illam Petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicunque extra hanc domum agnum comederit, profanus eſt: ſi quis in arca Noë non fuerit, peribit.* Hæc ubi dixit, tum adjicit illud ad eundem pontificem Damaſum. *Qui tecum non colligit, ſpargit.* Ne porrò ſpargat ipſe, colligere amat cum Pontifice ad cujus genua ſupplex accedens, hæc etiam illi:

Quanquam igitur, tui me terreat magnitudo, invitat tamen humanitas. A ſacerdote victimam ſalutis, & à Paſtore præſidium ovis flagito.

Sed quod, inquies, præſidium? profectò non aliud quàm doceri, quibus in tanto fidei myſterio vocibus utendum. Hinc & ſubjicit illud quod diſcipuli ad Magiſtrum: *Quamobrem obteſtor beatitudinem tuam per Crucifixum in mundi ſalutem, ut mihi Epiſtolis tuis, ſive tacendarum ſive dicendarum hypoſtaſeon detur authoritas.* Hæc Damaſo Pontifici Romano D. Hieronymus. At quis ille? is certè quem Eccleſia inter ſacra Miſſarum ſolemnia *Doctorem maximum* appellat, & ſuſpicit. D. Hieronymi ad Damaſum recurſus.

Is, quem omnis retrò antiquitas venerata eſt, & ad quem velut oraculum confugit. Is qui vitam propè omnem trivit in Scripturis exponendis. Is, quem loquuntur & prædicant ingentia volumina, quæ ad poſteros tranſmiſit. Is denique, quem commendat inſignis & rara vitæ morumque Sanctimonia conjuncta cum litteris, tum ſacris, tum profanis: & tamen ut is eſſet ad Damaſum confugit, Damaſum conſulit in fidei controverſiis, in modo formulaque loquendi, nec ab eo recedere vult etiam vel in uno apice: quod utinam attenderent, & æqua judicii lance expenderent noſtri ævi hæretici, ſcioli illi quidem & novelli, illi & in ſuo ſenſu petulanter abundantes, qui in apicibus Scripturarum ludunt, atque ad ſuum captum, amentem illum & mendacem detorquent omnia: nec antiquis Patribus Auguſtino, Hieronymo, Ambroſio, quicquam delatum volunt, nec cum Summo in Eccleſia Capite conſentire volunt.

Audiant rurſus illi quid ad Damaſum Hieronymus: fortè hic reſpondere diſtulerat, vel obrutus negotiorum turbâ moleque, vel occaſione opportunitateque necdum inventâ, vel objecto locorum intervallo; cùm ei Hieronymus, petitâ tamen priùs veniâ, quaſi importunus ad pedes per litteras accidit, & ſic ad illum:

Beatiſſime Pater, tres ſunt particulares loquendi formulæ, Meletii, Vitalis, & Paulini: quiſque ſecum vult conſentiam; hoc autem ego reſpondeo. *Si quis Cathedræ Petri jungitur, meus eſt: ſin minus non meus; ſed alienus.* Effatum ſanè dignum Hieronymo, dignum Catholico, dignum Doctore maximo; ſimul tamen & humili, atque ad Pontificia oracula demiſſo, quem utinam imitarentur ævi noſtri heterodoxi, non ea inter illos opinionum eſſet diſſenſio, non ea hæreſum monſtra, à quibus abeo, venioque ad aliud Chriſti oraculum, pro quo exponendo erit Epiſt. 59 ad Damaſum.

QUÆSTIO SECUNDA
MORALIS.

Ad illa verba: *Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, ſervate & facite.* Matth. cap. 23. v. 2.

QUÆ HIC PERFECTÆ OBEDIENTIÆ NORMA?

HÆc particula *Omnia*, ſumi debet accommodè, ſic ut comprehendat ea omnia, quæ Moyſi & Legi non erant contraria: alia verò, quæ huic & illi adverſantia erant, non item.

Parentibus debentur tria: Reverentia, Obedientia, Beneficentia. Dictabat illud Lex Moyſis, dictabat & Lex divina, ac naturalis. *Honora Patrem & Matrem.* Qui honos tria continebat: Reverentiam, Obedientiam & Beneficentiam.

Contra hanc Legem pugnabat Scribarum dogma, qui multiplici religionis, aut voti ſpecie & fuco, docebant Parentibus alimoniam etiam neceſſariam eſſe denegandam; ſi modò aut illa, aut illius pretium Deo offerretur: idque faciebant hoc fine, ut ſuo quæſtui & lucro ſtuderent: omne illud quod aliàs Patri & Matri in neceſſitate conſtitutis dandum erat, detorquendo ad oblationes & ſacrificia, quæ Scribis, utpote plerumque ſacerdotibus, cedebant.

Hoc dogma utpote contrarium Legi naturæ, & pietati Parentibus debitæ, arguit Chriſtus, & damnat. Matth. c. 15. v. 5.

Lex erat, eaque Moſaica; imò & divina. *Non pejerabis.* Contra hanc erat & aliud Scribarum placitum, quo docebant eum, qui per templum & altare juraſſet, non obligari tamen juramento: aiebant enim: *Quicumque juraverit per templum, nihil eſt*; hoc eſt, ad nihil obligatur; qui autem juraverit in auro templi, hoc eſt in auro templis oblato, *debet*, id eſt ſolvere debet: quaſi verò aurum templo oblatum ſanctius eſſet ipſo templo, & juramentum per Matth. c. 23. v. 16.

 templum

templum factum minus obligaret, qoàm aurum templi, ſeu templo oblatum injectumque in Gazophilacium ad alendos ſacerdotes: quod certè docuêre Seribæ, non ex veritate; ſed ex ſtudio avaritiæ quid facias? cœci erant & cœcorum duces, qui in his non erant audiendi, uti neque in illo, quod docerent JESUM non eſſe Meſſiam.

Sanè Chriſtus ea edebat ſigna, ea luci & publico dabat miracula, quæ à Moyſe & Prophetis prædicta erant edenda aliquando à Meſſia, quibus ex vero conſtitutis, redeo ad propoſitum mihi thema, quod erat hujuſmodi.

Omnia quacumque dixerint vobis (ex lege ſcilicet facienda) *ſervate & facite*: in quo ſanè Chriſti ſeu præcepto, ſeu oraculo proponitur perfectæ obedientiæ norma: videlicet *cœca*, *prompta*, *fortis*.

Obedientiæ perfectæ norma.

Cœca quidem in ea vocula: *Omnia*. Promptæ verò in ea, *dixerint*: prompta enim eſt ea obedientia, quæ ad unam vocem, *dixerint*, exhibetur, nec expectatur juſſio & mandatum; quia Superiorem dixiſſe obedienti eſt ſatis. *Fortis* denique in illis verbis, *ſervate & facite*: fortitudo & obedientiæ vis apparet in executione. quæ ſanè difficillima; maximè autem, ſi univerſalis, qualis hic indicitur à Chriſto iſtis voculis, *Omnia*, & *quacumque*.

Quod ſi eam obedientiæ formam Judæis præſcripſit ipſe Chriſtus, quantò magis qui à Chriſto, Chriſtianis.

Sit igitur in his ad Sacerdotum, & Superiorum mandatis obedientia cœca, ſit prompta, ſit fortis. Sit & ejuſmodi, maximè verò in Religioſis.

I. Cœca.

Obedientia cœca ea eſt, quæ intellectum, ceu bonæ mentis oculum, claudit, nec aperit ut videat quis imperet, ſit ille prudens, ſit imprudens, ſit doctus, ſit indoctus, ſit modeſtus, ſit diſcolus, obedienti nihil intereſt: neque etiam quid imperet, ſit leve, ſit grave, ſit utile, ſit inutile, ſit abjectum & vile ſit, ſpecioſum & pretioſum, nihil refert, quia momentum omne eſt in obedientia, eáque cœca.

Cap. 52.

Hanc ſic depingit S. Baſilius in Conſtitutionibus Monaſticis, æviique ſui Monachis, qui ut ait: *Submiſſa mentis judicióq́; cervice obedientiæ jugum, ſubiere, alacriq; animo in pericula, in judicia, in contumelias proceſſere.*

Hanc & deſcribit Climacos in Monaſticæ vitæ ſtudioſis, qui ut ait: *Pio motu inexaminato, indiſcuſſoq; ad jubentis voluntatem ſeſe accomodabant, judiciumq; ſuum illis ſubmittebant.*

Bollandus 13. Martii in ejus vita, c. 3.

S. Eupraxiæ obedientia.

Ita ſubmiſit *S. Eupraxia Virgo*, cui cùm Abbatiſſa præcepiſſet ut lapides etiam grandiores efferret, quibus ferēdis vix duæ ſorores etiam robuſtæ pares eſſe poſſent, extolit tamen illa, atque in humeros extulit, tulitque ad clibanum: tum ab eadem Abbatiſſa juſſa referre unde extulerat, retulit enimverò, opera ſanè ac labore, ut videbatur, penitus inutili, & hoc per dies omninò triginta.

Joannis Abbatis obedientia.

Ita ſubmiſit *Joannes Abbas*, cognomine *Brevis*, quia brevis ſtaturæ, grandis tamen obedientiæ. Is à Paulo Abbate juſſus lignum aridum exſuccumque plantare, atque irrigare, plantavit illico, atque irrigavit, ad annos omninò tres. & quidem diebus ſingulis hauſta atque exportata aqua à loco remotiſſimo, itinere ſcilicet diei unius.

In vit. PP. lib 5.

Quæ obedientia probata etiam miraculo: poſt tres quippe annos viruit lignum, & fructum tulit, quem etiam venerationis ergo in Eccleſiam intulit *Paulus Abbas*, adjiciens & illud ad Fratres aſtantes. *Accipite, & manducate fructum obedientiæ.* Acceperunt illi, & manducaverunt, nunquam lautiùs epulati.

Sebaſtiani Davini obedientia.

Ita denique (ne antiqua tantum commemorem) hac ætate noſtra ſubmiſit *Sebaſtianus Davinus* apud Lugdunenſes ſocietatis noſtræ Tyro, obedientia ſane etiam veteranis invidenda.

Rho Hiſt. l. 4. c 6.

Abjectus erat in horti area ramus aridus, & ſiccus, quem terræ mandare, & aquam quotidie affundere juſſus eſt, eò uſque dum revireſceret. Paruit ille nulla præabſurdi imperii interpretatione uſus.

Videri profectò poterat, & derideri vaniſſimus labor, niſi eum probaſſet Deus, docuiſſetque ab obediente etiam vinci poſſe naturam: & verò etiam victa: nam ab illa multorum menſium irrigatione, viror rediit, & ramus jam arbuſcula, frondes induit, auctaque ad juſtam altitudinem, apud tyrones audiit *Arbor Obedientiæ*, & quidem ut dixi cœcæ.

Sed hæc, inquies, Tyronum eſt, hæc & Religioſorum tantum, quibus meos quodammodo exoculata.

Ad Heb. c. 11. v. 8.

Abrahami obedientia.

Minimè gentium, eſt & ſæcularium, eſt & conjugatorum: appello Apoſtoli fidem, atque authoritatem: hæc ille de Abrahamo viro magnæ fidei, magnarum & virtutum Heroë, qui obedivit in locum ire, quem accepturus erat in hæreditatem, *& exiit neſciens quò iret.*

O cœcum fidei luminibus inclitum, exclamat orator aureus, *exiit neſciens quò iret*, laudabili profectò & præclara cœcitate præditus, quam & in indigno popello & quæſivit, & amavit Chriſtus, cùm ſic ad illum:

Omnia quacunque dixerint vobis ſervate, & facite. *Omnia*, inquit, id eſt, non ſolum ea quæ in lege ſcripta ſunt: ſed & alia, uti erant rigidæ legum interpretationes, crebræ manuum corporiſque ablutiones, & purificationes, oblationes, decimæ, primitiæ, quas præter legem præcipiebant, & quas obſervari voluit Chriſtus ad obedientiæ cœcæ meritum: nec cœcæ tantùm, ſed & promptæ, quam & indicat ea vocula, *dixerint*, quaſi dixiſſe ſit ſatis, nec expectato rigidiore præcepto; hoc enim exigit obedientia prompta.

verſ 3.

II. Prompta.

Cap. 5.

Hanc ſic deſcribit Divus Benedictus in Regula, quam Monachis inſcripſit: ita enim de illa:

Moram pati neſcit in faciendo: & paulò poſt exponens illam obſequentis animi celeritatem, ſic ait: *Exoccupatis manibus, & quod agebant imperfectam relinquentes, vicino obedientiæ pede jubentis vocem factis ſequi.*

In vit PP. lib. 5.

Marci obedientia.

Alludit eò loci ad obedientiam *Marci*, viri in paucis religioſi, atque ad obſequendum promptiſſimi, in cujus cellam cùm ingreſſus eſſet *Sylvanus* Abbas, invenit quaternionem quem eadem qua evocabatur horâ, inchoârat, in quo literam *O* calamo ducebat, & audità voce ſenis, imperfectam reliquerat, miro ſanè obedientiæ promptioris exemplo, quod & ſuſpexit & amavit omnis retrò antiquitas.

Sed, inquies, ea Aſcetarum eſt tantùm? minimè gentium, etiam conjugatorum, etiam eorum, qui familiæ curis & tumultui implexi, & tantùm non obruti.

S Franciſcæ Romanæ obedientia.

Exemplo erit *S. Franciſca Romana*, quæ dum in oratione occupatur tota, ſacroſque verſiculos decurrit, ecce derepentè à marito importunitìs occupatur, & paret illicò, eundemque verſiculum tertiò interrumpit, nec abſolvit. Placuit Deo ea obedientiæ alacritas & promptitudo, & miraculo etiam probata: nam & ille ipſe verſiculus literis aureis concinnè expreſſus apparuit, non ſine amabili illius ſtupore & obedientiæ promptæ præmio. à quo tranſeo ad eam, quæ fortis dicitur atq; eſt. Et hanc quoque à populo ſervari voluit Chriſtus, dum ſic ad illum:

III. Fortis.

Omnia quecumque dixerint vobis ſervate & facite. *Servate*, inquit, *& facite*, quod eſt virilis & maſculæ obedientiæ, quæ vel maximè viſitur in executione: in hac enim ferè tota eſt illius vis ac fortitudo. Potiſſimùm ſi ea, quæ injunguntur gravia ſint & propè importabilia, qualia erant, quæ à Scribis & Phariſæis

plebeculæ

plebeculæ imponebantur, quæ ſic exponit Salvator Optimus.

Alligant enim onera gravia & importabilia, & imponunt in humeros hominum, digito autem ſuo nolunt ea movere. (verſ. 4.) Syrus vertit *tangere*, quod levius & facilius: quæ ſingula maturè expenſa, & augent obedientiæ gravamen atque onus, & obedientiam fortem probant atque commendant, & ſimul arguunt inſignem iſtorum hominum nequitiam, uti qui omnia præpoſterè faciebant. Unde (ut ſcitè notavit Divus Chryſoſtomus) *duplicem eorum nequitiam oſtendit Chriſtus, tum quia ſine venia exquiſitiſſimè multitudinem vivere volebant, tum quia nimium ſibipſis indulgentes magnam aſſumebant licentiam, quorum oppoſita in optimo Principe atque doctore requiruntur, ut ſcilicet adverſus ſeipſum nullâ utatur veniâ; ſed ſeverum ſe judicem exhibeat; erga ſubjectos autem mitior, & ad dandam veniam pronior ſit.*

Quorum tamen contraria omnia faciebant, & Scribæ, & Phariſæi; & licet ea facerent, nihilominus iis reddi voluit, & obedientiæ debitum, ſubmiſſionem & reverentiam, quod ſanè fortis erat obedientiæ, quam Climacus altiore voce uſus appellare ſolebat *Perpetuam naturæ violentiam.* (Gradu 4.)

Et hanc tamen uti in Judæis Chriſtus, ſic & in Chriſtianis requiſivit Apoſtolorum Princeps, qui voluit ut obedientia præſtaretur dominis etiam *diſcolis*, id eſt pravis, tortuoſis, naturæ genio præfractis, atque etiam ſævis, in quibus æquiore animo ſuſtinendis, primùm elucet obedientiæ vis ac fortitudo, deinde in re ipſa, quæ præcipitur. (1 Petr c. 2.)

In hac excelluêre ex antiquioribus nonnulli, de quibus in patrum geſtis.

(Lib. 5 libello 14 de obedientia.) Hos inter fuit *Ioannes* Abbatis Pauli diſcipulus, cujus juverit hic paulò fuſius meminiſſe. Non procul à cellula ſenis inerrabat lecena, eaque peſſima, quam juſſus adducere *Ioannes*, perrexit illicò, & leænam inveſtigare cœpit, quaſi leporem: ſed ecce mox in illum facto vehementi impetu irruit leæna, & in leænam quoque irruit *Ioannes*: & ſanè mirum viſu, dictuque, elabitur, atque effugit leæna, & fugientem quoque inſequitur *Ioannes*; imò & hæc ad illam ſimplici voce, ſimpliciore & animo, quia juſſis parente. (Joannis Abbatis obedientia.) *Expecta*, inquit, *quia Abbas meus dixit ut ligem te.* Nec mora ſiſtit leæna, expectatque ſe teneri, atque ligari patitur, atque ad ſenem adduci: non leænam dixiſſes, ſed canem, eumque domeſticum.

Inter hæc dum trahitur mora paulò longior: pro diſcipulo dum anxius eſt pius magiſter, ecce derepentè adeſt ille, leænamque probè ligatam Abbati adducit. Quid hic? Primò mirari cœpit, & quaſi attonitus ad id ſpectaculi hærere: tum reſumpto quaſi ſpiritu non laudare diſcipulum pro re benè geſta, non illi ablandiri, non applaudere, & gratulari captivam leænam; ſed quod ſtupeas, & fortè damnes, eum increpare, damnare, verbis acrioribus excipere, imò & flagris, ac fuſtibus improbè multare, atque abtrudere illud. *Inſanè canem fatuum adduxiſti mihi.* Dixit, & leænam ſolvit, ac dimiſit.

Quid hic diſcipulus? profundùm ſilet, caput demittit, dorſum flagris ſubjicit, nec verbulo queritur, nec factum excuſat, nec juſſa retractat, quia illi obediſſe eſt plus ſatis; obediſſe dico, & quidem cum præſenti vitæ diſcrimine, quod fuit obedientiæ, ex vero fortis, cujus exemplum illuſtre habes in alio.

Ad Abbatem *Siſoi* venerat unus aliquis optans fieri monachus. Cui Abbas. *Habeſne in ſæculo aliquid?* & ille unicum filium, ait: tum Abbas, *vade*, inquit, *& eum in flumen abjice, & tunc fies Monachus, nec ante.* (Obedientiæ exemplum.)

Quid ille? videri poterat inſolens id mandati, atque à natura penitus abhorrens. Et certè erat ejuſmodi, quod tamen verus obediens non examinat, non diſcutit, non horret; ſed citato gradu domum repetit, filium utique rapturus & projecturus in profluentem; ſed providus ſenex, qui experiri volebat quid ille candidatus, è Fratribus unum emiſit, qui inhiberet.

Ille verò jam puerum rapuerat, cui frater. *Siſte*, inquit, *quid agis?* cui ille animo ſimplici & obedientia indiſcuſſâ. *Abbas mihi dixit ut projiciam eum*, cui ille. *Iterum Abbas dicit ne projicias eum.*

Acquievit hic, & ſe Abbati ſuo, ſeni utique pro baptiſmo ſtitit, atque in Monachum admiſſus obedientiâ duce ac patronâ; ſed obedientiâ ſanè forti, cui ſuppar eſt ea, quam ſubjicio.

Monaſticam vitam agebant duo fratres, quorum unus erat miræ continentiæ, alter autem miræ obedientiæ: cui ille de via dixit, abjice te in flumen plenum Crocodilis; abjecit enimverò, & quidem innoxiè: nam & Crocodili molliter illius membra adlambere, nec venenum affundere, nec vel leviter nocere. Excedit igitur è flumine, atque inter inambulandum incurrit ii cadaver, fortè abjectum in via, & tum ſic ad fratrem. *Oremus pro eo, & forſitan reſurget.* Orant enimverò, & ecce derepentè aſſurgit mortuus & reſurgit. (Num. 17.) (Obedientiæ & cōtinentiæ certamen.)

Hic inter eos certamen, ecquis eum ſuſcitaſſet: *Continens* ſibi aſcriptum id volebat; *Obediens* autem non ſibi, ſed obedientiæ datum, Cœlo propitio: & verò huic conceſſum divinitùs cognovit Abbas, & obedienti palmam dedit, & obedientiæ mortuum redditum eſſe pronuntiavit; ſed obedientiæ ſanè forti, quâ & te cumulatum velim AMICE LECTOR

QUÆSTIO TERTIA

THEOLOGICA ET MORALIS.

Ad illa verba: *Super Cathedram Moyſis ſederunt Scribæ & Phariſæi. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, ſervate, & facite.* Matth. cap. 23. v. 2.

AN IGITUR ETIAM MALIS PRÆLATIS OBEDIENTIA deferenda? An reddendus & honos?

(Hæreſis Joannis Hus, & Wicleph.) FUIT hic error *Ioannis Hus & Wiclephi* atque aliorum: unum aliquem vel ex eo quòd malus ſit Prælatus, quòd vitæ ad vitia proſtitutæ, excidere ab authoritate ſedendi, imperandique poteſtate. Ecquid enim, inquiebant, videturne rationi, & ipſi juri naturali conſentiens, ut peſſimus optimis imperet, ut filius diaboli, filiis Dei præſit; ut inferni miniſter tartaro jam deſtinatus, Cœli civibus atque electis invigilet. Enimverò non videtur: videtur tamen ex ipſo Scripturæ ſacræ & Chriſti ipſius oraculo, de quo etiam incidit Quæſtio.

Peſſimi

Peſſimi erant Scribæ, peſſimi & Phariſæi, ac Pontifices illius ævi; & tamen ipſe Chriſtus illis voluit & obedientiam deferri, debitamque ſubmiſſionem, vel ex hoc uno, quòd ſuper Moyſis Cathedram conſiderent.

Peſſimus erat Caiphas, & tamen *cùm eſſet Pontifex anni illius prophetavit*, extulitque veriſſimum illud. *Expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo.* Ex ſuo mente, conceptoque in Chriſtum odio intendebat dicere, non *pro populo*; ſed *præ populo*: ſed altiore, divinoque ſpiritu linguam regente, non expreſſit falſum illud *præ populo*: ſed iſtud veriſſimum *pro populo*: verè enim non præ populo mori debuit Chriſtus; ſed *pro populo*, deſtinata utique pro humano genere victima: ſed unde extulit illud oraculum? Utique è Cathedra in qua ſedebat cum authoritate & poteſtate, quæ ei non erat ablata ex eo quòd eſſet peſſimus; in quo miseris, & omnes mirabilem ſimul & amabilem Dei providentiam, quæ etiam per hominem ſceleratum & Cœlis inviſum dirigi voluit totum illud negotium redemptionis humanæ.

Joan. c. 11. v. 50.

Obedientia à Chriſto reddita Caiphæ.

Pilato Judici.

Peſſimus erat Pilatus, & ingratum Superis caput; & tamen ut is eſſet, acceptâ tenentâque à Cœlo poteſtate in Chriſti cauſa judicem egit, & judicem agnovit ipſe Chriſtus, eique ſe ſubmiſit, & fatalem atque iniquiſſimam in ſe ſententiam admiſit, & Crucem medius inter latrones conſcendit. Et etiam obediens uſque ad mortem: & hoc quia in Judicis ſede conſidebat, nec exuerat illius authoritatem, poteſtatemque, ea eo quòd iniquus eſſet: quod & declarat illud Chriſti ad illum oraculum.

Joan. c. 19. v. 50.

Non haberes poteſtatem adverſùm me ullam, niſi tibi datum eſſet deſuper. Agnoſcit ergo datam deſuper, hoc eſt à Deo, à quo poteſtas omnis in terra, quæ nec deficit in homine etiam ſcelerato.

Certè ſi defeciſſet in Pilato, non effudiſſet illud oraculum Servator Optimus; effudit autem ut iret in poſteros non deficere poteſtatem etiam in Judice aliàs nequiſſimo.

Obedientia debetur etiam peſſimis Prælatis.

Et ſanè ſi deficeret, jura omnia, ſeu profana, ſeu ſacra deficere neceſſum eſſet: Ecquid enim, ſi in Rege, ſi in Principe, ſi in Duce, in Pontifice vel ex eo quòd apud Deum criminis alicujus reus eſſet, illicò eo ipſo caſu collaberetur authoritas omnis, poteſtas omnis; an non ſuſque deque verterentur omnia? an non & Reſpublicæ, & Regna neceſſum eſſet nutare, & labefactari Imperia, cùm ea qui regeret nullus eſſet? profectò omninò neceſſum eſſet.

Maneat ergo certum, fixumque illud, etiam in Prælato aliàs malo manere poteſtatem, uſque dum ea legitimè auferatur: quod ſi maneat poteſtas in illo, certè & in ſubdito remanet ſubjectio, & debita illi obedientia, uti & honos, quem ſuo quaſi jure exigit ea poteſtas: & hoc eſt ſecundum caput propoſitæ initio quæſtionis.

Debetur & honos, & quæ ratio?

D. Bernardus, lectea ut aſſolet eloquentia, Prælatis omnibus, ſeu ii ſint, in ſacro Ordine, ſeu etiam in profano, duo deberi aſtruit. *Reverentiam, & obedientiam*: *Obedientiam* quidem, quæ principes animi partes, id eſt intellectum, & voluntatem illi ſubjiciat: reverentiam autem, quæ corpus, hoc eſt alteram hominis partem per exteriores honoris actus unà cum interiori ſenſu ſubmittat: illum audiamus: ſic enim ad ſubditum quiſquis ille ſit.

Serm. 55 de verbis Dom.

Redde reverentiam Prælato, & obedientiam, quarum altera cordis, altera operis eſt: nec enim ſufficit exterius obtemperare majoribus, niſi ex intimo cordis affectu ſublimiter ſentiamus de eis.

Prælati cur in terris Dii?

At unde, inquies, & illis *reverentia* debetur, debetur & *obedientia*? Utique quia tui in terris Dii. Certè vice Dei. Audax, ais, pronuntiatum: audax omninò non abnuo; ſed quod prius extulerunt ſacræ paginæ.

Exod. c. 22. v. 28.

Excipe quæ Deus Iſraëli, populo ſuo; ſed duræ cervicis. *Diis non detrahes, & Principi populi tui non maledices.*

Hebraicè *Elohim*, quod unum eſt è decem nominibus Dei. Qui porrò ſint in terris Dii, ſatis convenit inter SS. Patres, eſſe ſuperiores: maximè verò Eccleſiaſticos qui Dei vices gerunt in hoc ævo mortali.

Exod. c. 7. v. 1.

Et ita Moyſen Deum Pharaonis appellavit primæ veritatis oraculum; cùm ſic ad illum. *Ecce conſtitui te Deum Pharaonis.*

Ita S. Bernardus Eugenium Pont. Max. Deum vocavit Pharaonis: ſic enim ad illum.

Moyſes cur dictus Deus Pharaonis?

Conſidera oportere te eſſe virgam Potentium, malleum Tyrannorum, Regum patrem, urbis lumen, Sacerdotem Altiſſimi, Vicarium Chriſti, Chriſtum Domini, poſtremò Deum Pharaonis, hoc eſt Potentium hujus mundi, quales ſunt Reges, & Cæſares, & omnia coronata Capita, quibus Romanus Pontifex in terris eſt pro Deo.

Ac ne credas eum dumtaxat eſſe Sanctorum ſenſum; audi quid Vegetius, prophanus author. *Imperatori*, inquit, *cùm Auguſti nomen accepit, tanquam præſenti & corporali Deo, fidelis eſt præſtanda devotio, & impendendus pervigil famulatus: Deo enim vel privatus, vel militans ſervit; cùm fideliter eum diligit, qui Deo regnat authore.*

Lib. 2. c. 5.

Hæc ille, ex quo pauca ſtylo notari velim. Primùm quòd Imperatori, hoc eſt Domino etiam profano, velit præſtari devotionem, hoc eſt devoti animi ſubmiſſionem atque obedientiam, *tanquam præſenti & corporali Deo.*

Secundò, quòd *Deo regnet authore*: quæ ſanè duo, ſi conveniunt Domino etiam ſæculari, multò magis ſacro, quales apud nos Epiſcopi & Pontifices, quibus ut obedientia debetur, ſic & honos, quia in terris Deus, aut vice Deus, & quia Deo regnat authore.

Vidiſti aliquando truncum arboris, & lignum informe, ut jacet abiectum in nuda humo, ut vile, ut deſpectum. Aſſumat ſibi ſtatuarius aliquis, ſeu Prothogenes, ſeu Phidias alter, ex eoque efformet ſimulacrum Crucifixi. Ecquis illi honor? Ecquis cultus? Ecquæ genu flexiones? Ecquæ cura bonæ menti ne vel illi irrogetur injuria, vel contemptus qui dehoneſtet.

Cur ita? an non lignum quod ante? an non arboris truncus? Enimverò, & lignum eſt, & arboris exciſæ truncus: ſed quia jam Crucifixi formam induit, crucifixum induit, & ſalutis authorem tuæ, hinc illi cultus, & veneratio.

Dic idipſum de Prælatis, cùm in privata eſſent fortuna, cum in humilibus ſubſelliis, nec honore digni erant, nec religioſo cultu: At ubi ſuper cathedram conſedêre, ubi ad Prælaturas aſſumpti, jam non hominem, non Petrum, non Joannem, non unum de trivio referunt: ſed Deum, ſed vice Deum; adeoque omni honore digniſſimi.

QUÆ-

QUÆSTIO QUARTA
MORALIS.

Ad illa verba : *Secundùm opera eorum nolite facere : dicunt enim & non faciunt.* Matth. cap. 23. v. 3.

QVOD VITIVM PRÆLATI, PASTORIS, DOCTORIS? Et è contrario, quæ virtus?

VITIUM agnoſces in Scribis & Phariſæis, & quidem expreſſum his verbis. *Dicunt & non faciunt* : benè docent, benè & jubent; ſed vivunt malè, & agunt quàm peſſimè, exemploque deſtruunt, quod aſtruunt verbo, quod eſt contra docentis & jubentis leges: hæ enim dictant ut doctrinæ vita conſentiat, & factis exprimas quod dicis & mandas.

Surius ejusd. Tom. 7. 23 April.

Non minus pia, quàm lepida *S. Ægidii*, quondam Seraphici Patris ſocii, hiſtoria. Conventui in quo morabatur, adjacebat vinea cujuſdam civis, qui & in eam emiſerat operarios, ut inibi foderent, putarentque vites. Quos ut immiſit, ecce vidit otioſos, ſegnes, multiloquos; & ſic ad eos, *fate, fate, & non parlate* : hîc enim & parcendum linguæ, & agendum manibus.

Audiit hæc *S. Ægidius*, qui fortè in vineam intrârat, & mox Conventui redditus, per ejus atria, perque cellas diſcurrens clamitare. Adeſte, adeſte, & audite quid civis ille noſter ad operarios, *fate, fate, & non parlate*. Hæc enim vobis ô prædicatores melius conveniunt, quàm illis vineæ operariis; à vobis enim ſpectatur vita, ſpectantur & exempla potiùs quàm verba : *Fate*, igitur, *fate, & non parlate*.

Oratoris munus facere prius tum dicere.

Facere enim primum eſt Doctoris, & ſacri Oratoris munus, alterùm deinde docere.

Apud antiquiores Sophos definitio oratoris, hæc erat. *Vir bonus dicendi peritus*, in qua primum erat illud. Vir bonus à vita, bonus à moribus : tum *dicendi* peritus ut eſſet, & ſic primò perſuaderet vitâ, tum linguâ.

In quo & notandum illud Oratoris Romani. *Caput eſt artis dicere quod facias* : Artis, inquam, oratoriæ caput, id eſt princeps membrum eſt, facere, tum dicere.

Eloquentiæ hieroglyphicum manus

Apud Ægyptios ſumma eloquentiæ exprimebatur, *manu extenſa*, nobili ſanè atque opportuno Hieroglyphico, quod indicat idipſum quod pingit : manus enim eſt ipſa operis executio, quam ſi aſſequitur orator, ex vero orator eſt; ſi non aſſequitur, non orator; ſed dicaculus, & quaſi circumforaneus unus aliquis, in quo clamat lingua, & reclamat vita.

Deuter. c. 1. v. 4.

Ne porrò reclamet, neceſſum eſt ut doctor priùs in ſeipſo vitia extirpet, virtutes plantet; & tum divina præcepta populo proponat : cujus exemplum, aut potiùs ſymbolum habes in Moyſe, qui poſtquam percuſſit Sehon Regem Amorrheorum, & Og Regem Baſan, tum demum cœpit explanare Legem, non ante; ubi Gloſſa: *Notandum*, inquit, *quod interfectis duobus Amorrheorum Regibus, Lex recapitulatur, & populus inſtruitur, quia remotis ſcandalis, & ſuperatis vitiorum turmis competenter doctrina inſiſtitur, & fidei lumen dignè deſiderantibus aperitur.*

Hæc Gloſſa in eum locum, ex quo & illud conficit. *Debemus ergo priùs in nobis vitia occidere, & ſic mandata divina populis tradere.*

Et hoc primum, cui jungi debet & alterum, virtus ſcilicet à moribus, & vita probata; imò virtutum omnium veluti compendium : maximè verò inſignis animi demiſſio, intentionis puritas, qua non ſeipſum quærat, non famam & oſtentationem; ſed animas, & animarum lucra, illuſtri ſanè earum zelo: nec animo concidat ſi fortè minus frequens auditor, minor & applauſus; memor Chriſtum ipſum, Doctorum utique prototypum, etiam ad unicam Samaritanam concionem habuiſſe benè longam, ut vel ſuo exemplo doceret Eccleſiaſten, quiſquis demum ille ſit, pluris facere debere vel unius animulæ lucrum, quàm plures auditorum millia, in quibus aucupandis ſæpè plus eſt vanitatis, quàm virtutis, ut videre eſt in concionatore, de quo fusè Theophilus Raynaudus, vir variæ & reconditæ eruditionis, quem & loquuntur ingentia ejus opera poſteris relicta.

Concionator auditorum non ſpectet.

Anno 1657

Savonæ apud Ligures per Quadrageſimæ Ferias concionabatur vir religioſus veſte tenus, uti eventus docuit. Nomen Ordinis conſultò premo : cùm parum faventem experiretur auditorem, & vaſta templi capacitas adeò infrequenti concurrentium numero, poſſet vacua videri, poſt aliquam, ad mediam uſque Quadrageſimam, quà incitando, quà urgendo moram; cùm nihil proficeret, & ferè ad parietes caſſo labore diceret, patientiam læſam in furorem vertens, aſcendit è ſuggeſto, & in Cœnobium egreſſus, omnibus ſuarum concionum faſciculis in unum cumulum adunatis in ignem injecit, unde luculenta flamma eſt excitata, cujus fumus viciniam ſæcularem incendii latiùs graſſaturi periculum veritam, permovit ad accurrendum.

Concionatoris ferale facinus.

Et ecce ferale ſpectaculum : necdum planè combuſtas chartas reperiunt, & miſerum Concionatorem in ſanguine ſuo natantem; adegerat quippe ipſe ſibi intra ilia ſicam præ deſperatione negati applauſûs & tantæ ad conciones ſuas ſolitudinis.

Sacerdos, ut nondum mortuum excitaret ad dolorem de tanto ſcelere, omni conatu laboravit, & abſolutionem impendit.

An ipſa pœnitentia (ut cum Auguſtino loquar) ſit mortua, novit, qui omnia novit, Deus. Verendum ſanè ne ſicuti conciones illius arſerunt in terris, ſic & ipſe ne ardeat in inferis : non arderet autem ſi non fuiſſet ex eorum numero, qui *dicunt, & non faciunt*, qui patientiam è pulpito laudant, expertes ipſi patientiæ, humilitatem plenis buccis prædicant, eâdem & ipſi omninò vacui.

Sed abeamus à tam ferali argumento. Vidimus quid in Doctore, quid in præcone legis & divini Verbi, requirat ratio, Deuſque; nempe ut quæ dictis mandas, factis in teipſo exprimas: quia ut rectè Ferrandius Diaconus : *Virtus prima eſt benè vivere, ſecunda docere*. Quia nimirum ut diſertè D. Chryſologus : *Doctrina in dictis, ſcientia eſt in factis virtus*. *In Parenet.* *Serm. 167.*

Unum tamen eſt cujus te monitum velim, AMICE LECTOR, ne ideò in Doctore, in Sacerdote ſcientiam contemnas, ſi tibi vita ſit deſpectui. Audi quid de eo Dominus ore calamoque Malachiæ : *Cap. 2. v. 7.*

Labia Sacerdotis cuſtodiant ſcientiam, & legem requirent ex ore ejus. *Labia*, inquit, cuſtodiunt, non

autem cor: hoc enim eſſe poteſt, & ſubinde etiam eſt officina malitiæ: ſubjicit, *& legem requirent*, nimirum auditores, *ex ore ejus*, non autem ex manibus; ex dictis, non ex factis: dicta probes & audias; facta verò reſpuas & damnes.

Jud. c. 14. v. 18 Imitare Sampſonem virorum fortiſſimum: vidit in ore Leonis examen apum & favum mellis: favum mellis collegit, & vermes è putido Leonis cadavere bullientes reliquit.

Sic & fac ipſe, mi LECTOR. Incurriſti in Leonem, hominem efferum, crudelem, qui & amiſsâ gratiâ, ceu animæ vitâ, mortuus eſt; imò & vitiis, ſeu vermibus ſcatet; ſed eſt in ore ejus favus mellis, eſt doctrina ſana, & ab hac ſuavis in corde ſapor; age, favum mellis tibi collige; & vermes, hoc eſt vitia, abjice; & ſic benè proſpexeris tibi: nec enim ideò inſipidus mellis favus, quia eſt in ore putido, neque minus ſalubris doctrina, quia eſt ab homine malè ſano.

Auditor doctrinam ſpectet, non vitam Concionatoris. Et hoc eſt quod amabilis Dei providentia Anachoretam unum aliquem edoctum voluit probè. Erat hic in profunda ſolitudine, uni ſibi vacans & Deo, Angelis etiam ita familiaris, ut diebus propè ſingulis eorum aſpectu recrearetur, & hoc quia aut cœleſtis erat homo, aut terreſtris Angelus, utque is eſſet, Sacerdos aliquis octavo quoque die ſacram ei Communionem deferebat, cùm ecce adfuit alius, qui ex eo quæſivit qua mente, quáve conſcientiâ Communionem acciperet à Sacerdote concubinario, & proſtituto ad omnem libidinem.

Ad id nuntii exhorruit, expavitque Anachoreta, & cùm primùm rediit Sacerdos, obtulitque Sacram Synaxim, omninò de ejus manu excipere recuſavit.

Sub id autem tempus exceſſit à ſeipſo & ſenſibus, audiitque querulam hanc vocem. *Tulerunt homines judicium Dei*, non ſine graviore peccati nævo: Dei enim eſt judicare de Sacerdote, non autem hominis.

Quid porrò indicaret ea vox, eaque expoſtulatio in eo mentis exceſſu non intellexit; intellexit tamen in alio, in quo proximè abreptus, totus æſtuare cœpit, atque à ſiti exareſcere; cùm ecce leproſum vidit, ſitu ſqualidum & fœtore horribilem, qui fune ſerico lympidiſſimam aquam è proximo fonte hauſerat, clauſeratque hydriâ aureâ, ac deinde ſibi propinabat; imò & ad os admovebat, dumque prenſare vellet, adfuit alius, qui bibere volentem cohibet; imò vultu & voce ad ſeveritatem compoſita, duriuſculum illud addit.

Quid agis miſelle? quid agis? an non pudet, tædetque aquam à leproſo hauſtam, oblatamque bibere? Cui Eremita viſus dicere. Quid intereſt? ſit hauſta, ſit oblata à leproſo, an ideò aut illius attactu contaminata? aut lepra infecta, aut tabioſa lue horrida? minimè certè: Tum ille alius hæc ei.

Sic eſt in Sacerdote, qui tibi Sacramentum affert, ac porrigit; ſit ille à peccati lepra tabidus, ſit in Venerem ac libidinem fluxus, quid ad Synaxim refert? nullam hæc ex illo luem accipit, tabem omninò nullam. Puriſſima manet illa, atque è puriſſimo fonte, hoc eſt Chriſto, gratiæ aquam haurit ac porrigit: bibe ex ea liberaliùs, teque prolue, & ſitim extingues.

Quod illi Eremicolæ, hoc & tibi quiſquis, aut mali Præſulis, aut mali Concionatoris auditor es. Age, ne dubita, ne time, ne exhorreſce ex ore ejus Doctrinæ fluenta excipere, pura eſt illa, pura ſunt & hæc, nec inquinantur ab impuriore vita, aut ulla vitiorum contagione. Hauri ergo ſecurus, ſecurus & bibe, teque dum licet refice.

FERIA QVARTA

HEBDOMADÆ SECUNDÆ QUADRAGESIMÆ.

VT Scribarum invidiam, & Phariſæorum odia declinaret CHRISTUS ſeceſſerat in Civitatem Ephren, ex qua imminente jam Paſchate aſcenderet Hieroſolymam, uti & re etiam ipſa aſcendit, convocatiſque Diſcipulis, ſic ad illos:

Matth. c. 20. v. 18. *Ecce aſcendimus Hieroſolymam.* Aſcendimus enimverò, vel quia Hieroſolyma, ejuſque arx, & templum in monte ſitum erat, vel quia veluti triumphantis in morem in Solymæ, & Calvariæ verticem erat aſcenſurus, & in illo etiam in Crucem, ex qua de morte, de mundo, de peccato, déque inferno triumphum ageret, cujus modum rationemque ſic exponit:

v. 18. *Et Filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum, & condemnabunt eum morte, & tradent eum Gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum, &*
v. 19. *tertia die reſurget.*

Supponit Diſcipulorum oculis ſeriem totius ſuæ Paſſionis, & præcipua illius capita, quæ ne gravius eorum animos commoveant, vel ſuppliciorum gravitate, vel etiam multitudine, ſubjicit, quod ad leniendum dolorem ſatis erat, *& tertia die reſurget.*

Lib. 18. de Civit. *Paſſione oſtendit, quid ſuſtinere pro veritate; Reſurrectione, quid ſperare in Trinitate debeamus*, inquit Auguſtinus. Ita nimirum fel Paſſionis conditur melle Reſurrectionis, & metus ingens ſpe majore temperatur.

Et

Et hæc veluti pars prima hujus Evangelii, cui accedit altera, ſcilicet à matre filiorum Zebedæi, quæ ad CHRISTUM unà cum filiis venit, *adorans*, quod ſubmiſſionis erat, & petens aliquid ab eo, quod erat maternæ curæ atque amoris, cui ut indulgeret dixit ei CHRISTUS, *Et quid vis?* Tum illa: *Dic ut ſedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, & unus ad ſiniſtram in Regno tuo.* vers. 21.

Inaudierat illa multa à CHRISTO dicta de ſedibus duodecim, in quibus ſeſſuros aliquando dixerat Diſcipulos ſuos, unde vel ambitione muliebri, vel nimio in filios amore atque indulgentia, poſtulat unum à dextris, & alterum à ſiniſtris, ut ſic Diſcipulorum nulli cedant, ac ne Petro quidem, utque & cito, & ſedulò fiat iſtud, ſic ad CHRISTUM.

Audax omninò petitio, audax & vocula *Dic*: ſed quid agas? mater eſt, & nimium quantum amans mater. De qua ſic D. Hieronymus:

Poſtulat mater errore muliebri, & pietatis affectu, neſciens quid peteret; quam multis ex capitibus excuſare nititur D. Ambroſius: illum audiamus in ea cauſa facundum, & patronum:

Conſiderate, inquit, *matris dilectionem quæ filiorum mercede grandævam ſolabatur ſenectam, & deſideriis licet feſſa maternis, chariſſimorum pignorum tolerabat abſentiam. Conſiderate etiam fœminam, hoc eſt ſexum fragiliorem, quem Dominus propria nondum confirmarat paſſione. Conſiderate, inquam, Evæ illius primæ mulieris hæredem transfuſa in omnes immoderatæ cupiditatis ſucceſſione labentem, quam Dominus adhuc proprio ſanguine non redemerat, nondum inolitam affectibus omnium immodici contra fas honoris appetentiam ſuo Chriſtus cruore diluerat.* Lib. 5. de Fide, c. 2.

Hæc ubi dixit melleus orator, tum ad extremum conficit illud: *Hæreditario igitur mulier delinquebat errore*, & quia ſic delinquebat, converſa oratione ad filios dixit IESUS: *Neſcitis quid petatis. Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? Dicunt ei* liberè, *Poſſumus*: tantus illis ardor privatus, tanta & appetentia, ut ipſum Domini calicem, hoc eſt, paſſionem, & mortem pro ea obtinenda ſe bibere poſſe pronuntiarint: primum ambitionis fuit, ſecundum temeritatis: nec enim eo loci ac temporis calicem illum bibere potuiſſent, licet poſtea potuerint ex CHRISTI gratia, recepta à Spiritu Sancto ipſo Pentecoſtes die. Effatum illud Diſcipulorum ſic excepit CHRISTUS:

Calicem quidem meum bibetis; vel ut vertit Arabicus: *Tinctura mea tingemini*; vers. 23. tinctura utique ſanguinis, ſeu divini muricis: *ſedere autem ad dexteram meam vel ſiniſtram, non eſt meum dare vobis; ſed quibus paratum eſt à Patre.*

Et hæc Evangelicæ hiſtoriæ ſumma, de qua paucula movebimus Quæſtiones.

QUÆSTIO PRIMA

MORALIS.

Ad illa verba: *Ecce aſcendimus Hieroſolymam, & Filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum, & condemnabunt eum morte.* Matth. cap. 20. verſ. 18.

CUR EO LOCI AC TEMPORIS, TAM APERTE PASSIONIS ſuæ meminerit CHRISTUS? *Et cur de illa ad Apoſtolos?*

NABUCHODONOZOR, cùm apud ſe ſtatuiſſet arma inferre in Occidentem, ejusque Provincias, imò & Orbem ſuo imperio adjicere: *Vocavit omnes majores natu, omnesq; Duces & bellatores, & habuit cum eis myſterium conſilii ſui, dixitq; cogitationem ſuam in eo eſſe, ut omnem terram ſuo ſubjugaret imperio.* Judith. c. 2. v. 2.

Audax omninò atque inſolens cogitatio, quæ tamen, quia hactenus ſecreta, atque in pectoris arcano ſecondita, meritò dicitur *myſterium conſilii*, quod aperire debuit, & majoribus natu, & Ducibus, & bellatoribus ſuis: nec enim per ſeipſe & urbes, obſidere, & domare provincias Rex poteſt, quiſquis demum ille ſit: ſed majorum natu conſiliis, ſed Nabuchodonozoris faſtus.

ducum robore, ſed multitudine bellatorum, quos in campum effundunt: quod ſanè non tam potentiæ eſt argumentum, quàm indicium infirmitatis, ut qui non ſeipſo, ſed per alios ea omnia moliatur, & ſine his propè nihil, aut certè perparum.

Non ſic Chriſtus, non ſic Salvator optimus, & potentiſſimus. Venerat hic è ſinu Patris in ſinum Virginis, è Cœlis in terras, *Vt omnem terram ſuo verius ſubjugaret imperio*, ut domaret inferos, ut mundum ſterneret, ut carnem vinceret, hoſtes utique ſuos. Et hoc erat *myſterium conſilii*, quod hactenus non viderant, non cognoverant tot ſæcula: *conſilium antiquum*, ut vocat D. Cyrillus Alexandrinus. *Myſterium abſconditum à ſæculis*, ut appellat Apoſtolus.

1 Cor. c. 2. v. 7.

Apoſtoli quid ſint in Eccleſia?

Hoc porro revelatum voluit Apoſtolis, qui ex veto in Eccleſia, ceu bona matre, erant futuri *majores natu*, in ſacratiore Chriſti militia *duces*, & bellatores fortiſſimi, qui uti & Chriſtus, mundum vincere, carnem edomare debebant, inferos ipſos ſubjugare, non tam agendo, quam patiendo. Et hinc meritò Chriſtus, ceu Magiſter optimus, eos evocat, eos colligit, ut aperiat *Myſterium hoc conſilii ſui*, ſuam utique paſſionem, & mortem, indéque ſic ad illos.

Ecce aſcendimus Hieroſolymam. Ecce, inquie, particula eſt demonſtrativa, demonſtrat enim miraculum beneficentiæ in genus humanum omne, miraculum amoris, miraculum doloris ac patientiæ, quod diſcipulorum oculis & animis objectum voluit Chriſtus.

Quibus enim potius?

Oculi Eccleſiæ.

Erant Apoſtoli totius Eccleſiæ, ceu magni corporis oculi: certè ſic eos appellandos eſſe cenſuit Procopius, dum eos eſſe dicit *perſpicaces, & acutos Eccleſiæ oculos*.

In c. 58. Iſay.

Cor populi.

Erant Apoſtoli veluti *cor Ieruſalem*: ita eos nominandos eſſe cenſuit Iſayas vates, interprete eodem Procopio: & cùm ii eſſent, debuit illis dare *Cor intelligens, & oculos videntes*: erant enim futuri teſtes etiam oculati mirabilium omnium, quæ Chriſtus operaturus erat Hieroſolymis, ut mortales omnes eriperet de inani illa dæmonum & peccati ſervitute, atque aſſereret in eam libertatem, quæ erat filiorum Dei, quibus proinde tribuere debuit *Cor intelligens, & oculos videntes*, ne in eos aliquando caderet illud Moyſis in Iſraelem ingratum, cui morti jam proximus exprobravit iſtud:

Deut. c. 29. v. 2.

Vos vidiſtis univerſa quæ fecit Dominus coram vobis in terra Ægypti Pharaoni, portentaque ingentia, & non dedit vobis Dominus cor intelligens, & oculos videntes.

Hæc fuit prodigioſa iſtius populi cæcitas, hic ſtupor, hæc ſaxea durities, nec vidiſſe tot portenta in ſuam gratiam patrata, quà in terra, quà in aquis, quà etiam in Cœlo, nec amaſſe eorum authorem, ac fabricatorem Deum. Et hæc quoque à Deo vindice maledictio, quod non dederit ei Dominus *Cor intelligens, & oculos videntes*: uti è contrario hæc Apoſtolis ſumma benedictio, quod eis Chriſtus paſſioni ſuæ, ac morti, jam imminens, dederit & oculos videntes, & cor intelligens, etiam iis ipſis verbis.

Ecce aſcendimus Hieroſolymam, & filius hominis tradetur Principibus ſacerdotum, & condemnabunt eum morte.

Erant Apoſtoli futuri à Chriſto veluti ſecundæ quædam patientiæ victimæ, ideóque debuit illis objici paſſio, morsque Chriſti velut illuſtre quoddam patientiæ ſpeculum, in quo viderent, quæ quantaque pro illius nomine pati oporteret; viderent inquam in Chriſto, ceu patientiæ miraculo, à quo & primum & maximum miraculum fuit *ipſa patientia Chriſtianorum*.

B. Ioanni de Deo Hoſpitalitatum fundatori, viro inſignis profectò patientiæ, cùm eſſet Granatæ Maurorum fæce ſeptus, ex iis unus cæteris inſolentior objecit petulans iſtud:

Bollandus Tom. I. Martii die 8.

Age quæ tuus Chriſtus unquam miracula patravit? cui ille, *Non minimum illud miraculum patientia Chriſtianorum.*

Chriſti miraculum maximum patientia Chriſtianorum.

Nec minimum etiam in me, qui Chriſtianus dici, & eſſe volo, quòd tot injuriis à vobis laceſſitus, tot dicteriis impetitus, patientiam nihilominus teneo, & me cohiberi patior, ne tot modis irritatus quid faciam indignum Chriſtiano nomine. Ne porrò faciam cohibeor vel ipſa Chriſti lege, vel nomine Chriſtiani, & hoc vobis, hoc & orbi univerſo Chriſti miraculum, quod certè auguſtius quàm & mortuos vitæ reddere, & inferos domare.

Quod ſi patientia Chriſtianorum Chriſti eſt miraculum; profectò longè etiam majus patientia Apoſtolorum: at unde ea petita? unde & hauſta? Sanè non ab alio, quàm à Chriſto, vel objectu ſolo paſſionis, ac mortis illius, cùm ſic ad eos.

Ecce aſcendimus Hieroſolymam, & filius hominis tradetur, & condemnabunt eum morte.

Apoſtoli Eccleſiæ lumina.

Erant Apoſtoli futuri aliquando illuſtris Eccleſiæ lumina, & in orbe Chriſtiano veluti ſoles alteri, qui cæteris prælucerent & verbo, & exemplo doctrinæ Sanctioris: Certè eos veluti lucem mundi, hoc eſt ſolem appellavit ipſa Incarnata Veritas, cùm ſic ad eos: *Vos eſtis lux mundi*: quod oraculum ſecutus D. Hieronymus ſic de eorum ſcientia, & ſapientia altiore:

Math. c. 5.

Tanta debet eſſe ſcientia, & eruditio Pontificis Dei (qualis ſcilicet omnis Apoſtolus) ut & greſſus ejus, & motus, & omnia vocalia ſint. Veritatem mente concipiat, et toto eam habitu reſonet, & ornatu, ut quidquid agit, quidquid loquitur, ſit doctrina populorum.

Bollandus 9. Martii in ejus vita viſione 14.

At unde ea ſcientia? unde & doctrina? profectò, non aliunde quàm à Chriſti Paſſione, & Morte.

Chriſti de plagis mirus ſplendor.

S. Franciſca Romana in exceſſu mentis ſenſit aperiri ſibi cœlum Empyreum, & in eo JESUM in ſolio excelſo conſidentem, ex cujus plagis mirus emanabat ſplendor, potiſſimùm verò ex vulnere lateris, ceu lucis fonte, ceu amoris fornace.

Is porrò ſplendor ſeſe circumfundebat in cæleſtem curiam univerſam, maximè verò in Dei matrem, in quam ſeſe infundebant tres radii veluti tot ſoles: tum deinde in Apoſtolis effundebatur ea lucis divinæ copia: tum in Sanctos omnes per cœli regiam ſparſos: tum denique in Mortales adhuc in terris & corporibus exiſtentes.

S. Franciſca Romana rapitur in Cœlum Empyreum

Et hæc illi Divæ tum objecta in cœlo ſpecies, è qua conficio, etiam Apoſtolos, adhuc hoc ævo mortali detentos, à Chriſti Paſſione & Morte ſimilia hauſiſſe lumina, quibus eorum intellectus inclareſceret, & voluntas cœleſti quodam ardore incenderetur, & eo quidem ut nihil ſcirent, nihil ſcire ſe profiterentur niſi JESUM, & hunc Crucifixum, dicereque poſſent quod deinde illos videre voluit, imò & fecit S. Paulinus religioſiſſimus, & ſanctiſſimus Antiſtes.

Epiſt. 4.

Paſſio Chriſti nobis eſt gloria.

Sibi habeant litteras ſuas oratores, ſibi ſapientiam ſuam Philoſophi, ſibi divitias ſuas divites, ſibi regna ſua Reges: nobis gloria, & poſſeſſio, & Regnum Chriſtus eſt; nobis ſapientia in ſtultitia prædicationis.

At cujus prædicationis? non alterius quàm Chriſti, & quidem Crucifixi. Et hoc eſt, quod illos probè edoctos voluit, cùm ſic ad eos:

Ecce aſcendimus Hieroſolymam, & filius hominis tradetur Principibus ſacerdotum, & condemnabunt eum morte.

Erant Apoſtoli futuri aliquando in Eccleſia, quod columnæ in ædificio. *Columna*, inquit, Richardus Victorinus *in ſe firmi per fidem, recti per æquitatem, erecti per intentionem, ſublimes per contemplationem, & qui alios ſuſtentarent verbo conſolationis, ſuffragio orationis, exemplo actionis.* In Apocal.

Eſt co-

Apoſtoli columnæ ſunt Eccleſiæ.

Eſt columna ſymbolum fortitudinis, & quidem ex duplici capite, primò quòd in ſe firma ſit, ſtetque quaſi ſua mole, ſtabilitate ſua, & firmitate: ſecundò, quòd alia ſulteutet ipſa, ac ſuſtineat ne labantur.

Et Apoſtoli columnæ; columnæ & viri Apoſtolici: certè de S. Petro Apoſtolorum Principe dixit D. Auguſtinus *qui ædificandus in domo Dei populus, lapis eſſet ad fundamentum, columna ad ſuſtentaculum, clavis ad Regnum.*

Quod de S. Petro pronuntiavit D. Auguſtinus, hoc & de aliis Apoſtolis, hoc & de viris Apoſtolicis.

Orat. 21. D. Gregorius Nazianzenus non minus eruditione, quàm dicendi elegantiâ Princeps, D. Baſilium Orat. 23. vocavit *columnam ac firmamentum Eccleſiæ, & S. Athanaſium fidei columen.*

Epiſt 61. D. Hieronymus Epiphanium, Cypri Antiſtitem Lib.6. ep 1. appellavit *columnam veritatis, ac fidei.*

Sydonius Apollinaris Lupum Tricaſſinum inconcuſſæ virtutis Præſulem, *columnam virtutum nominavit*

Apoſtoli columnæ virtutum.

Quod ſi viri illi Apoſtolici ex vero columnæ fuerunt ab invicto illo animi robore, à firma fide, à veritate, ab omni virtutum præſidio atque firmamento; ſanè & ii fuerunt Apoſtoli, quos ut confirmaret in ea indomitæ mentis conſtantia, ſic ad illos.

Ecce Aſcendimus Hieroſolymam, non ad plauſus, non ad gaudia, non ad triumphos; ſed ad ſupplicia, ſed ad mœrorem, & triſtitiam, ad maledictiones mille, ad probra, ad calumnias, ad verbera, ad Crucem, ad mortem, quod erat in Chriſto divinæ fortitudinis, cui ſuppar eſſe debuit ea, quæ in Apoſtolis, quibus proinde jure meritiſſimo ſub oculos ponit funeſtam illam Paſſionis ac mortis ſuæ tragœdiam; ut in eam, & ipſi venirent aliquando Magiſtri ſui vel monito, vel exemplo.

Apoſtoli Salvatores.

Erant Apoſtoli futuri aliquando & ipſi ſecundi à Chriſto Salvatores, de quibus etiam prophetico ſpiritu Abdias Vates: *Et aſcendent Salvatores in montem Sion.* quod de Apoſtolis dictum intelligit D. Hom. 28. Hieronymus, quos Chriſtus, inquit, *Mundi eſſe voluit Salvatores*, & B. Macharius *Hominum redemptores.*

At quomodo? quáve ratione? eádem ſanè quâ Chriſtus laboribus, ærumnis, ſuppliciis, cruce, morteque pro eorum ſalute, zeloque animarum obita, adinſtar alterius Salvatoris: cujus exemplum ac documentum non in alio meliùs habes quàm in Paulo, quotidiano & laureato in pace martyre, qui vivit ſimul & moritur, qui ſuprà tertium Cœlum eſt, & ſub omnium pedibus periſphema, qui millies fit anathema pro fratribus ſuis, quotidie immolatur, quotidie impenditur, & ſuperimpenditur, qui denique Chriſto confixus Cruci, in corpore ſuo ſtigmata luculenta circumfert totus in Servatorem ſubſtitutus. Ipſe victima, ipſe reconciliatio, ipſe redemptio.

Quod clariſſimis verbis exponit ſcribens ad Colloſſenſes in hunc modum: *Adimpleo ea, quæ deſunt* Cap. 2. *paſſionum Chriſti in carne mea.*

En quomodò in partem Redemptionis humanæ venit, & cum Dei filio patiente, & ob populi ſui ſcelus percuſſo, & ipſe patiens, & amore hominum, quaſi crucifixus.

Quod Paulus, hoc & Petrus, hoc & alii Apoſtoli, qui & ipſi adimplere debebant ea, quæ deerant paſſionum Chriſti, alii ſecundùm illum Salvatores, & quia ii futuri erant: quid mirum ſi Chriſtus ſub ultimam vitæ ſuæ periodum hæc illis.

Ecce aſcendimus Hieroſolymam, & filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum, & condemnabunt eum morte.

Apoſtoli Duces in Cœlum.

Erant Apoſtoli futuri aliquando Duces ad Cœli ſublimia, ad culmen Beatitatis, ad quam non alia via, quàm Crucis, quàm paſſionis; & quia non alia, hinc illis Chriſtus.

Ecce aſcendimus Hieroſolymam.

De Chriſto cecinit olim Micheas Vates: *Aſcendit pandens iter ante illos*: & quomodò aſcendit? & unde? Cap. 5 v 13. audi Pſalmiſtam de illius aſcenſu ac triumphis.

Iter facite ei, qui aſcendit ſuper occaſum, Dominus Pſal 67. *nomen illi.* v. 5.

Alloquitur Cœli cives & incolas, & ſic ad illos: *Iter facite ei, qui aſcendit ſuper occaſum.* Ecce quomodò aſcendit, & unde ex occaſu, ſcilicet, id eſt morte ſua, quæ ex vero illi fuit occaſus, & è quo via illi ad Cœli ſublimia, ad palmas cœleſtes, & triumphos.

Quod ſi Servatori hæc fuit in Cœlos ſemita, hæc via ad beatitatem, eadem & Apoſtolis erat futura: & quia ea futura erat, nec alia, ideò ad illos: *Ecce aſcendimus Hieroſolymam.*

Aſcendimus, inquam, non ad gaudia, non ad plauſus, non ad triumphos; ſed ad triſtitiam, quæ nos occupabit in horto Gethſemani, ad flagella, quæ nos manent in prætorio Pilati, ad ſpineam coronam, ad ludibria, ad Crucem latrones inter & ſicarios: Et ex iis *tertià die reſurget.* Ecce quæ via ad reſurrectionem, ad immortalitatem, ad gloriam corporis, ad animæ in Cœli regiam aſcenſum.

Quæ Chriſto, eadem Apoſtolis, eadem & nobis: nec enim *Servus major eſt Domino ſuo.*

A Chriſti Morte & Reſurrectione ibant è diſcipulis duo in Caſtellum Emaus, & multa de Magiſtri ſui tormentis, multa de morte inter ſe miſcebant colloquia; cùm ecce illis obviam venit Chriſtus, ſeſeque iis adjungit, tanquam viæ comitem, rogatque, *Qui ſunt hi ſermones, quos confertis ad invicem ambulantes, & eſtis triſtes?* Cui illi, *de IESV Nazareno, qui fuit vir Propheta potens in opere & ſermone, & quomodo eum tradiderunt ſummi Sacerdotes, &* Luc c. 24. v. 19. 20. *Principes noſtri in damnationem mortis, & crucifixerunt eum.* Poſt multa, ſic ad eos Chriſtus.

O ſtulti, & tardi corde ad credendum: nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam?

Hæc ille ad diſcipulos in fide nutabundos, & hæc modò etiam è Cœli regia ad nos ipſos. quæ expendere hîc eſt animus: ſingula enim verba ſuum habent momentum & pondus.

Chriſtum pati oportuit, & Chriſtianos oportet.

Nonne oportuit, inquit: *oportuit* omninò, non fatali quidem neceſſitate; ſed divina voluntate, decretoque cœleſti, à quo ipſi Chriſto impoſita quædam neceſſitas: ſed ad quid, inquies? Audi ex ipſo, *pati*, ait; ſed quæ? vincula, probra, alapas, flagella, Crucem, mortemque, per immania tormenta. At quem ſic, *oportuit pati?* audies Chriſtum, hoc eſt Dei filium, Lucem increatam, Splendorem Æterni Patris, Patris Verbum, Deum ipſum, *Et ita intrare in gloriam ſuam. Suam* dico, hoc eſt illi debitam ipſâ naturæ lege, hæreditario jure, quod ſcilicet competit filio, qui gloriæ paternæ, Regni eſt hæres, quod tamen non adiit niſi Paſſione, niſi Morte.

Quod ſi ita eſt, amabo te, MI LECTOR, quî in gloriam illam? quî in regnum illud ibit ſervus & mancipium? certè non ibit, nullum enim illi à natura jus ad regnum: ut ergo eat, neceſſum eſt ut aliunde jus acquirat; imitatione ſcilicet filii, per ſupplicia, per ignes, perque mille cruces: his enim emitur gloria. quæ illi eſt aliena, non propria. Quod & familiari ſimilitudine magis ponetur in aperto, claraque luce.

Sit Rex unus aliquis, qui è regia ſua, ex pura, putaque miſeratione erga ſervos ſuos, proficiſcatur ad oram barbaricam, eo conſilio ut damnatos ad triremes pacto pretio redimat, redemptoſque & libertate donet, & divitiis oneret, & dignitatibus ſublimes reddat, tum verò ut ad propria regrediatur, regnique ſui ſedem, triremes ipſe primus conſcendat,

 & mari

& mari ſe committat, inſidoque elemento, & tumultuantibus Euris, & fœdis procellarum vorticibus; tum ſic ad ſervus, ad mancipia.

Declaratur in ſimili.

Eia agite, mecum navim tenete, ſulcate maria, ventos tolerate, atque inſurgentes undas ſuperate; nec enim alia via eſt ad regnum meum: velimus, nolimus, tranare maria neceſſum eſt. Ego ibo, vos mihi comites eritis.

Patientia neceſſaria eſt Chriſtiano.

Tum ſit è mancipiis unus, infamis maſtygia, dignus cui lapide cerebrum excutiatur; dicat ille Regi: veniam mihi dabis, ô Domine, ego quidem triremes odi, horreo ventos, non fero undas, & fluctus deteſtor: exanimat me vel ſola ſpecies irati oceani. Quare velim mihi pontem extruas, eumque latiſſimum, amœnum, & floribus ac violis reſperſum, quem nec gravior afflet aura, nec turbet aut quatiat Aquilo, nec vel levis aquæ guttula tingat: ſic enim, ſic ad regnum tuum ire eſt animus, nec alio unquam tramite.

Quid illi maſtygiæ Rex? ne tu ſcurra abjecte, ne impudens atque effrons mancipium, ego quidem ſolum verti, è regno abii, & in has ignotas oras veni, non aliâ mente, alióve conſilio, quàm ut te vinculis eximerem, ingentique litro redimerem, donaremque libertate, ac deinde ſic liberum ducerem in regnum meum, nec aliud aut mihi, aut tibi iter deſtinavi, niſi ſuperato evictoque oceano: & tu vile abortivum terræ, terræ limus & pulvis; homoque nihili, aliam viam depoſcis, pontem, auras & ſtrui poſtulas, inſternique floribus, aut molliore ſerico, pannóve villoſo: næ multùm erras effrons, & vecors: næ inſanus es atque amens, qui aliâ ſemitâ, regnum alienum teneas, quàm Rex ipſe ſumat.

Quod illi mancipio Rex terrenus, hoc & Apoſtolis, & diſcipulis ſuis; hoc & nobis Chriſtus Rex Cœleſtis.

Ego, inquit, deſcendi è Cœli regia, è ſinu Patris Æterni, ab regno meo deſcendi in oram barbaricam, hoc eſt in terram hanc, in mundum immundum & barbarum, ut te miſerabili dæmonum ſervitute eximerem, ut peccati vinculis liberarem: ego te redemi, non auro, non argento, non unionibus, & gemmis; ſed ſanguine, ſed vita: ego me abjeci in mare Paſſionis, ego Crucem, ſeu triremem conſcendi, atque ex illo Paſſionis oceano, ex Cruce illa redii ad regnum meum: hæc enim via, unica mihi à Patre Æterno notata, atque addicta. *Via in Cœlum eſt.*

Et tu, vile mancipium, terræ filius, excrementum naturæ, & ſervus peccati, vis ire in regnum alienum aliâ viâ? dicis enim jejunium me macerat, atque extenuat, pœnitentia terret, corporis caſtigatio inimica, horridum cilicium, calumnia intolerabilis, ſupplicia nimium quantum acerba, vel ipſum Crucis nomen horrori eſt, atque terrori: ſemitæ iſtæ non placent, alias volo, delitias volo, molles voluptates amo, ridentia omnia volo, quietem quæro, verbo uno mollia omnia, ridentia omnia volo, & per illa etiam cœleſte Regnum.

Vis enimverò; ſed fruſtra. Cogita regnum illud non tuum eſſe; ſed alienum: cogita ad illud non aliâ duci te poſſe ſemitâ, quàm Crucis. Cogita tibi dictum à Pſalmiſta regio: *In mari via tua, & ſemita tua in aquis multis*: in mari dico tribulationum, in aquis paſſionum. Cogita tibi dictum, quod Apoſtolis: *Ecce aſcendimus Hieroſolymam*, ad vincula, ad probra, ad verbera, ad flagella, ad ſpineam coronam, ad Crucem; & hâc viâ ad reſurrectionem, ad Cœlum. Cogita tibi dictum, quod diſcipulis illis: *Nonne oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam.* Si in ſuam, quid tibi ut in alienam? *Pſal. 76 v. 20.*

QVÆSTIO SECUNDA

MORALIS.

Ad illa verba: *Et Filius hominis tradetur.* Matth. cap. 20. v. 18.

CVR NON ADDIT A QVO? VEL A QVIEVS, Et quantum CHRISTO *tormentum ſic tradi?*

Traditur Chriſtus ab Æterno Patre.

VTITUR Salvator Optimus verbo illo imperſonali *Tradetur*, quod quidem opus indicat; non tamen perſonam, quæ erat traditura; hanc enim conſultò & ſtudioſè reticet.

Longè plurimi Chriſtum tradiderunt: quidam innoxiè; imò ex virtute. Alii non ſine gravi culpa.

Tradidit illum Pater Æternus, futuram pro genere humano victimam: ſic enim de illo Apoſtolus: *Pro nobis omnibus tradidit illum*, quod amoris, & pietatis. *Ad Rom. c. 8. v. 32.*

Tradidit ſeipſum, & ipſe Chriſtus, non neceſſitate; ſed voluntate, quod miſerationis fuit, atque indulgentiæ in genus noſtrum. *Ad Galath. c. 2. v. 20.*

Traditur à ſeipſo, & ab hominibus.

Tradiderunt & homines, non ſine immani ſcelere, & Chriſticidio; imò & Deicidio.

Tradidit Judas, infamis Magiſtri proditor.

Tradiderunt Judæi, & Pontifices; de quibus ſic ad Chriſtum Pilatus: *Gens tua, & Pontifices tradiderunt te mihi.* *Joan c. 18. v. 35.*

Tradidit Pilatus, quod injuſtitiæ fuit ſummæ, ſummæ & immanitatis. *Cùm tradidit eum voluntati eorum*, ſcilicet Judæorum, qui Chriſti jurati hoſtes: ut cum tam multi tradiderint, excuſationem omnes prætexunt. Judas quidem fatetur ſe cum vendidiſſe, contractu ſanè impio atque injuſto; ſed mox, inquit, eum retractavi, pœnitentiam egi, triginta argenteos retuli, pretium utique ſanguinis, addidique ſolemnem illam proteſtationem coram ipſis templi Sacerdotibus: *Peccavi tradens ſanguinem juſtum.* *Luc. c. 23. verſ. 25.* *Matth. c. 27. v. 24.*

Judæos ſi incuſes impiæ illius traditionis, & ipſi nolunt eam ſibi imputari: aiunt enim coram ipſo judice, nos eo ſcelere exoneravimus, cùm extulimus illud: *Nobis non licet occidere quemquam.* *Joan. c. 18. v. 31.*

Si denique Pilatum traditionis illius arguas, & ipſe eâ liberum ſe volet: dicet enim, notum omnibus ut Judæis reſtiterim, ut dimittere voluerim, ſatis conſcius invidiæ, & odii inveterati Phariſæorum, & Pontificum; ac ne verbis tantùm pugnaſſe viderer, facto pugnavi, lavique manus coram univerſa Synagoga, adjiciens ſolemnem illam proteſtationem: *Innocens ego ſum à ſanguine juſti hujus.*

Si denique ad ipſos inferos deſcendas, ſi dæmones tanti criminis reos velis, & facias, fatebuntur illi extimulaſſe ſe quidem Judæos, ut JESUM perderent, ut Barabbam dimitterent: ſed viſa ipſius patientia, ſupra quidquid mortale erat, gradum retraxiſſe, deſtitiſſe à malè conceptis, inſtitiſſeque, ne in illo criminali proceſſu, & mortis cauſa ultra procederet Pilatus; imò horrendis ſpectris, ſomniiſque *Traditur à dæmonibus*

niſque tarrificis uxorem illius moviſſe, impuliſſeque, ut maritum averteret à tanto crimine; & hæc etiam ei inſcriberet: *Nihil tibi & juſto illi.*

Matth. c. 27. v. 19.

Ecce portentoſum ſcelus, ecce mors juſti in aperto eſt, & luce univerſi; & tamen ut ii omnes illius traditionis infandæ complices fuerint, ne unius tamen omnium authorem ſe fateri vult.

Quid ergo? ſi nullus hominum, nullus & inferorum authorem ſe haberi velit, & eſſe, quem authorem dixero? Audebóne, Pater Æterne, Pater ſumme, Pater Optime proclamare te illius traditionis Authorem? Audebo enimvero, ſine noxa, ſine crimine, niſi noxa ſit, & crimen nos amaſſe, nos dilexiſſe, & quidem nimium amaſſe, nimium dilexiſſe. Audebo dicere etiam pluſquam filium.

Tradidit Pater, amore, & caritate.

Et certè dixit traditionis illius teſtis oculatus, & ſpectator; dixit, inquam, Joannes, qui Chriſto fuit à ſecretis.

Sic Deus, inquit, *dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret.*

Sic, inquit, ne ultra quære, *ſic*, *ſic* aliud concipi non poteſt, nec aliud dici niſi *ſic*: cùm hoc dixi, omnia dixi; niſi fortè & illud, pace tua, ô Chriſte, quod & teipſe tradidiſti, quod fuit amantis & mirum quantum amantis.

Sed ad vos redeo, ô mortales, mendaces in ſtateris veſtris. Vos vos ipſi authores eſtis, & complices infandæ illius traditionis: at qua vi? quave manu? non alia quàm ſceleribus veſtris. Auro incubas totus, & opibus per fas, nefaſque cogendis, ô quiſquis es avare, & avaritiâ tuâ JESUM tradis: voluptati tuæ, & veneri te mancipas, ô luxurioſe, & luxuriâ tuâ JESUM tradis: honores aucuparis, & magni nominis umbram captas, ô ſuperbe, & ſuperbiâ tuâ JESUM tradis: vino, & potu te ingurgitas, & tantum non mergis, ô guloſè, mergis mentem, quæ tui eſt pars potiſſima, & gulâ tuâ JESUM tradis. Otio tuo atque, inertiæ indormis acedioſe, & acediâ tuâ JESUM tradis. Aliorum bono, ceu malo tuo, cruciaris & teipſe torques, ò invide, & invidiâ tuâ JESUM tradis. Linguam acuis ut ſerpentis, & in alterius famam involas, bonumque nomen laceras convitiis tuis, criminationibus tuis, ô detractor, & detractione tuâ JESUM tradis, & tamen excuſas improbè, nec authorem illius traditionis te haberi & dici pateris. Virginem infamas, & quaſi proſtibulum aperis, ingeriſque in aliorum aures, quaſi venalem pudicitiam haberet, & corpus quæſtui exponeret, & tamen excuſas, & dicis, Ego de ea ſermonem non ſum exorſus, exorſi ſunt alii: dicet alius ejuſdem tecum farinæ, ejuſdem & linguæ, ego dixi ſub ſecreto, & quaſi ſub confeſſionis ſigillo; dixi viro prudenti, obtrudet ille, qui & ſecreti tenax eſt atque obſervans, non emanabit ultra, ſervabitur in ſecreto cordis conclavi: addet & alius, ego dixi, & ſolemniter proteſtatus ſum me illis fidem non dare: alia his ſimilia apponet alius, dicetque ſe non infamaſſe; ſed mentiris improbè, & alios dum fallere te putas, teipſe fallis, & detractione tuâ JESUM tradis.

Odio & ſcelere homines.

Probatur inductione.

Daniel c. 3. v. 34.

Statua illa prægrandis, pretioſa, pulchráque quam in ſomnis vidit Nabuchodonozor, amorem conciliare potuit, atque admirationem; ſed ô malum! abſcinditur de monte lapillus, ſine manibus, in ſtatuam incurſat, eam impetit, atque in pulverem arenæ ſimilem redigit.

Detractionis vis quanta?

Hoc illius ævi oſtentum fuit: ea, quæ ſubjicio ætatis noſtræ ſunt prodigia. Vir ille Eccleſiaſticus, quem linguâ maledicâ petis, ac ſternis, ſtatua erat, eaque grandis, ingentis molis apud Superos, & apud mortales à virtute, à bono nomine, pretioſa hactenus & ſpectabilis; eum inhonoras, eum infamas dicteriis tuis, & ecce veluti concidit iſta ſtatua, & quaſi in pulverem abit, deſpicitur, calcaturq; ab omnibus.

Ordo ille religioſus eminebat in domo Dei veluti ſtatua virtutum omnium, abſcinditur è monte invidiæ lapillus, in ſtatuam illam incurrit, & falſis criminationibus impetitur, ſternitur, & conculcatur, ut aſſolet terræ pulvis.

Matrona illa nobilis inter ſuos aſſurgebat, ut ſtatua ſolet in propylæis; aſſurgebat, inquam, & avito genere, & majorum gloria, & propriæ virtutis luce atque claritate; & neſcio quâ linguæ petulantiâ incuſas, & quidem falsò, violati thori, violatæque fidei conjugalis: lapillus eſt, qui in ſtatuam jacta linguæ involat, eamque dejicit etiam ad terræ pulverem: ô grande malum detractio, quæ JESUM tradit, & ſacratiora ejus membra.

Sed his datum plus ſatis, veniamus ad Quæſtionem initio propoſitam, cur Salvator Optimus cùm Diſcipulis ſuis injecit illud: *Et Filius hominis tradetur*, non adjecit à quo? & à quibus?

Matth. c. 26. v. 21.

In cœna, quæ illi fuit ultima, edentibus cum eo Diſcipulis omnibus, dixit, *Amen dico vobis, quia unus veſtrûm me traditurus eſt.*

Judam traditorem cur non prodidit Chriſtus?

Unus veſtrûm me traditurus eſt, & nihil ultra: proditorem Judam, qui in oculis, & in menſa erat, non detexit: quæ cauſa?

Divi Patres, atque Interpretes, aliam, atque aliam afferunt.

Ratio I.

Una, ne Diſcipulorum animos ante Euchariſtiam tam funeſto nuntio turbaret; ſed totos haberet intentos in tanti myſterii conſiderationem.

II.

Secunda, ut Judæ conſcientiam pungeret, atque ad pœnitentiam extimularet. *Mittit crimen in numero, ut conſcius agat pœnitentiam*, inquit Divus Hieronymus.

III.

Serm. 7. de Paſſione.

Tertia, ut eundem proditorem, hâc lenitate, atque caritate provocaret ad pœnitentiam. *Notam ſibi eſſe proditoris conſcientiam demonſtravit, non aſperâ, nec apertâ impium increpatione confundens; ſed leni ac tacitâ admonitione convincens, ut faciliùs corrigeret pœnitendo, quem nulla deformaſſet objectio*, inquit S. Leo, qui deinde ad proditorem converſa oratione, ſic inſtat: *Redi in integrum, & depoſito furore reſipiſce. Clementia invitat, ſalus pulſat, ad vitam vita te revocat.*

IV.

Quarta, ne Petrus, ne Apoſtoli cæteri, utpote Chriſti amatores, in Judam inſurgerent, eumque diſcerperent, quod pronum erat concepto jam igne, & ingenti triſtitiâ, à qua ſinguli cœperunt dicere: *Numquid ego ſum Domine.* *verſ. 22.*

Et licet ad hoc reſponderit Chriſtus: *Qui intingit mecum manum in paropſide, hic me tradet*; non tamen ideò aperuit, quis eſſet ille; cùm enim veterum more modóque diſcipuli terni, vel quaterni in lectulis menſæ accumberent, ita terni, vel quaterni communem habebant paropſidem, & ſinguli in ea manum. Unde cùm hoc dixit, non definitè indicavit quis eſſet proditor. At rurſum quæ ratio?

V.

Ea certè, & quidem potiſſima, ut proditoris ſui famæ conſuleret, noſque etiam conſulere doceret, contra quod eſt pronum labi inter menſas, & pocula, cùm à vino madida eſt lingua, cùm mens amens: tum enim explicatur lingua, tum & prurit, & in aliena vitia, etiam occulta, involat, atque inter carnea & fercula, etiam proximi carnes mandit.

Detractionis vitium.

Ne mirere, MI LECTOR, ſi detractorem quiſquis is eſt, alienas carnes manducare dixerim: Hoc primis ævi Chriſtiani ſæculis extulit *Abbas Siſos*, vir notæ inter ſuos virtutis ac ſanctitatis.

In vit. PP. c. 5.

Bonum eſt, loquiebat, *manducare carnem, & bibere vinum, quàm mãducare in obtrectatione carnes fratrum.*

Igitur ex illius Præſulis ſenſu, quiſquis fratri ſuo obtrectat, ejus carnem manducat, quod quàm inhumanum ſit, nemo non videt.

Ad D. Antonium Abbatem ibant è fratribus duo, ibat & ſenex: Hic via tota in navi tacebat, loquebantur illi, & quidem de fratribus ſuis multa,

inter

inter quæ ſubinde etiam noxia eorum famæ, & bono nomini. Venitur ad Antonium, qui fratribus illis dixit: *Bonum enimvero comitem habuiſtis ſenem hunc*; tum etiam ſeni: *Bonos fratres inveniſti tecum Abba.* cui ſenex: *Boni ſunt quidem, ſed habitatio eorum non habet januam. Quicumque vult intrat ſtabulum, & ſolvit aſinam.* (Supra libello 4.)

Hoc autem dicebat (inquit illius interpr. s) quia quodcunque eis aſcendebat in cor, in ore loquebantur.

(Quomodo devitandū?) Et ita ſe res habet in detractore, quiſquis is eſt, cujus lingua minimè continens, eſt veluti ſtabulum ſine janua: quidquid enim in corde, ceu ſtabulo clauditur, hoc exit per os: per os, inquam, maledicum. Ne porrò ſic exiret, docuit exemplo ſuo Chriſtus, qui infandam Judæ proditionem, etſi corde teneret, retinuit tamen, & reticuit, ut nos pariter retinere; & reticere doceret, ſi quid à proximo perperam actum: quod & docuit verbo, cùm ſic ad Diſcipulos: *Filius hominis tradetur.*

Venio ad alteram quæſtionem, quam in fronte mei Thematis poſui, quantum ſcilicet tormentum Chriſto fuerit ſic tradi? ſcilicet Principibus Sacerdotum, hoc eſt juratis ſuis inimicis, à quibus in corpore pateretur & anima.

In corpore quidem dum eum traderent Gentibus raptandum ad immania ſupplicia, ad flagella, ad ſpineam coronam, ad crucem.

In anima verò per odium, & livorem, quo in eum ferebantur. Quod tormenti genus longè graviſſimum.

Cùm quis traditur leonibus, tigribus, aut tauris, ab iis ſolum patitur corpus: nec enim in animam evadere poteſt ea immaniſſimorum animalium ferocia.

Similiter cùm traditur aquis præfocandus, aut ignibus exurendus, ab iis dumtaxat corpus patitur: nec enim in animam penetrare poteſt, aut vis ignis, aut aquæ moles: at cùm quis patitur ab inimicis, & in corpore affligitur per extrinſeca tormenta, & in anima per eorum irriſiones, injurias, convitia, & ſcōmata; & hæc pervadunt ad animam, eamque mirum quantum excruciant.

Et ita paſſus eſt Chriſtus à ſuis inimicis.

David hominum mitiſſimus, & vir ſecundùm cor Dei, ſic aliquando ad Dominum orator, & ſupplex venit, *Ne tradideris me in animas tribulantium me*, hoc eſt inimicorum, quibus tradi reputabat acerbiſſimum. (Pſal. 26. v. 12.)

Bellator ille Machabæus, Deique, populus univerſus cùm multis retrò annis ſenſiſſet ob criminum ſuorum expiationem, ſe traditum Regibus gentium, & tyrannis, quos inter & Antiochus, ita Deum deprecati. *Rogabant Dominum, proſtrati in terram, ne amplius in talibus malis inciderent; ſed & ſi quando peccaſſent; ut ab ipſo mitiùs corrigerentur, & non Barbaris ac Blaſphemis traderentur.* (2. Machab. c. 10 v. 4.)

Sentiebant nimirum Barbaris ac Blaſphemis, hoc eſt Dei, ſuiſque hoſtibus tradi, ſupplicium eſſe, quo nihil majus, formidabilius nihil.

Quod ſi ita eſt, neceſſum eſt fateamur & ipſi, Chriſto fuiſſe diriſſimum tormenti genus, ita tradi, & inde factum, ut Paſſionis ſuæ ſeriem ab hac ipſa traditione ſit exorſus, quaſi à tormento graviſſimo. Mitto cætera, quæ ſunt hujus argumenti, atque ad alia venio.

QUÆSTIO TERTIA

LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Conſummabuntur omnia,*

QVOMODO A CHRISTO, ET IN CHRISTO conſummata ſint omnia? Et quæ cauſa?

IN primo quaſi limine Paſſionis uſurpat Chriſtus voculam illam, *Conſummabuntur.* Et deinde in extrema illius veluti periodo, eandem repetit, & ſimul loqui, ſimul & vivere deſinit: ubi enim extulit iſtud *conſummatum eſt, inclinato capite tradidit ſpiritum.*

Hinc mihi incidit quæſtio, quomodo conſummabuntur omnia? & cur ita conſummabuntur?

Conſummabuntur, inquit, omnia, hoc eſt Figuræ omnes, Prophetiæ omnes, quæ aut exhibitæ, aut ſcriptæ de Filio hominis.

Porro Prophetiæ illæ, ut annotat D. Auguſtinus, ad duo genera Prophetarum referuntur: alii enim operibus, alii verbis de Chriſto vaticinati.

(Prophetiæ de Chriſto.) Operibus quidem Patriarchæ, quà operibus ſuis quaſi totidem Figuris Filii Dei in mundum aliquando venturi opera præſignârunt.

In his fuit *Adamus*, qui ſuo cum Æva matrimonio, matrimoniū ſpiritale Chriſti cum Eccleſia expreſſit. (Aliæ rebus.)

Abel, qui prima Cœlo ſpectante victima cecidit, perfidique fratris invidiâ cæſus, ſuo cruore terram imbuit; Figura utique Salvatoris, qui fratrum ſuorum, id eſt Judæorum invidiâ, Cruci & morti addictus, pacando Æterno Patri oblata quaſi victima.

Noëmus, qui Arcæ ſuæ fabrica Filii Dei humanitatem referre viſus.

Abrahamus & *Iſaacus* ſuis oblationibus: ille quidem dum ferrum nudavit & ſtrinxit; hic verò dum illi cervicem inflexit, Figura utique Æterni Patris Filium immolantis pro ſalute generis noſtri.

Et hi quidem ipſo opere de Chriſto mediatore, utique noſtro, ſunt vaticinati multis retrò ſæculis.

Alii verò tum verbis, tum ſcriptis Prophetias ſuas in poſteros omnes tranſmiſerunt.

Ex his fuit *Iobus*, typus ſanè, & veluti figura quædam animata Chriſti patientis, quem & verbis expreſſit *Moyſes*, qui multa de Meſſia dixit. *David*, qui in Pſalmis ſuis, plurima de eodem ſparſit, etiam teſte atque interprete Chriſto. *Iſayas*, qui ferè totam Paſſionis illius ſeriem deſcripſit, de qua etiam alii Prophetæ multa reliquerunt, quamvis ſubobſcurè. (Aliæ verbis expreſſæ.)

Et hæc omnia vaticinia, ſeu opere expreſſa, ſeu verbis aut ſcriptis mandata poſteris, conſummari, id eſt abſolvi, voluit Salvator Optimus; nec unum iota prætermitti, adeò illorum retinens & tenax fuit, tum in omni vita, tum in extrema illius periodo, in qua de Cruce auditæ hæ voces ultimæ, *Conſummatum eſt*: quaſi diceret, conſummata ſunt omnia tormenta æquè ac myſteria, quæ Pater à me vel toleranda, vel peragenda decrevit, atque naſcenti mihi tolerare ac peragere præcepit, quæ proinde à Prophetis de me prædici voluit. (Aliæ ſcriptis.)

Reſtat

Reſtat ergo cataſtrophe mortis, ut ea conſummem atquè impleam totius vitæ curſum, ac Paſſionis ſeriem, meaque morte reatum mortis, quem Adam ſuo peccato in hunc mundum induxit, expiem.

Mortem igitur, etiam per extrema ſupplicia expreſſam, amplector, atque in Patris Æterni manus ſpiritum reſigno: dixit, & *pauliſper inclinato capite tradidit ſpiritum.* (Joan. c. 19. v. 30.)

At cur, inquies, ſic conſummata omnia? hoc eſt caput ſecundæ quæſtionis, cui verbulo facio ſatis, ut nos doceret conſummare pariter omnia.

At inſinuabis iſtud quomodo, quáve ratione conſummem? eadem ſanè, qua Apoſtolus. At quanam ille? accipe vel illius verbis, vel etiam factis.

Sic enim ait, *adimpleo ea, quæ deſunt Paſſionum Chriſti in carne mea.* (Ad Coloſſ. c. 1. v. 24.)

(Chriſtianus quomodo debeat & ipſe conſummare omnia.) Adimpleo, inquit, hoc eſt prædicando Evangelium, & patiendo in carne mea; & ſic ſatisfaciendo, adimpleo ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti, non quidem in ſe (Paſſioni ènim Chriſti nihil omninò deeſt, nec deeſſe poteſt; ea quippe abundè ſufficit) ſed quæ deſunt in nobis, & quæ etiam in aliis, ea adimpleo.

In aliis quidem, ut in Gentibus, quas dum ad fidem converto, facio participes Paſſionum Chriſti, quod illis deerat, & in me adimpleo, dum in carne mea patior; & ſic mihi applico Paſſiones Chriſti, quæ applicatio illis deerat.

Quod fecit, quod adimplevit Apoſtolus, hoc & tu facias, hoc & adimpleas, AMICE LECTOR. Dixit Chriſtus de cruce *conſummatum eſt*, & modò etiam tibi dicit de cœlo, *conſummatum eſt*. Quaſi diceret.

Debitor eras Æterno Patri, divinæque Juſtitiæ, ego ſatisfeci, ego pretium dedi; tu tibi applica per fidem, per opera bona, per Sacramenta, ceu vaſa Gratiæ, & ſic adimplebis ea, quæ deſunt paſſionibus meis.

Captivus eras, & peccati dæmoniſque mancipium, ego pro te liberando litrum dedi, cave ne per ſcelera nova captivus iterum fias, & ſervus.

Æger eras, & nimiùm quantum æger, ego medicinam obtuli potentiorem omni pharmaco: ego de Sanguine meo potionem confeci, eam ebibe: ego ex parte mea feci quod debui, quod & potui; tu ex tua parte facies quod tuum eſt, & ſic adimplebis Paſſiones meas.

Ego paſſus ſum, & mirum quantum paſſus, & tu patere.

Ego crucem tuli, & tu fer crucem, & ſic adimpleveris paſſiones meas in carne tua.

Ego prædicavi, & Patris mei voluntatem, verbo propoſui, & exemplo, & tu (ſi Deus ad id muneris te evocat) prædica verbo, prædica & exemplo, & ſic in aliis adimpleveris, ea quæ deſunt paſſionibus meis.

Et hæc de Cœlo Chriſtus, qui tibi paſſione ſua præivit exemplo, ut & tu ſequaris, & cum illo pati diſcas, calicem Paſſionis ut & tu ebibas, nec exhorreſcas, nec averſeris.

Ne porro exhorreſceres, ne averſareris etiam ſupplex venit in extrema, quam habuit ad Patrem oratione, cum hæc illi.

Pater tranſeat à me calix iſte. (Matth. 26. v. 26.) Non rogat ne bibat illum; ſed ut ab eo epotus, tranſeat ad alios. Sed amabo te Servator optime, quid iſtud? nonne totum ebibiſti? nonne exhauſiſti totum? enimverò ebibiſti, exhauſiſtique, & ita quidem ut ne guttula illius ſit relicta. Quin imò exhauſto jam eo calice, quaſi adhuc ſitiens, exclamaſti, *Sitio.* (Joan. c. 19. v. 28.) Quid igitur rogas, ut ad alios tranſeat? & quid ſupereſt bibendum, ſi totum exhauſiſti?

Enimverò ſupereſt, & quidem plurimum, non quidem è calice paſſionis Chriſti, hunc enim ebibit ipſe, & quidem abundè ex ſua parte, imò & ſuperèffluenter: ſed inſuper neceſſum eſt, ut tu quoque è ſimili bibas, & Chriſti calicem etiam facias tuum, ut carnem caſtiges, atque edomes, ut ejus flagella tuis jungas, cervicem illius tuæ conſocies, offenſas remittas ut ille, ad injurias, ad probra, ad contumelias obmuteſcas ut ille. Quod ſi feceris, calicem Chriſti ebiberis, & conſummâris omnia, uti conſummavit & ipſe.

Sic ebiberunt duo illi Diſcipuli, ad quos Magiſter optimus. Calicem quidem meum bibetis. Sic & conſummarunt omnia, uti deinde & alii Diſcipuli, uti & martyres, fortia pectora, heroes inclyti, qui non venerunt ad coronas, ad palmas niſi exhauſto calice Paſſionis: clarius eloquar, niſi per vulnera, per ſanguinem, pulchramque mortem: & tu eadem ſemita venias, MI LECTOR, nec ex hac mortali vita excedas, niſi dicto illo verbolo. *Conſummatum eſt.*

QUÆSTIO QUARTA
LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Tunc acceſſit mater filiorum Zebedæi, adorans, & petens aliquid ab eo.* Matth. cap. 20. v. 20.

QVÆ CVRA? QVÆ SOLLICITVDO MATRIS PRO FILIIS? Et quàm præpropera?

PRÆPROPERAM arguit primò circumſtantia temporis expreſſa hâc voculâ, TUNC: cùm ſcilicet Chriſtus ageret de ſua Paſſione, illa agit de regno; cùm Chriſtus de patiendo, illa de regnando, deque triumphando ſermonem injicit, urget, inſtatque ardentiùs, ingeritque iſtud imperantis: *Dic ut ſedeant hi duo filii mei.*

Pro filiis rogat, & pro ſe minimè. Quid facias? hoc vitium matris eſt, hoc & parentum: pro filiis mirè ſolliciti ſunt, mirèque anxii, pro ſe minimè, (Parentum pro filiis cura.) Pro filiis apud Chriſtum ſupplices veniunt, veniunt & oratores, pro ſe verò, nequaquam, quod præpoſterum negotium eſt, in quo tamen plerumque occupantur parentes, ut notare eſt ex Evangeliis, in quibus ſæpe ſæpius ad Chriſtum acceſſere parentes pro filiis, non autem è contra filii pro parentibus.

Regulus ille nominatus inter ſuos, malè metuens filio ſuo, proque morte avertenda mirum quantum anxius, ad Chriſtum advolat: & ſic illi: *Domine deſcende priusquam moriatur filius meus.* (Joan. c. 4. v. 49.)

Princeps Synagogæ pro filia ſua jam mortua ſupplex Chriſto accidit, & ait, *Filia mea modò defuncta eſt; ſed veni.* (Matth. c. 9. v. 19.)

Parens cujus filius Lunaticus totus, ad Chriſti pedes provolutus, ſic illi: *Miſerere filio meo, quia* (Matth. c. 17. v. 22.)

Lunaticus eſt.

Alius pro filio à dæmone abreptitio intercedit. Chananæa pro filiola peſſimè à dæmonio vexata,

Matth. c. 15. v. 22.

ſupplex accurrit, & hæc Chriſto. *Miſerere mei fili David, filia mea malè à dæmonio vexatur.* *Mei*, inquit. quia filiæ miſeria, Matris eſt cruciatus.

Quid agas? hæc eſt Mater, illi patres, & illius, & horum vitium eſt, pro filiis, & filiabus angi, rogare, & remedium quærere, opportunè importunè, cum tamen è contrario, vix filius unus pro parente, ejuſque bono, & ſalute, audiatur eſſe ſollicitus.

Matth. c. 8. v. 21.

Certè in Evangelio, unicum videmus, qui vocatus à Chriſto parentis ſui defuncti curam aliquam gerat. Sequar te, inquit, Sed *permitte me primum ire, & ſepelire patrem meum.* De patris ſepultura tantum cogitat, de vita ei reddenda, ne verbum dicit: ratio hujus, atque illius è natura petita, hæc eſt, quòd parentes ſe in filios victuros arbitrarentur, non contra filii in parentibus; è vitio autem iſta, quòd non ſit is amor filiorum in parentes, qualis parentum in filios, adeoque nec tanta de eis cura, atque ſollicitudo, quod eleganti ſimilitudine expreſſit Vates Regius, cùm parentes componit cum oliva, & filios cum novellis olivarum

Pſal. 127. v. 8.

Filii tui, inquit, *ſicut novellæ olivarum*.

Vidiſti aliquando olivam ſeneſcentem, ut languet, ut areſcit. At unde languet? unde & areſcit? unde & deficit? utique à novellis, quæ circumcirca pullulant, aſſurgunt, & omnem olivæ ſuccum attrahunt, in ſeque derivant non ſine excidio parentis olivæ, quæ ſui quodammodo oblita, ſuccum omnem, adeoque & ſuam quodammodò vitam in novellas illas plantationes tranſmittit, atque effundit, ſibi parca, illis prodiga.

Sunt velut olivæ.

Quod olivæ à novellis; hoc parentibus à filiis: illi ſubinde & ſui immemores, & Dei; non dico ſubſtantiam omnem ſuam; ſed & vigilias, & curas, & ſtudia omnia impendunt in filios & filias, ut illi promoveantur ad opima Beneficia, ad dignitates, ſeu eas Eccleſiaſticas eſſe velis, ſeu ſæculares: hæ verò, ut nobili, ut opulento jungantur matrimonio, quod ut aſſequantur ad inſtar olivæ in filios & filias, ceu novellas plantationes, tranſfundunt ſuccum omnem ſuum, & eò quidem ut ipſi contabeſcant toti,

Præpropera eorum cura

quod genus eſt dementiæ atque crudelitatis: *Quid enim dementius? quid crudelius quàm aliis feciſſe beneficium, & ſibi ſervaſſe ſupplicium?* ut ſcitè D. Ambroſius.

At hoc faciunt è parentibus plerique in filios & filias benigni, in ſe verò crudeles: quod ſtultitiæ genus damnat ac deteſtatur Sapiens: illum audiamus.

Deteſtatus ſum omnem induſtriam meam, quâ ſub ſole

Eccleſ. c. 2. v. 18.

ſtudioſiſſimè laboravi, habiturus hæredem poſt me, quem ignoro, utrum ſapiens, an ſtultus futurus ſit, & dominabitur in laboribus meis, quibus deſudavi, & ſollicitus

verſ. 19.

fui. Et eſt quicquam tam vanum?

Deteſtatur Sapiens, & damnat induſtriam ſuam & labores ſuos, quos vidit Sol oriens & occidens, & hoc quidem in gratiam hæredis, quem ignorat an ſapiens, an ſtultus futurus ſit: & tamen ut is ſit, dominabitur in laboribus parentis; vel ut habent Complutenſes:

Licentioſus erit, abutetur in licentiam ſuam, in libidinem, in Venerem.

Et eſt, inquit, *quicquam tam vanum?* profectò nihil: quid enim vanum magis, quàm ſtulto laborare, quàm prodigo congerere, qui vel unâ luce diſſipabit, quæ multis annis acquiſieris, labore multo, ſudore multo.

Non ſic profectò ſapiens, non ſic in Chriſtiana Logica probè doctus, ſecum ipſe loquetur, ſecum deliberabit, ſecum ſic concludet.

Eſt mihi hæres, eſt filius, erit ille prudens, aut ſtultus; ſi prudens, paucis contentus vivet; ſi ſtultus, ei ſufficiet nihil.

Et hæc argumentatio fuit, quâ uſus olim *Phocion* inter Athenienſes vel maximè ſapiens, qui ut modico vixit; ſic & filios ſuos vivere modico voluit, nec opes, quas tamen accumulare poterat, iis in cumulum congerere.

Phocion inter ſapientes.

Ad eum Legatos emiſerat Philippus Macedo, Alexandri Magni parens, cum ingenti auri ſumma, cum talentis multis, quæ ſi minus ſibi accipere, ſibi retinere vellet, filiis ſaltem ſuis, & accipere, & retinere: hoc enim ſuadere videbatur & paternus amor, & cura pro filiis ſeriſque nepotibus.

Divitiarum contemptus

Et hoc tamen, & illud abnuit *Phocion*: aſſerens nec ſibi, nec filiis opus eſſe eâ vi auri argentíve: ſibi quidem minimè, ut qui hactenus vixiſſet contentus agello; filiis autem, quos eodem contentos optabat vivere: ſic enim ad Legatos de filiis ſuis: *Si mei ſimiles erunt, idem hic agellus illos alet, qui me ad hanc dignitatem perduxit; ſin diſſimiles ſint futuri, nolo meis impenſis illorum ali augerique luxuriam.* Hæc Phocion, qui idcirco audiit homo frugi: audiit, inquam, atque in poſteros tranſmiſit, ut *homo frugi dicatur*, & ſit, qui modico ſe continet, nec opum phaleris indui ſe patitur, nec dignitatibus ornari, aut ſe, aut ſuos ambit.

Si ea fuiſſet mater filiorum Zebedæi, non veniſſet ad Chriſtum ſupplex, neque intuliſſet præpoſterum iſtud: *Dic ut hi duo filii ſedeant in Regno tuo, unus à dextris, unus à ſiniſtris.* Sed potiùs omnem filiorum ſortem Chriſto commiſiſſet, hoc uno contenta, quòd in ejus familia eſſent etiam noviſſimi, etiam infimi; hoc enim eis plus ſatis: ſed proh dolor pudorque, etiam ſubinde in ſacra Domo, in ipſa Chriſti familia regnat ambitio, & ſtultum illud ingerit: *Dic ut filii mei ſedeant in Regno tuo.*

Ambitio.

Sedere vult, quod eſt quietis, non laboris, & quidem in regno, quod eſt ambitionis, quod & victoriæ & triumphi: ſed ante pugnam, quod ignorantiæ, quod ſtultitiæ.

Quod illa mater olim, hoc & aliæ eo quo vivimus ævo, in quo una filio præbendam optat benè pinguem, non ut cautè vivat & caſtè; ſed lautè. Altera Abbatiam ambit filio, non ut inde modeſtus vivat & humilis; ſed honoratus mitrâ tireos, & pedo timendus. Alia Epiſcopatum vovet, & ſi voles etiam Pontificatum, ut inde in Principem aſſurgat familia, aſſurgant filii, ſerique nepotes. Una alia Regnum ſi voles etiam deſignabit, ſignabit & Imperium, etiamſi fortè in eo æternùm periturus ſit filius, parum intereſt, dum regnet, dum imperet.

In quo non multùm abſimilis erit Agrippinæ, Neronis matri, quæ Imperium ambiens Neroni filio ſuo, ſuper eo conſuluit Chaldæos, Aſtrologiæ peritiores, qui & hæc illi.

Imperabit Nero; ſed matrem occidet, quibus tum illa,

Tacitus.

occidat, dum imperet. Hæc illa in filium, ut videbatur, benefica; in ſe verò ſæviſſima: imò & in filium, quem Imperium tenere voluit, etiam per immania ſcelera, per ferrum, per rogos & incendia, perque ipſum matricidium.

Quid facias? inſana mater & amens ab amore, cœca ab ambitione: cui utinam non multæ eſſent ſimiles, etiam in orbe Chriſtiano, etiam in Fidei luce, etiam in arce Religionis.

De patre ſuo, cùm adhuc implexus erroribus ſuis eſſet, queſtus aliquando D. Auguſtinus, quòd ei in primis curis atque amoribus id unum eſſet, ut filius in virum doctum evaderet, in oratorem facundum, in nominatum inter homines, ut primas cathedras occuparet, ſibi magnus & mundo; ſed Deo parvus. Audiamus quid de eo candidè & ingenuè in Confeſſionibus, quas publico dedit: ſic in illis de patre ſuo:

Quis non extollebat laudibus tunc hominem patrem meum, quòd ultra vires rei familiaris ſuæ impenderet

Lib. 2. Confeſſ. c. 3.

filio:

S. Auguſtini Patris cura pro filio, cura & matris. *filio: quidquid etiam longè peregrinanti ſtudiorum cauſa opus eſſet: multorum enim civium longè opulentiorum, nullum tale negotium pro liberis erat; cùm interea non ſatageret idem pater qualis creſcerem tibi, aut quàm caſtus eſſem, dummodò eſſem diſertus, vel deſertus potiùs à cultura tua Deus.*

Hæc D. Auguſtinus de patre; at non ſic de bona matre S. Monica, cujus hoc erat votum unicum, non ut doctus, ut facundus, ut dives eſſet filius; ſed bonus, ſed pius, ſed Deo carus, utque is eſſet eò conſpirabant & preces, & lacrymæ, quas filio affundebat ſollicita mater: de illa ſic Auguſtinus:

Lib 3. c. 11. *Et miſiſti manum tuam ex alto, & de hac profunda caligine eruiſti animam meam, cùm pro me ploraret ad te mater mea, fidelis tua, amplius quàm flent matres corporea funera: videbat enim illa mortem meam ex fide & ſpiritu, quem ex te habebat, & exaudiſti eam Domine.*

Et verò exaudiendam dixerat illi S. Ambroſius, cùm ſic ad illam: *Vade à me: ita vivat, fieri enim non*
Cap 12. *poteſt ut filius iſtarum lacrymarum pereat.*

Ecce bonæ matris curas, ecce vota, ecce lacrymas, quas affundit ſaluti filii ſui, de hac una videlicet anxia, de cæteris minimè.

Contra quam faciunt pleræque hoc ævo matres, quæ ea, quæ ſerviunt huic vitæ dumtaxat aſpiciunt & provident, de æterna Gloria, de Beatitate minus ſollicitæ. Quod vitium in parentibus altiore ſtylo atque aculeato pungit & perſtringit D. Chryſoſtomus. Juvat illum audire adhuc ſpirantem in ſcriptis, adhuc & tonantem è Cœlis.

Hom. 35. *Perquam iniquum & indignum eſt*, inquit, *Si Filium tuum ad Reginam, & Regem introducens, ut ipſum Familiariſſimum Regi, Regi chariſſimum conſtituas, omnia & facis & pateris, cunctaque molìris, nihilque penitus, dum id quæris, omittens, aut ſubterfugiens, non ſumptum, non pericula, non incommoda, non mortem ipſam. Cœleſtis verò militiæ, cœleſtiumque numerum optione propoſita, non doleas ſi extremum ſortiatur locum, ſitque omnium noviſſimus. Imò ne quidem noviſſimus.*

Non ſic providi parentes, non ſic: neque enim id illis eſt curæ, ut augeantur patrimoniis, ut dignitatibus ornentur, ut huic ſæculo magni ſint; ſed ut Deo grati, ut cœlo & ſuperis magni, ut liberi ab omni peccati nævo, etiam ſi fieri poſſet leviſſimo. Jobi cura pro filiis.

Ita Jobus, ut filiorum peccata vel leviſſima; aut averteret, aut deleret, continuis ſacrificiis Deum exorabat: dicebat enim, *Ne fortè peccaverint filii mei, & maledixerint Deo in cordibus ſuis.* vel ut Septuaginta: *Ne fortè filii mei in mente ſua cogitaverint mala erga Deum.* Cap 1. v. 5.

Ecce ut occulta, ut mente tantum concepta mala, in filiis ſuis exhorreſcit pius parens: ecce ut illis proſpicit: quam certè providentiam dum attendit D. Chryſoſtomus exclamat:

Ulàne jam nobis erit excuſatio, quando is, qui ante gratiam, ante Legem fuit, nullo ſacrarum litterarum magiſterio inſtructus, tantam filiorum oſtendit, geſſitque providentiam, ut de incertis quoque eorum, & occultis tremeret, paveretque delictis. Lib. 3. adverſ. vituperatores vitæ monaſticæ.

Quæ Jobo, parentum optimo, filiorum incubuit cura: eadem & Jacobo Patriarchæ, qui de eorum moribus ſollicitus, ſic ad filium ſuum Joſephum:

Vade & vide ſi cuncta proſpera ſint erga fratres tuos, & pecora, & renuntia mihi, quid agatur. Gen c. 37. v. 14.

Optat de omnibus fieri certior, & ſi quid perperam actum ſit, aut emendet ipſe, aut emendari curet; ita de filiorum moribus omnis propè cura, de aliis non item: Et ea quoque debet eſſe parentibus Chriſtianis. Jacobi Patriarchæ pro filiis cura.

QUÆSTIO QUINTA
LITTERALIS ET MORALIS.
Ad illa verba: *Neſcitis quid petatis.* Matth. cap. 20. verſ. 22.
UNDE ET CUR NESCIUNT, QUID PETANT?

PETITIONEM, & tempori, & loco importunam injecerat mater: *Dic ut*
verſ. 21. *ſedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, & unus ad ſiniſtram in Regno tuo.* Matri tamen, ne verbulo quidem reſpondet Chriſtus; ſed filiis, quæ cauſa?

Ea potuit alia eſſe atque alia. Una, quòd Chri-
Cur matri non reſpondet, ſed filiis. ſtus, qui pro ea, qua erat intelligentiæ vi occulta, penetrabat, pervidebatque non tam matrem petere, quàm filios in matre, & per matrem: altera, quia non tam matris intererat ſic moneri, ſic argui, quàm filiorum, quos in ſua ſchola inſtituebat Chriſtus inſtruebatque. Alia, ut diſcipulis cæteris fieret ſatis, utque retunderetur, ſi quis inſurgeret aut invidiæ ſtimulus, aut ſtultæ æmulationis æſtus ardentior. Poſtrema denique ut tam in his, quàm in illis extingueretur ambitionis igniculus & maleſana regnandi cupiditas, ſi quæ in animum veniſſet.

Et hinc ad Diſcipulos illos converſa oratio, directaque reprehenſio, in qua erroris arguit atque
Unde neſciunt hi quid petunt? ignorantiæ his verbis: *Neſcitis quid petatis.*

At unde? & cur neſciunt? Certè ex multis capitibus, è quibus erroris convincuntur.

Primus eſt, *in fine*: proponebant enim ſibi ad-
Unde etiam error? optionem in regnum chimericum: regnum videli-
1. delicet terrenum & pompoſum, quale fuerat Davi-
In fine. dis, quale & Salomonis, cujus hæres & filius erat Chriſtus, cujus tamen regnum erat ſpiritale & cœleſte; & hinc objicit illud: *Neſcitis quid petatis, oſtendens quod nihil ſpirituale petebant*, inquit Divus Chryſoſtomus.

Secundus error erat in *mediis*: exiſtimabant enim II.
regnum illud Chriſti, dandum carni & ſanguini, & In mediis.
primas in eo ſedes adeundas per carnem & ſanguinem, hoc eſt per cognationem, in quo errabant quàm turpiſſimè: regnum enim illud cùm ſpirituale eſſet & cœleſte, non erat concedendum niſi ea meritis, quæ necdum exhibuerant. *Neſciunt quid petant, qui ſedem gloriæ à Domino quam nondum merebantur inquirunt*, ait Beda.

Alius error erat in circumſtantiis eò loci & tem- III.
poris: cùm enim immineret Chriſti Paſſio, & ago- In circumſtantiis loci & temporis.
nia, & hæc, & illa luctum exigebat & mœrorem, inde D. Chryſoſtomo interprete, hæc ad illos Chriſtus:

Vos de honore loquimini, ego verò de agonibus & ſudoribus diſputo: non eſt enim hoc præmiorum tempus, ſed occiſionis, ſed præliorum: & periculorum, in quorum partem cum magiſtro venire proprium erat diſcipulorum, & cum Duce etiam militum in eandem arenam deſcendere.

Et hinc etiam error alius, neſciebant enimverò IV.
quid petebant, quia petebant & victoriam ante pu- In meritis.
gnam, & triumphum ante victoriam, quod erat præ-

poſterum & alienum à Cœli regno, modoque illius adeundi.

Matth. c. 11. *Regnum enim cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Nec mollis ad aſtra via; ſed aſpera: nec facilis; ſed ardua: nec ſtrata roſis; ſed à ſpinis eruenta: & hinc alius error in Diſcipulis.

IV. In vocatione. Error, inquam, in eo quòd penitus aliena atque abhorrentia à vocatione ſua poſtularent: eò quippe ex aquis ad Apoſtolatum vocati erant, ut paupertate, humilitate, cruceque ſibi viam facerent ad aſtra, ad cœleſtia regna, ad culmen beatitatis, ad quod non itur per honores, ſed potiùs per contemptum, per humiliationem: appello D. Chryſoſtomi fidem atque authoritatem. *Non ipſum Martyrium*, inquit, *celeriori gradu tendit ad Gloriam, quàm humiliatio.*

Hæc certè rectiſſima via eſt, quæ tendit in Cœlum: & hanc inire, hanc & ambire debuiſſent Apoſtoli, & quia non iniêrunt, hinc meritò audiunt à Chriſto: *Neſcitis quid petatis.* Ut porrò ſcirent, ſic etiam ad illos: *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum?* Sed de hoc poſtea: venio ad noſtra ſæcula, in quibus proh dolor pudorque, viſuntur & hi errores, & quidem primus etiam in fine. — *Error etiam noſtri ſæculi.*

I. In fine. Is ex natura, ea ratione, ea fide, omni homini Cœlum eſt, & Cœli regnum, regiaque Beatitatis: ſed hanc plerique mortalium minimè ambiunt, minimè quærunt, & terrena regna, pro quibus adeundis & bella movent, & acies inſtruunt, & ſanguinem humanum effundunt torrentium inſtar, & terram hanc, quæ Cœli comparatione punctum eſt, armis ferroque dividunt, hoc uno ſibi beati, ſi nova regna, quæ venantur, capiant; & ſæpe ſæpiùs etiam per fas & nefas.

Non ſic grandes animæ, non ſic: hæ enim & terrena, & regnum, & coronas, & ſceptra ad pedes abjiciunt, & toti ad cœleſte aſpirant, hoc uno beati, cætera miſeri. Et certè quidni beati eo regno, cujus opulentia, infinitas; cujus amplitudo, immenſitas; cujus duratio, æternitas; cujus dignitas, ipſa Divinitas.

Et hujus, & illius probè conſcius D. Auguſtinus, cùm ſibi ſoli vacaret & Deo, exclamare ſolitus.

In Soliloq. c. 35. *O regnum beatitudinis ſempiternæ, ubi juventus nunquam ſeneſcit, ubi decor nunquam palleſcit, ubi amor nunquam tepeſcit, ubi ſanitas nunquam marceſcit, ubi gaudium nunquam decreſcit, ubi vita terminum neſcit.*

Valeant igitur terrena regna, quæ & cum labore acquiruntur, & cum timore poſſidentur, & cùm dolore relinquuntur. Et verò cum dolore relinqui teſtatus aliquando Philippus III. Hiſpaniarum Rex longè Maximus, cujus in extrema vitæ linea, hæc audita cygnea vox, aut verius oraculum tranſmiſſum ad poſteros: *Nihil confert Regem eſſe, niſi ut in morte cruciet fuiſſe.* I modò quiſquis es regni candidatus, regni amaſius, & Rex ſis, ſi voles, ſi poteris eris, ut in extremis crucieris ab hac unica vocula, *fuiſſe*, quam ſi non levi oculo; ſed fixo, ſed irretorto legerent puſilli mortales, non eò venirent ambitionis, non eò dementiæ, uti aliquando venit in Belgio noſtro mercator, cujus nomini parco, ut parcam familiæ.

Hic cùm medius regnaret in auro, in gemmis niteret, in voluptatibus nataret, in deliciis difflueret, Cœli faſtidio captus, & terræ amore ebrius, exclamaſſe dicitur, illudque non chriſtianum, ſed atheum effudiſſe in reluctantes auras: *Tibi ô Deus Cœlum ſerva, & mihi terram relinque.*

Dixit, & in eo voto animam expuit, Cœlo Deoque vindice. Hæc puer accepi à fide dignis, & altâ mente repoſui atque ſervavi, & huic pagellæ inſertum volui, ut poſteris documento eſſet, atque exemplo, ne & ipſi plus æquo terram ament, & terrena; ſed potius cœleſtia atque æterna.

Sed inſtitutum proſequamur, & videamus, quomodo etiam hoc ævo errent mortales in mediis. — II. In mediis.

Erravit mater filiorum Zebedæi, in eo quòd credidit primas in Chriſti regno ſedes dandas ſanguini, & cognationi. Errant & in hoc quoque mortalium plerique. Et quidem primùm illi, qui in beneficiis, & dignitatibus Eccleſiaſticis, quæ ſua ſunt quærunt, non quæ JESU Chriſti, in quos ſic D. Bernardus:

Ipſa quoque Eccleſiaſtica dignitatis officia, in turpem quæſtum, & tenebrarum negotium tranſiere, nec in his ſalus animarum; ſed luxus quæritur divitiarum. — *In Pſal. Qui habitat. Serm. 5.*

Quæritur caro & ſanguis, & promoventur propinqui, ut de bonis Eccleſiæ diteſcant, ut aſſurgant ad altiorem fortunam, quàm natalium ferebat conditio, quàm & morum probitas & ſcientia requirebat; nec mirùm, quia in illis habetur ratio ſolius cognationis, quam meritò *Tenebrarum negotium* appellat D. Bernardus.

Ea vero enim in eo negotio, nec videtur, nec attenditur quid ratio boni communis poſtulet, quid Eccleſia, ceu bona mater, exigit; quid ipſum officium, ſeu dignitas requirat; ſed tantùm quid caro & ſanguis ſuadeat: in quo ſanè erratur quàm turpiſſimè: ſic enim non providetur officiis, ſed perſonis: quæ providentiæ ratio eſt præpoſtera, & ab omni rationis dictamine aliena: quod è Petri Cathedra, ceu ſpecula, dum proſpicit Hadrianus VI. Pont. Max. propinquis ſuis, aut omninò nulla, aut exigua contulit Beneficia, in externos propenſior, quàm in domeſticos, quòd crederet diceretque ſanguini, aut parum, aut nihil eſſe concedendum, virtuti autem plurimum; imò & totum: cujus continentiæ argumentum ſit illud. — Hadrianus VI. Pont. Max. in conſanguineos quam parcus.

Adhuc Cardinalis nepoti ſuo Beneficium dederat aureorum ſeptuaginta, rogatus ut aliud pinguius tribueret, induci nunquam potuit, adjiciens & illud dignum Cedro.

Cupere ſe homines Beneficiis dare, non Beneficia hominibus. — Beneficia quomodo conferenda.

Quod oraculum Magni Pontificis, ſi audirent Antiſtites omnes, non ea foret in conſanguineos, & ſæpiùs etiam immeritos Beneficiorum profuſio, ſub qua gemit, & gemet Eccleſia.

Ne porrò gemat, audiendus è Petri Sede Divus Gregorius, & nomine, & reipſa Magnus: ejuſmodi *Prælatos carnales appellat, qui ſpiritualis honoris culmina carnalibus propinquis ideò tribuunt, ut eccleſiaſticis facultatibus ditentur, & in altitudine ordinis cumulentur abundantiâ ubertatis, nec curant quales ſunt, qui ad ſpirituale miniſterium veniunt; ſed tantùm, ut temporali dignitate præferant, quos carnali affectione complectuntur.*

Quod vitium quantum ſit & quàm infame, ea co deducit Pius Pontifex, quòd is, qui ejuſmodi molitur, *Propinquos magis, quàm Deum honoret*: quod ſanè impietatis genus eſt, & in Eccleſiam, ceu matrem, etiam immanitatis; quia ut diſertè D. Ambroſius: *Præceptum evidens eſt, præferenda ſit religio neceſſitudini, pietas propinquitati*: contra quod peccant vel graviſſimè illi, qui ſecus faciunt, in quos proinde ſæpiùs incurrit vindex Deus, uti olim incurrit in Heli Sacerdotem, qui in ſacris illis miniſteriis filios ſuos magis honoravit, quàm Deum. — Et quibus. — Heli peccatum, & pœna.

Unde & malè periit, & filii malè perierunt.

Sed ne longius, deſcendo ad alium errorem, quo involvuntur è mortalibus plerique, qui in hoc vitæ ſtadio amant ſedere, triumphare, otiari & regnare; cùm tamen hæc vita noſtra non ſit locus quietis, otii, regni, triumphi; ſed potiùs laboris, negotiationis, certaminum, in quibus & ſudor glorioſus, & fuſus per vulnera ſanguis non indecorus. — III. In circumſtantiis loci, & temporis.

Certè D. Auguſtinus, Apoſtolos divinæ legis & ſanctimoniæ magiſtros, appellavit *Splendidos negotiatores*, portantes coram Regibus & Gentibus, — *Serm. 19. de Sanctis.*

pretioſa

Digitized by Google

pretioſa Fidei mercimonia; at non ſine labore multo, ſudore multo.

In cap. 1. Iſay. D. Ambroſius, *adminiſtrationem Sacerdotum eſſe dixit mercimonium. Imo & Clericatus officium eſſe quæſtum, & quidem non modicum, ubi ſcilicet, lucrum non pecuniarum; ſed animarum.* At nec hoc ſine labore ſudoreque.

Cap. 15. Amplius aliquid Sapiens, qui vitam hanc omnem, quanta, quanta eſt, appellavit, *nundinationem quæſtuoſam*: at nundinatio non exercetur ſine cura multa, ſtudio multo, periculo multo, per alta maria, per calentes arenas, per adverſos Euros & tumultuantes undas, in quibus infame ſæpiùs naufragium eſt; quod ſi fortè minus illud, certè piraterium.

Vita hæc piratorium. Ne me damnes, AMICE LECTOR, ſi vitam hanc mortalem, dixerim eſſe veluti *piraterium*, non mea vox illa; ſed patientis Jobi, ſed tantis Deo cari, cui hominis vita dicitur, & eſt *militia ſuper terram*, & ita habet vulgata lectio (pro qua duo Pontifices longè clariſſimi, Ambroſius Mediolanenſis, & Maximus Taurinenſis vertunt, *piraterium eſt*) ſic in *Cap. 7. v. 1.* illud Jobi: *Vita hominis ſuper terram*, cujus rationem hanc reddunt, quòd in hac vita, circa homines diabolus tanquam pirata deſæviat.

Diabolus Pirata eſt. Quod ſi hæc vita mortalis eſt *militia*, utique, & pugnæ, & certaminum tempus eſt, non laurearum, non triumphorum: quod ſi *piraterium*, etiam periculorum ſedes eſt, non regnorum, Ideoque in ea perperam quæruntur & laureæ, & triumphi; perperam & regna: hæc enim omnia æternitati ſervantur, non huic ævo mortali.

C. 5. v. 10. Sapiens, mitiore voce uſus, hanc vitam appellavit *navigationem*; ſic enim de illius curſu, fluxúve. *Sicut navis quæ pertranſit fluctuantem aquam.*

Lib. 5. de rebus Dani. Danorum Primatibus, ubi obierant, pyram conſtrui ſolitam eſſe tradit Saxo Grammaticus. Et Græci ut plurimum ſuis ad littus maris ſepulchra condebant, quod de Catone Uticenſi, & Aiace Telamonio ſcribit Plutarchus, quin & patri, fratribusque ſuis Machabæis Simon monumentum poſuit pyramides & columnas, *Et ſuper columnas arma, & juxta arma naves ſculptas, quæ viderentur ab omnibus navigantibus mare.*

Vita hæc navigatio eſt. Nempe ut docerentur vitam hominum, quantumvis dignitate & virtute polleant, non aliam eſſe quàm navigationem, & fluctuationem: quod ſi navigatio eſt, ſi & fluctuatio, profectò in ea explicanda ſunt vela, deducendi hinc & inde rudentes, & agendum remis, & contis uſque dum navis invehatur in portum, atque in eo deſinat jactari velut in quieta tranquillaque ſtatione.

Quod navi in oceano; illud & homini in hac vita: in ea agitetur oportet, & undis & ventis quaſi ludibrium, in quo proinde promovenda navis, id eſt vita, & remis, & contis, hoc eſt labore multo, ſudore multo, vigiliis multis, uſque dum teneat portum æternæ quietis ac felicitatis.

Ex quo ſanè & conſequens illud eſt, ut qui in vita hac quietem ambiat, ambiat & regni ſedem, næ ille plurimum erret.

Labore, ſudore, patientia, periculis, contumeliis, injuriis, imò & multo ſanguine adeunda regni cœleſtis poſſeſſio. Neque obtrudendum illud quod olim Zebedæorum mater. *Dic ut ſedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram, & unus ad ſiniſtram in regno tuo:* non, inquam, obtrudendum illud, niſi multis meritis, illuſtrique in malis conſtantia illud emeris. Secus ſi fiat, error eſt in modo ac ratione obtinendi cœleſtia regni.

Sed & alius quoque in vocatione Chriſtiana. IV.
Ea ex vero non eſt alia quàm Chriſti imitatio, à *In vocatione.*
qua & Chriſtiani dicuntur, & verò etiam ſunt, aliàs non futuri: Chriſtiani enim non ſunt, niſi *qui vivendo Chriſtum imitantur*, ut inquiebat S. Gregorius *Orat. 21.* Nazianzenus & Chriſtianiſmus non eſt niſi quædam imitatio Chriſti. *Chriſtianus Juſtitiæ, bonitatis, integritatis, patientiæ, caſtitatis, prudentiæ, humilitatis, innocentiæ pietatis eſt nomen*, aiebat olim D. Auguſtinus. *Lib. de vita Chriſtiana cap. 6.* Et hanc, & illam niſi dederis, recuſes nomen *tanquam judicem ſuſpectum* dicebat Tertullianus. *Lib. contra Marcionem, c. 14.*

Recuſes, inquam, Chriſtiani nomen, niſi & patientiam, & humilitatem, aliasque Chriſti virtutes dederis, per quas ſibi gradum fecit in Cœli regiam, & cœleſtem regnum, in quod qui alio tramite tendit, næ ille plurimum errat. *Patientis ut neceſſaria.*

Appello illud Servatoris oraculum ad Diſcipulos euntes in Emaus: iis ſeſe viſendum dedit, & poſt multa hinc, & hinc colloquia, ſic ad illos: *Nonne oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam?*

Oportuit, inquiebat, quod videbatur neceſſitatis, poſito Patris Æterni decreto, & prona ipſius Chriſti voluntate, qui hanc ſibi legem poſuerat, non intrare in gloriam etiam ſuam, niſi patiendo, & quidem extrema quæque, etiam & mortem, per immania vulnera, perque Crucem.

Si oportuit pati Chriſtum ut intraret in gloriam ſuam: an non oportebit pati Chriſtianum, ut intret, & ipſe in gloriam etiam alienam? oportebit profectò, & hoc quidem vel ex ipſa vocatione, ipſoque Chriſtianiſmo, in quo docetur, exerceturque patientia, quam qui dare recuſat, næ ille multum aberrat à ſua vocatione, & Chriſtianiſmi lege.

QUÆSTIO SEXTA

LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Poteſtis bibere calicem quem ego bibiturus ſum? dicunt ei, Poſſumus,* Matth. cap. 20. v. 22.

QUIS ILLE CALIX? QUOMODO EX EO BIBERINT APOSTOLI?

Calicis nomen unde? De calice multi multa, ex natura, ex vitio, ex virtute, ex antiquitate omnique penu eruditionis: quorum è multis pauca; & quidem primò de ipſa notione calicis: deinde de alia atque alia illius acceptione.

Sunt qui calicis nomen deductum opinantur à voce græca κυλίξ; unde Cylicrani dicti; populus, erat propè Heracleam, cujus pars κυλίξ, poculo enim Herculem multibibum, tanquam navigio maria immenſa tranſiſſe jactabant: fabula eſt & commentum, de quo Macrobius.

Caſſiodorus tamen calicem non à græco deducit; ſed à calore, quod eo Veteres calidam biberent, quòd crederent ſalubriorem potum calidum eſſe, quàm frigidum. *Calicis acceptio varia.*

Porro in ſacris paginis, alia, atque alia eſt acceptio calicis, ſubinde enim ſumitur in bonam partem,

 quando-

quandoque etiam in malam.

In bonam, eſt illud Pſaltis Regii, qui dicit: *Dominus pars hæreditatis noſtræ, & calicis noſtri.* Id eſt Dominus portio noſtra, & hæreditas noſtra, quæ appellatur *Calix*, ex eo quòd olim portiones in calicem conjicerentur, & ſortito extraherentur.

Pſal. 15. v. 5.

In malam partem eſt & illud ejuſdem Regii vatis, quo minas peccatoribus imentat, & cœlo irato fulmina; ſic enim in illos fatidico ſpiritu. Pluet nempe vindex Deus *ſuper peccatores laqueos ignis, & ſulphur, & ſpiritus procellarum pars calicis eorum.* Ibi pars calicis idem eſt ac ſupplicium, quod de peccatoribus exiget Deus, imò & ipſa mors, quam inferet, tanquam juſtus Judex: Hæc porro calicis acceptio ex eo nata, quòd damnatis ad mortem, unum hoc decretum eſſet ſupplicium, ut venenum biberent, quod facere juſſus eſt Socrates.

Rei cogebantur venenum ebibere.

Et hunc calicem *vinum damnatorum* appellavit Amos, ex eo quòd damnatis ad mortem propinari ſoleret: ſed quia illud immanitatis erat, placuit repudiari, datique vinum myrrathum, ut alacrius mortē obirent, quale & oblatum Chriſto morienti.

Cap. 2. v. 8.

Socrates juſſus venenum bibere.

Inde paræmialis illa phraſis bibendi calicis pro morte nata eſt, eaque uſus ipſe Chriſtus, dum ſic ad Petrum, *Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum?* quaſi diceret, mortem, quam me ſubire voluit Æternus Pater, non vis ut ſubeam? Voles enimverò, ſi me, ſi cœlum audis, ſi & te ex ſalvum velis.

Aliàs, vox ea calix, ſumitur pro ira Dei, juſtaque in peccatores vindicta: ſic à Pſalte Regio dicitur, *Calix in manu Domini vini meri, plenus miſto,* & inclinavit *ex hoc & in hoc: veruntamen fex ejus non eſt exinanita, bibent omnes peccatores terræ.*

Pſal. 74. v. 9.

Et hic calix in manu, hoc eſt in potentia Dei, iſque duplex, interprete Euthymio, & Nicephoro, unus *vini meri*, alter *plenus miſto.*

Vini meri, eſt ille, qui eſt ſine miſericordia; *plenus miſto*, eſt is, in quo juſtitiæ aliquid, aliquid admiſcetur miſericordiæ: ſic interpretes illi.

Calix juſtitiæ ſymbolum: modo miſerationis.

Magis tamen placet ea D. Ambroſii explicatio, ut ſit unus idemque calix, qui dicitur, *vini meri*, ut eo notetur Juſtitia; *plenus miſta*, ut indicetur miſericordia: Deus enim etiam puniens Juſtitiam ſemper miſericordiæ miſcet, ac temperat, quod eſt bonitatis. ita D. Ambroſius quem juvat audire. *Calix eſt, in manu Domini, quia parata, & plena ſemper eſt pœna, quæ debetur impiis, quam Dominus declinat in perfidas; ſed tamen miſeratione ſua non uſque ad fecem dignatur effundere, ne plenitudinem ſupplicii ferre non poſſint. Inclinat ergo calicem, non evacuat: quod inclinat, cēſuræ eſt; quod non evacuat, miſericordiæ.*

Aliquando ea vocula, *Calix*, voluptatis ſymbolum eſt, atque indicium, & tale fuit, *poculum aureum* in manu meretricis magnæ, *plenum abominatione & immunditia fornicationis ejus, cum quo fornicati ſunt Reges terræ, & inebriati ſunt qui inhabitant terram de vino proſtitutionis ejus.* Quo etiam, hoc quo vivimus ævo, inebriantur mortalium plerique: non inebriaremur ſi ſuæ mortalitatis, & mortis vicinæ meminiſſent probè.

Calix ſubinde voluptatis ſymbolum.

Apocal. 17. v. 2.

Audio Nationes olim fuiſſe, quæ ſolitæ erant bibere adhibito cranio humano pro calice, fortè ut mortis memoria eſſet illis pro fræno adverſus inſolentem luxuriam, atque ebrietatem.

Cranio pro calice qui ſint uſi.

Sic Albuinus Longobardorum Rex de Patris ſui Cunimūdi Gepidarum Regis cranio bibiſſe dicitur, fortaſſis ut ſui memoiſſet, & Patris, & imminentis fati: optandum ut ex eo quoque biberent inſani illi cōpotatores, & fortes ad miſcendam ebrietatem.

Albuinus Longobardorum Rex cranio pro calice uſus.

Sed ne longius, de calicis notione ac varietate hæc pauca attigiſſe ſit ſatis, redeo unde paululum digreſſus ſum, ad calicem de quo hic Chriſtus ad Diſcipulos: *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum?* Et illud aſtruo, calicem illum non alium eſſe, quàm Paſſionem & mortem ipſius Chriſti, quam ideò ponit ſub oculis, ut illius exemplo provocati, non abhorreant ab illo calice; ſed liberè, ſed audacter exhauriant, & Deo, Servatori ſuo paſſionem pro paſſione, mortem pro morte rependant, quod Chriſtianæ virtutis eſt, imò & neceſſitatis: ad hanc & illam, & Diſcipulos, & nos omnes inſtruit exemplo ſuo Chriſtus, ceu Medicus, ceu Magiſter optimus: quo enim potiùs?

Novi ego Prælatum antiquæ & primæ nobilitatis in Italia, mihi impensè commendatum ab admodum R. P. Mutio Vitelleſco Societatis noſtræ tum Præpoſito Generali.

Venerat ille Româ ad aquas ſpadanas, ut arenulas (quæ materiâ calculi ſunt) iis elueret, effunderetque: cúmque illi medicus primùm præſcripſiſſet duo vitra aquæ, ſingula unciarum duodecim, tum etiam quattuor, tum octo decémve: viſum illi inſolens tantùm aquæ bibere, & ſtomachum implere uſque ad fauces; tum quæſivit à medico: An nocere non poſſent? cúmque ſubjunxiſſet ille, nocere non poſſe; imò prodeſſe quàm plurimùm.

Medicus ægro præcat.

Cui ille, bibe ergo tu? & cùm ille (ut erat lepido ingenio) ſubintuliſſet, ſe quidem, ſe ſanum eſſe, & veniſſe Spadam ut vinum biberet, & quidem liberaliter; bibes, inquit, vinum, & quantum voles; ſed tamen priùs aquam, & quidem eo pondere eáque menſurâ, quâ ego; nec unquam induci ſe paſſus eſt, ut Spadanam biberet, niſi priùs bibiſſet & medicus, qui infirmo faceret audaces ad bibendum animos: prævivit exemplo; & tātum aquæ ebibit quantum ille.

Si humana divinis, ima ſummis, terrena cœleſtibus componere aliquouſque licet, dicam enimverò, & ex vero dicam, Chriſtum, ceu Medicum animarum, priùs ebibiſſe exhauſiſſeque calicem Paſſionis, calicem & mortis; ut nobis, ceu ægris, animos adderet ad audendum aliquid Dei cauſâ, ad patiendum, ad illi commoriendum.

Rex unus aliquis ut aulico ægrotanti animos faceret ad ſumendam potionem, quam fortè medicus præſcripſerat, & à qua mirùm quantùm abhorrebat æger, poculum manu regia prenſavit, & intrepidus media parte ebibit, tum aulico alteram præbuit, quam & exhauſit, & quidem ſine faſtidio, putares ab exemplo Regis dilui potuiſſe & dulceſcere ipſam potionis amaritiem, omnemque laborantis ſtomachi nauſeam tolli, & ſanè viſa eſt ſublata: tantum intereſt ſubdito præiviſſe dominum & regem aulico.

Rex exemplo præcat.

Quod illis ab homine ejuſdem farinæ, imò & luti factum: hoc priùs à Chriſto Diſcipulis. Petebant hi primas ſedes in Dei regno, primos & honores, in quos venire, quia difficile, quia arduum erat, quia non niſi per paſſionem, per vulnera, perque mortem eundum erat in regnum, ſic ad illos Servator Optimus: *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum?* non dicit, poteſtis bibere calicem? quia ejus amarities Diſcipulos avertiſſet; ſed addidit quem ego bibiturus ſum, ut exemplo ſuo eam aut diluat, aut certè temperet, in quo ſanè facit officium medici, ut ſcitè notat D. Bernardus.

Chriſtus ut exemplo præivit.

Ipſe, inquit, *tanquam pius & laudabilis medicus, prius bibit potionem, quam parabat ſuis, id eſt Paſſionem & mortem ſuſtinuit, & ſic ſanitatem immortalitatis accepit, docens ſuos ut confidenter biberent potionem, quæ generat ſanitatem & vitam.*

Serm. 11. ex parvis.

Meritò ſanè pius, qui condolere, qui compati poſſit & velit ægro: meritò laudabilis, qui, ut annotat D. Chryſoſtomus, ipſo interrogationis modo, & hortatur, & allicit. Non enim dixit: *Poteſtis no veſtrum effundere ſanguinem?* ſed quonam pacto, *Poteſtis bibere calicem?* deinde alliciens inquit, *quem ego bibiturus ſum?* ut communione laborum cum ipſo, promptiores redderentur.

Et verò

Et verò deinde redditi ſunt, inſusâ cœlitus Spiritû, Sancti gratiâ. Et quidem *Ioannes*, calicem veneno plenum ebibit, etiam innoxiè: *Pro tua dulcedine guſtanda, veneni poculum intrepidus Ioannes potavit*, inquit D. Auguſtinus, & quanquam miraculo ſervatus ſit, mortem tamen ebiberat; ebiberat & Domini calicem, ex quo in Eccleſiam manavit ille mos, ut in ejus Feſto die fieret benedictio vini, contra venenum, uti teſtatur Albertus Caſtellanus, in Sacerdotali Romano: ebibit deinde & Domini calicem in ferventis olei dolium injectus, è quo ſi evaſit incolumis; altiore certè vi, ac divinâ evaſit: nec tam martyrio defuit ipſe, quàm martyrium ipſi.

In Soliloq. cap. 22.

Ebibit & Domini calicem *Iacobus*, & quidem liberaliter; excepit enim reliquias judaici furoris, quibus potatus fuerat Dominus: nam & à Pontificibus poſtulatus ad mortem, & ad eam ab Herode damnatus.

Calix triplex.

Ebibit ergo Joannes, ebibit & Jacobus Domini calicem, qui illis alius atque alius fuit.

I. Amaricans

Primùm *Amaricans*, quia paſſus & hic & ille ab iis, in quos mira & magna contulerant beneficia, exantlatis laboribus & multo ſudore fuſo; nec ſine ingenti animi amaritie.

II. Inebrians.

Fuit & *Inebrians*, quia & rerum omnium caducarum, & ſui oblivionem induxit; & tormentorum ipſiusque mortis quaſi ſenſum abſtulit.

III. Sanans.

Fuit denique & *Sanans*, quia & Judæos, & Gentiles ſanitati, id eſt fidei & gratiæ, tam hic, quàm ille reddidit ſuâ paſſione ſuâque morte: fatendum enim & hunc & illum plures à Paſſione & Morte reddidiſſe gratiæ & gloriæ, quàm in vita.

Ut nos & ipſi reddamus aliquando, neceſſum eſt ut cum Apoſtolis bibamus è Domini calice, eumque ſequamur ad ardua virtutum, ad Calvariæ verticem, hoc eſt ad illuſtrem in patiendo conſtantiam: hanc nobis reliquit in paſſione ſua atque in morte Chriſtus, *veluti degendæ vitæ modum planè divinum, veluti viam quà nitamur ad ſupera*: hanc ſi ineamus, aſſequemur ſanctam *cum illo ſimilitudinem*, ut ſcitè notavit Dionyſius Areopagita.

De Eccleſ. Hier. p. 102.

Et hanc aſſecutus eſt D. Martinus Epiſcopus Turonenſis, *qui*, teſte S. Paulino, *cœleſtis hominis imaginem perfecta Chriſti imitatione portavit*.

Epiſt. 12. Chriſti imitatio S. Martinus ut Chriſti imitator.

FERIA QVINTA
HEBDOMADÆ SECUNDÆ QUADRAGESIMÆ.

Ut Diſcipulos ſuos, atque in illis poſteros omnes inſtrueret, hortareturque CHRISTUS ad inſigne ſtudium beneficentiæ, proponit, primò exemplum villici iniqui; deinde divitis Epulonis. De villico illo iniquitatis, alius erit dicendi locus. Hic Epuloni diviti ſuus ſervabitur proceſſus, & quidem CHRISTO judice, primùm Epuloni, tum famelico; primùm diviti, tum pauperi; huic decernetur beatitatis locus in ſinu Abrahæ; illi verò ſepultura in inferno. Quæ omnia ut ponantur in aperto, claráque luce, inſtituendæ nobis erunt de more pauculæ quæſtiones, eæque formandis ritè moribus accommodæ.

QUÆSTIO PRIMA
LITTERALIS ET HISTORICA.

Ad illa verba: *Homo quidam erat dives, & quidam mendicus nomine Lazarus.* Lucæ cap. 16. ℣. 19. & 20.

DIVITIS EPULONIS, ET LAZARI SITNE VERA HISTORIA, an Parabola.

I ſententia, eſſe parabolam.

Parabolam eſſe contendunt pauci: videlicet S. Juſtinus, Theophilactus, Eucherius, his nixi argumentis: Primùm, quæ de villico iniquitatis hîc allata ſunt, parabolica ſunt, non hiſtorica, igitur & ea quæ de divite Epulone. Quidni enim & hujus & illius par ſit ratio; cùm eodem contexto, eodemque fine proponantur, ut ſcilicet ſtimulo ſint ad beneficentiam in proximos. Maximè verò pauperes atque indigos.

Secundò in illis, quæ de divite Epulone afferuntur multa ſunt Parabolica, ſymbolica multa, ex communi hominum uſu: ut ſunt ea, quæ de lingua divitis, de gutta aquæ, de digito Lazari, de ſinu Abrahæ dicta. Quia enim neſcit eò loci ac temporis nec diviti linguam, nec Lazaro digitum, nec aquæ guttam, nec Abrahæ ſinum fuiſſe. Epulonis cadaver jacebat in ſepulchro, & quidē ad ſpeciem glorioſo; Lazari corpus exanime terrâ modicâ tegebatur inglorium, anima verò Lazari, in SS. Patrum Limbo attinebatur, juncta illis magnis mentibus Abrahæ, Iſaaco, Jacobo: & contrà anima Divitis æterno carceri, & ipſis inferorum incendiis mancipata.

At neque apud inferos, neque apud SS. illos heroes aut lingua divitis erat, aut Lazari digitus: igitur ſymbolica & parabolica erant iſta omnia; igitur

& parabola

& parabola eſt, qoæ de Divite illo eſt; non autem hiſtoria: Hæc interpretes illi, quorum ſuprà memini.

II. ſentẽtia, eſſe hiſtoriam veram & recẽtem,

Contra tamen pognant alii, iique inter Patres atque Interpretes primæ notæ: S. Irenæus, S. Chryſoſtomus, S Gregorius, S. Ambroſius, Tertullianut, Origeoes, Euthimius; atque inter receotiores, Maldunatus, Barradius, Coroelius, qui omnes cenſent eam, quæ de divite epulone eſt, hiſtoriam veram eſſe, & quidem recentiſſimæ memoriæ, ea quippe eſt Hebræorum traditio, & divitem illum, & Lazarum Chriſto conviaiſſe, & tam hunc, quàm illum Chriſto adhuc vivente obiiſſe, ideoque narrari hæc veluti recentiſſimam, ut magis ferirer aures & animos auditorom, doceretque & opes contemnere, & faſtum calcare, & delitias repodiare, & pauperum atque indigorum miſeratione tangi, iisque opitulari. Hic enim fuit Chriſti ſcopus, in ea quæ de Divite, quæ de Lazaro eſt hiſtoria, pro qua firmanda nunnullas adducam rationes.

Rationes.

Prima.

Prima, quia Chriſtus videtur referre ut veram hiſtoriam, agereque de viro Hieroſolymis notiſſimo: habebat enim ibidem & domum patris, & quinque fratres ejuſdem urbis incolas, & illi pares viriis, uti & opibus: air enim, *Habeo quinque fratres*, ad quos rogat emitti Lazarum, *ut teſtetur illu, ne & ipſi veniaut in hunc locum tormentorum.*

Luc. c. 16. v. 27.

In Theatro terra ſancta.

Confirmat hanc rationem Adrichamius, qui in delineatione urbis Hieroſolymitanæ, etiam divitis hujus Epulonis ædes deſignavit.

Secunda.

Secunda ratio hæc eſſe poteſt, quòd mendicus ille à Chriſto nominetur *Lazarus*, qui & ipſe vivebat Hieroſolymis (uti affirmat Titus Epiſcopus Boſtrenus) & ab extrema paupertate toti urbi erat & ipſe notiſſimus. Divitis nomen tacuit Chriſtus, Hebræi tamen ex antiqua traditione nomen faciunt *Nincuſis*. Ubi verò nomen alicajus exprimitur, ſignatur hiſtoriæ veritas, ut annotat D. Chryſoſtomus, qui diſcrimen inter parabolas & hiſtorias illud ſtatuit.

Hom. 40.

Parabola illæ ſunt ubi exemplum ponitur, & tacentur nomina: ubi autem dicitur Abraham, & Propheta, & Lazarus, & Moyſes; hic verus Lazarus, ſi verus eſt Abraham, verus & Lazarus.

Tertia.

Tertia, quòd in honorem hujus Lazari, quaſi Sancti, & leproſorum atque ulceroſorum patroni, ſint erectæ pluribus in locis Eccleſiæ, & hoſpitalia recipiendis miſeris extructa, quæ vulgo à *Lazaro*, *Lazaretta* dicuntor, atque inprimis Romæ, orbis capite, extra orbem & portam Angelicam, extat Eccleſia & hoſpitale S. Lazari pro cura leproſorum. Et hæc Eccleſiæ, hæc noſocomia, monumenta ſunt, & avitæ in miſeros illos caritatis, ſimulque luculenta teſtimonia ſanctitatis, quam in Lazaro colit ac veneratur Eccleſia.

Quarta.

Quarta denique ea eſt, quod divitis illius damnatio, & tormenta apud inferos hîc ſigillatim deſcribantur à Chriſto, & contra Lazari quies in ſinu Abrahæ, ſimulque inchoata quædam beatitas, quod profectò non fieret, niſi & fuiſſet aliquando in rerum natura, & dives Epulo & pauperrimus Lazarus.

Similiter depinguntur operosè à Chriſto, & immania Divitis vitia, & ſingulares Lazari virtutes in extrema rerum omnium indigentia. Vitia qoidem Divitis his voculia, *Induebatur purpurâ*, quæ regia veſtis eſt, & in hac notatur ejus faſtus & inſolens ſuperbia, in eo quòd veſte uteretor ſupra ſortem: *& Byſſo*, in qoo perſtringitur luxus illius & mollities: Byſſus enim genus eſt lini candidi & molliſſimi: *& epulabatur quotidie ſplendidè*, in quo culpatur gula, & inter menſas & pocula inſolens quædam illius laſcivia.

Uti ex adverſo exponontur heroicæ Lazari virtutes, & altioris animi decora, atque inprimis inſignis demiſſio atque humilitas expreſſa his verbis, *jacebat ad januam*; tum invicta in malis patientia, ſignata duabus illis voculis, *ulceribus plenus*: non videntur autem & illius vitia nigro calculo notari poſſe; & hujus virtutes deſignari albo, niſi & hic, & ille extitetit aliquando; uti nec illius pœna, nec hujus merces; niſi & hic, & ille etiamnum extet.

Ex quibus omnibus ad extremum id conficio, & propoſitæ initio quæſtioni reſpondeo, hiſtoriam eſſe & non parabolam.

Neque officit quòd in illa multa inſerantur, quæ non ſunt hiſtorica, ſed parabolica & ſymbolica, uti ſunt ea, quæ de lingua, digito, manu, oculis, quibus certè carent animæ à corporibus ſeparatæ: hoc, inquam, non officit veritati hiſtoriæ, in qua ſubinde per aliquam ſympathiam attribuontur animæ ea quæ corporis ſunt: & quæ corpus pateretur ſi eſſet adhuc onitum animæ, hoc ipſum & anima pati dicitur.

Et ita hîc dicitur Epulo levaſſe oculos, & vidiſſe Abraham, & Lazarum in ſinu ejus; vidiſſe ſcilicet, non oculis corporis, ſed mentis, Deo ei revelante, & oſtendente Abraham. & Lazarum: atque ita quaſi vidiſſet oculis corporis: loquitur enim hic Chriſtus de Epulone & Lazaro, quaſi adhuc corpus & membra haberent, & hoc ut ſe accommodet hominom capacitati, quæ ſpiritualia illa non capit, niſi ad modum corporeorum repræſententur: quamdiu enim anima humana eſt immerſa corpori, nihil eſſe poteſt io ejus intellectu, quod prius non fuerit in ſenſu.

Addo dici poſſe quòd Chriſtus voluerit hîc repræſentare integra ſupplicia Epulonis, & integra præmia Lazari, quæ hab itura ſunt poſt diem Judicii, reſumptis corporibus; & hoc, quia, ut dixi, animæ ſupplicia non cognoſcuntur à nobis in hac vita, niſi per ſupplicia corporis, uti ſimiliter & præmia: ut ergo illa repræſentaret, repræſentavit & hæc.

Animabus ſeparatis ſua poteſt ineſſe ſenſatio.

Accedit quòd Deus in anima etiam ſeparata, poſſit producere ſenſationem, ſimilem illi quam produceret in corpore, v. g. in lingua ſi illi eſſet unita: ſicut ergo liogua ſitim pateretur unita corpori: ſic & anima pati poterit ſimilem ſenſationem, ſimilem & ſitim etiam ſeparata: ſic enim omnis ſenſatio animæ, etiam dum eſt in corpore, non eſt in corpore; ſed in ipſa anima (anima quippe ſentit, videt, audit, noo corpus) quidni ergo & ſit in anima, dum eſt extra corpos Deo illi imprimente ſenſationes ſimiles iis, quas habuit in corpore. Addit Cornelius, animas etiam ſeparatas affligi imaginibus rerum à corpore tractis.

In cap. 16. Luc. v. 24.

Lib. 2.

Unde, ut hæc & ſimilia explicentur, Hogo Ætherianus libro de regreſſu animarum ex inferis, putat animas ſeparatas habere quædam ſimulacra corporum atque membrorum, ſicut ſpeculum habet ſimulacra objectorum, quæ ſimulacra, ſi non aliud ſint quàm ſpecies & rerum imagines, non ibo inficias: ſed non ſatis intelligo, quomodo imagines illæ & ſpecies à corpore in anima relictæ, poſſint cauſare tantum doloris ſenſuum, quantum & audimus in Epulone deſcribi, & quantum animæ è purgatorio, vel etiam ea ipſis infetis, aliquando luci ad tempus redditæ enarrârunt. Unde magis placet illud omne refundi in ſenſationes etiam animabus impreſſas.

Lib. de anima c. 7.

Et hinc nec probatur etiam doctrina Tertulliani, qui ex eo quòd anima ſeparata pateretur, cenſuit eſſe corpoream: ait enim, *Nihil enim detinetur ſub terris, ſi noo corpus; incorporalitas enim ab omni genere cuſtodia libera eſt, immunis à pœna & à favea: per quod enim punitur, aut favetur, hoc erit corpus.*

Hæc ubi protulit ex ſuo ſenſu, deſcendit ad divitis Epulonis tormenta, & ſalutem Lazari, & ſic conficit.

Igitur ſi quid tormenti, ſive ſolatii anima præcepit in

carcere,

carcere, ſeu diverſorio inferûm, in igni vel in ſinu Abrahæ probata erit corporalitas animæ: . incorporabilitas enim nihil patitur, non habens per quod pati poſſit; aut ſi habet, hoc erit corpus. In quantum enim omne corporale paſſibile eſt, in tantum quod paſſibile eſt, corporale eſt.

Hacteuus Tertullianus, qui in eo turpiter erravit, ſatis enim conſtat inter Catholicos animam hominis eſſe ſpiritualem, & purum putumque ſpiritum, quod quia probare non eſt hujus loci, ſuperſedeo.

QUÆSTIO SECUNDA

MORALIS.

Ad illa verba: *Homo quidam erat dives, & quidam mendicus nomine Lazarus.* Lucæ 16. verſ. 19. & 20.

CUR INCARNATA DIVINI VERBI SAPIENTIA tacuit nomen illius divitis? Et cur mendici unius, ſcilicet Lazari, *expreſſit?*

Cur tacetur nomen Divitis?

IN his quæ Deum ſpectant, & quæ illius ſapientiam, rationem exigere velle, non eſt mortalium; imò nec immortalium: eſſe debet pro ratione voluntas: quia tamen hæc nihil effert extra ſe, nihilq; molitur ſine ratione, eam cum omni ſubmiſſione exquirere, non eſt alienũ à ratione.

Peccatoris nomẽ anonymum.

Igitur hæc ſit una cæteras inter, quòd dives ille peccator ſit, & peccatoris nomen ſit anonymum.

Eſſe anonymum natura docet, ſubinde & ipſa Scripturæ phraſis.

Athlantes nulla haberẽ nomina.

Athlantes Africæ populi, teſte Herodoto, nullis inter ſe nominibus propriis diſtinguebantur; cùm enim ferarum more in montibus & ſylvis ſine lege, ſine religione, ſine Deo viverent, anonymi eſſe debuerunt, nec ullis inter ſe nominibus uti, ut nec ipſæ pecudes utuntur.

1. Reg. c. 4. v. 49.

Filiorum Saul Scriptura meminit, ex iiſque tres propriis nominibus diſtinctos, poſterorum memoriæ tradit: unum reticet, & obſcuro ſilentio involvit: ſic enim, inquit, *Fuerunt filii Saûl Ionathas, & Ieſſui, & Melchiſua*; præteritur unus *Isboſeth*, qui tamen & ipſe Saûlis filius fuit: quæ cauſa? eam reddit Lyranus his verbis:

Isboſeth nomen cur tacetur?

Non nominatur Isboſeth, propter defectum magnanimitatis, quia fuit puſillanimis, & ineptus ad prælium.

Imo apud Judæos, quibus olim ferè ſolis Deus cognitus, & modò apud Chriſtianos, communi lege receptum eſt, ut proles in lucem edita nomen non accipiat, niſi priùs aut Circumciſionis notâ, aut Baptiſmi charactere ſit inſignita: cujus rationem hanc addit Theophilactus; *quia prius ſuſcipiendum eſt ſignaculum Dei, & tunc humanum nomen.*

In c. 1. Lucæ.

Infans ante Baptiſmum cur anonymus.

Quod ſi unius horulæ infans eſt anonymus, eſt innominatus, & in Cœlis, & in terria, vel ex eo tantùm quòd peccati originalis maculâ notatus ſit, nulla ſuâ culpâ; qui nominatus erit qui propriis vitiis infamis eſt, uti erat & ille dives, de quo agimus? Maneat ergo nomen illius non expreſſum, quia peccator erat, & à ſuis ſceleribus infamis. Et contra, quia mendicus ille, à virtute, à gratis, à caritate nominatus erat in Cœlis; ideò & à Chriſto nominatus in terris, dictusque *Lazarus*, ut iret in poſteros nomen benè ominatum.

Sed hinc incurrit alia quæſtio, cur *Homo* ille notatur hâc voculâ tamùm, *Dives?* Id factum non ſine Numine, quia ex vero hoc unum illi nomen, *Dives*, hoc & crimen. Ecquid ergo, an divitem eſſe, eſt malum eſſe? an & divitiæ malæ?

De Reg. p. 8.

Divitiæ ea vitio quid ſint?

Syneſius Ptolemaidis Antiſtes, doctè animadvertit divitias à Platone & Ariſtotele dictas eſſe *Organica* atque *inſtrumenta*, quæ nihilo ſecius vitiis, quàm virtutibus deſervirent.

Dum ſerviunt vitiis, à Prophetis & SS. Patribus aliis, atque aliis nominibus, ceu ſtigmate, notantur.

A Propheta Habacuc non ſine grandi & occulto myſterio appellantur, *Denſum lutum*: denſum quidem, eò quòd ſinceritatem mentis confundant, & lucem illi adimãt veritatis: *Lutum* autem, quòd graviſſimo pondere mentem premant. In quo duo grandia divitiarum incommoda notat; ut enim lutum & inficit & premit; ſic & opes, quia ferè cum peccato conjunctæ ſunt, & animum commaculant, & gravant. Hinc earum poſſeſſoribus ab eodem Propheta intentatur formidandum *Væ*: ubi enim dixit, *Væ ei, qui multiplicat non ſua*, id eſt, qui opes amplificat injuſtè partas, & brevi non ſuas, quia ſubitò avolaturas; tum ſubdit: *Et aggravat contra ſe denſum lutum*; id eſt divitias.

I. Denſum lutum.

Cap. 2. v. 6.

Sophonias appellat *Fæces*, in quas animadvertet juſtus iniquitatis vindex Deus, cujus vice, & nomine hæc Propheta: *Viſitabo ſuper viros defixos in ſordibus ſuis*, hoc eſt in divitiis ſuis, quæ nominantur *fæces*, quia inquinant & conſpurcant homines de ſordibus avaritiæ, in quibus ita defixi hærent, ut emergere via poſſint: quod ipſum malum magis aperit atque explicat Lingua ſacra, quæ pro ea vocula, *defixos*, ponit Kophem, id eſt coagulatos, congelatos, quia cupiditatis & malitiæ colluvione, quaſi concreti & congelati ſunt; vitio utique divitiarum, quas generoſo faſtidio, & præſtabili judicio *ſtercora* vocavit Apoſtolus, qui eas *arbitrabatur ut ſtercora, aſpernabatur & conculcabat ut ſtercora.*

II. Fæces.

Cap. 1. v. 12.

Ad Philip. c. 3. v. 8.

D. *Gregorius* & nomine, & re etiam ipſa magnus, in illud libri primi Regum de Deo ter optimo, ter maximo. *Suſcitat de pulvere egenum, & de ſtercore elevat pauperem, ut ſedeat cum principibus, & ſolium gloriæ teneat.*

III. Stercora.

C. 2. v. 8

Quid ſunt aliud, inquit, *labentium dignitatum Inſulæ, niſi pulvis; nam eam, quam blandiendo ſordidant, à veris ſplendoribus mentem cæcant. Et quid divitiæ pereuntes, & tranſitoriæ facultates, niſi ſtercora? quæ Sancta anima in contemptu vilitatis habent, non in appetitu deſiderii.*

Et ita eas habuit ipſe, ita & excelſæ in terris animæ, & omnes cœleſtium bonorum candidati, quos inter *S. Paulinus* reponit & laudat Severum Sulpitium, eò quòd inclytum & dives patrimonium *reſpuiſſet ut ſtercora.*

Epiſt. 2.

A ſacris paginis tranſeo ad SS. Patres, & quid ex vitio ſint divitiæ, paucis noto.

IV. Impedimenta.

Salviano *impedimenta ſunt, non adjumenta; onera, non ſubſidia: poſſeſſione enim & uſu opum non fulcitur religio, ſed evertitur.*

Lib. 2.

D. Ambroſio, divitiæ ſunt *inane lucrum, & pretioſum animæ detrimentum.*

De bono mortis c. 5.

D. Cypriano, *vincula* ſunt, *catena* ſunt; ſic eoim de illia in gravi illa, ac furioſa Eccleſiæ veaatione quâ ſæculo iſto afflicti Chriſtani, pleriquè vincula religionia ac fidei excuſſere, ne auti opumque vincula exuerent. *Illa*, inquit, *fuerunt remanentibus vincula, illa catena, quibus & virtus retardata eſt, & fides preſſa, & mens victa, & anima præcluſa.*

IV. Vincula.

V: Laquei.

D. Ambroſio, ad quem redeo, divitiæ *laquei* ſunt; traxit illud ex Apoſtolo, cujus judicio, *qui volunt divites fieri, incidunt in laqueum diaboli*; de quo ſic S. Doctor:

Suprà.

Laqueus in auro, viſcus in argento, nexus in prædio, clavis eſt in amore: dum aurum petimus, ſtrangulamur; dum argentum quærimus, in viſco hæremus; dum prædium invadimus, alligamur.

Serm 28. de verb. Apoſt.

Non abſimilia de auro D. Auguſtinus, qui ea in unum veluti cumulum congerit: ita enim, inquit, *Aurum quod ærumna perquirit, quod avaritia cupit, quod ſollicitudo cuſtodit. Aurum materia laborum, periculoſa res poſſidentium, aurum enervatio virtutum, aurum malus dominus, proditor ſervus; aurum, quod in perniciem domini fulget; aurum, cujus inquiſitio, damnatos habet, cujus amor Iudam facit.*

Ecce quæ malorum congeries, quæ & colluvies ab auro, & divitiis: ſed longè maaimum illud, & malorum inſtar omnium, quod ipſæ divitiæ, *idola* quædam ſint, & earum appetentia, ac poſſeſſio, *idolorum ſervitus.*

VI. Idola, & Idolorum ſervitus.

Pro priore appello Oſeæ fidem, atque authoritatem, cujus ore calamoque ſic divea Epulo: *Dives effectus ſum, inveni idolum mihi.*

Cap. 12. v. 6. C. 5. v. 5.

Pro poſteriore Apoſtoli effatum ad Epheſioa; ad quoa ſic olim. *Avarus, quod eſt idolorum ſervitus.* Sic olim Laban ad Jacob ſuas opes eaportantem. *Quare ſic egiſti, ut clam me abigeres filias meas?* io Hebræo legitur. *Quid feciſti? & furatus es cor meum?* id eſt, interprete Cajetano, *furatus es meas divitias, quæ mihi erant inſtar cordis.*

Divitiarum viri quinā?

Ecce quid diviti ſint divitiæ. Idola illi ſunt quæ colit, & adorat; *cor* illius ſunt, quo vivit, & ſpirat: & tales fuerunt diviti Epuloni, cujus nomen, cujus & vita hac una vocula exprimitur à Chriſto, *Homo dives*, nec tam homo, quàm dives, utpote, cui divitiæ eſſent pro corde, pro anima, proque vita, nec tam vir eſſet, quàm, vir *Divitiarum*; nec enim tam poſſidebat divitias, quàm ab illis poſſidebatur, nec tam ſuus erat, quàm divitiarum; nec denique, Dei erat; ſed divitiarum, quæ illi pro Deo; pro idolo, cui & cogitationes ſuaa omnes, & affectus, immolabat. Et quia is erat, nomen illi proprium reticuit Chriſtus, & appellatione divitia quaſi infami ſtigmate notavit.

Sed, inquies, an ergo divitem eſſe infame eſt, & flagitii nota? minimè

Scimua olim divites quamplurimos fuiſſe, & tamen cœlo judice juſtos, & ſanctos.

Divitiæ ex Virtute quæ? & qui ſic divites?

Dives fuit Jobua, & tamen is cui ſimilem nec terra tulit, nec Sol aſpexit.

Dives fuit abraham, Iſaac, & Jacob, aliique Patriarchæ Dei ealculo intaminati.

Dives & in Thiara D. Gregorius, divea in purpura ſceptroque; S. Ludovicus, & tamen in paucis cœlo gratus, & ſanctus.

Sed hos inter & Epulonem noſtrum magnum omninò diſcrimen: hi enim nn tam divitea dicendi fuerunt, quàm in divitiis Dei diſpenſatores fideliſſimi, & hoc eſt, quod doctè & piè annotavit D. Hieronymus.

In hac controverſia, de qua agimus, *nec mihi*, inquit, *Abraham, cæteroſque quos in veteri teſtamento divites legimus, exemplo proponas, qui ingreſſi ſunt regna cælorum, cum ipſi divitiis magis diſpenſatores Dei, quàm divites appellandi ſunt.*

Atque utinam ii eſſent omnes, qnibus & fortuna blanditur, & opes dedit, vel ipſa nataliom conditio attulit: Certè ſi ii eſſent, *non epulis, non potaculis, nec ingratis voratrinis diſpenſarentur bona: ſed egenis alendis, humandiſq;, & pueris, & puellis re ac parentibus deſtitutis, jamque domeſticis ſenibus, item naufragis, & ſi qui in metallis, & ſi qui in inſulis, vel in cuſtodiis,* ut disertè Tertullianus, quo cum finio primam propoſitæ quæſtionis partem, addoque illud D. Ambroſii, non tam effatum quàm miraculum. *Divitiæ ut impedimenta improbis, ita bonis ſunt adjumenta Virtutis.*

In Apolog. c. 39.

Lib 8. in Luc.

Lazari nomen cur exprimatur?

Venio ad ſecundum caput motæ quæſtionis, cur ſcilicet Incarnata Verbi Divini ſapientia, tam expreſsè, tam maniſicè *Lazari* nomen ad poſteros omnes tranſmiſerit? In aperto eſt ratio, quia pauper, quia mendicus erat, & quia *pauperes*, atque mendici Chriſti ſuot *viſcera.*

Epiſt. ad Ruſtic.

Noo eſt aovum illud effatum; ſed antiquum, neque meum: ſed D. Hieronymi, qui S. Eauperium Toloſanum Antiſtitem, ea eo mirè laudavit, quòd *ſubſtãtiam* omnem ſuam Chriſti viſceribus erogaſſet.

Pauperes viſcera Chriſti.

Quod ſi pauperes Chriſti viſcera ſunt, profectò, & *Lazarus*, qui mortalium pauperrimua erat, erat & unum è Chriſti viſceribus: quid ergo mirum ſi nomen illiua, tam intimum, tam amabile, tamque gratum expreſſerit?

Certè, quæ ſunt in amoribus, ſunt & in verbia; & quæ quis amat, illa loquitur, illa clamitat: & quia is Chriſto erat *Lazarus*, erat & Lazari nomen, erat in corde Chriſti, adeóque & in ore.

Addo quod *Lazari* nomen jam inde ab æternitate ſcriptum eſſet in Cœlo, cœliquè tabulis, & quia io illis ſcriptum erat, debuit & io terria ſcribi, committique ceteris melioribua, id eſt ſacris paginis, ot illius memoria iret in poſteros omnes, ipſamque retrò æternitatem.

QUÆSTIO TERTIA
MORALIS.

Ad illa verba : *Induebatur purpura, & byſſo.* Lucæ c. 16. verſ. 19.

AN ERGO PVRPVRA, ET BYSSO INDVI, VITIO DETVR?

SERVATOR optimua, ut divitis Epulonia vitia in publicum efferret, primò inſatiabilem illius avaritiam notavit eâ voculâ, *Dives*, hoc quippe illi nomen, hoc, & totum eſſe: avarua enim noo habet aliud eſſe, quàm in divitiis, & à divitiis.

Veſtium luxus?

Secundò ſubjicit oculis veſtium luxum, duabua his voculis, *Purpurâ & Byſſo*: iis quippe tegebatur Epulo, in iis luaum oſtentabat ſuum: in *Purpura* quidem, quæ veſtis eſt regia, inſolentiam atque faſtum; in *Byſſo* verò mollitiem, quæ duo inſanæ mentis vitia ſunt.

Sed, inquies, an ergo damnanda purpura? an & byſſua? an & omnis veſtium cultua? Quis neſciat etiam heroas, virtute rebuſque præclarè geſtis illuſtres, hanc veſtium pompam amaſſe, atque uſurpaſſe?

uſurpaſſe? quis ignoret etiam Heroïnas in publicum prodiiſſe, eo veſtimentorum apparatu, & tamen, ſine aliquo culpæ nævo; imò cum inſigni magnarum vitiutum gratia, ac decore.

Joſephus ab innocentia & mentis candore nominatus, creatus à Pharaone Ægypti Prorex, eo veſtium cultu ornatus fuit, ut & admirationi eſſet, & amori.

Daniel, & ipſe à Rege Balthaſare purpura tectus, & torque aureo donatus, hoc nempè illi præmium explicati ænigmatis. Non igitur in viris, maſculoque animo culpandus veſtium cultus, etiam pretioſus, neque verò etiam in fœminia, & molliore ſexu.

Judith certè Solymæ gloria, Iſraëlis amor, & populi delitiæ, induta veſtibus pretioſiſſimis, etiam ad ſplendorem, & miraculum, excipe quæ de illa ſacræ paginæ.

Exuit ſe veſtimentis viduitatis ſuæ, & lavit corpus
Judith c. 10 v. 3. *ſuum, & unxit ſe myro optimo, & diſcriminavit crinem capitis ſui, & impoſuit mitram ſuper caput ſuum, & induit ſe veſtimentis jucunditatis ſuæ, induitque ſandalia, & inaures, & annulos, & omnibus ornamentis ſuis ornavit ſe.*

Quid ad veſtium pompam, & oſtentationem addi potuit? Hoc unum certè, quod adjicit Scri-
Verſ. 4. ptura, cui etiam *Dominus contulit ſplendorem.*

Judithæ accedere poteſt Regina Eſther, & ipſa ornata regalibus indumentis, omnique mundo muliebri, & hoc etiam ne levi quidem culpæ macula, uti nec in Juditha: non igitur eſt vitio dandum indui purpura, & byſſo, aliiſque veſtimentis, veluti phaleris.

Et hoc tibi concedo, *benevole Lector*, modò omnis illa veſtium pompa, auri nitor, & gemmarum lux, ſine bono, & intentione pura, admittatur; uti factum in Juditha, de qua illud Scripturæ ſacræ teſtimonium, *quoniam omnis iſta compoſitio, non ex libidine; ſed ex virtute pendebat*, uti in Eſthere, ex
Cap. 4. v. 16. neceſſitate, cujus ad Deum illæ voces: *Tu ſcis domine neceſſitatem meam*, liberandi ſcilicet populi ab inſidiis & machinationibus Mardochæi.

Sed in Epulone noſtro nec ejuſmodi neceſſitas erat, nec virtus; ſed potius inſolens faſtus, inſanaque libido nitendi à purpura, & byſſo, quorum primum ſuperbiam olebat, alterum mollitiem, quæ duo erant malè ſani hominis flagitia, quæ & in aliis ejuſdem farinæ viris, ac mulieribus invenire neceſſum eſt.

D. Cyrillus Alexandrinus librum edidit, in quo poſt damnatam inhoneſtam veſtium pompam, & probatam Lacedæmoniorum ſententiam, quæ ſolis meretricibus veſtium luxum, & baccata monilia permittebat. *Laudo*, inquit, *& admiror Lacedæmoniorum civitatem, quæ ſolis meretricibus floridas veſtes, & aureum mundum geſtare permiſit, à probis mulieribus mundi ſtudium auferens, quæ ſolis meretricibus ſe ornare concederet.*

Hæc ubi dixit de illa apud Lacedæmonias conſuetudine, & lege, tum ex ſuo ſenſu illa adjicit:

Quocirca, & aurum geſtare, & meliore uti veſte, non omnino reſcindendum eſt: ſed frænandæ ſunt rationis expertes appetitiones: adhibendaque illis conſentanea moderatio, quæ eſt ejuſmodi. Congruant veſtes ætati, perſonæ, figuræ, naturæ, ſtudiis.

Ætati quidem: aliam enim veſtem requirit infantia, aliam pueritia, & adoleſcentia, aliam virilis ætas, aliam ſeoectus, & ſenium.

Perſonæ, & ſtudiis; iſta duo hîc jungi placuit, quia ferè conveniunt, qui enim hæc, aut illa ſtudia induit, & hanc quoque, aut illam perſonam quodammodo induit, puta ſi profeſſione medicus, ſi Juriſperitus, ſi Theologus, alia enim his congrua veſtis eſt, alia viro nobili, Principi, Regi, Cæſari; & ſi illi horum veſtimenta, atque eorum apparatum affectent, næ ridiculo ſint: quo in genere fuit aliquando *Robertus Sorbona*, magnus in Theologia Doctor, & famæ in Gallia celebratæ: is enim eſt qui Pariſiis templum ſapientiæ, collegiumque inſtituit, nomenque illi fecit.

Hic cùm olim verſaretur cum *Ludovico IX.* Chriſtianiſſimo Galliæ Rege, eodémque moribus ſancto, exquiſitius ornari videbatur quàm boni omnes voluiſſent, & quàm perſonæ, & ſtudiorum ratio exigebat?

Jonvillæus, dynaſta clariſſimus cùm eſſet liberrimus, & hominis veſtem lautiorem intueretur, acceſſit propius, & fimbriam regii paludamenti cum illius Doctoris veſte compoſuit, & conjunxit, & ad hominis contumeliam pronuntiavit, Sorboneum pallium, pretio & pulchritudine regiam chlamydem exæquare, itaque pudore ille plenus, & à purpuratis irriſus è palatio domum rediit.

Figuræ, ceu formæ etiam congruant veſtes, hoc eſt nec nimium laxæ ac diſſolutæ ſint, nec etiam nimium conſtrictæ, atque indecoræ, nec arctatæ, nec etiam pretioſæ nimis. *Spernat bombycum telas, ſerum vellera, aurum in fila lenteſcens. Talia veſtimenta paret quibus pellatur frigus, non quibus veſtita corpora* *Epiſt. 17.*
nudentur, inquiebat D. Hieronymus ad Lætam. Denique *naturæ* congruant etiam veſtes, aliæ enim morbidis, atque infirmis, aliæ valentibus, ac firmis, aliæ hyemi, & frigido aquiloni conveniunt, aliæ æſtati, & calenti cœlo, ac ſoli: ab his ergo atque illis petenda veſtium moderatio, & lex quædam urbana, hoc eſt regula quædam, & modus in veſte, quem aliter, atque aliter deſcribunt Antiquiores.

Galenus medicorum princeps, ſic eum depinxit. *6. Epidem.*
Veſtitus medius ſit, neque ſumptuoſus, ut arrogantiam præferat, neque ſordidus, abjectuſq́; ut incuriam arguat, cui conſonat & illud Senecæ prudens acroama; *non ſplendeat toga, nec ſordeat unquam*, quia tam ſplendor, *Epiſt. 5.*
quàm ſordes vitio vertuntur.

Retineatur ergo in veſte honeſta quædam & aurea mediocritas, quæ ferè ex æquo abhorret à magnifico ſuperboque indumento, atque à vili ſordidoque.

Ab utroque certè abhorruit D. Bernardus, cui *in veſtibus ſemper placuit paupertas, ſordes nunquam.*
Et D. Hieronymus, cujus hoc effatum, *ornatus, &* *Lib. 2. Epiſt. 14. ad Nepotianum.*
ſordes pari modo fugiendæ, quia alterum delitias, alterum gloriam redolet.

Quod ſi hæc in veſte ſervetur mediocritas, ſervetur & virtus, quæ urbana quædam animi veſtis eſt, ſin autem declinet ab illa, non caret vitio, & degenerat in luxum, in quem omni eloquentiæ ſuæ
nervo incurrunt SS. Patres: D. Chryſoſtomus, ore *Epiſt. 2. ad Olymp.*
ut ſolet aureo, dicebat eſſe, *morbum animæ gravem, & ad ſuperandum perdifficilem.*

D. Hieronymus eo, quo aliàs verborum pondere *munditiam corporis atque veſtitus, inſolentem* *Epiſt. 27.*
animæ immunditiam eſſe cenſebat.

Tertullianus ſeverus morum cenſor, ornatum corporis venuſtate quadam, artificioque expolitum,
aiebat eſſe *confictam, & elaboratam libidinem*, & per *De cultu fœm. c. 2.*
decorem, *invitatorem libidinis.*

D. Bonifacius excellenti judicio Pontifex, *vana* *Epiſt. 48.*
veſtium ornamenta credebat eſſe prænuntia adventus Antichriſti.

D. Hilarius comptulos illos, & ſumptuosè ve-
ſtitos contendebat eſſe *diverſoria dæmonum*: expli- *Can. 11. in Matth.*
cans enim illud effatum Chriſti: *Ecce qui mollibus veſtiuntur, in domibus Regum ſunt.* Per Reges cenſet eſſe intelligendos dæmones, qui ſunt ſæculi potentes, mundique dominatores. Quare mollibus veſtitos in domibus Regum eſſe (eo interprete) nihil aliud eſt quàm eos, quibus per luxum, fluida ſunt, & diſſoluta corpora, eſſe dæmonum habitationem.

Et talis erat dives Epulo, qui induebatur purpura & byſſo, dæmonum utique domicilium, & perennis habitatio poteſtatum tenebrarum, & mundi hujus immundi. Vide, MI LECTOR, qui hanc pagellam oculo decurris, ne à conſimili veſtium luxu ſis & ipſe aliquando malorum dæmonum ſedes: primùm in hac mortali vita, dein in altera immortali, atque æterna, ſi tamen hæc dicenda eſt vita, ac non potius mors æterna.

QUÆSTIO QUARTA MORALIS.

Ad illa verba : *Epulabatur quotidiè ſplendidè.* Luc. c. 16. ℣. 19.

QVID IN HOC SCELERIS, ET FLAGITII?

Convivia an celebranda?

ERIT unnus aliquis, qui in hoc, *Epulabatur quotidiè ſplendidè*, nihil agnoſcet graviora noxæ, ſuæque opinionis præſidium ſumet atque exemplum à filiis Job, de quibus illud ſacræ paginæ: *Ibant filii ejus, & faciebant convivium per domos, unuſquiſque in die ſuo, & mittentes vocabant tres ſorores ſuas, ut comederent, & biberent cum eis.* *Cap. 1. v. 4.*

Convivium utique opiparum & lautum, quia & filii Jobi, primæ erant inter ſuos noxæ, & ſorores etiam fœminæ principes; & tam hæ quàm illi timoratæ conſcientiæ, id enim par eſt credere, de tanti parentis ſobole: & tamen illi quotidianum, & ſibi, & ſororibus inſtruebant convivium, in quo ne quid irreperet etiam levioris culpæ, pro iis ipſe Jobus Deo litabat quotidie, teſte enim Scriptura: *Sic faciebat Job cunctis diebus*; dicebat enim *ne fortè peccaverint filii mei* Quod certè pronum erat, quia inter menſas & pocula, facilis eſt linguæ lapſus, libertas & licentia major, diſſolutio frequentior: ibi enim ſæpè laxantur fræna, & detractioni, & murmurationi, & Baccho indulgetur ac veneri, quæ tamen ſi abſint in epulo quotidiano, quid noxæ? Sanè in convivio filiorum Jobi, abfuiſſe veriſſimile eſt, cùm illud nec Spiritus Sanctus reprehenderit, nec ipſe Jobus impediverit, aliàs omnino facturus.

Exemplo filiorum Jobi. Ad exemplum filiorum Jobi, accedit ea ratio, quòd epulo illo, etiam quotidiano, foveatur mutuus amor, & fratrum inter ſe concordia (quæ alioquin rata) inſuper & humana ſocietas exerceatur, & uniantur convivarum animi; imò & augeatur Chriſtiana charitas, ſi modò in ejus inſtitutione recta ſit intentio, qualem ita deſcribit D. Gregorius Pont. Max. ſic enim de conviviis.

Quomodo celebranda? *Tunc*, inquit, *veraciter ex charitate prodeunt cum in eis nulla abſentium vita mordetur, nullus ex irriſione reprehenditur, & non inanes in eis ſæcularium negotiorum fabulæ; ſed verba lectionis ſacræ audiuntur, cum non plus quàm neceſſe eſt ſervitur corpori, ſed ſolum ejus infirmitas reficitur, ut ad uſum exercendæ virtutis habeatur.*

Hactenus S. Pontifex, ex quo habes, quæ convivia cum natura, cum ratione, cum Deo conſentiant, & quæ ideo inſtitui poſſint ſine nævo: ſed quia ea non inſtruxit Epulo ille noſter, hinc meritò culpatur à Servarore ea convivandi, convescendi, compotandique licentia, quæ notatur his voculis, *Epulabatur quotidie ſplendidè.*

Non ut dives epulo. Textus Arabicus vertit, *jucundè vitam ducebat quotidie, & ſplendidè vivebat*: *jucundè* quidem, quia ad lautas epulas adhibebat muſicos, paraſitos, odores, citharas, tripudia, aliaque ejuſmodi, quæ animum enervant, emolliunt, perdunt, & in iis felicitatem omnem ſuam reponebat, de veris cœli gaudiis, déque æternitate, nihil omninò cogitans; imò nec fortè credens, Epicurei alicujus aut Athei vivens in morem, jactanſque illud, *Edo, bibe, lude, poſt mortem nulla voluptas.* Ex eo ſcilicet hominum genere, de quibus aliquando Propheta Job. *Non ut temulentu.*

Tenent tympanum, & citharam, & gaudent ad ſonitum organi, ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt. *Cap. 21. v. 12.*

Sed de hoc ad inferos lapſu, dicetur opportunius poſtea: Interim deflecto ad illos, qui etiam hoc quo vivimus ævo, cum eo divite *epulantur quotidie ſplendidè*, qui convivia ineunt *de conſertis*, ut habetur, & prohibetur in Concilio Martini Papæ, qui menſas ferculis onerant, qui è *ſymbolis convivia celebrant*, dicebanturque à Philone *Symbolorum curatores*, quos &. incuſavit, & damnavit, Leodicena Synodus; qui *circulares epulas* in uſu habent, qui in *circulum, in orbem mutua invitatione coeunt, qui deniq; commeſſationibus toti vacant*, quod indecorum eſt, & intemperantis animi ſignum: quod ſanè vitium unum eſt ex iis, propter quæ olim in lege divina filius familias lapidibus obrui debebat. *Cap. 61. de Themd.* *Non ut commeſſatores.* *Cap 55.*

Lubet audire verba legis, ſi quem filium ejuſmodi nacti eſſent parentes, apprehendebant eum, ducebantque *ad ſeniores, & ad portam judicii, dicebantq; ad eos.* *Deut. c. 21. v. 20.*

Filius noſter iſte protervus, & contumax eſt, monita noſtra audire contemnit, commeſſationibus vacat, & Luxuria, & conviviis.

Quid deinde? audi, & perhorreſce: *Lapidibus eum obruet populus civitatis, & morietur, ut auferatur malum de medio veſtri*; at quod malum? certè non aliud quàm *commeſſator*: tolli debet ille è medio populi, ne ſuo exemplo alios inficiat, ac perdat. *verſ. 21.*

Et ſanè jure meritiſſimo; plus enim publico nocet ille, quàm fur, aut latro, aut homicida: ſi enim verum eſt hoc, quod Gula plures occiderit quàm gladius; verum erit & illud, quod commeſſator, & compotator, plures etiam occiderit.

Ne porrò occidere pergat, jubetur divina lege de medio populi auferri, & hoc quia illius malum eſt, & quidem longè graviſſimum, utpotè quod & virtutes propè omnes evertat, ac peſſundet, & vitiorum omnium colluviem importet, quod more ſuo, id eſt, grandiore atque claro, ut aſſolet ſtylo, perſequitur Tertullianus, dum ſic in convivatores illos invehitur. *Agape profanum.*

Apud te Agape in cacabis fervet, fides in culinis calet, ſpes in ferculis jacet. & iterum, *Quis Sanctior inter vos, niſi convivandi frequentior, niſi obſonandi pollucibilior, niſi calicibus inſtructior?* *Cap. 17. & ultimo.*

Sic ille apud Pſychicos, id eſt *animales*, vel ut alii naturam ſequentes corruptam, quæ caſtitatem, & jejunium, ut tormenta fugit, & horret: adverſus ejuſmodi hominem ſic declamat:

Quiſquis ille eſt, inquit, *Deo idolo ſuam gulam mactat; Deus enim illi venter eſt, & pulmo templum, & aqualiculus altare, & ſacerdos coquus, & S. Spiritus nidor, & cōdimenta chariſmata, & ructus prophetia verus eſt.*

Hæc

Hæc Tertullianus in Pſyrhicos, quæ ego in divitem Epulonem, & alium illius ſequacem meritò conjici poſſe autumo: nam & hic, & illi Deo idolo *ſuam galam mactat*, & huic, & illi Deus venter eſt, & aqualicua altare, & ſacerdos coquus, & Sanctus Spiritus culinæ, & carnis nidor & condimenta chariſmata, & ructus Prophetia.

Pſal. 88. Hactenus ille in eos *quorum corpora in ſagina animi, in macie & veterno ſunt*, ut eleganter, & nervosè Seneca.

Conviviorum quis finis, & modus? Ne porro Chriſtianis etiam ſint, paucis proponam, quia debeat eſſe conviviorum finis, tum quis modus, & quæ in iis moderatio.

Primùm is erit finis, mutuus amor, fraterna concordia & humana ſocietas, quæ illis fovetur; imò & augetur.

Secundò hæc adhibeatur moderatio: ſi tibi epulum ſtruis, ſit ejuſmodi, quod potiùs neceſſitati ſerviat & valetudini, quàm voluptati & ſaginæ: ſin autem aliis, ſin amicis & ſociis, generatim id ſtatuo: ea gratia & is ſplendor ſit totius apparatus, quem agnoſcat modeſtia, & probet ut ſuum. Ut autem probet, attendendum quis, & cui convivium patet, & habenda ratio & ſui & alienæ dignitatis, extremaque fugiēda, hæc videlicet ſordida parcitas, & nimia profuſio, eaque prudentiâ ornandum convivium, ut non magis benevolentiſſimæ liberalitatis, quàm religioſiſſimæ frugalitatis laudem reporter.

Ut verò reportet, ſpectandum quis ſis ipſe, qui convivium apparas: aliud enim expectatur ab homine plebeio, aliud à viro nobili, aliud à Principe, & quod his convenit, illi non quadrat; & quod huic laudi dabitur, illi erit vituperio: ut enim D. Hieronymus ad Nepotianum quem inſtruit.

Epiſt. 2. *Turpe eſt Judicem Provinciæ meliùs apud te prandere quàm in palatio.* Eſt hujus ævi labes quædam, & macula, quòd cives & minoris ſubſellii homines, convivia inſtruant, eo menſarum apparatu, eâ ferculorum multitudine, varietate, pretio, quo nec ipſi viri Principes, quod eſt ſupra ſortem & contra decorum; quod ut ſervetur, ſit illis modus, qui le-

Serm. 18. gitur apud Stobæum.

In conviviis quinque ſervanda. In iis, qui ad epulas accederent, quinque præſertim adhibenda monebat, *Ordinem, menſuram, decorem honeſtatis, paucitatem, moderationem feſtinationis expertem.*

I. Ordo. *Ordinem* quidem, tum in perſonis, tum in ferculis.

In perſonis quidem, ut quiſque ſcilicet locum ſibi convenientem occupet ſine diſceptatione.

In ferculis, etiam ne temerè illa objiciantur; ſed ſua quæque ſerie.

II. Menſura. *Menſuram*, tum in cibo, ne quis eo ſeſe plus æquo impleat, & farciat, ſtomachumque oneret, tum vel maximè in potu, ne quis eo ſe ingurgitet, ne caput, rationis utique ſedem evertat, ne animam ſuam vino necet, *ut ſpiritum ſanctitatis extinguat*, ut rectè mo-

Serm. 26. net D. Chryſologus, quod faciunt ii, *qui potentes ſunt ad bibendum vinum, & viri fortes ad miſcendam*

Cap. 5. verſ. 22. *ebrietatem*, ut ait Iſaias, vel ut Hebræus vertit: *Qui Gigantes ſunt ad hauriendum vinum.*

Ex iis fuit olim Alcetas Macedo, qui vulgò dictus eſt *infundibulum.*

Alexander Magnus, orbis Dominus; ſed vini ſervus. Is aliquando conſtituit meri certamen, in quo primum præmium *Talentum* erat: Secundum triginta *Minæ*: Tertium decem. Cōſtat autem *Mina* in re nummaria, dracmis Atticis centum.

Eo præmio, ceu illecebra capti quàmplurimi in illud meri certamen deſcendêre, è quibus triginta quinque continuò interierunt, ſex alii modico intervallo in tentoriis extincti: qui plurimum bibit, ac vicit, meri purioris quatuor choas ebibit.

Eſt autem *Choa* menſuræ genus, continens ſextarios omninò ſex, unde conſequens eſt ebibiſſe ſextarios viginti quatuor: non hominem credidiſſes, ſed vas vinarium, ut qui tantum vini caperet.

Quod Alexander non ſine probro, hoc ea, qua vivimus ætate, etiam è Chriſtianis plurimi, non ſine nota ſui nominis, certant illi ad æquales hauſtus, certant quis quem bibendo vincat, quis in eo genere potentior, quis & fortior ad miſcendam ebrietatem, quis denique gigas ad exhauriendos calices: optandum ut in illa vini pugna, & Bacchi furentis certamine, hominem te eſſe meminiſſes, multumque diſtare à beſtia: optandum ut & tibi, & alteri in ea meri arena diceres, quod aliquando Adoleſcens litteratus & probus, qui cùm à Principe urgeretur ad potandum plus æquo, hæc illi:

Veniam peto, Clementiſſime Princeps, A beſtia parum abſum, vultne Clementia tua totum me beſtiam fieri? Serrarius in Judith c. 15 quæſtiuncula 4.

Dixit, & urgeri deſiit. Dixit & alius, ne ſibi quis ad liberalius epotandum eſſet importunus. Offerebatur grande poculum, tum ille: Licétne mihi ad ebibendum Chriſtum adſciſſere ſocium? licet, inquit alter, licet Chriſtiano Chriſtum nanciſci bibendi ſocium. Tum ille in Chriſtiana Logica probè doctus ita ſubintulit, *Bibat ergo ille, qui ad januam eſt mendicus.*

Hæc atque ſimilia ſi pro Lazaro mendico ſibi atque aliis dixiſſet Epulo noſter, non jaceret ſepultus in inferno, non jacerent cum illo & alii compotatores longè plurimi.

Quod ſi fortè uſupare nobis Chriſtianum illud; accipe aliud, quod eſt medicum.

Calliſthenes cum ab Alexandro Magno ſibi propinatum audiſſet, jamque porrigeretur Herculeanus ille Scyphus, omninò recuſavit, quod ſe Æſculapium habere nolle diceret.

Et tu idem dixeris: Tibi non eſſe pecuniam quam des medico; tibi cariorem eſſe tuam ſanitatem, quàm ut eam epoto ſcypho prodigas.

Quod ſi & aliæ ad bibendum largiùs ingerantur illecebræ, ſi & alia ebrietatis artificia, qualia ſunt ſæpè ſæpius convivarum, Ducum, Principum, & Cæſarum ſi voles, ſapitas iterum iterumque obtruſa, ſi audiatur & illud, quod & ſuo ævo audivit D. Ambroſius:

Bibamus pro ſalute Imperatorum, qui non biberit ſit reus in devotione. Videtur enim non amare Imperatorem, qui pro ejus ſalute non biberit. O pia devotionis obſequium! exclamat D. Ambroſius: certè plus ſalutis, plus & ſanitatis accedet Imperatori, Deum, ac Superos per ebrietatem non offendendo, quàm integra vini dolia exſorbendo: plus etiam & Cæſari gloriæ, & tibi addetur laudis, ſi cadas in bello turcico, quàm temulentus concidas inter menſas & pocula. Lib. de Helia & Jejunio. c. 17.

Quid dicam de aliis potatoribus & Bacchi mancipiis, qui etiam in Sanctorum honorem, & pocula, & calices vino plenos ebibunt, & hæc vota *ad Deum pervenire judicant*: Quid, inquam, de illis dixero? niſi unum illud ejuſdem D. Ambroſii.

O ſtultitiam hominum, qui ebrietatem ſacrificium, qui æſtimant illos ebrietate placari, qui jejunio paſſiones ſuſtinere didicerant. Suprà.

Quid iterum de illo genere hominum? quo eos nomine vocavero? ſanè, quo ille S. Præſul: *Hos homines*, an utres veriùs æſtimaverim? quo etiam eorum compotationes? *non poculi, ſed profluvii genus, quod in ora hominum tanquam per fiſtulas, aut canales vina funduntur.* Hæc in illis Ambroſiana ſimul & maſcula eloquentia, à qua dum abeo, venio ad tertium, quod neceſſum eſt ſervari in conviviis, & il- III.

lud *Decor* quidam *honeſtatis*, qui averſatur ac reſpuit quidquid eſt indecorum, quidquid & ſcurrile, quod vel oculos, vel aures convivarum offendat, quidquid contra civilitatis atque urbanitatis leges, quibus accedet & quartum, videlicet, *Puritas*, quæ Decor honeſtatis.

IV. Puritas. mirùm quantum inficitur à gula atque ebrietate: nec mirùm, quia ut rectè S. Maximus, intemperantia in uſu epularum & potûs *Mater eſt & nutrix ſcortationis, & ſatietas venerea eſt*, ut diſertè Clemens Alexandrinos, & *Caſtrimargia fornicatio, peculiari conſortio fœderatur*.

Centur. c. 84. *Lib 3. Strom.*

Ut verè Caſſianus, & *Monſtrum haberetur libido ſine gula*: ut elatè Tertullianus, & *Vinum rei eſt venereæ proxima, nervos omnium debilitans virtutum, verecundia, pudoris, & caſtitatis inimica*, ut ſcitè Arnobius.

Collat. 5. c. 10. *Lib. de Jejun. c. 1.* *Lib. 7.*

Ab illo porrò inimicitia, quæ gulæ eſt, verecundiam inter & pudorem ac caſtitatem: ab illo fœdere atque conſortio, quod intercedit caſtrimargiam inter & fornicationem, evenit primò, ut inter menſas & pocula ſæpiùs effundantur amatoria verba, laſciva, impudica, quæ caſtas aures offendunt, & ſunt veluti quædam incentiva libidinis; à verbis enim facilè venitur ad opera, ad oſcula, amplexuſque impudoratos, & illicitos concubitus: nec mirùm, quia ut nervosè D. Hieronymus: *Venter mero æſtuans citò deſpumat in libidinem.* Ne porrò ſic deſpumet, adſit in epulis comes individua *Puritas*, adſit & *Moderatio feſtinationis expers*: convivas enim decet eſſe non helluones; qui properè & præproperè oblatas dapes in ſtomachum, velut in ſaccum injiciunt, & vinum in ventrem, quaſi in utres infundunt, & ſubinde ut illi etiam crepant, uti ſupra oſtendimus in Bacchico illo vini certamine, quod ut vidit, ſic & damnavit Antiquitas, damnabitque poſteritas omnis.

Epiſt. 83.

V. Moderatio expers feſtinationis.

Ne verò damnet etiam in Chriſtianis, viſum eſt hîc ſubjicere pauculas bibendi leges, ex Conciliis, ac Patribus.

Modus bibendi ex Concil. & PP.

In Concilio Namnetenſi, ſacerdotibus, & omnibus ſacræ Hierarchiæ filiis, in epulis præſcribitur ea moderatio, ut ſcilicet *ultra tertiam vicem non bibant.* Et hic fuit ſenſus Patrum illius Concilii, hæc in potu parcitas, à qua multum receſſere poſteri.

Dist. 44. c. 7.

Imperatores Chriſtiani turbulentas illas, & violentas provocationes lege lata, edictoque prohibuerunt; nam in capitularibus Caroli Magni, eſt illa plena mentis & prudentiæ Sanctio.

Nemini liceat alium cogere ad bibendum niſi quantum ei ſufficit.

Capitul. L. 10.

Salicam quoque eam legem, lib 2. rerum Germanicarum profert Beatus Rhenanus.

Nemo militia ſocium ſuum aut quembibet alium ad potandum invitato: Quod & ſuperiori ſæculo in Germanicis comitiis eſt renovatum.

Jura civilia præeunte Caio I. C. dicunt injuriam Patri Dominoque fieri, ſi quis filium, aut ſervum in popinam duxerit, multoque magis ſi ad ebrietatem coëgerit.

De Injur. L. Si quis.

Denique majores noſtri, & Chriſtianæ vitæ lumina, quorum meminit Tertullianus, in epulis ac conviviis, hanc ſibi, hanc aliis legem poſuere.

In Apol. c. 39.

Non prius diſcumbatur, quàm oratio ad Deum præguſtetur, editur, quantum eſurientes capiunt. Bibitur quantum pudicis eſt utile: ita ſaturantur, ut qui meminerint etiam per noctem adorandum Deum eſſe: ita fabulantur, ut qui ſciant Dominum audire.

Hæc ubi de conviviis primævæ Eccleſiæ protulit, tum effert, quæ deinde ab illis:

Æquè oratio convivium dirimit, inde diſceditur non in catervas cæſionum, neque in claſſes diſcurſationum, nec in eruptiones laſciviarum: ſed ad eandem curam modeſtiæ, & pudicitia, ut qui non tam cœnam cœnaverint quàm diſciplinam.

Hactenus Tertullianus.

QUÆSTIO QVINTA

LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui jacebat ad januam ejus, ulceribus plenus, cupiens ſaturari de micis, quæ cadebant de menſa divitis, & nemo illi dabat.* Luc. c. 16. ℣. 21.

QVIS ILLE LAZARVS? ET QVÆ EIVS LAZARI, & Divitis vices?

LAZARI nomen benè ominatum exprimit Evangeliſta, & Divitis reticet, quia hic nec in terris, nec in cœlis, nec in tota æternitate nominari meruit: At meruit ille, qui vel ſolo nomine miſericordiam poſtulabat: Lazarus enim Hebræa voce dicitur *Laazar*, id eſt *ad adjuvandum*, ſive *ad adjutorium* poſtulandum palam expoſitus, atque ut eleganter D. Chryſologus, *Dives vulnere, cenſu nudus, exutus corpore, veſtitus pœnis, animam quam ſolam tenebant vulnera, Deo in hoſtiam jugiter offerens.*

Lazarus quis?

Serm. 66.

Jacebat hic ad januam Divitis abjectus, quaſi ſpirans cadaver, quod in oculos illius ſemper incurreret, ſive egrederetur domo, ſive in eam regrederetur, & vel aſpectu ſolo miſericordiam inclamabat, & quia eam non invenit in terris, adeptus eſt in cœlis: ut enim aureè D. Chryſologus, *Recepit pro doloribus requiem, pro opprobrio gloriam, pro contumeliis honorem, pro deſpectu gratiam, pro pannis immortalitatem, pro vulneribus præmia, pro ſiti refrigerii fontem, pro fame cæleſtis menſæ delitias ſempiternas, & quem divitis angulus non cœpit, ſinus divinæ conſolationis incluſit.*

Suprà.

Hæc ubi de *Lazaro* extulit S. Præſul, tum converſa ad Divitem oratione, ſic ad eum:

Tu dives fulgens quondam purpura, nunc tegere fumo, pro coccino veſtire flammis, pro molli diſcubitu tormentorum dura, pro lautis ferculis epulare pœnas, copias inopia compenſa, ebrietates ſiti digere, pro odoribus, aſpergere fœtore, & cui aſtiterunt voluptatis obſequia, aſtent tibi miniſteria nunc pœnarum, quia iſta tibi deſpiciendo pauperem taliter tu mutaſti.

Lazari, & Epulonis vices.

Pergit S. Antiſtes, & inhumani Divitis, & Lazari pauperis, ſtupendas vices, pavendas ſucceſſiones, conditiones admodum lamentandas in medium producit.

Cùm eſſet, inquit, *in tormentis, elevavit oculos ſuos & vidit Abraham de longè, & Lazarum in ſinu ejus.*

Gratis reſpicit modo Lazarum ſurſum, qui ante deorſum Lazarum videre deſpexit.

Cùm eſſet in tormentis, pungit nimirum pœna, quem non pœnitendo compunxit: & vexant tormenta quem Lazari vulnera non moverunt.

Vidit Abraham de longè: nimirum *longè illi erat Abraham; cui non fuerat proximus pauper.*

Et ipſe clamans, ſic enim clamat ibi, qui hic clamantes contempſit audire; *ibi caſſa vox eſt, iſtic inanis eſt clamor.*

Et dixit

Et dixit Pater Abraham miſerere mei : *Crudelis fili quam miſericordiam petis, quam tibi negando pauperi tu negaſti.*

Et mitte Lazarum. *Miſer fili, ſi Lazarus ad tuam menſam veniſſet, tu ad iſtum diſcubitum non veniſſes.*

Ut intingat extremum digiti ſui in aquam : *Qui claudit manum pauperi, extremi ſtipem digiti ſic depoſcit, ſic depoſcit & ſiti aquæ guttam, qui vini lacm ne guttam daret, incluſit.*

Qui divitias ſuas non miſerando pauperi dedit, ſibi miſericordiam ſic minorat.

Et refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma, *quaſi reliquum corporis ab incendio haberet immune, ſed lingua plus ardet, quæ miſericordia ut fieret jubere neglexit. In lingua maius ſentit incendium, quæ maledixit pauperi, pauperi miſericordiam contradixit; lingua in tormentis prima eſt, quæ derogando pauperi, pauperum blaſphemavit auctorem.*

Hæc dives Epulo ad Abraham, à quo nihil audit niſi illud, *Fili, recordare quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala: nunc autem hic conſolatur, tu verò cruciaris.*

Hæ nimirum ſunt vices, hæ divinæ Juſtitiæ leges, ut qui bona receperit in hac vita, in altera mala recipiat; & contra qui hîc mala, ibi bona.

Ita nimirum, ut ſcitè D. Gregorius, *Mala Lazari purgavit ignis inopiæ, & bona divitis remuneravit felicitas tranſeuntis vitæ.* Et quia ſic remuneravit, Deo judice, paucula bona, mala illius longè plurima æternis punit incendiis. & contra quia Lazari paucula mala purgavit égeſtas, bona illius multò maxima, æterna compenſat beatitate. Homil. 40.

O gravis nimium & lugenda conditio! exclamat Salvianus : *Pauper beatitudinem emit mendicitate, dives ſupplicium facultate.* Ad Eccleſiam lib. 3.

Pauper cùm penitus nil haberet emit æternas delitias egeſtate. O quantò has facilius tam multa rerum poſſeſſione dives potuerat comparare. Ubi hæc extulit S. Præſul, tum illud ad extremum conficit :

Hac ergo divites cogitent, qui redimere facultatibus ſuis nolunt, ne iſta patiantur.

QVÆSTIO SEXTA

LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Factum eſt autem ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ; mortuus eſt autem & dives, & ſepultus eſt in inferno.* Lucæ c.16. v.22.

CVR MENDICVS IN SINV ABRAHÆ? Et cur Dives in inferno?

Hom. 2. de Lazaro. DIvus Chryſoſtomus eloquentiâ ut aſſolet aureâ ſic olim de Lazaro : *Vidiſtis illum in veſtibulo divitis, videte eundem hodie in ſinu Abrahæ; vidiſtis illum cùm à canibus circumcingeretur, videte eundem ab Angelis ſtipatum; vidiſtis illum tunc in paupertate, videte nunc eundem in delitiis; vidiſtis illum in fame, videte in multa rerum affluentia; vidiſtis illum certantem, videte coronatum; vidiſtis labores, videte præmium, quotquot eſtis vel divites, vel pauperes.*

Hactenus S. Præſul, à quo tranſeo ad unam alterámve quæſtionem. Prima erit quis ille ſinus Abrahæ? cur Lazari anima in eum deportata potius quàm in alicujus alterius è SS. Patribus, qui tum erant in Limbo. Altera cur Lazarus in ſinu Abrahæ? & cur dives in inferno?

Ad primam quæ hic injicitur quæſtionem, reſpondebunt Doctores Sancti, Ambroſius, & Auguſtinus.

Ambroſio ſinus Abrahæ *eſt locus quietis æternæ*, & felicitatis interminabilis, in quo per omne ævum quieſcet anima Lazari.

In Abrahæ gremio, quaſi in quodam ſinu quietis & ſanctitatis receſſu.

Auguſtino ſinus Abrahæ eſt *ſecretum*, in quo anima à mundi turbis & ſtrepitu libera conquieſcet.

Serm. 110. de Temp. *In ſinu Abrahæ*, Inquit, *id eſt in ſecretum: ubi erat Abraham ſinus erat, quia ſecretum erat.*

Hæc & illa opinio veriſſima, nec multum diſſentiens niſi in voce: in re enim convenit, quia anima Abrahæ, quæ eſt in limbo, ſinum non habet, hic quippe corporis proprius, non animæ: igitur accipi hîc debuit ſinus metaphoricè, pro loco quietis, pro ſecreto æternitatis.

Sed remanet altera quæſtio, cur, anima Lazari exportata potius in ſinum Abrahæ, quàm alterius cujuſque, puta Davidis, aut Moyſis? Cur Lazarus in ſinu Abrahæ?

Reſpondent Interpretes, quia fideles, & Sancti eò loci ac temporis dicti ſunt filii Abrahæ, & hic illorum Pater, in cujus proinde ſinu molliter & ſecurè quieſcerent filii.

Deinde quia Abrahæ promiſſa benedictio, & beatitudo, & in illo fidelibus, id eſt filiis, ut videre eſt in Geneſi. Reſpondebit D. etiam Chryſologus, cujus tot ſunt oracula, quot verba; tum quia Abraham dives, ſed plus humanitate, quàm cenſu : tum quia *Abraham ſibi peregrinus, cuivis hoſpitium fuit*; denique, *quia Abraham dum ſervos ſuſcipit, Dominum ſic recepit.* Cap. 22. v. 18. Serm. 66.

Venio ad tertium quæſtionis propoſitæ caput, cur ſcilicet Lazarus in ſinu Abrahæ? & cur dives in inferno? Cur Dives in inferno?

Huic quæſtioni faciet ſatis D. Hieronymus Epiſtola ad Julianum divitem, qui paucos intra dies, & duas filias, & uxorem amiſerat, & inſuper opimam bonorum ſuorum poſſeſſionem; ſic enim ad illum quæ modo etiam ad nos. Epiſt. 23.

Felix & omni dignus beatitudine, quem ſenectus Chriſto occupat ſervientem, quem extrema dies invenerit Salvatori militantem, qui non confundetur, cum loqueretur inimicis ſuis in porta, eum in introitu Paradiſi dicetur.

Recepiſti mala in vita tua, nunc autem hic lætare; divitem purpuratum gehennæ flamma ſuſcepit. Lazarus pauper, & ulceribus plenus, cujus carnes putridas lambebant canes, & vix de micis menſæ locupletis miſerabilem ſuſtentabat animam, in ſinu Abrahæ recipitur, & tanto patriarcha parente lætatur. Hactenus S. Doctor, qui tam hujus, quàm illius ſortis rationem hanc adjicit.

Difficile,

Difficile, imò impoſſibile eſt, ut & præſentibus quis, & futuris fruatur bonis, & hic ventrem, & ibi mentem impleat, & de delitiis tranſeat ad delitias, ut in utroque ſæculo primus ſit, ut & in cælo & in terra glorioſus.

Serm. 1. de jejunio. Hæc rurſus ille, cui conſimilia dixit S. Baſilius qui poſteros omnes exemplo Epulonis voluit eſſe benè cautos: ſic enim ad illos.

Time delitias. Epulo enim illis, non ob injuſtitiam, ſed ob mollem vitam ardet in inferno: quia molles ſibi, aliis ſunt duri & crudeles: adimunt enim pauperi neceſſaria, ut mollia & ſuperflua dent ventri. Et ita ademerat dives ille mendico Lazaro neceſſaria, & ventri dederat ſuperflua: & hinc illius anima à turmis dæmonum ducitur ad infernum, in quo ſibi ſepulchrum invenit; & hujus exportatur in ſinum Abrahæ, in quo non ſepulchrum reperiet, ſed quietis, ſed beatitatis, ſed æternæ vitæ ſedem.

Lib. de cura pro mortuis. *Præclaras exequias*, exclamat D. Auguſtinus, *in conſpectu hominum purpurato illi diviti, turba exhibuit famulorum; ſed multo clariores in conſpectu Domini ulceroſo illi pauperi miniſterium præbuit Angelorum, qui non eum extulerunt in marmoreum tumulum, ſed in Abrahæ ſinum ſuſtulerunt.*

Quod huic & illi; hoc & aliis ſæculis longè conſequentibus. Exempla petamus, tum ea antiquitate, tum ex noſtra propè ætate.

Ea illa erit iſtud hauſtum è vitis Patrum.

Heribertus in vit. PP. lib. 6. bell. 1. In ſolitudine Niocopoleos erat vir omnino pius, qui ſibi uni & Deo vacabat. Erat autem & in vicina civitate vir dives; ſed impius.

Mors impii in ſpeciem felix. Mortuus eſt dives in pluma mollique culcitra, in Lectulo eburneo, conſanguineis, & amicis cinctus, & medicorum turma ad ſubſidium, uxore autem & liberis ad ſolatium, elatuſque cum inſigni pompa, funebrique apparatu, perſonante undique campanarum ære, & funalibus accenſis, funus ipſum ducente loci Epiſcopo.

Mors pii in ſpeciem funeſta. Solitarius autem ille noſter inventus in cellula, in nuda humo, in mœſto cinere, & quidem à feris devoratus, triſte profectò ſpectaculum, quod mirentur omnes, & doleant, ac deplorent boni.

Et verò indoluit vel maximè vir ſæcularis, qui Eremicolæ illi panem alternis diebus deferebat; indoluit, inquam, & propè Cœlum incuſavit, quòd diviti illi & mortem dediſſet adeo fortunatam, ex mundi calculo, & eam funeris pompam indoluiſſet: ſolitario autem Viro quàm optimo, & infelix mortis genus, & inglorium, imò & nullum funus; & quod pejus erat, pro tumulo feræ alicujus ventrem, & viſcera. Dum hæc ſecum agitat, dum ingemiſcit & plorat, adfuit Angelus, & hæc illi:

Dives ille & impius pluſculum aliquid in vita egit boni, & hoc cœlo judice ei præmium: mors ſuavior, honor ſepulchri, à quo corpori, ut videtur, benè fit, at interim animæ, eſt quàm peſſimè; in ſepulchro ſcilicet inferorum, & igneo lacu: Solitario autem, cùm pluſculum culpæ adhæſiſſet, & non venia digna, pro ſupplicio permiſſum, ut fera peſſima corpuſculo illud inferret mali, dum animæ ſua in cœlo æternaque requies. Et hoc, ut dixi, dedit Antiquitas, quod ſubjicio præcedens ſæculum.

Cùm adhuc in vivis eſſet *S. Thereſia*, erat mortales inter vir unus aliquis longè flagitioſiſſimus, cui miſericors Deus morbum immiſit, velut opportunum monitorem, ut vitam mutaret in melius. Tenuit is morbus biennio toto, quo viſus reſipiſcere, non tamen ex vero: abiit enim è vita, non elutus confeſſionis lavacro. *In ejus vita c. 38.*

Dum cadaveri paratur pompa, dum effertur, & longo ordine ducitur funus, vidit illa legiones dæmonum aliquot, quæ corpus circumſtabant, & huc illucque diſtrahere videbantur, & diris horrendiſque cruciatibus afficere, non ſine immani ululatu, & confuſis clamoribus. Mors luctuoſa, quia impœnitens.

Interea in ſacram ædem infertur corpus, peragitur de defunctis Officium, & Miſſa apparatu lugubri; ſonat æra campanum, tandemque peractis ritè omnibus, in ſepulchrum immittitur cadaver. Ecce rurſus triſte ſpectaculum: ſtygiæ illæ larvæ, diabolica ſpectra, numero propè innumerabili in tumulum deſcendunt, corpus excipiunt, denudant, & horrendum in modum excruciant ac dilacerant.

Hæc dum ſpectat Tereſia, vix ſibi conſtat, vix animam retinet, vix ſpiritum trahit propè exanimis à tam ferali ſpectaculo: trahit tamen adjuvante Divam Cœlo, quæ tum hæc apud ſe, hæc & ſecum loqui: Si iſta corpori, quid animæ in inferno?

O utinam, inquiebat, hæc viderent, hæc ſaltem mente & cogitatione recolerent, quotquot tenentur lethali culpâ: indubiè abirent ab illa, & gratiæ Deoque redderentur à ſalutari pœnitentia.

QUÆSTIO SEPTIMA MORALIS.

Ad illa verba: *Sepultus eſt in inferno,* verſ. 22.

AN, ET QUALE IN INFERNO SEPULCHRUM?

DUm anima hoſpes comeſque corporis ex eo diſcedit, prima cura eſt de hujus ſepulchro, quod illud, & ubi? nec immeritò: etſi enim corpus hominis ſit pars infima, pars tamen eſt, & cui à morte vult eſſe benè: benè, inquam, à ſepulchro: reponitur enim in malis ſi cadaver indotatum, inhumatumque abjiciatur; uti è contra in bonis, ſi condatur in ſepulchro Patrum, ſi loco ſacro & honoratiore; & in hoc felicitas aliqua, uti è contra ſumma inſepultorum infelicitas, quam etiam ab hoſtibus deprecari, turpe minimè ducebant. *Sepulchri gratia & honor.*

Hanc ipſam ob cauſam iis, quorum cadavera condi non poterant, ſtatuebantur imaginaria ſepulchra, ut ſepulti viderentur.

Rationes porrò ſi quæras, has reddit Tertullianus, libro de anima.

Ut inſtantia funeris, & honor corporum ſervetur, & mœror affectuum temperetur: Inſtantia quidem *funeris*, quia anima ſoluta jam corpore, inſtare videtur *apud heredem, per quem adhuc paſcitur luce*, ut corpori juſta ſolvantur: & hæc prima ratio. *Cap. 56.*

Altera eſt, ut ſervetur honor corporum, qui violari videtur ſi maneant inſepulta.

Poſtrema denique, ut *mœror affectuum temperetur*, vel ex eo, quòd vitâ functus apud amantes maneat, aliqua ſaltem ſui parte, hoc eſt corpore.

Ex his porrò aliiſque rationibus factum ut veteres illi Patriarchæ, Heroës inclyti, adeò inſtiterint apud poſteros ſuperſtites, ut eorum corpora animâ jam vacua, apud Majores deferrentur, atque apud illos ſepulchrum invenirent. Sic Jacob ex Ægypto transfert

transferri voluit, magnæ mentis exuvias, & in Patrum ſuorum ſepulchro recondi, quod & impetravit.

At unde, inquies, ea cura ſepulchri? quia nimirum honori ducitur & gloriæ, etiam poſt fata illud nanciſci, uti contra pœnæ habetur atque infamiæ, non obtinere.

Ita Cœlo vindice ſepulchro caruit Joakim, filius Joſiæ Regis Juda, ad quem ſic criminum ultor Deus
Cap. 22. v. 19. ore Jeremiæ: *Sepulturâ aſini ſepelietur putrefactus, & projectus extra portas Jeruſalem.*

Sepulchri privatio dedecori eſt. Ut aſinus non ſepelitur; ſed abjicitur in agrum, aut in ſterquilinium; ſic & abjicietur Joakim ad infamiæ ſempiternæ notam, atque ad ſupplicium longè graviſſimum, quod illi Deus infligi voluit etiam poſt fata.

Quod ſi infelicitatis eſt, ſi infamiæ, ſi pœnæ corpus ſepeliri ſepulturâ aſini, hoc eſt in ſterquilinio, quid erit animam ſepeliri in inferno? uti ſepultus eſt dives Epulo.

Certè quantum intereſt animam inter & corpus, ſterquilinium atque infernum, tantum neceſſe eſt intereſſe inter hujus atque illius ſepulturam.

Sed quæres an ergo in inferno ſepulchra? & quænam illa? Reſpondebit D. Auguſtinus *ſepultura*
In Pſal. 48 v. 21. *inferni, pœnarum profunditas eſt*, quæ ſuperbos, *& immiſericordes, poſt hanc vitam vorat.*

Reſpondebit Ezechiel, cui ſepultura inferni, eſt inferni medium: ſic enim de Aſſyriis, Perſis, Idumæis, aliiſque tyrannis.

Loquentur ei (nempe Pharaoni) potentiſſimi robuſtorum de medio inferni:

Cap. 32. v. 21. *Ibi Aſſur, & omnis multitudo ejus, in circuitu ejus, ſepulchra ejus.* Uti & aliorum *quorum data ſunt*
Verſ. 23. *ſepulchra in noviſſimis laci, & facta eſt multitudo ejus per gyrum ſepulchri ejus.*

Verſ. 24. *Ibi Ælam (quondam Perſarum Rex) & omnis multitudo ejus per gyrum ſepulchri ejus.*

Habent igitur Tyranni apud inferos ſepulchra ſua, & quidem alia, atque alia: hi enim in medio inferni, illi in infimo, & in noviſſimis, id eſt profundiſſimis laci, prout exigunt ipſa ſcelera, quæ aliis atque aliis majora: lethalia tamen omnia.

Homil. 16. de Epulone & Lazaro, §. 17. Hieronymus Baptiſta de Lanuza Epiſcopus Barbaſtrenſis, narrat unum aliquem, qui ſordidis vitiis inoleverat in exceſſu mentis raptum ad inferos, ibique ſpectaſſe alia atque alia ſepulchra, & quidem epitaphiis notata.

Quædam ex illis erant obſita draconibus horrendis, qui patulo gutture flammas perennes evomebãt, alia pice & ſulphure oblita, atque ſuccenſa; alia ſerpentibus venenoſis horrida: alia liquenti metallo
Sepulchra inferni quæ? fervida, quorum ſic tituli legebantur: Hoc eſt ſepulchrum talis libidinoſi, *Catuli*, Melithæi.

Hic jacet faſtuoſus, & ſuperbus. *Maximus.* Et its de aliis ſceleratorum monſtris, quorum ſingulis ſingula erant ſepulchra, eaque ſuis titulis inſcripta, inter quæ (ut aiebat) occurrit unum præ cæteris immane, & horrendum, quod damnati, & iſtic ſepultâ nomen præferebat.

Vidit deinde & alia ſepulchra & tunc parata vivis adhuc atque ſuperſtitibus, quos & ſibi redditus monuit ut vitam mutarent in melius, quam & mutarunt, uti & ille qui ſibi ab extaſi & objecta illa viſione reſtitutus, reliquo tempore, quo ſibi ac terris ſuperſtes fuit, non deſiit ingemiſcere ac lacrymari, & pœnitentiæ vacare totus, & ita quidem, ut vix bibere, vix comedere, vix ſomnum capere liceret. Adeo terruerat oblata illa ſepulchrorum ſpecies, atque imago.

Ut & te terreat, pagellam hanc quiſquis decurris, age, & ſi minus corpore, at mente tamen & cogitatione in Infernum deſcende, & vide an non iſtic tibi ex nunc erectum ſepulchrum à dæmonibus infernæ regionis incolis ac dominis.

Deſcendant in infernum viventes, aiebat Regius Pſal. 54.
Vates; deſcendant, & ſi minus oculo corporis, at v. 16.
certè mentis legant ſingulorum damnatorum ſepulchra, tituloſque.

Hoc eſt ſepulchrum avarorum, hoc eſt ſepulchrum ſuperborum, hoc eſt ſepulchrum guloſorum, hoc eſt ſepulchrum luxurioſorũ, hoc eſt ſepulchrum invidorum, hoc eſt ſepulchrum iracundorum, & vindictæ appetentium. Hoc eſt ſepulchrum Acedioſorum, & incuriorum ſalutis ſuæ, animæ ſuæ.

Hæc ubi viderint, legerintque, tum ad ſeipſos redeant, dicantque ſibi. Num in iis non erit aliquando meum? & quòd inſolentius eſt, num fortè ea omnibus?

Certè ſi omnium criminum iſtorum ſim reus, ea ſepultura mihi ſervatur, quæ eſt in inferno medio, imò quæ in profundiſſimo laci infernalis.

Uti fuit divitis Epulonis, *qui non tam emiſit ſpiritum, quam eructavit*, ut de Joviniano S. Hierony- Lib. 4. contra Vigilantium.
mus: *mortuus* enim eſt, *& ſepultus in inferno*, ut rectè notat ſacer hiſtoricus, qui non ait mortuus eſt, & deſcendit in infernum, mortuus eſt, & delatus in Joviniani
infernum, quia ex formulæ loquendi, moram ali- mors.
quam indicant: at hæc, *mortuus, & ſepultus*, nullam admittit: mori enim illius divitis fuit & ſepeliri.

Sepultus eſt in inferno, inquit Auguſtinus, *quia* Serm. 15.
hoc pecuniarum onere preſſus, velocius deſcenderat, quàm de verbis
ut veniſſe diceretur, mortuus eſt, & ſepultus in inferno. Domini.

Adhuc corpus calebat in molli lectulo, in pluma jacebat, nec ferali amiculo involutum, nec in feretro conditum, cum anima jam in inferno quaſi in ſepulchro. O infelicem, ô miſerabilem ſepulturam, ô ferendam tota quanta erit æternitate!

Quàm contraria inter ſe; & pugnantia in iis, quæ circa corpus in terris, & in iis, quæ circa animam in inferis.

Circumſtat defuncti corpus illacrymans uxor, & molliter oculos claudit, & dat extrema marito oſcula, adſtant filii mœrentes, & lacrymas affundunt etiam frigido corpori, accurrunt & famulorum grex numeroſus & pars amiculum funebrem profert, pars fortè & myrrham affert, & balſamum, quo condiatur corpus, quo ſervetur indemne à putredine, pars funeris pompam apparat, pars arma curat & defuncti inſignia, quæ tumulum veſtiant, atque ornent, pars cogit tribunalia, & quoſcumque in civitate alicujus nominis & notæ, ut funus ducant, & augeant, pars etiam monet amicos, & conſanguineos, ut illicò advolent, num fortè obvenerit aliqua hæreditas, de hac unâ omnia eſt cura, de anima defuncti nulla, pars denique convivium apparat, quo in die funeris lautiùs epulentur convivæ omnes, calet culina, & focus ardet, & multo vino memoria mortui celebratur, dum interim apud inferos coquitur, dæmonum catervæ in animam incumbunt, & toti ſunt in pœnas, in cruciatus, in ſempiterna incendia.

In terris exhibetur quædam veluti comœdia, at in
inferis feralis tragœdia. Cui ſimilem narrat D. Gre- Lib. 4. c. 54.
gorius Pont. Max. in ſuis dialogis.

Tinctor erat Romæ, ſepultus in æde D. Laurentio ſacra. Cùm noctu auditus eſt clamans, *ardeo*, Mors funeſta.
ardeo. Ad inconditos clamores, exciti ædis illius cuſtodes accurrunt, ſepulchrum aperiunt, & præter Syndonem nihil reperiunt. Nempè corpus impiæ mentis olim hoſpes, etiam hujus apud inferos comes in æternis illis ardebat incendiis: Quæ ſi minus oculo corporis, at certè mentis intelligentia ſpectarent mortales, non eò cum epulone noſtro venirent inſaniæ.

Ut porrò non veniant, quà poſſum rogo, atque obteſtor ut animæ ſuæ, dum adhuc ſpirant in terris proſpiciant, & de bonis operibus, deque reponendis in cœlo theſauris ſint ſolliciti.

Sepulchris illati olim theſauri.

Apud antiquos moris fuit, ut in ſepulchra magnatum & Regum Theſauri infoderentur.

Lib. 3. de Antiq. c. 15.

Davidis ſepulchro an illati theſauri?

Sic in ſepulchrum Davidis tantas opes congeſſiſſe creditur Salomon, ut ex eo Hircanus teſte Joſepho talentorum tria millia effoderit, nec tamen exhauſerit. Herodes enim multò poſt ingentes adhuc eruit inde divitias. Ita Joſephus, penes quem ſit fides.

Hæc ſepeliendi ratio, ſi vera, ſuperſtitionem olet, uti & illa, quæ defunctorum ſepulchris, & cibos omnis generis ingeſſit, & vina cretica, ac generoſa: quaſi verò animæ etiam poſt fata cibis egerent & potu.

Ex ea ſuperſtitione, quali, quali, hoc traduci velim ad mores, ut dum vivis ac ſpiras in hoc ævo mortali, congeras tibi ſpiritualium opum theſauros, hoc eſt bonorum operum ac virtutum ingentem copiam, quam efferas, inſcraſque in ſepulchrum, hoc eſt in ſinum Abrahæ, in quo ſuaviter & iucundè tua conquieſcet anima: & hoc primum. Alterum eſt, ut tibi patronos facias cœleſtes, illos Heroas, qui jam Cœlo donati ſunt: & eorum amores, cultumque, quà licet, etiam feras aduſque ſepulchrum.

Ita etiam hoc quo vivimus ævo faciunt nonnulli, præſertim verò magnates, qui tumulari volunt in religioſa veſte ſacro illo amictu externaque ſpecie conteſtantes affectum ſuum erga Cœlitem talis veſtis inſtitutorem, ejuſque tutelam, & ſuffragia poſt obitum apprecantes. In quo tamen duo animadverſione digna ſuccurrunt.

Primum eſt, ut conſulatur in hac parte decoro, quod haud dubiè violatur, cum fœminæ cadaver virili habitu religioſo obvolvitur, uti aliquando Lugduni factum teſtatur Theophilus Raynaudus, Societatis noſtræ Theologus: ex quo & alterum Notari, ſervarique velim, nimirum ut in uſu ſepulturæ in ſacro habitu curetur illud, ne vita contumeliam inferat religioſæ veſti: ſicut enim, parum juvat religioſum ſacer habitus, ſi eum deturpas moribus: ita item ſine dubio eſt de ſæculari, qui in religioſa veſte ſepelitur poſt vitam prorſus irreligioſam, idque ſæpe ſannas ſcurrarum movet.

Tom. 17. Aſtetic. Centuria 71.

Ita movit Avennione, ex iis, quos in foro *Notarios* appellant: is eum in religioſo habitu ſepeliendus efferretur, eum è feneſtra conſpicatus ſannio, malarum artium *Notarii* probè conſcius, exclamavit. *Fruſtra te alium ſimulas*; Nequaquam *S. Petro impones. Planè, ne tu perſonam ſi ſapis, pones.*

Appoſitè profectò, atque ut dici ſolet, *ad hominem*: ne tibi dicatur idem, cave ſis alius à veſte, alius à vita, etiam in alta ſepulchri nocte.

FERIA SEXTA

HEBDOMADÆ SECUNDÆ QUADRAGESIMÆ.

QUÆSIVIT aliquando D. Gregorius Nyſſenus cur natura, fœcunda utique parens ac provida, cryſtallum velut glaciem fuderit? & cur eo etiam efformarit ſpecula: & reſponder in uſum commodumque generis humani, videlicet, ut homo, qui alia à ſe videt omnia, ſeipſum autem non videt, videat beneficio vel unius ſpeculi, à quo & alterum illud habeat, ut ſi quis in vultu ſit nævus, ſi quæ macula, eam illico advertere poſſit, atque eluere, imò verò (quod mirabile in eo magis) etiam cognoſcit in omni vita atque ætate, quid deceat, quidve dedeceat.

Quod ipſum notavit atque expreſſit Seneca, eo quo ſolet ſtyli nitore. *Inventa*, inquit, *ſunt ſpecula, ut homo ipſe ſe noſceret. multa ex hoc conſecuti. Primò notitia ſui, deinde & ad quædam conſilium.*

Lib. 1. Natural. Quæſt. c. 17.

Formoſus ut vitaret infamiam, deformis ut ſciret redimendum eſſe virtutibus quidquid corpori deeſſet. Iuvenis ut flore ætatis admoneretur illud tempus eſſe diſcendi, & fortia audendi. Senex ut indecora canis deponeret, & de morte aliquid cogitaret.

Hæc è muſæo ſuo Seneca, ut poſteros edoceret, quis ex natura & ratione deberet eſſe ſpeculorum uſus, vel ut eos perſtringeret qui plus æquo formæ amantiores, de ea ad ſpeculum diſputant ad horas, & dies: quod hujus ætatis vitium eſt, maximè verò puellarum, à quibus dum abeo, tranſeo ad Parabolam, de qua in in præſens Servator Magiſter optimus, & quæ in illa ſit, & quis illius uſus inquiro; dicoque eandem eſſe quæ ſpeculi; imò & Parabolam ſpeculum eſſe pronuntio: in ea quippe ſeipſe videt homo, & ſuos in animo nævos, ſuas peccati maculas, quæ melius pervidentur, ſi paulò longiùs ſemoveantur ab oculo, & quaſi in alio, quàm ſi propiùs, & quaſi in ſe admoveantur.

Eſt illa apud Philoſophos maxima: *Senſibile poſitum ſupra ſenſum non facit ſenſationem*, quod locum habet præcipuè in oculo corporis; ſi ſupponas objectum

viſibile,

viſibile, non videtur; ſin autem in aliqua diſtantia, clarè percipitur. Quod ipſum evenit plerumque in oculo mentis atque intelligentiæ, cui ſi ſubjicias peccatum ipſum, ceu animæ maculam, non attenditur: ſin autem remotè, & in alio; quale eſt in Parabola, tum luce clariùs excipitur, atque agnoſcitur, ut oſtendemus in ea, quæ eſt præ manibus.

QUÆSTIO PRIMA
LITTERALIS ET MORALIS.
Ad illa verba: *Pater-familias qui plantavit vineam.* Matth. cap. 21. verſ. 33.

QVIS ILLE HOMO, QVÆ VINEA, QVÆ SEPS? Quod Torcular, quæ turris, qui agricolæ?

CHRISTUS hanc Parabolam proponit Scribis & Phariſæis, ut in ea velut in ſpeculo ſeipſos intueantur, agnoſcantque enormes illas ſcelerum ſuorum maculas, & dum licet diluant. Ea porrò eſt ejuſmodi.

Quis ille homo? *Homo quidam.* Ecquis ille? Deus eſt ter Opt. ter Max. qui ſe vocat *Patrem-familias*, quod amantis eſt, & mirum quantum amantis: uti exprimit ea vocula *Pater*, quod nomen eſt indulgentis naturæ, eſt & ſummi amoris, qualis eſt Dei, de quo magnificè Tertullianus:

Lib. de Pœnitentia. c. 8. *Quis ille nobis intelligendus eſt Pater? Deus ſcilicet. Tam Pater nemo, tam pius nemo. It ergo te Filium ſuum, etſi acceptum ab eo patrimonium prodegeris, etſi nudus redieris, recipiet, quia redu ſti, magiſq; de regreſſu tuo, quàm de alterius ſobrietate, lætabitur.*

Cur ita? quia Pater eſt, & nimium quantum indulgens Pater.

Pſal. 79. v. 9. At quæ illius vinea? Eſt Synagoga, de qua illud Vatis Regii: *Vineam de Ægypto tranſtuliſti*: verè enim ſynagogam, ſeu populum Judaicum ex Ægypto
Quæ Vinea? tranſtulit in manu forti & brachio extento, & in terram promiſſionis intulit, terram utique fertilem, ut eſſet illi *Vinea in cornu Filii olei.* At quam ei ſe-
Quæ Seps? pem circumdedit? Syro interpreti eſt *maceria*, qua eam undequaque obvallavit. Gloſſæ interlineali ſunt viri Principes, uti David; ſunt viri armis potẽtes, uti Machabæi, fortia pectora, Heroes inclyti.

Origeni eſt Angelorum cuſtodia, qua veluti ſepibus ac muro circumvallabatur, ac defendebatur Synagoga.

S. Irenæo eſt ipſa lex, quæ illi fuit pro cuſtodia, pro muro, pro ſepimento, quam dum ſervarent, & tuti eſſe poterant, & indemnes ab hoſte, uti vinea eſt à ſepibus contra ferarum incurſiones.

Quod Torcular? At quod in ea Torcular?

Origeni, Bedæ, & Theophilacto eſt altare, in quo victimarum ſanguis exprimebatur, ut in torculari vinum ſolet.

S. Hieronymo ſunt Martyres, nobiles utique ac ſacræ victimæ, quæ pro religione, próque Deo ad aras cadunt.

S. Hilario, ſunt Prophetæ, in quos uberius influxit Spiritus S. ejuſque gratia ceu muſtum novum.

D. Chryſoſtomo, eſt verbum Dei, quod premit & cruciat hominem, contradicente carne.

Ecce ut in re ancipiti piè ludit Interpretum labor, ſtudiumque.

Quæ Turris? At quæ turris in ea erecta? Eſt templum Hieroſolymitanum, Deiq; in eo cultus, qui Synagogæ erat pro turri, ut opinatur S. Hilarius, Euthymius, aliique.

Myſticè ea turris, non alia fuit quàm Prophetæ, Doctores, & Paſtores populi, qui è turri, velut è ſpecula quadam & vigilare docti, & deſpicere ſi quis incurſaret hoſtis, monerentque ut caverent ſibi, ſibi conſulerent, omniaque reponerent in tuto.

Sed qui Agricolæ, quibus ea locata vinea? Ii Qui Agricolæ? ſunt Principes populi, Sacerdotes, Pontifices, quibus annuente Cœlo commiſſa eſt vinea, hoc eſt Synagoga, ut eam excolerent, labore multo, ſudore multo.

Sed quomodo Pater-familias, id eſt Deus ter Opt. ter Max. *peregrè profectus eſt*; quî enim peregrè proficiſci poteſt, qui ubique eſt, qui nec loco, nec tempore abeſſe poteſt, vel puncto loci, vel momento temporis?

Reſpondet Origenes, cùm legem Moyſi dedit, ad Judæos quadammodo propiùs acceſſit, quia eis apparuit; poſtea, cùm amplius non apparuit, quaſi aliò profectus eſſe, quaſi & peregrè abiiſſe videri potuit.

Sed quod fructuum tempus? Qui & fructus? Quod fructuũ Tempus? Fructus enimverò fuerunt in illis, obſervatio legis, eáque exacta; fuit & Dei cultus: tempus autem, omne fuit, nec enim unquam vacare debuit à legis obſervantia, à divino cultu, à bonis operibus: ſed ea jugiter cœlo reddere, ut ſolet fertile ſolum fructus ſuos: fuit tamen eorum omnium tempus vel maximè oportunum, regnantibus Davide, Salomone, Joſaphato, Ezechia, Joſia, optimis utique Regibus, ſub quorum dominio, favore, gratia Judæi in alta pace, & vivere, & Deo uni ſervire potuerunt.

Sed qui ſervi, quos miſit Pater-familias ad agri- Qui ſervi? colas illos, ut vineæ fructus acciperent? Alii fuerũt, atque alii, & quidem primò Prophetæ: *Iſayas*, *Ieremias*, *Ezechiel*, ejuſque generis Heroes, quos Judæi, ut vitiorum ſuorum caſtigatores, vel occiderunt, vel etiam lapidaverunt; fuerunt deinde & alii, & quidem numerò plures, quibus & *fecerunt ſimiliter.* De his, & illis aureè D. Chryſoſtomus, ad eximiam quandam divinæ bonitatis commendationem.

Per ſingulos, inquit, *gradus malitiæ, Dei miſericordia addebatur, & per ſingulos gradus miſericordiæ Dei, Iudæorum malitia creſcebat.*

Primus gradus divinæ miſericordiæ, fuit is, quo *Iſayam* ad Judæos emiſit, annis ante Romam 1. Iſaias. conditam octoginta; ante Chriſtum autem octingentis. Fuit hic è ſtirpe regia; fuit enim filius *Amos*, & hic frater Amaſiæ Regis Juda. Fuit & raptus in tertium Cœlum uti deinde Paulus, & Deum vidit, ab eoque propheta creatus, atque à Seraphino accenſus calculo ignito, ut totus eſſet ignitus, &

ſeraphicus totus, & *vocis ſublimitate prophetas omnes antecellens*, uti notavit D. Gregorius Nazianenus, qui & eum *grandiloquum* appellavit, uti & D. Chryſoſtomus *magniloquentiſſimum*, & hic per ſummam immanitatem ab Judæis ſerra diſſectus eſt medius.

Fuit hic primus gradus divinæ miſericordiæ; & contra, etiam malitiæ primus, malitiæ & crudelitatis Judæorum in ſervos magni Patris-familias, cui acceſſit ſecundus in *Ieremia* Vate.

II. Jeremias. Fuit hic (ſi D. Hieronymo credimus) filius *Helcia*, ſummi Pontificis, ut ad illius vaticinia adderetur & ſtirpis illius quædam ſacra Majeſtas, & ordinis ſanctitas, atque veneratio. Ut in hoc etiam eſſet & ſecundus gradus cœleſtis in Judæos miſerationis, & malitiæ eorum, atque immanitatis, etiam ſecundus, qui ea eo patuit, quod ab illis lapidibus ſit obrutus: cui addetur & tertius gradus ab *Ezechiele* propheta.

III. Ezechiel. *In cap. 14. v. 23.* Fuit ſacerdos oriundus ex tribu Levi, atque ut ait D. Hieronymus, Scripturarum oceanus, & myſteriorum Dei labyrinthus, atque ut ſonat ipſum Ezechielis nomen, robur, *ſeu fortitudo Dei, aut roboratus à Deo:* & tamen ut is eſſet cœlo judice, occiſus eſt à Judæis, & à duce populi, ut ait Epiphanius, vel eò tantum, quòd eos argueret de infami idolorum cultu. & hic erit tertius veluti gradus, quo in Deum & Dei ſervos inſurrexit inſana Judæorum malitia.

A Prophetis, qui vulgò majores dicti, tranſeo ad minores, ex quibus etiam nonnulli eadem Judæorum inſania atque furore è medio ſublati.

IV. Amos. Ex his fuit *Amos* (ut ante dixi Iſaiæ pater) & hic in Bethel prophetans contra Iſraëlem vecte per tempora transfixus occubuit.

V. Zacharias. *Zacharias* filius Jotadæ Pontificis, quem Joas Rex occidit inter ædem & altare: ubi enim melius caderet ſacrata Deo victima, quàm inter ædem & altare?

Mitto alios Prophetas & Heroas ex omni retro antiquitate, qui etſi non ceciderint infeſtis Judæorum armis; tamen ab illis, aut pulſi in exilium, aut malè mulctati. Redeo ad cœleſtem ac divinam Patris familias (id eſt Dei) in Judæos caritatem: ab hac impulſus, *Miſit ad eos Filium ſuum dicens: verebuntur Filium meum.* Syrus vertit, *Erubeſcent propter Filium meum.* Sed quis ille Filius? non alius, quàm Chriſtus Incarnatus: ſed quid ad ejus conſpectum agricolæ, hoc eſt Judæi, Scribæ, Phariſæi: accipe à Sacro Textu.

Agricolæ autem videntes filium dixerunt intra ſe, hic eſt Hæres, venite occidamus eum, & habebimus hæreditatem ejus.

Ecce qui in ſervos immites, crudeles, impii, & in filium quoque pejores: *Apprehenſum enim eum ejecerunt extra vineam, & occiderunt.*

Et hoc caput, hoc ſummum fuit impietatis in Deum, ceu Patrem familias, & caput pariter immanitatis in filium, in Deum hominem; quam ubi ſub oculos poſuit, atque in parabola ceu ſpeculo quodam viſendam dedit, tum ex eis quæſivit iſtud: *Cum ergo venerit dominus vineæ, quid faciet agricolis illis?*

Aiunt illi, malos malè perdet, & vineam ſuam, locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus ſuis.

Ecce ut ſuo ipſi calculo ſe damnant agricolæ illi, ut damnent ſe Scribæ, & Phariſæi, quos enimverò perdet Deus, primùm in hoc ævo mortali per *Titum, & Veſpaſianum:* dein in tota quanta quanta erit æternitate, per malos dæmones, ceu tantæ impietatis vindices atque ultores.

Et hæc ſumma parabolæ, à qua tranſeo ad paucculas quæſtiones formandis rectè moribus opportunas, in illis abibo à Judæis, gente utique malè ſana, gente reproba, gente damnata, deſcendamque ad Chriſtianos genus à Deo electum, & gentem ſanctam, cui Deus Opt. Max. ceu Pater, filiis plantavit vineam, id eſt Eccleſiam, videboque quo fine, quo fructu, quâve mercede.

QUÆSTIO SECUNDA
MORALIS.
Ad illa verba: *Plantavit vineam.*
QUÆ VINEA, QUI PALMITES?
Quid deinde his & illi fiet?

VIDEO in Sacris paginis Dei digito alias atque alias inſcribi vineas, alios atque alios palmites.

I. Vinea Sodomorum. Una dicitur, & eſt quaſi vinea Sodomorum, de qua ſic olim Moyſes: *De vinea Sodomorum, vinea eorum, & de ſuburbanis Gomorrha*, quæ ſit illa quæris? ea fuit Synagoga Judæorum, quæ Deo fuerat olim quaſi vinea electa; ſed degenerans facta erat veluti vinea Sodomorum,

Deut. c. 32. v. 32. & de agris ſuburbanis Gomorrhæ. Et hinc *uva eorum, uva fellis*, quia fructus illius, hoc eſt illius opera, Deo fuerunt quaſi fellea, & amariſſima, & hinc etiam *fel draconum vinum eorum, & venenum aſpidum inſanabile.*

Quod porrò ſit illud vinum ſi petis? intelliges eſſe doctrinam ab impiis illis expreſſam, & quaſi manantem, quam ipſi propinant aliis, ut in eos ſua ſcelera transfundant, & venenatam ac læriferam luem velut ſel draconum, & venenum inſanabile quod omnes bibentes perdit atque occidit.

II. Vinea Hæreticorum. Et talis hoc quo vivimus ævo eſt *Eccleſia Hæreticorum*, ut aiunt ipſi *reformata*, verius autem deformata, quam non plantavit Dominus; ſed aut Lutherus, aut Calvinus, aut ſimilis farinæ Miniſtellus, cujus *uva uva fellis*, cujus vinum *fel draconum, & venenum inſanabile.*

Alia eſt vinea Chriſtianorum, qui tamen potius III. Vinea malorum Chriſtianorum.
nomine Chriſtiani ſunt, quàm reipſa, nomen præferunt ſacrum, & ſanctum, & præter illud propè nihil.

De hac vinea, uti & de Synagoga queſtus Iſaias: imò & Deus Iſaiæ voce calamóque: *Expectavi ut faceret uvas, & fecit labruſcas.* Eſt labruſca uva immatura, & acerba, orta ex vite agreſti, quam Plinius *inſanam* vocat, quæ triſero proventu, ſed evanido luxuriat, nam in ea eodem tempore, alia matureſcunt, alia turgent, alia florent; ſed nihil maturum eſt, uvale nihil: oſtentant enim fructum, non porrigunt. *Cap. 5 v. 2. Lib. 16. c. 27.*

Et tales ſunt Hypocritæ Chriſtiani, qui ſpecie tenus opera exhibere videntur bona, at re etiam ipſa non exhibent: orare videntur, & non orant: in templo ſunt corpore, animus in foro; ore Deo vicini, corde remotiſſimi; labiis Deum honorat, at cor

st cor eorum longè eſt à Deo: quibus nihilo meliores alii, à quibus Deus, ceu Pater-familias expectabat lætum, & dulce vinum, Fidei, Spei & Caritatis, aliarumque virtutum; at illi dederunt acetum infidelitatis, injuſtitiæ, ſuperbiæ, avaritiæ, & inſanæ libidinis, qui, ut dixi, nomine Chriſtiani ſunt, re non item: quibus accedunt Religioſi, tepidi illi, qui magno fervore viam virtutis inchoant, & vinū dare videntur accenſæ caritatis ac zeli: ſed mox intepeſcunt, nec cœpta perficiunt; uti & illi, qui ex levitate atque inconſtantia, nunc hoc, nunc illud vitæ genus amplectuntur, hodie caſti, cras mulieroſi; hodie cœlibes, cras conjugati. Quid agas? uvas dare debuerat ea vinea; ſed pro uvis labruſcas dedit, & pro vino acetum.

IV. Vinea Tepidorum.

Quæ illas vineas maneat pœna.

Quid faciet dominus vineis illis? audi ea eodem Propheta, interprete utique divinæ mentis: *Auferam*, inquit, *ſepem ejus.* hoc eſt nudabo eam lege mea, protectione mea, & Angelorum cuſtodia, quæ illi erat inſtar denſiſſimæ & fortiſſimæ ſepis.

Verſ. 5

Prima pœna.

Cùm Solymæ immineret ultima clades, ac miſerabile excidium, porta templi licet graviſſima, & probè clauſa, ſpontè reſerata eſt: auditæque Angelorum eæ voces extremæ: *Migremus hinc, migremus hinc*: emigrabant nimirum cœleſtes illi genii, & altiſſimæ cœlorum Intelligentiæ, ne teſtes eſſent ruinæ illius ædis, exitiique Hieroſolymitani.

Joſeph l. 7. bello Judaic. c. 14.

Quod Solymæ, ſeu vineæ factum; hoc & aliis vineis infructuoſis atque noxiis, auferentur ab eis ſepes. Et hæc prima mali labes, cui accedet una altera: *Non putabitur, & non fodietur.*

Verſ. 6.

2 pœna.

Vinea plus æquo luxurians putari ſolet, ſecari ſolet, item fodi, ſive ablaqueari, hoc eſt effodi terra, quæ ad radices ejus erat, ut illa liberius aërem cœleſtemque humorem exſugat, quod ad illius fertilitatem neceſſarium eſt, ut docent periti rei ruſticæ. Quod vineæ faciunt illius coloni atque cultores; hoc Deus vineis illis: deſeret illas, nec reſecabit, nec compeſcet luxuriantem earum malitiam, nec ſuffodiet corda illarum: hoc eſt, non tanget, non cōpunget ſalutari pœnitentia; ſed ſinet illas obrui *terrenarum mole curarum*, atque oppleri vepribus & ſpinis peccatorum, atque ab iiſdem ſuffocari: & hoc ingens malum, pœnaque longè graviſſima, cui addetur & tertia, his expreſſa verbis:

Terrenis.

3. Pœna.

Nubibus mandabo ne pluant: Si aura ſicciore exareſcat vinea, & maligna ſterilitate damnabitur, & omni carebit fructu, quod fit quando nubes pluviam negant. Quod vineæ terreſtri; hoc & vineis de quibus incidit quæſtio, exareſcent illæ Cœlo pluviam negante: at quæ, inquies, eſt ea pluvia? eſt cœleſtis doctrina, quæ ſi non impluat in animos, & ſteriles hi erunt & penitus infœcundi. Sed à vineis illis pedem retraho, hoc eſt ſtylum ſubduco, atque in aliam Domini vineam duco. De hac ille ipſe Vates.

V. Vinea Domini.

Vinea Domini exercituum, vinea Domini Sabaoth. Sed quæ, inquies, ea vinea? Eccleſia eſt, pia quævis anima, & hæc, & illa Chriſti eſt vinea: ſed unde vinea? ob aliquam quæ eſt cum vinea confeſſionem, atque ſimilitudinem. Hæc in multis conſiſtit.

Prima Similitudo.

Primò, vineæ ſpeciem externam ſi ſpectes nihil ea, nihil apparet vilius, exſuccum diceres atque aridum lignum: & tamen ſi feracitatem attendas, ea eſt longè maxima; ſi ſuccum, & fructum, nihil eo pretioſius, nihil ad guſtum, nihil ad reparandas firmandasque vires accommodatius.

Et Eccleſia, & anima juſti, ſibi vilis eſt, abjecta, humilis; attamen à pietatis ſucco, à virtutum magnarum fructu pretioſa Deo, pretioſa ſuperis eſt.

Vinea terris ſupereminet, ſolum vile prætexens, nunc gemmante flore pubeſcit, circumfuſa viriditate veſtitur, nunc maturioribus brachiis quaſi ſarmentis adoleſcit.

Secunda Similitudo.

Sic & Eccleſia, ſic & anima juſti, terris eminet, & terrena deſpicit, modoque amœna quadam converſatione, atque externa morum compoſitione, ceu viriditate quadam, veſtitur, modò in pia deſideria, ceu flores animi, explicatur, uſque velut quibuſdam brachiis Deum amplectitur, & ſtringit.

Vinea maritatur arboribus, & corpus animæ, & anima Deo conjugatur, & vinea dum jugatur, erigitur, & reciſa non minuitur, ſed augetur: ſic & Eccleſia, ſic & anima juſti, dum ligatur exuitur; dum humiliatur, attollitur; dum reciditur, coronatur.

Tertia Similitudo.

Vinea lignum habet auxiliare, quo tenditur vel portatur: & Eccleſia, & anima juſti lignum habet Dominicæ Crucis quo ſuſtentatur, & erigitur.

Quarta Similitudo.

Ligaturis aſtringitur vinea, & Eccleſia præceptis, & anima ſacris legibus & votis, ceu vinculis, aſtringitur ne defluat.

Luxurioſi palmites falce tunduntur, & animæ ſuperflua amputantur, ne plus æquo luxuriet.

Plorat vitis, & plorando purgatur, & anima ruptis veluti oculis, & pateſactis à dolore, à contritione, à pœnitentia, à peccatis omninò purgatur.

Vinea Solis æſtu atque ardore ad maturitatem cogitur: & Eccleſia, & juſtus omnis tentationibus crebris, & magnis perducitur ad coronam, & ubi vindemiæ tempus, id eſt perſecutionis dies advenit, paſſim uvæ diripiuntur, hoc eſt inconſideratè Sanctis omnibus violenta infertur manus, & ad torcular comportantur, id eſt ad ſupplicii locum deducuntur. Ab operariis ibidem conculcantur, hoc eſt ſumma cum contumelia à perſecutoribus illuſi jugulantur.

Succus earum in ultimo præli pondere, duabusque tabulis exſiccantur. Similiter judicii die à Chriſto ſecundum tabulas Legis vindicta uſque ad ultimum quadrantem exigitur.

Denique muſtum Patris-familias cellæ reponitur: & Martyres in Dominicæ habitationis, id eſt beatitatis ſedem aſſumuntur, & Deo ſuperisque ſunt pro deliciis: verùm enim illud etiam in Cœlis quod *vinum lætificet Deum & homines.* Vinum, inquam, divini amoris, incenſæque caritatis, à qua cœleſtis convivii exuberans eſt ſatietas.

Et hæc vineæ cum Eccleſia, juſtique anima eſt conſenſio; de qua extat illud D. Bernardi: *Anima cogitetur cum vinea legitur: nec enim de vinea ſermo eſt; ſed de anima.* Benè eſt ſi fœcunda ſit, peſſimè autem ſi ſterilis; hujus certè infelicitatem ſic deplorat ille ipſe S. Præſul: *Quibus lacrymis rigabo ſterilitatem vineæ meæ? omnes palmites ejus aruerunt præ inopia. Iacent ſine fructu, eò quod non habeant humorem.* *Serm. 30. in Cant.*

At qui ſunt, inquies, ii palmites? Hæc eſt ſecunda quæſtio, quam hîc movendam eſſe duxi, ad quam reſpondebo vel ipſo oraculo primæ Veritatis, quæ ſic olim ad Diſcipulos, ſic modo è Cœli regia ad nos. *Ego ſum vitis, vos palmites.* Quod ſi vitis Chriſtus, palmites Apoſtoli, palmites & à Chriſto Chriſtiani omnes, qui ſi in Chriſto, ceu vite, manſerint per fidem & gratiam, vivi erunt & pleni ſucco, ac frugiferi; in eos enim per gratiam Chriſtus, ceu vitis, influet: ſin autem non manſerint in Chriſto, aridi erunt, exſucci, imò & mortui.

Qui palmites.

Joan. c. 15. v. 5.

Ita mortui Pelagiani, quorum hoc fuit effatum: *A Deo habemus quod homines ſimus; ſed à nobis quod juſti ſimus*: Quod damnavit, & damnat Concilium Milevitanum, & Arauſicanum, damnavit & damnat D. Auguſtinus, qui & pronuntiat eos in Chriſto, ceu vite non eſſe: itaque concludit. Qui à ſemetipſo ſe ferre fructum exiſtimat, in vite non eſt; in Chriſto non eſt, qui in Chriſto non eſt Chriſtianus *Tract. 81. in Joan.*

P 3 non

non eſt, nec in Chriſto vivit; ſed in ſpiritu mortuus eſt.

Ita mortui hæretici omnes, ita Lutherus & Calvinus eſt mortuus, qui etſi per ſolam Fidem in Chriſto, ceu vite, manere ſe credant, non manent tamen, uti neo Schiſmatici, qui & cum illis à Chriſto reſciſſi, ceu palmites à vite.

Ita mortui mali Chriſtiani, quibus reſtat ſola Fides & Spes, nec adeſt gratia, nec Charitas, & hi à Chriſto quoque, ceu vite, reſciſſi; adeoque infrugiferi, aridi & mortui: Hæc enim eſt pœna talis
verſ. 6. palmitis, de quo ſic olim Chriſtus: *Si quis in me non manſerit*, per fidem charitate formatam, *mittetur foras* ſicut palmes inutilis & infrugifer. Quid deinde? *& areſcet*, quia vacuus omni gratiæ ſucco, quia expers omnis charitatis: *& colligent eum*, utique miniſtri Divinæ Juſtitiæ; colligent, inquam, in faſciculum, & extra vineam, id eſt Eccleſiam, projicient, *& in ignem mittent*; ignem utique æternum, *& ardet*, ardebitque in ſempiternis illis incendiis.

Et hoc erit ſupplicium eorum, qui in Chriſto, ceu vite, non manſerint.

Primò mittentur foras, id eſt à Chriſto, à Deo, à Cœlo, à concilio Sanctorum ſeparabuntur.

Secundò, *areſcent*, quia à Chriſto ſeparati nihil ab eo unquam cœleſtis humoris, nihil gratiæ accipient.

Tertiò, *colligent eos*, hoc eſt ligabunt in faſciculos.

Quartò, *in ignem mittent*, atque æterna inferorum incendia.

Denique, *& ardent*, ardebuntque ut ſolet ſiccus & aridus palmes: Quid enim aliud expectes à palmite jam reſciſſo à vite? Certè, ut annotat Divus Auguſtinus,

Ligna vitis nullis agricolarum uſibus proſunt, nullis fabrilibus operibus deputantur: ex quo deinde conficit iſtud S. Præſul:

Unum ergo de duobus palmiti congruit, aut vitis, aut ignis; ſi in vite non eſt, in igne erit. *Tract. 81.*

QUÆSTIO TERTIA
MORALIS.
Ad illa verba : *Sepem dedit ei.* verſ. 33.
QVÆ FVERIT ILLA, QVÆ IVDÆIS, Quæ Chriſtianis?

PAUCIS inſinuavi ſuprà, quæ fuerint de illa Sanctorum opiniones.
Quæ Sepes?
In cap. 22 Matth. Una fuit D. Hieronymi, qui per ſepem intelligi voluit Angelorum cuſtodiam, ex illo Dei oraculo ad
cap. 9. v. 8. Zachariam Prophetam: *Circumdabo Domum meam, ex his, qui militant mihi*, hoc eſt ex Angelis, qui
I. Angelorum cuſtodia. Dei ter Opt. ter Max. militia ſunt: Iis, inquam, ceu caſtris cœleſtibus circumdabo Domum meam, puta Synagogam, puta Eccleſiam.

Quod ipſum divino beneficio adpromiſerat Va-
In Pſal. 33. v. 8. tes Regius, qui ſic olim: *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.* Hebraicè *chone*, id eſt caſtra metabitur: ea vero enim ſua caſtra habet cœleſtis illa militia, & iis Dei Domum, hoc eſt Eccleſiam, ceu caſtris fortiſſimis, circumdat & cingit.

In c. 20. Luc. Altera fuit D. Ambroſii, qui per ſepem accipi voluit ſingularem quandam Dei protectionem, quam & verè, & magnificè depingit ille ipſe Za-
II. Dei protectio. charias Vates ex Chaldæa paraphraſi, quæ ſic habet:

Habitare faciam Majeſtatem gloriæ meæ in Domo Sanctuarii mei, & fortitudo brachii potentiæ meæ erit ſicut murus ignis in circuitu ejus.

S. Chryſoſtomus per ſepem vult digito notari
III. Lex, & Mandata. Dei Legem & Mandata, quæ bonis mentibus ſunt pro ſepimento, ut vineis ſepes: hæ illis admoventur, ut palmites, pampini & racemi luxuriantes, ipſæque uvæ matureſcentes conſerventur intactæ, vel ab animalibus, vel etiam à viatoribus.

De vineis quod humana dat induſtria, hoc Eccleſiæ, hoc Chriſtianis omnibus concedit amabilis Dei Providentia; Divinam utique Legem, quæ illis pro ſepimento, quæve eos cuſtodiat, & ſervet illæſos, immuneſque à feris, hoc eſt à malis ſpiritibus, & ab animalibus, à vulpibus, à lupis, hoc eſt ab hæreticis, qui vineam Domini, id eſt Eccleſiam & fideles omnes, vaſtare, diſſipare, perdereque nituntur.

Proverb. c. 6 v. 20. 21. *Conſerva, fili mi, præcepta Patris tui, & ne dimittas Legem Matris tuæ. Liga ea in corde tuo jugiter, & circumda gutturi tuo. Cùm ambulaveris gradiantur tecum, cùm dormieris cuſtodiant te.*

Hæc olim Sapiens Iſraeli, hæc & modò Chriſtianis: *Conſerva, fili mi, præcepta Patris tui*, hoc eſt Dei, qui tibi ex vero Pater eſt; *& ne dimittas legem Matris tuæ*, id eſt Eccleſiæ, quæ tibi Mater eſt, nimium quàm bona Mater.

Liga ea in corde tuo jugiter, vel ut alii, *inſcribe*, vel notis brevibus inſculpe ea in bulla appenſa ſuper cor tuum, & circumda gutturi tuo, quaſi torquem, ut vertunt Septuaginta, ut ea ſemper ſint in corde atque in amoribus, ſemper & in oculis primiſque curis. *Cùm ambulaveris, gradiantur tecum.* Vel ut Chaldæi vertunt: *Deduc tecum Legem, ut ipſa Lex deducat te: Cùm dormieris cuſtodiant te*; vel ut legit Vatablus, & ſuper dormientem excubent; vel ut Syrus, cuſtodi ea, ut cuſtodiant te.

Pergit Sapiens, additque: *Et evigilans loquere cum eis.* Vel ut Septuaginta: *Quando excitatus fueris, hæc tibi ſint meditatio*; vel ut Chaldæi: *Si evigilaveris, ipſa ſint locutio tua.*

Tria hic tempora membranæ diſciplinæ & legis commendat, quæ cætera complectuntur omnia. Quando ſervanda?

Primum eſt ambulandi & negotiandi, quo ferè totus occupatur dies.

Alterum tempus dormitionis, ſive alta nox.

Poſtremum eſt tempus evigilandi: in hoc, & in illis, Lex tibi erit pro cuſtodia; in negotiis quidem, ne deflectas à recto bonoque; in dormitione autem ne tibi in aliqua ſomni imagine, malus illudat genius; in vigilia verò & quod primum in ea menti & cogitationi occurret, ſit Dei tui Lex, ſint & illius placita ac præcepta, à quibus tibi perennis erit cuſtodia.

Et hanc à prima mundi origine homini & Protoplaſtæ noſtro poſuit Deus: ut enim Eccleſiaſticus: *Deus ab initio conſtituit hominem, & adjecit Mandata & Præcepta ſua*, ita que eum adinſtar ſepis circumdatum voluit. Cur ita? adjicit ille ipſe Sapiens, ut *Si volueris Mandata ſervare, conſervabunt te.* *Cap. 15. v. 34.*

Et verò conſervaſſent Adamum in Paradiſi ſede, in loco voluptatis, ſi ea ſervaſſet; ſed proh dolor pudorque! ubi ipſe ſepem illam infregit, ubi Man-

datum

datum Domini violavit, ubi comedit de fructu vetito, tum qua data via irruit fera peſſima, irruit malus dæmon, & omnem illam Domini vineam diripuit, vaſtavit perdiditque.

Tanti intereſt ſepem illam non infregiſſe.

Quod Adamo; hoc deinde Iſraëli: quamdiu hac in Lege Domini ſtetit, immotus tamdiu, & ſibi ſtetit ac vitæ, nec inſidiis Regis Balac ceſſit, nec vindici ferro: at ubi *fornicatus eſt populus cum filiabus Moab, quæ vocaverunt eos ad ſacrificia ſua, ubi comederunt, & adoraverunt Deos earum*; tum enimverò vindex Dei manus, quæ ſervata lege quaſi repagulo arcebatur, in eos ſeſe explicuit, in eos deſævit & Judices Iſraëlis in arma vertit, *ut unuſquiſque occideret proximos ſuos* qui initiati erant *Beelphegor*, & eò quidem ut uno die *occiſi ſint viginti quatuor millia hominum.*

Num c. 25. v. 1. & 2.

verſ. 5.

verſ. 9.

Quod eo loci ac temporis Iſraëli ferale contigit, hoc & inde labentibus annis, cùm & vitulum aureum ſibi conflavit & adoravit: tum enim & cædes, & ſtrages, & ruina totius populi, & mala omnia ultore Deo in eum irruiſſent, niſi pro reis ſtetiſſet Moyſes, & ſe quaſi murum, Deum inter & populum, oppoſuiſſet.

Quod & agnovit & amavit, & ſtylo etiam notavit Vates Regius, cùm ita cecinit: *Si non Moyſes electus ejus ſtetiſſet in confractione, in conſpectu ejus*; vel ut habet alia verſio inſtituto meo magis accommoda, *Si non Moyſes ſtetiſſet in ruptura muri.*

Pſal. 105. v. 23.

Erat ergo ruptus murus, erat violata, erat & rupta Lex, quæ dictabat adorandum Deum & quidem unicum, & ſi Moyſes non ſtetiſſet quaſi medius in ruptura illius muri, actum erat de Iſraële univerſo.

Evenit enim omni peccatori qui Domini legem, ceu ſepem, ceu murum effringit, quod urbi obſeſſæ, effractis mœnibus, ut enim in eam aperta via, patentibusque muris irrumpit toto agmine hoſtis, & omnia ferro & flammis abſumit: ſic & animam violatæ legis divinæ ream mali dæmones ingreſſi, omnia ejus bona, hoc eſt virtutes propè omnes, & anteactæ vitæ merita, ceu ſpolia diripiunt, imò & gratiam, quæ melior ac ſuperior animæ vita eſt, eripiunt. Ratio autem in oculis eſt, quia ruptus murus divinæ legis, effractæ ſepes mandatorum Dei, quæ animam ceu Domini vineam cuſtodiebant.

Lex eſt pro muro.

De hac porrò direptione, ita ſacræ paginæ: *Videns Moyſes populum, quod eſſet nudatus (ſpoliaverat enim eum Aaron, propter ignominiam ſordis, & inter hoſtes nudum conſtituerat.*

Exod. c. 32. v. 25.

In hoc loco, utique obſcuro, laborat pius Interpretum labor: Rabbi Salomon opinatur Hebræos, potiſſimum autem eorum Principes, accepta lege, ſignum fidei atque obedientiæ, ornaſſe capita ſua coronis aureis, inſcripto nomine tetragrammato, quibus eos ſpoliavit Aaron, & hoc *propter ignominiam ſordis*, hoc eſt propter idolum vituli, cui ſeſe inclinarant, non ſine gravi ignominia, & idololatriæ ſordibus.

Quod ſi minus placet ea Rabbinorum interpretatio, ſi non probatur ea corporis denudatio, dic age cum Cornelio, nudatos animo, nudatos, inquam, virtutibus ac meritis omnibus, quæ illi erant pro veſte, pro corona proque ornatu cœleſti.

Dic nudatos eſſe honore ſuo, qui in eo poſitus erat quod Dei populus eſſet, & gens ſancta. Dic nudatos eſſe ope, auxilioque divino, & quaſi nudos, atque inermes expoſitos eſſe hoſtibus ſuis, & hoc quia ſeſe ſpoliarant Dei lege, quia eam infregerant, atque ad idola ſe abjecerant effractis Dei mandatis ceu ſepibus, ceu muris, & inde hoſtibus ſuis ludibrio & prædæ fuerunt, qui aliàs terrori fuerant atque horrori. Quæ cauſa? non alia quàm violatæ divinæ leges: cujus probè conſcius Achior dux inclytus, hæc aliquando Holoferni.

Explicuerat hic acies ſuas appoſueratque ad Bethuliam, ut eam arcta obſidione cingeret, cogeretque ad deditionem, cùm ſic ad illum Achior.

Velim tibi perſuadeas, Dux magne, hanc Civitatem non tam muniri vallo, altiſque murorum ſubſtructionibus, quàm obſervantia Divinæ Legis, quæ quamdiu ſtabit, ſtabit & inconcuſſa Bethulia, nec hoſtibus ullis pervia; ſecus autem ſi nutare civium corda, ſi deflectere à Dei ſui mandatis atque præceptis, ſi longiùs abire à Cœli Legibus, à Domini ſui nutu, & tibi patebit illicò & tuis armis.

Nunc ergo, inquit, *mi Domine, perquire ſi eſt aliqua iniquitas eorum in conſpectu Dei eorum: aſcendamus ad illos, quoniam tradens tradet illos Deus eorum tibi, & ſubjugati erunt ſub jugo potentiæ tuæ.* Judith. c. 5. v. 24.

Si verò non eſt offenſio populi hujus coram Deo ſuo, non poterimus reſiſtere illis, quoniam Deus eorum defendet illos, & erimus opprobrium univerſæ terræ. v. 25.

Et hæc fuit Achioris ad Holofernem oratio, quæ eò ſpectabat tota, ut perſuaderet Holoferni priùs inveſtigari oportere an Hebræi offenſum haberent Numen, an benevolum & propitium; propitium, inquam, à ſervata Lege; offenſum autem à violata.

Maneat ergo inconcuſſa illa veritas, Dei Legem, ejuſque obſervantiam, eſſe pro muro, pro vallo, proque omni propugnaculo, non privatis tantùm; ſed publicis rebus, ſed Regnis, ſed Imperiis, quæ eodem caſu proruunt, quo juſtitia, quo pietas, quo Divinæ Leges. Exemplo erunt retroacta orbis Imperia, quæ ab una gente in aliam tranſiêre, hoc uno vitio tranſiêre. Lex eſt pro vallo.

Quis Medis, quis Perſis viam aperuit in eam, quæ diu ſteterat Babyloniorum monarchiam? violata Religio, effractæ Divinæ Leges, impiique Balthazaris ſacrilega manus.

Quis deinde Græcis adytum fecit in Regna Medorum atque Perſarum? Utique Darii Regis infanda ſcelera, faſtus atque arrogantia contra Dei Leges.

Quis & Romanis viam ſtravit ad debilitándam, evertendamque Græcorum Monarchiam? Non alius, quàm effœminatus eorum animus, quàm molliculæ voluptates, quàm inſolentes delitiæ, luxuſque adverſus Dei Leges atque Mandata.

Quis denique (ne omnia conſecter) quis Barbaris, quis Turcis, quis Hæreticis in Catholicorum urbes, Provincias, Regna atque Imperia, facilem aditum ingreſſumque dedit? Non alius, quàm ipſe orbis Chriſtianus & Catholicus, qui à Dei ſui Legibus atque præceptis mirum quantùm defecit. Quid ita? Hieronymum audi & ſuſpice; ſic inquiebat olim in Epitaphio Nepotiani.

Peccatis noſtris Barbari fortiores ſunt, noſtris vitiis Romanus ſuperatur exercitus: Hæc ubi dixit æſtu quodam ſeu doloris, ſeu pudoris, ſeu etiam horroris, ſeu denique miſerationis, exclamat, *Infælices nos qui tantùm Deo diſplicemus, ut per rabiem Barbarorum illius in nos ira deſæviat.*

Sed ne longiùs, calamum ſubduco à tam ferali argumento.

QUÆSTIO QUARTA
MORALIS.
Ad illa verba : *Fodit in ea torcular.*, verſ. 33.

ECQVODNAM ILLVD?

Torcular unde dictum ?

TORCULAR eſt machina premendis uvis olivisque accommodata, ſic dicta à torquendo ; torquet enim dum olivas uvasque premit, atque ex his vinum, ex illis oleum exprimit.

Uvas ſic premi injuria videtur ; ex vero tamen non eſt injuria, ſed beneficium : niſi enim premerentur uvæ, ex illis vinum non efflueret ; & pariter niſi premerentur olivæ, non manaret oleum.

Quod ad literam de uvis, deque olivis, hoc myſticè & moraliter de Chriſto, deque Martyribus : ille quippe in ſua Paſſione, quaſi in torculari fuit ; hi verò pariter in paſſione ſua velut in quodam torculari. In illo Chriſti expreſſus ſanguis, in hoc etiam Martyrum ſanguis elicitus, non ſine vi, non ſine preſſura, quæ tam his quàm illis injuria videri potuit, imò & fuit : nobis tamen, imò & orbi univerſo, beneficium fuit. Nam à Sanguine Chriſti ſic expreſſo ſalus noſtra manavit, & à Martyrum ſanguine ſemen Chriſtianorum in terras omnes diſperſum eſt, ex quo illud ad mores conficio, concludoque, quod *Torcular* in Eccleſia, ceu vinea, ſit Paſſio tam Chriſti, quàm Martyrum ; vinum autem ex his & illo expreſſum, ſit horum & illius ſanguis, cujus pretium ſit infinitum, cujus vis atque efficacia ad univerſi bonum etiam infinita, ſi modò ea intentione utaris, quâ fuſus eſt, quâ expreſſus è Torculari.

Torcular in Eccleſia ceu vinea quod ſit ?

Hoc eſt ad tuum bonum, ad tuam ſalutem ; non verò perniciem, uti fuit Judæis, cujus ex olim fuerunt inſanæ voces : *Sanguis ejus ſuper nos, & ſuper filios noſtros.* Fuit enimverò eritque in ævum omne Sanguis Chriſti, & ſuper illos, qui eò loci ac temporis exclamârunt horrendum iſtud atque immite, & ſuper filios eorum ; ſed ad pœnam, ſed ad vindictam tantæ immanitatis.

Matth. c. 27 v. 25.

Ivit illa, abiitque in poſteros omnes : Ut enim advertit D. Hieronymus : *Perſeverat uſque in præſentem diem hæc imprecatio ſuper Judæos, & Sanguis Domini non auferetur ab eis.*

Et verò non fuiſſe ablatum teſtantor multa ; & quidem primò arcta atque funeſta Hieroſolymæ obſidio, in qua tot centena hominum millia, quà ferro, quà fame perierunt.

Certè ſub Imperatore Tito cùm Judæi ob famem turmatim exederentur, ut ſibi alimenta quærerent, ipſe quotidie quingentos eòque plures è furca ſuſpendi jubebat, *ut tandem locus crucibus deeſſet, & corporibus cruces*, uti annotat Joſephus.

Joſeph l. 6. belli Judaic. c. 12.

Secundò ab excidio gentis & Solymæ, natio Judæorum univerſa, ſine urbe, ſine templo, ſine ſacrificio, ſine Pontifice, ſine Principe, toto orbe vaga, ſubjectaque omnium gentium Principibus, miſeranda & lamentabili ſervitute.

Nec mirum, quid aliud exceptes, quid exprimas ex illo torculari, quando tuo vitio tuáque perfidiâ facis, ut Sanguis Chriſti, qui tibi pro remedio eſſe debuerat, proque nota arrhaque Salutis, ſit in tuam perniciem tuamque condemnationem, ſignumque evidens reprobationis.

Impœnitẽtia finalis.

Ita fuit is de quo Nierenbergius in vita B. P. *Borgiæ* : venerat hic in Hiſpaniam, & de via deflexerat in urbem, in qua jacebat moribundus, ut genere nobilis, ſic & vitiis infamis.

Monitus de viri periculo, ejusque juvandi apprimè cupidus, ante Chriſtum Crucifixum in genua procidit, rogavitque ne infelici illi animulæ deeſſet divina bonitas. Franciſco ſic oranti ita de Cruce Salvator, Adi confeſtim ægrum, eumque hortare ut ſeſe confeſſione expiet. Ego non illi adero, ut medicus & infirmorum curator, aſſumpta ſcilicet ad eam amoris ſcenam ea ſpecie.

S Franciſci Borgiæ zelus.

Abit illicò Franciſcus bonæ ſpei plenus, & gaudens de tanto adjutore, ad ægri domum venit & Salvatorem videt, medici ac propè famuli ſpecie, illi obſequia & ſulatia deferentem.

Recedit interim Dominus quaſi ſervo ſuo locum ceſſurus, qui poſt paucula de confeſſione ſermonem injecit ; ſed ſurdo cecinit, atque obdurato. Et hinc & ipſe triſtis receſſit, ac denuò in genua provolutus coram Chriſto Crucifixo, dum ferventiùs orat hoc rurſum audit ex ore Crucifixi :

Conveni iterum pertinacem illum, meque tecum defer, ſi fortè me conſpecto Cruci pro ſe affixo convertatur, & vivat.

Chriſtus Medici ſpecie.

Redit Borgia, & ſubmotis arbitris, ut liberior eſſet, verbis ad pietatem compoſitis, ſubmiſſisque in terram genibus Chriſtum Cruci affixum repræſentat, & per ejus Paſſionem, dolores, vulnera, mortemque orat, obſecrat, obteſtatur, ut peccata omnia confeſſione diluat. Ad omnia miſer obſurdeſcit. Addit & vocem ſuam Dominus JESUS, & quidem Sanguinis, quem ex vulneribus copiosè effundebat ; ſed neque hanc audit obduratum caput : at ſuo malo.

Mox enim Salvator revulſa è Cruce manu dextera ſacroſanctum ſuum cruorem in faciem illius projecit, adjectis etiam his vocibus, *Sanguis meus tibi ſit in perditionem* : & verè fuit : mox enim expiravit infelix, vultu cruento horridus, cui quot tunc guttæ Sanguinis, tot aliquando erunt linguæ, quæ neglectam Salvatoris ac Medici operam exprobrabunt æterniſque addicent incendiis.

Chriſti Sanguis in faciem peccatoris.

Ex quo diſces, AMICE LECTOR, non contemnere, non aſpernari, ſanguinem illum è Torculari Dominicæ Paſſionis expreſſum, uti malo ſuo & contempſit & aſpernatus eſt infelix ille moribundus, cui nihil horribilius accidere potuit, quàm eum ſanguinem, qui ſaluti eſſe debuerat, fuiſſe in perditionem, uti erit & aliis ejuſdem obſtinatæ mentis reis, quod illuſtri facto declaratum voluit *Theodorus primus* Pont. Max.

Is Pyrrhum Conſtantinopolitanum Patriarcham in Monothelitarum hæreſim relapſum, atque in ea obfirmatum, Anathemate damnavit, hac rerum ſerie & cæremoniarum ordine.

Baron. ad An. Chriſti 646.

Primò, cogi placuit Romæ Epiſcoporum Concilium, in quo poſt decretam contra eum ſententiam, & celebratum ſuper SS. Apoſtolorum Petri & Pauli ſepulchro incruentum Miſſæ ſacrificium, peracta ſacri Calicis conſecratione, Sanguinis Domini ſtillas aliquot in atramentarium infudit, illoque conceptam jam & pronuntiatam adverſus Patriarcham ſententiam ſcripſit, qua illum ab Eccleſiæ communione, æternáque ſalute proſcribebat : ſtupendo

Pyrrhus Patriarcha excommunicatus à Pont. ipſo Chriſti ſanguine.

ſtupendo ſanè atque ad horrorem compoſito cæremoniarum apparatu, quem eo loci ac temporis inſtituendum cenſuit Sum. Pont. ut & reo ipſi eſſet in perditionem ipſe Chriſti Sanguis, & aliis etiam ad ſtuporem horroremque, cùm vidiſſent eam in hæreticum Patriarcham ſententiam, non atramento notari, ſed ipſo Chriſti Sanguine.

Excommunicatio.

Et hæc dicta ſint in pœnam eorum, qui è Torculari Paſſionis Chriſti Sanguinem illius temerè & ſacrilegè exprimunt ac fundunt. Deſcendo ad alias ejuſdem Parabolæ partes: ſingulæ enim vim ſuam habent ad formandos ritè mores ex doctrina ſaniore, quæ illis quaſi obducto velo tegitur: ſit itaque

---

QUÆSTIO QUINTA
MORALIS.

Ad illa verba: *Et locàvit eam Agricolis.* Matth. 21. v. 23.

ECQUINAM ILLI AGRICOLÆ, ET CUR AGRICOLÆ?

Agricolæ in vinea Domini.

DIXIMUS ſupra vineam Judæis fuiſſe Synagogam, Chriſtianis Eccleſiam: ad hanc & illam emiſſi Agricolæ, qui eam excolerent. At quinam illi? Judæis fuerunt primò populi Principes, quorum erat populum, ceu vineam excolere, tum etiam Prophetæ, denique & ipſi Apoſtoli. Eccleſiæ verò, tum Apoſtoli tum Epiſcopi, Præſulesque eorum ſucceſſores, & quia hoc in aperto eſt, pluribus ſuperſedeo, venioque ad alteram propoſitæ quæſtionis partem, cur ſcilicet & hi & illi dicti ſunt agricolæ? & quæ iis cura cœlo teſte demandata, quodve impoſitum onus? ejuſmodi certè quod Agricolis, quod terræ colonis.

Eorum officia compoſita cum Præſulum officiis.

Horum officia & munera varia.

Primum vineæ cura.

Primum eſt agro, ſeu Domini ſui vineæ diu noctuque invigilare, ne quid à feris, à vulpeculis, à latrunculis quicquam damni patiatur. Hinc Pontificum unica cura, occupatio unica, de Eccleſia ſeu Vinea ſibi à Deo ſeu Patre-familias concredita.

Ambroſius Præſulum norma.

Teſtem appello, teſtem volo D. Ambroſium inter Hierarchas facilè principem, qui mitra jam coronatus, atque eccleſiæ adminiſtratione præditus, hæc ingenuè, & de ſeipſo.

Epiſt. 135.

Ob diverſas curas quas noſtræ ſervitutis neceſſitas habet, vix mihi pauciſſimæ guttæ temporis ſtillantur, quas aliis rebus ſi impendero, contra officium meum mihi facere videor.

Ubi notandum quod jam experientia doctus, appellet ſuæ *ſervitutis neceſſitatem*, quam eandem ob cauſam in alia Epiſtola graviore verbo uſus, ſimiles Epiſcopos nominat, Angariatos; ſic enim

Ep. 158.

inquit, *Vix paululum datur ſpatii, inter acervos occupationum, quibus nos aliena vel cupiditates vel neceſſitates angariatos habent.*

II. Occupatio circa illam.

Ubi & ſtylo ſignandum iſtud, *acervos occupationum* appellari Eccleſiæ ſuæ curas, ac ſollicitudines, quas alia voce Syneſius pari gratia Pontifex, eſſe cenſuit & dixit *negotiorum turbam*, & quaſi tempeſtatem, qua tantum non obruebatur.

Epiſt. 11.

At unde ea vel *ſervitutis neceſſitas*, vel *acervi occupationum*, vel *negotiorum turba?* unde, inquam, niſi ab Eccleſiæ, ceu vineæ Domini cura, anxiaque ac perenni pro ea excolenda ſollicitudine? à qua certè qui diſcedunt, næ ipſi plurimum ab officio ſuo diſcedunt, uti faciunt, qui vel Principum, vel ſtatus negotiis plus æquo vacant, vel aulæ ſtrepitus amant, atque tumultus, ac non potius ab illis animi quietem, in qua & ſibi, & Eccleſiæ negotiis totos ſeſe impendant. Et hæc pauca, & quidem generatim de primo Præſulum ceu Agricolarum officio.

III Vigiliæ ſuper vinea Domini.

Alterum eſt Vigilia ſuper Vinea Domini, ex qua factum ut Pontificalis Cathedra *Specula* ſit dicta, quòd ex ea velut è ſpecula diſpiciat Domini vineam, quiſquis in ea conſederit.

Lib. 2. de conſid.

Ita D. Bernardus ſcribens ad Eugenium Papam pontificalem Cathedram cenſuit appellandam eſſe *ſpeculam*: ſic enim ad illum: *Quidni loceris in eminenti unde proſpectes omnia, qui ſpeculator ſuper omnia conſtitueris? Enimverò proſpectus iſte parit laborē & non otium.*

Epiſcopi orbis oculi.

Quod D. Bernardus de Pontificali Cathedra, quod de Pontifice dixit, hoc & dici poteſt ac debet de Epiſcopali, & de ſingulis Epiſcopis: ſunt hi ſpeculatores in Eccleſia, ceu Domini Vinea conſtituti. Hinc D. Ambroſius eos eſſe voluit *in diſciplina ſpeculatoriæ virtutis* vel maximè præſtantes, ex qua ſpeculatione ſeu inſpectione factum exiſtimo, ut Epiſcopi olim dicti ſint ſuæ diœceſeos oculi, imò & ipſius mundi.

In Pſal. 47.

Orat. 23.

Ita D. Gregorius Nazianzenus Baſilium magnum *Sanctiſſimum orbis oculum* appellavit, quæ ſanè appellatio plena eſt & dignitatis, ſimul & vigilis curæ, in qua amplius dixit *Pius Papa*, qui memorabili dicto pronuntiavit bonorum omnium

Cap. Oves 6. q. 1.

authorem Epiſcopos *elegiſſe ſibi* velut *oculos*. Sunt igitur ii *Dei oculi*, quòd illis conveniat quod & ſtellis & Lunæ, quas Trimegiſtus eleganti judicio *Deorum oculos* nominavit, & ut Pindarus qui conſimili venuſtate Lunam eſſe dixit *noctis oculum*.

Oda 7.

Dei oculi.

Quod ſi Epiſcopi & Præſules omnes orbis ſunt oculi, imò & ipſius Dei, certè eò ſic dicti quòd eorum munus atque officium princeps, ſit Eccleſiam, ceu Dei vineam, inſpicere, & ſuper eam aperto ſemper oculo vigilare, cui adſtipulatur aliud officium, ex eo veluti conſequens, videlicet vineæ ejuſdem defenſio contra ferarum incurſus, quæ vineas demoliuntur. Quod ſi quæſieris quæ ſint feræ illæ, audies ore Sapientis in amoris Cantico, in quo vineis vult eſſe benè cautum: ſic enim ad illarum cuſtodes: *Capite vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas.* Septuaginta vertunt. *quæ exterminant vineas.* Symmachus, quæ corrumpunt.

Noctis oculi.

Cap. 2. v. 15.

Hæretici vulpes.

At quænam illæ vulpes parvulæ? Excipe D. Auguſtini verbis: Vulpes, inquit, inſidioſos, maximéque hæreticos fraudulentos ſignificavit, doloſos cavernoſis anfractibus latentes, & decipientes, & odore tetro putentes.

Capite, inquit, *nobis convincite; capis enim eum quem de falſitate convincis.*

In ejus vita & actis.

Ita cepit S. Franciſcus Saleſius Epiſcopus Genevenſis, qui totus incubuit vindicandis ab hæreſi calviniana Chaballicenſibus, aliiſque Genevæ finitimis populis, è quibus inter vitæ ſuæ diſcrimina & agones varios inſuperabili conſtantia, Dei ope protectus, ſeptuaginta duo millia ad Catholicam fidem convertit, inter quos quàmplurimi nobilitate, & doctrinâ inſignes, ceu cœleſtibus laqueis cepit, & falſitati

convictos, veritati Catholicæ reddidit.

Quod ſi ita capere non poſſis, age à vinea Domini, hoc eſt Eccleſia, procul arce, & ſi fortè in eam furtivè irrepſerint, expelle, & procul eſſe jube; age, quà ſcriptis, quà verbis impugna, expugnaque.

Ita Arianos impugnavit expugnavitque Athanaſius, Hilarius Pictavienſis Antiſtes, aliique, qui divinos propè Commentarios ediderunt, velut tubas clarè ſonantes, quæ veritatis trophæa pangerent, quique priùs in Diœceſi modò una, modò altera audiebantur, modò & univerſo propè orbe.

Ita D. Auguſtinus Manichæorum ſomnia, Donatiſtarum furioſam temeritatem, incredibili virtute atque ſcientiâ patefecit, protulit, extinxit, ea vero Epiſcopus, & cuſtos ſui gregis, & Catholicæ veritatis aſſertor, qui in Eccleſia fuit quod agricola in vinea, de quo verè dici potuit, quod aliquando dixit Fauſtus Manichæus, non ut hæreticus, ſed Antiſtes: *Aram eſſe Divinitatis mentem bonis artibus & diſciplinâ imbutam.* Fuit enim Auguſtini mens velut *Ara Divinitatis*, quia bonis artibus & diſciplina Catholica imbuta: & quia ejuſmodi fuit, explevit apprimè quod erat ſui muneris, cuſtodia ſcilicet & defenſio vineæ Domini: ſed & aliud quoque illi proximum atque affine, quod eſt vineæ purgatio ab infelicibus loliis, ſeu ea eſſe voles Hæreſeos, ſeu Paganiſmi.

Lib. 20 contra Fauſtum c. 3.

Dionyſius Areopagita, & ipſe inter Antiſtites nemini fortè ſecundus, tres eſſe cenſuit functiones quibus Hierarchiæ via & facultas definitur; videlicet *Purgare*, *illuminare*, *perficere*.

De cœleſt. Hierar. c. 1.

IV. Vineæ purgatio.

Prima eſt, *purgare*, tum ab ignorantia, tum ab erroribus & vitiis, tum ab hæreſi, ſi fortè in gregem ſibi commiſſum irrepſerit, tum à Paganiſmo, ſi fors in eo natus eſt populus.

Sic à vitiis & inſolenti luxu Conſtantinopolim, ceu vineam ſibi creditam, purgare imprimis ſtatuit D. Chryſoſtomus.

Chryſoſtomi zelus.

Sic S. Carolus Boromæus in profligandis hæreticis è partibus Rhetorum, & Helvetiorum totus incubuit.

Caroli Boromæi zelus.

Sic & S. Gregorius, à Miraculorum luce atque frequentia dictus Taumaturgus, Neocæſareæ Ponti Epiſcopus, de quo illud memoriæ proditum, quod migraturus è vita, cùm quæſiſſet quot in Civitate Neocæſarienſi reliqui eſſent infideles, reſponſumque eſſet tantùm eſſe ſeptemdecim, ſublatis in Cœlum oculis ac manibus, Deo ſeu bonorum authori, gratias agens, iſtud veritati protulit oraculum.

Gregorii Thaumaturg. zelus.

Totidem, inquit, *erant fideles, cùm cepi Epiſcopatum.* Ecce ut hanc Epiſcopalis ceu Agricolæ partem explevit S. Antiſtes, ecce ut in illo expletum illud D. Gregorii Nazianzeni, qui hoc aliquando pronuntiavit, Epiſcopi eſſe, *animas rapere mundo, rapere dæmoni, & dare Deo.* Et ita rapuit S. Gregorius, qui in ſola civitate Neocæſareæ tot animas dæmoni eripuit, tot & dedit Deo. Utinam & hoc ævo illius imitatione zeloque facerent alii Antiſtites in iis partibus in quibus viſitur & viget Paganiſmus, utinam ad Baptiſmi fontes, in iis ſordes vitiorum eluerent; utinam & ſalutaris Pœnitentiæ lavacro in Chriſtianis, etiam omnes peccatorum maculas abſtergerent, & ſuperflua reſcinderent, quod aliud eſt Epiſcopalis officii munus.

In ejus vita. *Orat. 7.*

Vinearios ſurculos, & ſarmenta deputant, reſecantque vinitores, ne fortè nimium luxuriet vinea, ne tota excedat in folia & palmites, neque vim ſuam exerat in racemos & uvas, quas tamen uvas in vinea quærit & amat agricola.

V. Vineæ putatio.

Si quæſieris qui illi palmites, qui & ſurculi, audies eſſe ſuperflua, ſeu in veſtium luxu, ſeu in eſca, potuque, ſeu in conviviis, in quibus menſæ onerantur ſuprà neceſſitatem, ſupraque modum. Ne porro ſic onerentur, néve in alia ſupervacanea, imò & noxia ſeſe effundant Chriſtiani, Epiſcopalis eſt officii ac laboris.

QVÆSTIO SEXTA

MORALIS.

Ad illa verba: *Qui reddant ei fructum temporibus ſuis.* verſ. 43.

ECQVINAM ILLI FRVCTVS ? ET CVI REDDENDI?

EX quorundam Interpretum ſenſu *Vinea* eſt anima noſtra, homo, illius procurator, non Dominus; fructus reddendi Domino, id eſt Deo, ſunt opera bona; tempus, vita noſtra, tanta quanta eſt, in hac Deo, ceu Domino vineæ reddendi fructus, quos niſi dederis, in te cadent cœleſtes illæ minæ & fulmen divinæ maledictionis: *Malos malè perdet*: ex vero enim malus eſt is, qui fructus à Domino expectatos, illique debitos non reddit.

Reverſus JESUS è Bethania in civitatem eſuriit, non eſurie naturali, cœnaverat enim pridie apud Mariam & Martham, ad quas diverat, ſed fame ſponte in ſe excitata, ut ait D. Chryſoſtomus, cum fortè *videns fici arborem unam ſecus viam, venit ad eam & nihil invenit in ea niſi folia tantum, & ait illi; Nunquam ex te fructus naſcatur in ſempiternam, & areſacta eſt continuò ficulnea.*

Matth. c. 21 v. 19.

Hic SS. Patres, atque Interpretes, alias, atque alias movent Quæſtiones.

Una quæ fuerit illa maledictio? reſpondent non fuiſſe propriam, ſed per catachreſim abuſivam, maledictio enim hæc tantum ſignificavit Chriſtum ficui precatum eſſe malum, nempe areſactionem, & privationem fructuum, quod rebus inanimis precari licet juſta de cauſa, maximè verò Chriſto, cujus ſunt omnes omninò arbores, ut potè Dominium rerum Domino, & quidem ſupremo.

Quæſt. 1. Quæ ficulneæ maledictio?

Sed cur? & unde ea maledictio? potuitne ficulneæ vitio verti, quod eò loci ac temporis nihil haberet præter folia? enimverò non potuit, quia tempus erat foliorum tantùm, non autem ficuum, & fructuum; erat enim menſis martius, iſque vigeſimus primus, in quo ex naturæ curſu atque ordine, nec debent, nec poſſunt expectari à ficulnea, quæ non naſcuntur niſi adulta jam æſtate. Unde ficulneæ illi imputari non potuit quòd ficus non ferret, nec fœcunda eſſet, extra tempus ſolitæ fœcunditatis.

Quæſt. 2. Unde ea maledictio?

Sin aliquis, qui adulta etiam hyeme ad ceraſum accedat, ex eaque ceraſum quærat, nec inveniat, poteritne ceraſo maledicere, precari malè, potuitne ei ſubiraſci, eam extirpare, atque ad ignem damnare, quaſi ſterilem, atque infœcundam? certè non poterit, & ſi feceris delirare is credetur, & perperam agere, atque ſtultè. Et ſi Ceraſo ſua mens, ſua vox eſſet, de eo juſtè queri poſſet, & inclamare, injuſtè ſe extirpari, atque ad flammas damnari, utpote quæ ea anni tempeſtate ceraſa nec

ferre

ferre poteſt, nec debet: eſt enim illud contra naturæ leges, & ordinem, eſt omninò intempeſtivum.

Et ita intempeſtivi eſſe & dici poterant ficus in ficulnea.

Quæſt. 3. Quæ cauſæ maledictionis. Cur igitur Incarnata Divini Verbi Sapientia eam incuſat, & damnat, & damnat ſterilitatis? cur & maledicit in ſempiternum?

Res non vacat Myſterio, non vacat ratione, & quidem alia, atque alia.

Una eſſe poteſt, ut ſubita illa arefactione ficus omnibus palam faceret potentiam ſuam, quam exercere poteſt & in arbores & in omne creaturæ genus; quam vel verbulo deſtruere poteſt, ſi velit: & hæc opinio Cornelii, qui addit & aliam, quæ myſterio ſervit & documento; hoc ſcilicet, ut oſtenderet famem ſpiritalem, quam patiebatur, & qua ardenter expetebat ſalutem Judæorum, Scribarum & Phariſæorum: ſed quia huic fami ardorique non ſatisfaciebant, & quidem vitio ſuo, idcirco ſubſtracto gratiæ humore ſiccandos, atque à Deo maledicendos, potiore omninò jure, quàm ficulnea, in qua ſterilitas eò loci ac temporis non erat: ita D.

Q. 117. Hieronymus, Chryſoſtomus, Hilarius, Abulenſis.

Et hæc ratio videtur congrua intentioni Salvatoris, qui (ut annotat D. Gregorius) ſæpè ſæpiùs aliud indicavit factis, quàm verbis, aliud myſterio quàm reipſa.

Quæſt. 4. Cur in ficulnea potius quam in alia arbore? Sed cur, inquies, illud aperit in ficulnea, cur non in alia quapiam arbore? Reſpondebunt Theodoretus, & Procopius, ideò maledictam ficum, quia ficus fuerat arbor à Deo vetita, & à cujus eſu peccârat Eva, peccârat & Adam, & in ſe ſuosque poſteros divinam maledictionem traxerat. & quia traxerat, & peccati illecebra fuerat; ideò potiùs illi, quàm alii cuipiam arbori malè precatus, cujus exemplum imitatus deinde S. Franciſcus Aſſiſius.

B. Juniperus, unus è Divi illius ſociis plantandæ ficui intentus, à D. Franciſco evocatus, parere diſtulit, uſque dum opus illud perfeciſſet. Quid deinde? illicò ficui maledixit, vetuitque ne ultra cre-

S. Franciſcus ficui maledicit. ſceret: Divi maledictionem imperiumque viſa ſenſiſſe ficus; nec enim ex eo tempore crevit, docuitque etiam in ſeipſa ecquæ eſſet inobedientiæ pœna, exemploque fuit inſignis obedientiæ.

At cur, inquies, vir Sanctus ficui malè precatus? (erat enim illa penitus innoxia) cur non potiùs Fratri Junipero, utpote noxio, & inobedientiæ reo?

Anno Chriſti 1222. n. 11. Reſpondet Wadingus Annalium iſtius Ordinis ſcriptor, quia fuerat occaſio, & inobedientiæ, vel objectũ, in quod proinde pœna illa incidit: adeò horrori odioq; fuit peccati illius occaſio, atque objectũ.

Sic in ipſis Mundi cunis Serpenti maledixit vindex Deus, & hoc quaſi fulmine feriit: *Maledictus es*

Gen. c. 3. v. 14. *inter omnia animantia & beſtias terræ, ſuper pectus tuum gradieris.*

Sed ô juſte rerum arbiter Deus! cur Serpentem

Serpenti cur maledixit Deus? eâ mulctas maledictione? cur eâ pœnâ? in Serpente noxa nulla eſſe potuit, utpote in animali ratione penitus vacuo: in dæmone ea tota fuit, qui Serpentis corpus ſubintravit, qui ejus uſus eſt linguâ. Igitur in malum dæmonem cadat ea maledictio, eaque pœna, utpote qui ſolus eſt noxius, non cadat in Serpentem.

Cadit tamen etiam in hunc, vel hoc uno, quòd dæmonis fuerit inſtrumentum, quo Ævam ſeduxit; quo Adam perdidit, & poſteros omnes in ruinam traxit.

Quod ſi Deo judice maledictus ſerpens, vel ideò tantùm quòd cacodæmoni pro inſtrumento fuerit, & Chriſto maledicta ficus, quòd eâ uſus dæmon, velut objecto, quo Ævam & Adamum ſeduceret, traheretque in peccatum.

At, inquies, ut iſtud locum habere poſſit in ficu paradiſo quondam inſita, cur in hac ficulnea?

R. P. Lobbetius in Ferias Quadrag. Tom. VII.

Reſpondeo quod prius inſinuavi verbulo.

Damnatur hic ficulnea infructuoſa, non quia fructus non ferebat, cùm eos non pateretur ea anni tempeſtas: ſed quia in illa Chriſto offerebantur Judæi ceremoniarum externarum quaſi foliis induti, atque redundantes, fructibus autem bonorum operum planè vacui, & quidem eo tempore, quo eos ferre poterant, atque tenebantur, Meſſia ſcilicet præſente, faventeque Cœli aura, divinoque amoris æſtu, ſeu calente ſole. Quæſt. 5. Cur in Judæos ſimilis maledictio.

Quod ſi ficulneam ea tetigit maledictio, quod ſit & Judæos per ficulneam infructuoſam ſignificatos, quid tibi fiet, ô Chriſtiane? quæ non timenda tibi maledictio? quæ non expectanda ſupplicia; ſi eos non reddas fructus, quos à te Cœlum & Deus jure ſuo requirit atque exigit.

Ecquid enim, quibus te beneficiis, quibus officiis non prævenit immerentem? vocavit è nihilo, eſſe tribuit, vitam dedit, & animam rationis compotem, ac capacem beatitatis, Baptiſmi aquis eluit, fide illuminavit, ſpe erexit, caritate incendit, in Eccleſiam induxit, Sacramenta inſtituit, ſeu vaſa gratiæ, iis te participem fecit, & quod amantis fuit, & mirum quantum amantis, Chriſti Servatoris tui carnem in cibum, ſanguinem in potum obtulit, inaudito à ſæculis amoris ac beneficentiæ prodigio.

Et hæc inter quid hactenus rependiſti? quid reddidiſti? quæ inſtituta jejunia? quæ corpuſculi afflictationes, quæ pauperibus erogatæ eleëmoſynæ quæ patientia in adverſis? qui caritatis igniculi? quæ gratitudo? verbo uno, qui bonorum operum fructus? Certè aut pauci, aut nulli, imò quod animus concipere, quod lingua dicere, quod calamus notare horret, pro fructibus cœlo dignis, non producis niſi ſpinas, tribulos, & infelix peccatorum lolium, præter quod, ſi quid tuleris; profectò non aliud, ô Chriſtiane, quàm folia profeſſionis Fidei, quàm externam hominis Chriſtiani ſpeciem.

Ecquid ergo mirum, ſi in te feratur ea maledictio; quæ olim in ficulneam, quæ deinde in Judæos, in quos derivata ea maledictio, triplici potiſſimùm de cauſa. Tres cauſæ in Judæis.

Prima fuit eorum ingratitudo poſt tot & tanta in eos divinæ protectionis ac munificentiæ officia.

Altera, quia Dei famulos, hoc eſt Prophetas, ad ſe miſſos, & injuriis affecerunt & plagis, & ipſa ad extremum morte per immania ſupplicia.

Poſtrema denique, quia ipſum Dei Filium infami affixerunt ligno, atque è medio ſuſtulerunt abominabili Chriſticidio, imò & Deicidio.

Sed inquiet unus aliquis è Chriſtianis, At ego nihil iſtorum ſum reus: primò verò reus es quam maximè, & quidem primò ſummæ & intolerandæ ingratitudinis, quam vel ex eo ſolo colliges, ſi collata in te benigniore Numine beneficia compoſueris cum iis, quæ olim Judæis perfidis & ingratæ nationi. Tres in Chriſtianis.

Primò hoc. Deus in manu forti, extentóque brachio, liberavit de Pharaonis jugo, & gravi ſervitute; te Deus de vinculis diabuli, cujus eras à peccato vile mancipium.

Secundò Judæos induxit in terram promiſſionis lacte & melle manantem, cujus bona comederent, magna quidem illa; ſed tamen qualia, qualia eſſent, erant tantum bona terræ: at tibi cœlum aperuit, & cœleſtia bona ubere cornu in ſinum tuum projecit.

Tertiò Judæos per mare rubrum, ſicco veſtigio ire fecit, eóque hoſtes obruit ac demerſit: at te, ô Chriſtiane, non jam per mare rubrum, ſed per mare Sanguinis Chriſti, & per Baptiſmi fluenta progredi fecit, & deletis peccatis, quæ tibi hoſtes erant, ad gratiam & Cœli favores atque opes traduxit.

Quartò Judæis aperto cœlo manna pluit, atque in cibum fudit: at tibi, ô Chriſtiane, carnam ſuam in cibum ſumendam tradidis inaudito à ſæculis amoris ac beneficentiæ prodigio.

Sexto danique (ne omnia conſecter) columnam ignis Judæis erexit, quæ intempeſta nocte eſſet dux viæ, ſed in terram promiſſam tantùm: at tibi fidem dedit, quæ in cœlum recto tramite duceret, eſſetque dux viæ ad beatam æternitatem.

His ita ea vero conſtitutis attende an non poſſit Propheta Samuel tecum expoſtulare, vocareque in judicium coram Domino, uti olim in ſimili cauſa vocavit Judæos, ad quos ſic aliquando:

1. Reg. c. 12. v. 7. *State, & judicio contendam adverſum vos coram Domino de omnibus miſericordiis Domini.*

Contendet in judicio tecum Propheta Samuel, ut olim cum Judæis; ſed ipſe Chriſtus, Prophetarum Princeps, contendet, inquam, adverſum te, ô Chriſtiane, de *omnibus miſericordiis Domini*, & collata in te beneficia componet cum illis quæ prius Judæis: vide qualia ſint illa, qualis & tua, an non tua & numero & dignitate vincant illa? quod ſi mirum quantum vincant, attende quid pro iſtis rependeris, quæ obſequia reddideris, quæ officia retuleris. Certè quò majora ſunt beneficia, eò major eſſe debet gratitudo, eoque majora ſervitia, quæ niſi præſtiteris, non eſt quod ad Cœlum aſpires, non eſt quod expectes: lata ex nunc contra te ſententia, etiam à Chriſto Judice; illum audi, vel ea ipſa terra, vel ex vivis oraculum fundentem, ſic ad te.

Matth. c. 5. v. 20. *Niſi abundaverit juſtitia veſtra, pluſquam Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in Regnum Cœlorum.*

At quænam illa Juſtitia Scribarum & Phariſæorum, quæ Regno Cœlorum emendo non ſufficit, accipe ex uno ex illis, unde de cæteris erit conjectura.

Templum ille aſcendit oraturus, & hoc primum: deinde gratias acturus; tum expoſiturus opera ſua, eaque de ſe bona; denique relaturus, qui ex bonis ſuis omnibus decimas daret: ſic enim ad eum venit orator. 1. *Deus gratias ago tibi:* 2. *Jejuno bis in Sabbatho:*

Luc. c. 18. v. 20. 3. *Decimas do omnium, quæ poſſideo.* 4. quòd non ſit adulter, non injuſtus, non raptor & prædo, uti mortalium plerique. Et veroſimile eſt talem non fuiſſe, qui cum Deo colloqueretur, qui & palam omnibus audientibus, à quibus argui potuiſſet mendacii, ſi is fuiſſet: neque tamen ideo accepta Deo iſta gratiarum actio, neque opera illius bona, jejunium, decimæ. Quia etſi bona forent iſta omnia, non tamen fiebant bono modo, intentione bona, ſed ad jactantiam, ad vanam gloriolam, ad captandam auram popularem, & quia ſic fiebant, *Juſtitia* erat, ſed Phariſaica, nec digna Cœlo.

At quænam tua, ô Chriſtiane?

Venis ad templum? ſed an oraturus? an ad fabulas, & colloquia cum tuæ farinæ oratoribus miſcenda? An leviore oculo huc & illuc circumſpecturus? an quod pejus eſt, puellarum ſpecies, formas illices oculo captaturus? an nutu, an geſtu, an ſalutatione ad impudicos affectus illecturus? age conſcientiam excute, & vide an Deo teſte non ſis potiùs ganeo quàm orator, qui ut de templo ſcortum facis, & lupanar.

Venis ad templum: ſed an Deo gratias acturus de tot ac tantis Dei in te beneficiis?

Venis ad templum? ſed an dicturus ex veritate non ſum ſicut cæteri hominum, adulter, injuſtus, raptor, & prædo? nec illud, ut qui fortè horum omnium reus ſis? & cùm ſis talis, an Juſtitia tua abundat pluſquam Scribarum & Phariſæorum? neque iſtud, ſed potius ea multis partibus inferior eſt: ſed ne longius.

Tranſeo ad ſecundam originem, cauſamque judaicæ maledictionis, ea poſita fuit in eo quòd Dei famulos ad ſe miſſos excepit quàm peſſimè, virgis cecidit, lapidibus impetiit, obruitque: ſed jo te nihil iſtorum agnoſcis, ô Chriſtiane, & neque ego in te agnoſco, neque damno: ſed alia illis affinia. Judæi cur maledicti?

Ecquid enim? an non concionatores eorumque monita ſurda aure excepiſti? an non Dei nuntios qui tibi ſalutaria ingerebant repuliſti? an non confeſſarios qui in aurem & inſenſi Numinis iras & animæ periculum, & inferni rogos intentabant contempſiſti? an non ſecretiores vel boni genii, vel etiam ipſius miſerentis Dei inſpirationes rejeciſti? & cùm rejeceris, an non ejuſdem criminis reus es, etiam cum ipſis Judæis? an non in te eadem cum illis jacietur maledictio? enimverò jacietur. Sed abeo longius, venioque ad ultimum caput Judaicæ maledictionis.

Eſt illud, quod Dei Filium, & Chriſtum Domini infami ligno affixerunt: quod & facis ô Chriſtiane! dum poſt tot lumina, tot dona, iterum in peccata lethalia relaberis, quod ſcelus infandum notat & carpit Apoſtolus, dum ſic olim ad Hebræos, ſic modò ad Chriſtianos: *Rurſum crucifigentes ſibimetipſis Filium Dei.* Quam expoſtulationem etiam repetit ad Galatas, dum ſic etiam ad illos. Cap. 6. v. 6.

O inſenſati Galatæ, *Quis vos faſcinavit non obedire veritati*, ante quorum oculos JESUS Chriſtus præſcriptus eſt in vobis (imò & à vobis) crucifixus. Chriſtiani cur maledicti?

Tenebantur eorum oculi diuturno & infelici faſcino: ut illud explicet & tollat, iis objicit Chriſti è Cruce pendentis imaginem, ut eam intuentes, etiam videãt damnantq; Chriſtum in ſe, imò & à ſe rurſum Crucifixum; dum ſcilicet per nova ſcelera Chriſti Cruci mortique cauſam afferunt, & quantum in ſe eſt ad Crucem mortemque revocant; & cùm ita revocent, an non in eos cadet ea maledictio, quæ in Judæos & eorum æmulatores, nunquid & fulmen illud maledictionis, *Malos malè perdet, & vineam ſuam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus ſuis.* Matth. c. 21. v. 41.

Vineam ſuam, id eſt Eccleſiam, quæ ut ſcitè D. Bernardus, *Non periit: ſed migravit.* Et ita migraſſe vidimus à Judæis ad Chriſtianos, & in his ab una mundi plaga in aliam, ab uno populo in alium.

Sic ab Ægyptiis, in quibus ita floruerat, ut clauſtra Monachis, deſerta Anachoretis, urbes Monaſteriis replerentur, tranſiit ad Græcos, & ab his ad Romanos, à Romanis pleriſque ad Indos, ad Japones, ad Chinenſes, ultimamque Solis domum, in qua dum Fidei Chriſtianæ videtur Sol oriens, timeamus ne nobis occidat; & hoc quia debitum Deo fructum non reddimus.

FERIA

Digitized by Google

FERIA SECVNDA TERTIÆ HEBDOMADÆ QUADRAGESIMÆ.

CAPHARNAO redierat IESUS, ubi & Conciones habuerat, ad frequentem populum, multáque eaque ingentia patrarat miracula, veneratque in Nazareth, patriam utique ſuam, cum ſic ad illum Phariſæi: *Quanta audivimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua*, quæ te & concepit & nutrivit, & in Lucæ c. 4. v. 23.
eam ætatem perduxit, in qua & tibi conſanguinei atque affines, in quibus & multi morbo affecti, aliiſque mortalis auræ incommodis oppreſſi, quos ut ſubleves, etiam miraculo, ſuo quaſi jure exigit amor patriæ, ſanguinis cognatio, ipſaque lex naturæ & caritatis, in quam incurres & peccabis ni feceris. Quid ad hæc IESUS, quid ad querelas illas atque expoſtulationes? excipe Evangeliſtæ calamo, ſic enim ait: *Amen dico* verſ. 24.
vobis, nemo Propheta acceptus eſt in patria ſua, & quia nemo acceptus, ideoque & nemo beneficus, quod & declarat non tam verbis, quàm exemplis, quia major his, quàm illis eſt fides.

Primùm petitur ab Elia Propheta: clauſum fuerat cœlum, nec pluviam dederat annis omninò tribus & menſibus ſex, hinc arida & hians terra, & fames valida in omni terra: quid deinde? *multæ erant viduæ in diebus Eliæ in Iſraël, & tamen ad nullam illarum miſſus eſt Elias niſi in Sareptha Sidoniæ, ad mulierem viduam.* verſ. 25.
Ita nimirum Cœlo judice, imò & vindice, datum eſt viduæ extraneæ, quod negatum domeſticis viduis in Iſraël: habuit illa Eliam apud Deum oratorem, atque exoratorem; non habuerunt hæ: illa pluviæ & cœli miſerentis indulgentiam ſenſit; non ſenſerunt hæ.

Et hoc primum fuit exemplum, alterum ducitur ab Eliſæo Propheta, de quo ſic etiam IESUS, *Et multi leproſi erant in Iſraël ſub Eliſæo Propheta, & nemo eorum mundatus eſt niſi Naaman Syrus.* Ita nimirum alienigenæ & Gentili datum eſt, quod negatum Iudæis & popularibus.

Quid ad hæc Scribæ, quid Phariſæi, quid Iudæi? Senſerunt ſe notari, & pungi, ideoque *repleti ſunt omnes in Synagoga ira hæc audientes.* Quid inde? verſ. 29.
& ſurrexerunt, & ejecerunt illum extra civitatem, & duxerunt illum ad ſupercilium montis, ſuper quem civitas illorum erat ædificata ut præcipitarent illum. Et hæc Evangelicæ hiſtoriæ ſumma, quam per alias, atque alias quæſtiones fuſiùs explicabimus ad rectè formandos ex inſtituto noſtro mores.

QUÆSTIO PRIMA
LITTERALIS ET MORALIS.
Ad illa verba: *Nemo Propheta acceptus eſt in patria ſua.* Luc. 4. ℣. 24
QVÆ RATIO? ET VNDE PETITA?

IN hac vocula, *acceptus*, alius atque alius eſt Interpretum ſenſus. Textus Græcus habet, *inhonorus.* Syriacus, *vilis & deſpectus.* Arabicus, *habetur vilipendio.* vel ut Vatablus, *contemptui.* quæ ratio?

Prima ratio
Una petitur ex perverſa quadam naturæ corruptæ inclinatione, à qua fit ut miremur peregrina atque exotica, aſpernemur autem domeſtica & familiaria. Ut enim D. Cyrillus, *Solemus, quod tritum eſt, ac quotidianum, etiamſi magnum ſit, vilipendere. Conſuevimus ea contemnere quæ valdè familiaria ſunt*

ria ſunt, ſemper magis attendentes alienis, atque inſolitis, ut rectè Theophilactus.

Lib. 3. Et hinc *alienum amamus, proximum contemnimus*, ut ſcitè Alexis apud Athenæum. Quid facias? is hominum genius eſt, eòque depravatæ naturæ inclinatio, cui *grata eſt novitas*.

II. Ratio. Altera ratio petitur ex vitio, ex æmulatione quadam atque invidia; Ut enim D. Hieronymus, quod *Propemodum naturale eſt, cives ſemper civibus invidere; non enim conſiderant præſentia, viri, opera; ſed fragiles recordantur infantiæ, quaſi non & ipſi per eoſdem ætatum gradus ad majorem ætatem venerint.* Et hæc ſecunda cauſa eſt, cui accedit alia, enata ex proprio amore ſui, à quo fit ut cives & contribules, non ferant alium ſibi præferri; præſertim juniorem ſeniori, pauperem diviti, plebëium Senatori: cujus ratio ea eſt, quam affert Thophilactus: *Quia ſuam confuſionem exiſtimant gloriam contribulis; a qua non mediocris* *In cap. 4. Luc.* *invidia proditur, quæ civica caritatis oblita, in acerba odia cauſas amoris inflectit*, ut eleganter D. Ambroſius.

Et ita evenit in Chriſto, quem Nazareni ut concivem & popularem habuerunt, & quem contempſerunt ut fabri filium, hinc uſurpatæ tritæque hæ *Matth. c. 13. v. 55.* apud illos voces: *Nonne hic eſt fabri filius?* vel ut habet Marcus: *Nonne hic eſt faber?* Chriſtus enim pro ea qua fuit animi demiſſione, unà cum Joſepho Patre ſuo putatitio, fabrilem artem exercuiſſe videtur, quæ cùm vulgò vilis ſit, vilis & Chriſtus ſuis concivibus & patriotis ſuis; & quia vilis ac deſpectus iis fuit, beneficia ſua & miracula iis meritò negavit; non negaturus, ſi apud eos uti debuit, in honore & pretio fuiſſet, uti erat Capharnaitis, qui in Chriſto, non quod extrinſecus apparebat, ſed quod latebat intrinſecus ſuſpexerunt, qui & doctrinam illius exceperunt, avidâ quidem aure; ſed animo avidiore, qui & dictis illius fidem dederunt & factis; quod non fecerunt illius concives & populares; ſed aliud prorſus ex invidiæ & malevolentiæ genio, quem audire placet, non meo calamo; ſed Evangeliſtæ ſtylo, ſed aureo deinde D. Chryſologi; & hunc & illum audiamus: ſic ille.

Venit JESVS in patriam ſuam, & docebat eos in *Matth. c. 13.* *Synagogis eorum, ita ut mirarentur, & dicerent.*

Vnde huic ſapientia & virtus? nonne hic eſt fabri filius? nonne mater ejus dicitur Maria? & fratres ejus Iacobus, & Ioſeph, & Simon, & Iudas? Et ſorores ejus, nonne omnes apud nos ſunt? unde ergo huic omnia iſta?

Hæc Nazareni, hæc & Judæi; at qua mente? quove genio? excipe ipſis D. Chriſologi verbis, qui ſingulos Sacri Textûs apices ponderat, atque exponit, & ſimul Judaicum ingenium, de quo ſic ait.

Non ſic nubes Cælum, nox diem, Solem caligo, quomodo mentem cæcat, & tenebrat invidia.

Livor hoc Judaicus probat, qui Chriſti Sapientiam miratur, virtutes ſtupet, attollit opera, dicta ſuſpicit, & tamen ne in ipſo videatur Divinitas, Deitas ſentiatur, carnalium parentum nomina commemorat, & divulgat.

Hæc ubi extulit S. Præſul de Judæorum ingenio, atque livore, tum ſingula Evangeliſtæ verba examinat, & eo quo ſolet ſtylo notat ac pungit.

Judæos & inauditam à ſæculis Chriſti in mortales caritatem, commendat atque extollit; & quidem primùm, ex eo quòd *IESVS venit in patriam ſuam.*

Nemo, inquit, *miretur ſi Conditor rerum, Cælorum Dominus, Deus omnium, patriam, locumq́; ſortitur, quando ſe claudit utero, metitur cunis, uberibus occupat, arctat gremio, dat in ulnas, & ut anguſtias tollat humanas, humanis ſe dedit anguſtiis.*

Homo ad te Deus ſe per iſta deponit, te per iſta perſequitur, per iſtas te perquirit anguſtias, ut quem formavit opere, reformet exemplo, quem judicio repulit, reducat affectu, & in ſe ſervet, quem præter ſe viderat deperiiſſe.

Hæc ubi dixit de Chriſto, qui venit in patriam ſuam, tum expendit illud: *& docebat eos in Synagogis eorum*, quod indulgentiæ fuit, & ſimul caritatis: non enim docebat eos in templo ſuo; ſed in Synagogis eorum. Synagogæ non poterant ejus eſſe, in quibus ſe turbæ perfidiæ non fidei congregabant, in quibus conveniebat invidiæ populus, non amoris, in quibus *Concidebat Concilium malignantium, non bona Concilium diſciplina.*

Docebat nihilominus Magiſter, & quidem *ita ut mirarentur. At quomodo mirabantur, indignatione non gratia, ſed ſtupebant livore non laude. Furebant, quia quod ſapere non poterant, ſuperba ſubſellia, ſtans humilitas perducebat. Et quis ſic perducebat. Hinc ea apud eos Quæſtio. Vnde huic ea ſapientia.*

Sic nimirum dicit, *qui Deum ex quo eſt ſapientia, ex quo virtus ignorat. Sic dicit qui Chriſtum neſcit eſſe Dei ſapientiam, Dei eſſe virtutem.*

At quæ ea virtus? reſpondet facundo & aureo ſermone Præſul.

Virtus eſt *quæ dat oculos, quos natura non dedit, quæ auditum reddit debilitate concluſum, quæ in mutis ſui ſolvit vincula ſermonis, quæ claudos reducit ad curſum, quæ animas apud inferos jam devinctas, propria cogit redire ad corpora.*

Et hæc Chriſti opera *ſciebant Iudæi opera divinæ virtutis eſſe, non poſſibilitatis humanæ: ſed livoris nubilum malitiæ fumus, viſum ſpectantium caligabant, ne lumen Chriſti, ne tempus Sancti Evangelii perviderent. Dicendo, nonne hic eſt fabri filius?*

Dicebant enimverò: *Hic eſt fabri filius*, ſed cujus fabri filius non dicebant.

Dicebant inquam, *hic eſt fabri filius ut arte vili ars lateret authoris, & Deitatis nomen fabrili nomen abſconderet.*

Chriſtus fabri *erat* filius: ſed illius fabri, qui mundi fabricam fecit, non malleo, ſed præcepto, qui elementorum membra non ingenio, ſed juſſione compegit, qui maſſam ſæculi authoritate non carbone conflavit; qui ſolem non terreno igne, ſed ſuperno calore ſuccendit; qui lunam, tenebras, noctem formavit, & tempora; qui ſtellas variata luce diſtinxit, qui cuncta fecit ex nihilo, & fecit, ô homo tibi ut opificem operis æſtimatione *penſares*.

Hæc ubi magnificè protulit, de mundi hujus fabro, & fabri illius filiô. Tum orationem vertit ad Judæos, & ſummæ ingratitudinis arguit.

Tu Iudæe, inquit, *hujus fabri filium notas, pro tantis beneficiis vicem rependere deberes in filium: hinc eſt quod non accipis futura, quia de præſentibus exiſtis ingratus, adjicisque etiam illud. Nonne Mater ejus Maria? Iterum Iudæe Matris nomen clamas, occultas Patris: Patrem dicis, nomen non dicis, fabrum dicis opus non dicis, imò & adjicis illud, quod Chriſto opinaris multum nominis, multum generis detrahere poſſe.*

Ais enim, *nonne fratres ejus & ſorores ejus apud nos ſunt? Callidè fratres ingeris, oſtentas ſorores, ut numeroſo partu ſancta Matris virginitas lateat, obſcuretur integritas, & ſentiatur de filio totum, quod humanum eſt, nihil divinum.*

Et quia hoc facis, ex vero probas iſtud Chriſti oraculum, quod *nemo Propheta acceptus eſt in patria ſua*: & quia nec ipſe Chriſtus Prophetarum Princeps acceptus eſt, quid mirum ſi etiam in patria ſua miracula non facit, quæ fecit in Capharnaum? ubi & acceptus fuit & in honore, & in pretio?

Quod ſi quæſieris cur nemo Propheta in patria ſua acceptus ſit: hanc reddet D. Chryſologus, *quia inter ſuos poſſe, morſus eſt, aduſtio eſt: inter cives eminere proximo, proximorum urit gloriam: propinqui propinquo ſi honorem debeant, computant ſervitutem*, & quia ingratum & inimicum eſt vel ipſum nomen ſervitutis, vel ipſius etiam umbra, hinc fit ut Propheta non ſit acceptus in patria ſua, & ita neque

acceptus

acceptus fuit Chriſtus in ſua, ex quo & factum illud, ut non fecerit ibi virtutes, uti fecerat alibi: cujus ea quoque ratio: *Non ſit ibi virtus ubi incredulitas non meretur.*

QUÆSTIO SECUNDA MORALIS.

Ad eadem verba: *Nemo Propheta acceptus eſt in patria ſua.*

QUÆ VIRO FORTI PATRIA?

HUjus Oraculi veritatem declarat præclarus Pſittaci apologus. Pſittacus ex ultimo Oriente, in quo & naſci ſolet, delatus erat in Occidentem, ubi & cavea eburnea argenteis inteata virgis incluſus, mirari cœpit, ſe eo honore affici, quo nec in natali ſolo unquam affectus fuiſſet, uti nec afficiuntur aliæ quoque aves, quæ Pſittaco nec colorum varietate atque amœnitate cedunt, nec etiam garrulitate: cui turtur eadem quoque cavea concluſus,

Nec mirum illud inquit, nulli enim in patria meritus honor exhiberi ſolet: & quia non ſolet viro forti, viro Chriſtiano, alia quærenda eſt patria: at quænam illa?

Omne ſolum forti patria eſt, ceu piſcibus æquor, canebat Poëta.

Ita Socrati fuit qui ab Athenienſibus damnatus, ſe Coſmopolitam, id eſt mundi civem eſſe ſe dixit. Ita Senecæ viro in paucis facundo, & forti: hujus judicium audi: *Epiſt. 102.*

Magna, inquit, & generoſa res eſt humanus animus: nullos ſibi poni niſi communes & cum Deo terminos patitur. Primum, humilem non accipit patriam, Epheſum aut Alexandriam, aut ſi quod eſt etiamnum frequentius incolis, latius tectis ſolum. Illi patria eſt, quodcumque ſupernè univerſa circuitu ſuo cingit. Hoc omne convexum, intra quod jacent Maria cum terris, intra quod aer humanis divina ſecernens etiam conjungit, intra quod diſpoſita tot numina in actus ſuos excubant. Chriſtiane dixiſſet, illud omni viro forti patria, intra quod numen in ejus actus excubat, ut deinde ab exilio meliore, id eſt cœleſti patria donet.

Orat. 20. Ita ut à prophanis abeam, D. Baſilio magno, qui D. Gregorii Nazianzeni ore calamoque Valenti Præfecto exilium minanti, ſic locutus: *exilium haud cognoſco, qui nullo loco circumſcriptus ſum, ac neque hanc terram, quam incolo meam habeo, & eam omnem, in quam profectus fuero, pro mea duco, imò ut rectius loquar, univerſam terram Dei eſſe ſcio, cujus advena ego ſum, & peregrinus.*

Et quia Dei eſt univerſa terra: hinc etiam ſuam eſſe credebat vir Sanctus, & ex vero fortis, qualis & fuit S. Adelardus Abbas Corbeienſis: hic exilio damnatus, ut ſibi ad patientiam animos faceret humano altiores, & ovis ſimplicitatem ſibi proponebat, & incertam leporis ſedem.

Quia, inquiebat, haud ægrè patitur ſuo ſe vellere exui, atque nudari, ut alium induat, tegatque: ſic nec ego meis bonis omnibus, quæ mihi erant inſtar velleris: lepus ſi fortè aut venatoris impulſu, aut canũ latratu latibulũ ſuum deſerere cogatur, deſerit enimverò, & celeri fuga elapſus quæritat aliud, in eoque ut in priore probè deliteſcit. Sic & ego, ſi fora principum impetus, aut invidorum latratus patiar, nec locum, è quo pellar cum mœrore deſeram, nec eum ad quem propellar, cum amore renebo, paratus quotidie mutare, & hoc quia Religioſo viro omne ſolum eſt patria. *Bolland. in ejus vita 2 Januarii.*

Quæ Adelardo mens fuit, eadem & D. Gregorio Nazianzeno, cujus hæ voces: *Terrena hæ patriæ, atque hæc generum diſcrimina, brevis hujus, & caducæ vitæ noſtræ ac ſcenæ ludi ſunt: quam enim quiſquis terram ſive per tyrannidem, ſive per calamitatem ante occupaverit, ea patria dicitur, cujus omnes æquè hoſpites & advenæ ſumus, quantumlibet vocum appellatione ludamus.* *Orat. 25.*

D. Baſilio Patria noſtra erat paradiſus, de quo ſic D. Gregorius Nyſſenus in ejus vita: *Ab exilii metu liber erat Baſilius magnus, quòd unam patriam hominum cenſeret eſſe paradiſum, atque omnem terram quaſi commune naturæ exilium ſpectaret.*

Quod ille S. Præſul cenſuit, hoc & Paulus Oroſius D. Auguſtino familiaris, qui lib. 8. Confeſſionum contra Paganos ita de ſe ſcribit:

Inter Romanos Romanus, inter Chriſtianos Chriſtianus, inter homines homo, legibus imploro rempublicam, religione conſcientiam, communione naturam. Utor temporariè omni terra quaſi patria, quia quæ vera eſt, & illa quam amo patriam in terra penitus *non eſt.* Tum addit & illud, quod erat illius qui ex vero liber eſt, & ſuus, imò verò qui Dei.

Nihil perdidi, ubi nihil amavi, totumque habeo, quando, quem diligo mecum eſt. Hæc ille, Cui Deus & patria & in omnibus omnia.

Nimirum ut rectè advertit D. Gregorius Nazianzenus, *Una magnis & excelſis viris patria eſt, nempe Ieruſalem illa, quæ mente percipitur, non ea quam his anguſtis finibus circumſcriptam eſſe videmus.*

Et hæc paucis, & quaſi per tranſennam, à me dicta ſint, ut Chriſtianus nemo unus omnium huic ſolo cogitationem amoremque affigat, quod eſt puſilli abjectique animi; ſed potius Cœlo, quod magni excelſique genii eſt.

QUÆ-

QUÆSTIO TERTIA MORALIS.

Ad illa verba : *Medice cura teipſum. Quanta audivimus facta in Capharnaum, fac & hîc in patria tua.* Lucæ c. 4. v. 23.

AN IUSTÆ QUERELÆ? AN IUSTA EXPOSTULATIO?

CHRISTUS ſeu animorum, ſeu etiam corporum medicus *Capharnai* quamplurimos curarat ægrotos, ſtupendaque patrarat miracula, quæ cùm eſſent in oculis & ore omnium, fama velox ea detulerat, vulgataque *Nazareth*, quæ Chriſti erat patria, qua præteriia deflexerat ad extraneos, quales erant Capharnaitæ. Hinc tacitæ querelæ *Nazaræorum*, quas ut pervidit JESUS, ait illis, utique dicetis mihi hanc ſimilitudinem, *Medice cura teipſum*, id eſt tuos cura, & patriam tuam: quæ profectò querelæ juſtæ videntur.

Ecquid enim? ſit medicus unus aliquis, qui & ipſe morbo laboret, & unà etiam domeſticos (puta filios & ſervos) laborantes habeat, ſi iis neglectis abeat ad extraneos, iiſque curam impendat ſedulò, domeſticis autem minimè, an non juſta foret expoſtulatio, an non juſtæ querelæ? Enimverò juſtiſſimæ: Primùm enim ſibi conſulere, ſibi providere debet, nec excedere ad extraneos, niſi prius domeſticis levandis inſudarit, inſudarit & curando ſeipſo: hoc enim & jus naturæ poſtulat, & ratio exigit, & experientia probat, etiam in agentibus inanimis.

Ignis prius agit, prius calefacit, prius incendit ſibi proximum quàm remotum: imò quò propinquius eò fortius in illud agit.

Odor aromatum prius expirat, prius effundit ſeſe in aërem vicinum, quam in remotum.

Fons leni perennique fluxu manans, prius imbuit & fœcundat agrum ſibi contiguum, quàm diſtantem.

Si hoc in agentibus anima vacuis, vacuis & ſenſu, ac ratione? quid in te Servator optime, qui mundi es anima? qui prima ſummaque ratio.

Ignis es: ſed amoris ignis, ſed caritatis divinæ incendium: quidni ergo prius à te, & calefiant, & incendantur ſanguine tui vicini, & populares tui.

Odor es: ſed virtutis odor: tu enim omnium virtutum donórumque cœleſtium aromata: quidni ergo à te prius effundant illa ſeſe in propinquos, quàm in remotiores extraneos.

Fons es è quo manent & fluunt omnia divinæ beneficentiæ fluenta, torrentes omnes? quidni prius illa deriventur in amicos tibi viciniores; poſterius in remotiores, quales extranei?

Denique ne recedam à prima, & obvia ſimilitudine, medicus es, & animorum, & corporum medicus, ſunt in patria tua, domoque tua, languidi, ægrique: quidni eos prius à morbo leves quàm Capharnaitas? Certè Iſaias tuus olim vates, hoc
Cap. 58. v. 7. populo tuo dedit in mandatis, *Carnem tuam ne deſpexeris*, vel ut alii legunt, *Domeſticos ſeminis tui ne deſpexeris*: cùm ergo ſimus domeſtici, ne nos deſpexeris, nec dedigneris apud nos ea patrare miracula, quæ facis apud alienigenas, quales erant Capharnaitæ.

Hæc Nazareni Chriſti concives & populares, Hæc & Judæi, Scribæ & Phariſæi. An rectè? minimè gentium. Primò enim in Nazareth vitam exegit ad annos ætatis ſuæ omninò triginta, & quidem vitam Dei hominis, hoc eſt omnibus virtutum numeris, atque exemplis abſolutam: vitam ea gratia, iis amoris gaudiique illecebris, ut in parœmiam abiiſſet apud omnes afflictos, *Eamus ad Mariæ filium, & ipſe conſolabitur nos.*

Quod ſi eo annorum decurſu ſabrilem artem cum Joſepho nutritio ſuo exercuerit, non debuit illa demiſſio eſſe dedecori, ſed honori, non contemptui, ſed admirationi, uti nec ipſa nativitas, nec vitæ initia, nec curſus omnis: ut enim advertit Tertullianus. *Naſci ſe Deus in utero patitur matris, &* Lib. de Patientia c. 3.
expectat adoleſcere, ſuſtinet, & adultus non geſtit agnoſci, ſed contumelioſus inſuper ſibi eſt. & à ſervo ſuo tingitur.

Verùm etſi ſibi *contumelioſus* quodammodo eſſe videatur ſua illa demiſſione, at eadem ab Æterno Patre extollitur & ſurgit: dum enim à Joanne Baptiſta aquis in Jordane tingitur, apertis cœli valvis delabitur in eum Spiritus Sanctus columbæ ſpecie, auditurque ea vox Æterni Patris.

Hic eſt filius meus dilectus: Auditur & illud Joannis Matth. 17. v. 5.
de Chriſto teſtimonium: *Ecce agnus Dei, Ecce qui tollit peccata mundi: hic eſt de quo dicebam vobis, quia poſt me venit vir, qui ante me factus eſt, cujus non ſum dignus corrigiam calceamenti ſolvere.* Joan. c. 1.

Et hæc & illa vox etiam apud Nazarethanos innotuit, & pro miraculo haberi debuit, & fidem, & authoritatem Chriſto conciliare, ſicut & illud, quod primum à Chriſto patratum miraculum, dum aquam vertit in vinum in nuptiis Cana Galilææ, quæ Nazaretho erat vicina, & cujus ipſa Chriſti Mater teſtis fuerat oculata, teſtes & Diſcipuli, à quibus indubiè ſparſa Nazarethi fama tanti & tam inſolentis miraculi, uti deinde & aliorum, quæ edidit dum eſſet in itinere Capharnaum verſus; in quo & filium Centurionis moribundum ſanitati reddidit, & filiam Principis Synagogæ vitæ reſtituit, & ſocrum Petri à febri liberavit, aliáque quamplurima dedit miracula, à quibus mox à Galilæa inferiore, Nazarethum natale ſibi ſolum repetiit, vulgata jam ibidem eorum prodigiorum fama, qua commoti concives Chriſti, & populares, hæc ad illum non ſine ſtomacho & ira:

Quanta audivimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua. At cur, inquies, non fecit? Audi ex illa Chriſti ad querelas iſtas reſponſione: *Non eſt Propheta acceptus in patria ſua:* Audi, inquam, & demirare Chriſti ſapientiam, & bonitatem illius amare diſce: Quòd enim patriæ ingratæ atque incredulæ negavit miracula, non tam indignantis fuit, quàm miſerantis; etſi enim ea concedere illi potuiſſet, certè non debuit, neque ex prudentiæ legibus & caritatis norma etiam potuit.

Audax, inquies, & liberum effatum, cujus vadem habeo & ſponſorem ipſum Evangeliſtam: ſic enim ait: *Non poterat ibi ullam virtutem facere, propter incredulitatem eorum.*

At cur non poterat? quis mortalium Servatori, quis homini Deo, quis Omnipotenti liget manus? Ligat enimverò incredulitas, ea maximè qualis fuit Nazaræorum, quorum corda intimósque & ſecretos animorum

animorum receſſus cùm penetraret pervideretque Chriſtus, vidit eos in malo pervicacea, cervicoſos, obduratos, & Caueſſo marmoreque durinrea, adeoque cœleſtis beneficentiæ incapaces: ne porrò etiam ad miracula redderentur incapsciores, & majoris perfidiæ rei, cenſuit à miraculis apud illos abſtinendum, quod non fuit in illos odii, aut malevolentiæ indicium; in quo ſe & medicum probavit; medicum dico, & corporum & ánimorum, quod pstebit in ſimili, etiam in humanis.

Medicus unus aliquis, iaque peritiſſimus, ineidit in ægrum; quem aliæ atque aliæ infirmitstes detineot atque opprimunt. Una eſt lenia podagræ chiragræque alluviea; altera calculus ionstus in renibus, quo velut equuleo torquetur: alia dolores cholyei in intimis viſceribus, & ventriculo, quibus mirum quantum cruciatur, & ſimul aqua intercus, quo craſſeſcit totua atque dilteodirur: adeſt medicus, & quidem ia qui morboa illos omnea curare velit ac poſſit: renuit æger, & medici artem atque induſtriam cootemnit, jubetque excedere longius, imò & torvis oculis aſpicit, contumeliis afficit, in oa inſpuit, & tantum non iovolat incsput hominia, crederes furiis agi, & verò agitur.

Quid hìc Medicus? illius miſertus, & curandi avidua, abit enimverò, conferique ſeſe ad alios ægros omnique morbi genere laborantea, quos omnes ſanitari etiam integræ reſtituit, eo conſilio ut alter audita ſama tot curationum erigatur in ſpem recuperandæ valetudinis, & illius deſiderio teneatur ardeatque, tum ut medicum, quem aliquando reſpuit, evocet, admittatque, ſeſeq; totum illi cõmittat.

Qood Medicus ille ægro, hoc Chriſtos Nazaretho & popularibus ſuia, ex vero ægrotia, & aliis, atque aliis animi morbia diſtentis. Qui porro eſſent illi, paucis accipe. Contemptus Chriſti, incredulitas, infidelitas, irreverentia, obſtinatio, & durities cordis, quæ tanta erat, ut nec verbis emolliri ſe paterentor, nec factis, nec virtutum exemplis.

At quæ tot morborum cauſæ? viderant Chriſtum ab infantia, ab ipſis cunis, Mariæ pauperculæ, & Joſephi fabri lignarii, ot opinabantur, filium, vulgatem loci Municipem, nullius apud homines nominis, nullius ſortunæ, ſortis infimæ, nec frequentantem ſcholas, nec litteris inſtructum, ignobilem, pauperculum, cui nihil eſſet præter inſtrumenta fabrilia, qoibua & Joſeph, & ipſi utebaotur ad vitam ægrè ſuſtentandam.

Quæ omnia cauſæ erant ac veluti origines tot morborum aoimi, quos ut depelleret Chriſtus ceu Medicus peritiſſimus, ægrique amantior, in Capharnao & vicioia ferè tot miracula edidit, quæ & amori eſſent & ſtupori ae reverentiæ, & æſtimationi, qua concepta etiam ipſi Nazareoi, ceu ægri, ſenſim diſponereotur ad ſanitatem, puta ad Fidem io Chriſtum, ad ſpem, ad amorem, ad benevolentiam, qoibus conceſſis, & ipſis quoque indulgerentur miracola; oegatia verò minimè.

Meditabantur Paulus & Silas pergere in Aſiam, prædicandi Evangelii causâ, & prohibiti ſunt à Spiritu Sancto.

Vetati ſunt, inqoit D. Lucas, *à Spiritu Sancto* Act. c. 16. v. 6.
loqui verbum Dei in Aſia; cùm veniſſent autem in Myſiam tentabant ire in Bithyniam, & non permiſit eos Spiritus JESU. quæ ratio? Spiritus Sanctus, Spiritua JESU, qui etiam ſecreta cordium pervadit, videbat & Aſiam & Bithyniam, & Aſiatieoa, & Bithynienſes minimè diſpoſitos eſſe recuperandæ ialis gratiæ, admittendique verbi Dei; imò ſi eò loci ac temporis annuntiaretur illud, reddendos inde pejorea, ac doriores: ex quo conſequens erat, ut gravior eſſet illorum damnatio, graviusque apud inferos ſupplicium. Unde ea dilatio, miſerationis divioæ fuit atque bonitatis, quia ut de hac & illa D. Auguſtinus Ep. 109. ad Monachos.

Sicut parata eſt ſeveritas, peccata quæ invenerit vindicare: ita non vult charitas quod vindicet invenire, cujus exemplum producit Oſeæ calamua, atque ad poſteros tranſmiſit.

Sic enim per illum miſericors Deus. *Quomodo* Cap. 11.
dabo te Ephraim? protegam te Iſraël? quomodo dabo v. 69.
te ſicut Adama, ponam te ut Seboim, converſum eſt in me cor meum, pariter converſa eſt pœnitudo mea. Quaſi diceret, quid de te, quid tibi ſaciam ô Ephraim, dilecta mihi civitas? ô Iſrael dilectu mihi popule? Protegámne more ſolito ut Pater? at obſtinata à me averſio tua, atque rebellio obſiſtit; Quid igitur? perdamne te, ut Sodomam, Adamao, & Seboin urbes Pentapoleoi? at quomodo patietur meus in te amor, atque affectus? Enimverò non patietur. Quid ergo? *Non faciam furorem iræ meæ, non convertar ut diſpergam Ephraim*: & rationem adjicit indulgens Numen.

Quoniam Deus ego, & non homo; quaſi diceret: Homo in vindictam ſe effundit, ego viodictam miſericordiâ tẽperabo, imò & ſuperabo; homo offenſus promiſſa revocat, at ego licet offeoſus ab Ephraim & Iſraële, promiſſa tamen quæ Abrahæ, Iſaaco & Jacob Patribus ejua feci, ſervabo & opere præſtabo, & hoc quia *in medio tui ſum, ut Sanctus*, ut pater, non ot hoſtis, ot vaſtem & perdam te, & *non ingrediar civitatem malorum*; videlicet ſentinam & ſceleratorum domicilium, oe videns ſcelera, urgente juſtitiâ, punire cogar: uti ſeci in Adama, & Sodoma, & Seboin, ad quaa ingreſſus, ut abominationes vidi, & immania crimina, in juſtam ultionem ire debui.

Quæ Deus Adamæ, Sodomæ, & Seboin fecit olim: hæc in præſentia Deus-Homo Nazaretho natali ſibi ſolo: ingreſſus quidem illud ut videret num ceſſaſſet ejus ingratitudo atque incredulitas; & quia non ceſſârat, nec in ea diutiùs ſubſtitit, nec miracula dedit; & hoc quidem ne gravior illis eſſet culpa, ne pœna etiam gravior, quod ſanè indulgentis fuit, & Patris miſerentis.

Ex quibus omnibus in aperto eſt reſponſio ad propoſitam initio quæſtionem, eſſéntne juſtæ Judæorum & Nazaræorum querelæ, juſtaque expoſtulatio, ex eo petita, quòd miracula in patria ſua non feciſſet, quæ fecerat in Capharnao.

QUÆSTIO QUARTA MORALIS.

Ad eadem verba: *Medice cura teipſum. Quanta audivimus facta in Capharnaum fac & hîc in patria tua.*

QVÆ CVRA SVI, QVÆ DOMESTICORVM, Quæ popularium?

Quæ cura ſui?

CHRISTUS, pro ea qua erat divinæ mentis perſpicacia, penetrabat occultas Nazaræorum cogitationes, & in iis tacitas querelas, quas his verbis exprimit JESUS: Utique dicetis mihi hanc ſimilitudinem; *Medice cura teipſum.*

Protritum ait Titus, uſitatumque apud Judæos, ut medicos in morbum relapſos facto hoc, urbanoque dicto exciperent: *Medice cura teipſum*; & meritò: ſic enim habet communis ſenſus, cui favet natura, & ipſa ratio, qui ſeipſum aut curare nequit, aut negligit, alios pariter curare nequeat, aut negligat; quod effatum abiit deinde in proverbium: quod S. Antonius à corporibus transferebat ad animos, & aiebat.

Qui vult aliorum curare vitia (quæ animorum morbi ſunt) prius curet ſua, deinde etiam aliorum; ſic enim in vitis Patrum. *Patres antiqui egreſſi in deſertum, & ipſi ſani effecti, facti ſunt medici, & reverſi alios ſanaverunt*, non ſanaturi, niſi prius & ipſi ſani. (Lib. 7. n. 3.)

Quod Sanctis illis Patribus in avia ſolitudine, à qua & mentis ſanitas, hoc eſt & aliis quibus ex cura aut caritate incumbit alios ſanare: ſi fortè quis officii cauſa egrediatur è ſua ſolitudine, dicitur illi. *O medice prius tibi curam impende*: niſi enim impenderis, aliis non impendes. (Suprà.) Quis enim, ut ait Plutarchus, *aliis Medetur ipſe ulceribus ſcatens.* (Lib. de dignoſcendo adulatore, & amico.) Nemo certè, nemo unus omnium: maximè ſi ea ulcera ejuſmodi ſint, quæ vitium etiam aliis affundere poſſint, uti eſt morbus comitialis, de quo ſic aiunt leges. Ne quidem his diebus, quibus morbus vacaret, rectè ſani dicentur. (D. de Ædil. L. quæ tertia, 1. ea.)

Quod hi nec ſani, nec aliis etiam ſanitatem illaturi. Quod medicis corporalibus uſu venit, hoc & ſpiritualibus: niſi hi ſani ſint, atque à vitiis (qui morbi ſunt animorum) penitus immunes, nec aliis ſanitatem allaturi ſpiritualem.

Solemne illud & ſacrum Ulpiani edictum, eum eſſe deligendum medicum, qui *probitate morum, & artis peritia polleat*; illa quidem ne malitiâ peccet; *peritia* ne ignorantia. (D. de decret. ab ordin fac. L. 1.)

Quod medico corporali, hoc & ſpirituali. Duæ animi dotes in eo requiruntur, probitas morum, & artis peritia. A probitate excluduntur in eo vitia; à peritia, ignorantia: & hæc & illa adſit oportet.

Iſidorus Peluſiota, medici artem vocabat *Artem ſapientem*, bonitatis & virtutis amantem, aiebatque eſſe commiſeratione dignum, imò & ridiculum, qui *caret exigua vulnera, ipſe verò ingentibus & gravibus ulceribus ſcateat.* (Lib. 1. Epiſt. 39.)

Ne porrò ſcateat, audiat D. Gregorium Nazianzenum: *Medicum ſpiritualem purgari prius oportet, deinde purgare; ſapientiâ inſtrui, atque ita demum alios ſapientiâ inſtruere; lucem fieri, & alios illuminare; ad Deum appropinquare, & ita alios adducere; ſanctificari, & poſtea ſanctificare.* (Orat. 1.)

Quæ cura aliorum.

Ut alios à vitiis (quæ ſunt animorum ægritudines) integrè purget, ab illis priùs purgetur ipſe; ut alios ſapientiâ donet atque inſtruat, ſapientiâ præditus ſit priùs.

Ut alios altiore ac cœleſti lumine donet, lux ſit ipſe.

Ut alios ad Deum ducat, ut dirigat, Deo propinquus ut fiat eſt neceſſe.

Ut alios ſanctificet, ipſe & ſanctitate ornetur priùs, & ſic illi duæ erunt dotes medico ſpirituali neceſſariæ, *Bonitas & Peritia.*

Bonitas, à virtutibus; Peritia, à ſcientia, & maximè à Sacrarum Litterarum cognitione.

Oſimanduas Ægyptiorum Rex potentiſſimus, Bibliothecam inſtruxit viſendis operibus inſignem; maximè verò Commentariis, aliiſque doctiſſimorum Virorum monumentis, quam inſcripſit *Animorum medica officina.*

Quod ſi illa animorum medica officina, certè & Biblia Sacra, & in illa Commentarii, Divique Patres: Medici ſunt animorum officina, in qua Medicus ſpiritualis verſatus ſit oportet, ſi modò is ſit reipſa, qui eſt nomine.

Et hæc paucis ad illud effatum, *Medice cura teipſum.* Venio ad alterum, quod eſt ejuſmodi.

Quanta audivimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua. Hæc à Judæis dicta atque à Nazaræis in ipſa urbe Nazareth, objecta Chriſto, poſtquam prædicaſſet, & miracula patraſſet in Capharnao, quaſi dicerent, ait Gloſſa: Non credimus quod incerta fama vulgavit, cùm apud nos nihil tale feceris, quibus convenientiùs talia impendenda erant beneficia.

Quæ domeſticorum.

Cur autem non impenderit, diximus ſuprà, ideoque iis omiſſis, transeo ad alterum, quæ domeſticis, quæ ſanguinis cognatione junctis, quæ & popularibus exhiberi debeat cura, quæve conferenda beneficia, omninò & plura, & majora, quàm extraneis, & nullo ſanguinis vinculo copulatis; ubi tamen paria cætera.

Machabæi fortia pectora, grandes animæ, ſolemne dixerunt illud: *Pugnare pro Deo & Legibus, & pro Patria.* (2. Machab. c. 14.)

Primum quidē pro Deo, Univerſi Domino & omniū creaturarū authori, cui proinde omnia debeas, & cujus ſis totus, cujus & manus, & ſanguis, & vita.

Deinde pro Legibus, proque aris, quibus poſt Deum impendas te oportet, ut intaminatæ & ſacræ ſerventur illæ.

Denique pro Patria, quæ tibi ſecundùm Deum eſt parens.

Quod illi in arena, martioque pulvere: hoc parens in domo, hoc Doctor in Lycæo Chriſtiano, hoc in Eccleſia quiſquis eſt Superior & Prælatus. Pugnet ille manu, pugnet linguâ, pugnet rebus præclarè & fortiter geſtis, pugnet & doctrinâ, pugnet & miraculis, pro Deo, pro Legibus & Patria, pugnet & beneficiis; hoc enim pro Deo pietas exigit, hoc pro Legibus religio, hoc pro Patria caritas & cognatus ſanguis. Et niſi hæc dederis, eris in Deum impius, in Leges & aras irreligioſus, in Patriam durus & crudelis.

Sed

Liberorũ? Sed hæc generatim dicta: veniamus ad ſingula, & quidem primò ad domeſticos, ii ſunt filii aut filiæ, aut etiam ſervi, quorum curam agere eſt parentis.

Ariſtoteles magnus ille Philoſophiæ genius aiebat, proprium eſſe Patrum liberos *erudire*, ut Matrum eoſdem nutrire. Erudire, inquam, hoc eſt probis moribus inſtruere, & ornare virtutibus, quæ animorum ſunt ornamenta, & veſtes quædam urbanæ, quibus Cœlo nitent & Superis; maximè verò Caſtitate, & illibato corporis animique candore, quam retineant ad nuptias uſque, glorioſâ de ſe deque libidine victoriâ, quam indicabat antiquus ille ritus, quo ſponſi ad nuptias ibant coronati: idcirco (ut annotat D. Chryſoſtomus.) *Corona imponuntur capiti, ut victoriæ ſigna ſint, quòd ſcilicet antea libidini impenetrabiles*: ita demum ſponſæ cubiculum ingrediuntur, & ſponſæ cingulum ſolvunt, ut etiam eo ritu oſtendant, quod nemo hactenus ſolverit; adeoque quod & ſponſæ conſtet ſuus Caſtimoniæ nitor & gratia.

Hom. 19. in 1. ad Timot. c. 3.

Et hæc Liberorum cura potiſſimùm impendi debet in filias, quarum honor & caſtitas periculis eſt magis obnoxia.

Sed proh dolor, pudorque! ea ſæpius deperit nimia matrum indulgentia & amore, quæ D. Chryſoſtomo, *dulcis quædam natura eſt tyrannus.* Cui dum cedunt matres, filias libidini: & veneri proſtituunt. ſed hæc paucis attigiſſe, ſit ſatis.

Quæ ſubditorum. Tranſeo ad ſubditos & dominos. *Horum eſt* (ut ait Muſonius in Philoſophia nobilis) *Iovem æmulari & ſubditorum eſſe patres.* Chriſtianè dixero, Deum æmulari, qui ut advertit Theodoretus, Patris appellatione magis quàm Domini delectatur, & hoc quia *Dominus* nomen eſt *timoris*, Pater *amoris*, ut ſcitè Tertullianus.

Lib. de Orat. c. 2.

Et quia ejuſmodi eſt, Deus Opt. Max. Patris nomen ſibi magis elegit, quàm Domini, & hoc quia (ut aureè D. Chryſologus) *Magis amari voluit, quàm timeri.* Et hoc quoque eligant Duces, Imperatores, & quicumque aliorum ſunt Domini, ſcientes, *quod appellatio iſta*, & pietatis, & poteſtatis eſt, ut rectè Tertullianus: pietatis quidem, ut in ſubditos pii, clementes & miſericordes ſint, non aſperi, atque immites: *poteſtatis* autem, ut eos authoritate ſua, ſi fortè à recto aberrare contigerit, cohibeant & revocent: hoc enim illis incumbit, vel ex eo quòd Patres, vel ex eo quòd Domini.

Serm. 2.

Suprà.

Quæ popularium? Deſcendo ad poſtremum, quæ debeat ſuſcipi popularium & concivium cura præ extraneis, ubi tamen paria cætera: Bias è ſeptem Græciæ ſapientibus unus, ut in aperto claráque luce ponat qua obligatione Patriæ ſuæ quis devinciatur, quove naturæ vinculo teneatur, & cujus culpæ ſit reus, qui neglecta patria in peregrinos eſt beneficus, utitur familiari ſimilitudine villici alicujus, qui agro proprio relicto & contempto totus incumberet in excolendis agris alienis aut vicinis aut remotis, & qui alienæ meſſi inſudaret, non ſuæ: certè quiſquis is eſſet argueretur ingratitudinis in patriam: ſic & qui deſerta patria, & accolis ſuis, alienas oras excolit, arguendus eſt, imo & impietatis: ut enim D. Thomas, ſicut eſt impius qui Patrem deſpicit, ſic & ille qui Patriam: nam & patria parens eſt, & hinc cuique inſitus illius amor, & ſi ei malè fit, dolor & lacrymæ & triſtes ejulatus; uti contra ſi benè, gaudium atque exultatio.

2. 2. Qu. 26. art. 8.

Ex hoc porro naturæ ſenſu atque dictamine rationis conficiunt Theologi cum D. Thoma, quod in cauſa æquali arctiore vinculo quis obligetur & favere, & bona etiam ſua relinquere propriis, quàm extraneis, & illis quidem, qui & à natalibus & ſanguine fuerint propinquiores.

Quod ſi bona quæ huic ævo ſerviunt, & mortali vitæ, quantò magis ea, quæ æternitati, quæ beatitati, uti ſunt bona ſpiritualia, puta fides, gratia, charitas, quæ popularibus procurari debent, prius, & potius quàm extraneis in æquali neceſſitate.

Et certè, quidni prius & potius? cùm illi domi, hi autem foris ſint.

Dicit olim Gentium Apoſtolus: *Quid mihi de iis qui foris ſunt*, id eſt extra Eccleſiam, uti ſunt Pagani: quid, inquam, de illis præ fidelibus, qui ſunt in Eccleſia, præque domeſticis, & popularibus qui pariter ſunt in Eccleſia? Certè aut parum, aut ex juſtitia nihil: at domeſticis & meæ curæ commiſſis incumbit obligatio & caritatis, & juſtitiæ: & hinc ille ipſe Apoſtolus, etſi ſeipſe & omnes ſic adhortatur:

1. Cor. c. 5. v. 12.

Operemur bonum ad omnes, maximè autem domeſticos, & domeſticos fidei. Tum adjicit & iſtud, *Si quis autem ſuorum domeſticorum curam non habet, fidem negavit, & eſt infideli deterior.*

Ad Galat. c. 6. v. 10. & maximè ad 1. Timoth. c. 5. v. 8.

At quæ, inquies, ea cura? qui & domeſtici? Excipiamus ore aureo Chryſoſtomi: ſic inquit:

Cura nomine providentiam animæ & corporis ſignificat: hæc enim cura eſt. Qui verò ſuorum & maximè domeſticorum curam non habet, infideli, inquit, eſt deterior: at quæ cauſa? hanc addit S. Doctor: *Nam ſi quis in propinquos genere atque affinitate conjunctos, aſper eſt, quo pacto erit in alienos clemens? Nonne veritatis judicio omnium erit obnoxius, ſi alienos beneficiis fovens, propinquos ſumma immanitate deſpiciat? Eſt*, inquit, *infideli deterior, quia ille etſi alienos deſpicit, propinquos tamen non aſpernatur.*

Hom. 14. ad 1. Timoth.

Hæc Orator aureus, ex quibus conficio in iis potiſſimùm quæ ad animæ ſalutem attinent, popularium majorem habendam eſſe rationem, quàm extraneorũ, & illis Cœlo Deoque acquirendis magis inſudandum eſſe, quàm his maximè viris Apoſtolicis, qui dicuntur, & ex vero ſunt Patres, & hominum piſcatores; Patres quidem amore, Piſcatores autem officio & labore: quod patebit familiari ſimilitudine. Sit onus aliquis qui in mari ſibi viciniore, & gemmas habeat, & uniones, quos expiſcari poſſit: ſi eo relicto enaviget ad mare Indicum, ſudore multo, multóque diſcrimine ac periculo, profectò is dicetur imprudens, & ſibi ſuiſque parùm conſulens: ſic & ille qui popularium ſuorum animas ceu gemmas, ceu uniones contemnit, atque in profundo vitiorum oceano merſas relinquit, ut extraneorum animas educat ex eo, & luci Deóque reddat, cenſebitur in has & durus & impius.

Hæc tamen uti prius inſinuavi in æquali neceſſitate locum habent, non verò in inæquali.

FERIA TERTIA

HEBDOMADÆ TERTIÆ QUADRAGESIMÆ.

IN hujus Evangelii ſerie, agit Servator de fraterna correptione, & primò illius ſubſtantiam, hac vocula exprimit, *Corripe.* Secundò illius modum atque ordinem exponit, & hiſce verbis notat: *Inter te, & ipſum ſolum.* Tertiò denique correptionis iſtius præmium Cœlo teſte & judice declarat, quod erit lucrum fratris, quod ſanè ingens eſt, & omni lucro ditius ac pretioſius: ait enim, *lucratus eris fratrem tuum.* De quibus omnibus ac ſingulis, nonnullæ proponentur quæſtiones, formandis rectè moribus accommodæ.

QUÆSTIO PRIMA

THEOLOGICA ET MORALIS.

Ad illa verba: *Si peccaverit in te frater tuus corripe eum.* Matth. cap. 18. ṽ. 15.

AN EA CORREPTIO FRATERNA SIT CONSILII, an præcepti? Et utrum omnes obliget, an Sacerdotes tantum, & Superiores?

Correptio fraterna. DOCTORES atque Interpretes, in alias atque alias diſcedunt ſententias.

Sententiæ variæ. Prima eſt Abulenſis, qui cenſet correptionem hanc ſolis juſtis præcipi, quia non congruit ut peccatorem corripiat is, qui eidem peccato eſt obnoxius.

Secunda eſt nonnullorum qui exiſtimant eſſe præcepti erga eos tantùm, qui in nos; ſeu contra nos peccârunt; non autem erga omnes, & omnia omninò peccata: & huic opinioni favere videtur ipſe Chriſtus, ſi nuda ejus verba, atque ad litteram accipiatur: ait enim, *Si peccaverit in te*, id eſt contra te.

Tertia probat eſſe præcepti, non reſpectu cujuſlibet, puta æqualis cum æquali; multóque minus inferioris ordinis, aut notæ: neque enim, inquiunt, decorum eſt ut æqualis æqualem corripiat, multóque minus ſuperiorem inferior.

In cap. de Judiciis. Quarta eſt Joannis Andreæ, apud Panormitanum. Opinatur hic Sacerdotibus & Prælatis dumtaxat præcipi, non autem Laicis: favere videtur illud, quod Chriſtus illicò dicat ſolis Apoſtolis: *Quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in Cœlis.* Verùm ex hoc Chriſti ad Apoſtolos oraculo, id non conficitur, non rectè concluditur, quia hoc non eſt fraternæ correptionis; ſed poteſtatis ac juriſdictionis: hæc ad ſolos Apoſtolos, eorumque ſucceſſores ſpectare poteſt, illa & ad hos attinere, & ad omnes.

Reſolutio. Quinta eaque verior eſt quod fraterna correptio ſit præcepti, & non conſilii tantùm; neque ſolùm erga peccatum contra nos; ſed ad omnia omninò peccata ſeſe extendat, quia etſi Chriſtus hoc non exprimat, tacitus tamen & naturæ ſenſus, & ipſum rationis dictamen, & lex fraternæ charitatis, & reverentia Numinis, ad hanc correptionem obligare videtur: & huic favet Textus Syriacus, ubi enim in vulgari legimus, *peccaverit*: Syrus vertit, *erraverit*, alluditque ad ovem errantem, quæ typus eſt cujuſvis peccatoris. Maneat ergo illud, correptionem fraternam ad omnia omninò peccata ſeſe extendere, ſive ea ſint contra nos, ſive contra Deum.

Ratio eſt, quia per Synecdochen Chriſtus ſub injuriis nobis illatis, cætera omnia peccata intelligit: nam eadem, imò & major aliorum eſt ratio; ſi enim corripiendus eſt proximus in injuriis, quibus nos offendit; multò magis in iis, quibus Deum: nam & peccatum omne Supremi Numinis eſt injuria, quæ non magis afficere debet ac permovere, quàm noſtra, uti amor Dei magis quàm proximi: quia Deus & primò, & ſummè amari debet; Proximus autem, nonniſi ſecundùm Deum. Chriſtus tamen meminit ſolius peccati contra nos admiſſi, ut vindictæ frænum injiceret, illique ſubrogaret charitatem, ex eaque fraternam correptionem. Ejus ratio.

Ratio autem à priori, hæc eſt, quod ſicut charitas unumquemque obligat, ut ſuccurrat proximo in neceſſitate corporali, & temporali conſtituto, ſic & multò magis in ſpiritali, qualis eſt ſtatus peccati, & damnationis æternæ: hæc enim illâ longè potior, quia illa eſt corporis, & hujus temporis, hæc autem animæ, & æternitatis, ideoque obligans ſub mortali peccato, ubi ſcilicet delinquentis peccatum etiam mortale eſt, non autem ubi tantum veniale, in hoc enim ordinariè ceſſat obligatio fraternæ correptionis.

Dixi ordinariè, quia ſi ex veniali, aut ſequeretur damnum grave, aut ſcandalum obligaret, etiam ſub mortali; aliàs verò minimè, imò & correptio talis & gravior eſſet corripienti, & correpto graviſſima atque intolerabilis.

Ne porrò ea ſit, & huic & illi correptioni duæ virtutes

Correptionis quæ virtutes comites? virtutes ſint comites, videlicet *Charitas* & *Prudentia*. *Charitas* quidem, ut is qui peccat, ſentiat correptionem proficiſci, non ex odio aut faſtu; ſed ex amore & compaſſione, qua correpto vult eſſe benè: ut autem ſit quàm optimè, charitati jungatur *Prudentia*, à qua ſuus correptioni ſtatuatur modus.

Is porro, is erit ſi loco fiat oportuno, ſi tempore commodo, ſi modeſtè & leniter, ut erga corrigentem *agat plus benevolentia, quàm ſeveritas; plus cohortatio, quàm commotio; plus charitas, quàm poteſtas*, ut eleganter & nervosè S. Leo ad Anaſtaſium Epiſcopum Teſſalonicenſem. *Epiſt. 84.*

Quis modus? Ut autem plus agat & hæc & illa, obſervandus in correptione is modus, quem ita præſcribit Divus Gregorius Nazianzenus.

Orat. de modeſtia in diſputatione. *Hanc rationem tene, ut partim illum corrigas, idq; leniter & humanè; ut amicus, non ut hoſtis, neque ut durus & rigidus medicus, neque ut ſectionibus tantùm & cauteriis adverſus morbum ſcieus graſſaris: partim teipſum accuſes, infirmitatiſq; tuæ tibi conſcius ſis.*

Tum etiam ut is qui corripitur intelligat corripientem ad illud adigi, non tam ſua voluntate, quàm neceſſitate, ne ſcilicet criminis ejuſdem reus cœlo judice arguatur, néve illi dum connivet conſentiens videatur: ut enim ſcitè D. Gregorius Pont. Max. *Lib. 7. Epiſt. 117.* *Conſentire videtur erranti, qui corripienda, ut reſecari debeant, non occurrit.*

Deniq;ue ita corripe, ut liquidò advertat, quod ea correptio non ſit ſeveritas; ſed charitas & pietas. Ut enim D. Auguſtinus, *Quid tam pium, quàm medicus ferens ferramentum? plorat ſecandus, & ſecatur: plorat urendus & uritur: non eſt illa crudelitas, abſit ut ſævitia medici dicatur: Sævit in vulnus, ut homo ſanetur: quia ſi vulnus palpetur, homo perdetur.* Hæc S. Doctor, & piè, & nervosè; uti & alio loco, ubi monet qui ſervetur charitas, atque ſervetur, ita monet. *Serm. 15. de verbis Domini.*

Quæ neceſſitas. *Si qui fortè vultis ſervare charitatem, fratres, ante omnia ne putetis abjectam & deſidioſam, nec quadam manſuetudine, imò non manſuetudine, ſed commiſſione & negligentia ſervari charitatem: non ſic ſervatur:* quod ut oſtentat, exempla adducit in ſervo, & filio, & amico ceu vicino, quem dum corripis, amare convinceris; ſecus, odiſſe potiùs, quàm amare.

Tract. 7. in Epiſt. D. Joan. *Non putes*, inquit, *tunc te amare ſervum tuum, quando eum non cædis; aut tunc te amare filium tuum, quando ei non das diſciplinam; aut tunc te amare vicinum tuum, quando eum non corripis: non eſt iſta charitas; ſed languor. Ferveat charitas ad corripiendum, ad emendandum: ſi ſunt boni mores, delectent; ſi ſunt mali emendentur, corrigantur: noli in homine amare errorem; ſed hominem. Hominem enim Deus fecit, errorem ipſum homo fecit: cùm illud amas, illud tollis; cùm illud diligis, illud emendas.*

Sed etſi ſævis aliquando, propter correptionem dilectionis *ſævis*: quod oſtendit in columba, veluti ſymbolo quodam charitatis.

Fel columba non habet, tamen roſtro & pennis pro nido pugnat, ſine amaritudine ſævit. Hoc facit & pater quando filium caſtigat; ſed ad diſciplinam caſtigat. Seductor ut perdat, cum amaritudine blanditur; Pater ut corrigat, ſine felle caſtigat, & tamen ſævire videtur. Quid illud: Amor ſævit, charitas ſævit: ſævit, quomodo? ſine felle, more columbino, non corvino: ſic & qui fratrem in ſe peccantem corripit; ſi ſævit, ſævit amore columbino; non corvino; nec in eo ſævit, niſi amor & charitas, quam ſi fortè (quæ illius cœcitas eſt) non videat frater tuus, ne idcirco corripere deſine.

Si quid vitii deprehenderis in amico, dicit Ambroſius, ipſum prius occultè corripe; ſi te non audierit, corripe eum palam: ſi verò ſe lædi putet, tamen eum corripe; & ſi animum ejus vulnerat amara correptio, tu tamen corripe.

Tolerabiliora ſunt amici vulnera, quàm adulantium oſcula. Nonnulla tamen ſunt quorum te monitum velim, qui ſic amicum & fratrem corripis: primò ut ad correptionem ejus exquiras tempus oportunum, & familiare ſecretum: dum enim ex turbatione recenti adhuc inquietior eſt animus, cautâ diſſimulatione opus eſt, donec mentis nubilo ſerenato pacatiùs verba monentis admittat. *Adulatio.*

Alterum eſt, quod ſi ſpes fructûs, & correptionis uſu non alluceat, admittendam eſſe, ne deploratum exagites potiùs quàm emendes. *Nulli niſi audituro dicendum eſt*, inquiebat Seneca. Et hinc poſtremò ſervandum ne in corripiendo ſis importunus, ne ad ſingula vulnera etiam modica unguem immittas; id ſi feceris, vulnus non curaveris. *Epiſt. 19.*

Ideò de *Diogene*, aliiſque Cynicis, qui libertate promiſcuâ uſi ſunt, & obvios quoſque monuerunt, dubitari ſolet, an hoc facere debuerint: quid enim ſi quis ſurdos objurget, aut naturâ morbóve mutos? Quare, inquis, verbis parcam? gratuita ſunt; non poſſum ſcire an ei profuturus ſim, quem admonuero. Spargenda eſt manus, non poteſt fieri, ut non aliquando ſuccedat *multa tentanti.* Hæc Seneca, qui deinde Lucilium diſcipulum ſuum ita inſtruit.

Hoc, mi Lucili, non exiſtimo faciendum magno viro: diluitur ejus authoritas, nec habet apud eos ſatis ponderis, quos poſſet minus obſolefacta corrigere.

Hæc ubi extulit, tum argumentum petit à ſimili, & ait: *Sagittarius*, non aliquando ferire debet; ſed aliquando deerrare. Non eſt ars, quæ ad effectum caſu venit: Sapientia ars eſt, certum petat, eligat profecturos, ab his quos deſperavit recedat; non tamen citò relinquat, ſed in ipſa deſperatione extrema remedia tentet.

Hactenus ſapiens Romanus, quocum finio, tranſeoque ad alteram Quæſtionem, de correctionis modo atque ordine.

QUÆSTIO SECUNDA
LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipſum ſolum.* Matth. cap. 18. ℣. 15.

CUR SERVATOR HUIC PRÆCEPTO ADIICIT CIRCUMSTANTIAS Vade, corripe eum inter te & ipſum ſolum?

Correctionis modus & ordo.

HOc præceptum ducitur, tum ex lege naturali, tum ex ordine charitatis, quæ primò eſt ad ſeipſum, deinde ad proximum: non enim nobis ſolùm incumbit cura noſtri; ſed & proximi: ſicut primùm amor noſtri, tum & proximi.

Et hoc placitum receptum in Dei Schola, illi verò contrarium in ſchola diaboli. Hujus primus diſcipulus fuit Cain, cujus invidia & livore terra erubuit fraterno, *Abelis* Sanguine, & vocem dedit, vocemque Sanguinis, quæ etiam in cœlos evaſit Deumq; excivit in terras, & in hæc ipſa ad Caïnum

Gen. c. 4. v. 10. verba. *Quid feciſti? ubi eſt frater tuus?* ad quem ille. *Neſcio, num cuſtos fratris mei ſum ego?* quaſi diceret de illo nihil ad me? nulla illius mihi eſt cura, cuſtodia omninò nulla. Ecce quæ didicit in cacodæmonis ſchola primus in ea diſcipulus, in qua & ſecundi ab illo diſcipuli fuerunt Scribæ & Phariſæi, & Judæorum Sacerdotes, atque Pontifices, ad quos cùm recurriſſet Judas proditor, facti pœnitens, & remedium tanti mali quæritans, dixiſſetque: *Peccavi*

Matth. c. 27 v. 4. *tradens ſanguinem juſtum.* Nihil aliud ab illis audiit, quàm frigidum illud: *Quid ad nos, tu videris?* dixiſſe dubuerant. *Peccaſti?* pœnitere, factum revoca, & quà licet inſta, urge, effice, ne ultra tradatur fundaturque ſanguis juſtus: ſed ab illis horum nihil accepit.

Quæ cauſa? non alia quàm quia erant ex magiſtro imò & Patre diabolo: uti apertè notavit Chri-

Joan. c. 8. v. 44. ſtus, cùm ſic ad illos: *Vos ex Patre diabolo eſtis.*

Non ſic, non ſic qui in Dei ſchola, in Chriſti Magiſterio; in hoc enim, & illa non prælegitur alia lectio, quàm mutuæ charitatis & fraternæ corre-

Proverb. c. 13. v. 24. ptionis. *Qui diligit inſtanter erudit*, inſtanter & fratrem in ſe Deumque peccantem corripit, ſicque præcepto illi facit ſatis: ſed attendamus quæ ſint illius circumſtantiæ: eæ expreſſæ ſunt vel ipſo Chriſti ad nos oraculo, has inter.

I. Circũſtantia *vade*. Prima eſt, *vade*, niſi enim ieris, ad te non veniet. Quæ ratio? Alia eſt atque alia: qui in fratrẽ Deumque peccat, *Ovis* eſt errabunda, ea quæri debet à paſtore, niſi quæratur ad eum redibit nunquam, ſed per avia atque invia vagabunda errabit, & tandem feris præda fiet.

Talis erat David, ovis erat vaga, atque errans, nec ad ſe rediiſſet, nec ad Deum, niſi ad eum iviſſet Propheta Nathan: cujus infirmitatis conſcius, ipſe ſic ad Deum ſupplex:

Pſal. 118. *Erravi ſicut ovis quæ periit, quære ſervum tuum.*

Quæſivit enimverò Deus per ſervum ſuum Nathan, quæſivit, atque ad Deum, ſeu Paſtorem per pœnitentiam reduxit: cujus beneficii probè memor David Pſalmo ſuo pœnitentiali hunc titulum præfecit.

Pſal. 50. *Pſalmus David quando ivit ad eum Propheta Nathan*: & hæc prima ratio, quæ ducitur à ſimili ovis errabundæ.

Altera quæ petitur ab ægro, eoque letargico, qui lethali ſomno indormiit: niſi ad eum vadat medicus, nunquàm ad eum ibit ipſe, nunquam à ſomno excitabitur, ſed mortem ſomno junget: Ne porro jungat, neceſſum eſt ut ad eum vadat medicus, excitetque, vel certè excitari curet ab alio, puta amico, puta filio: quod eleganter oſtendit D. Auguſtinus.

Patrem, inquit, *ſomnus maximus premit, qui & noxius eſt, dulcis eſt: Filius autem ejus admonitus à medico, ſtat ſollicitus Patri, moleſtus pulſat, & ſi pulſatio ejus*

Lib. de Utilitate jejunii. *vincitur, vellicat; & ſi vellicatio nihil agit, pungit. Certè moleſtus eſt Patri, & eſſet impius, niſi moleſtus eſſet. At ille quem delectat mori, moleſtum ſibi triſti aſpectu, & voce reverberat: Quieſce, quid mihi moleſtus es? ſed medicus, inquit, ait, quia ſi dormieris, morieris? At ille dimitte me, mori volo. Senex dixit mori volo, & puer impius eſt, ſi non dicat, ego nolo.*

Quod ægro illi, hoc & peccatori uſu venit: ille letargicus eſt corpore; hic animò: hunc niſi moveas, corrigas, pulſes, vellices, pungas, morietur, ideoque quod Patri filius hoc & tu Patri, qui à peccato, ſeu letali ſomno opprimitur.

Vade igitur & *corripe*, & hoc ſecundum eſt, ad quod & naturæ teneris & charitatis præcepto. II. Corripe.

Dic enim, ut à corpore tranſeamus ad animum, atque ab illius nævo, ad hujus maculas, occurrit tibi amicus, aut frater veſte indecora, & maculata, & mones, ne ſic prodeat in publicum.

Obviam venit alius ex equo jam jam deciduus, & manum ſupponis ne cadat, ac cervicem ſibi frangat. Quod veſti, quod capiti, quod illius cervici præſtas officii, hoc & animæ fratris tui.

Quod corpori veſtis, hoc & animo virtus eſt, aut vitium: vides in eo vitium, ceu veſtem ſordidam, & fœdam, nec mones, nec corripis, nec urges ut eam deponat.

Spectas alium peccati veneno, ceu aranea inficiendum, nec verbulo excutis.

Intueris quempiam ex equo gratiæ, quo portabatur deciduum, nec manu excipis, nec dextra ſublevas, & levas à terra.

Proſpicis unum alium mox iturum in præceps, nec manum porrigis: certè & huic & illis injurius es, immitis, barbarus, impius, & cœlo teſte, Deoque judice reus, & ne ſola verbis ſit fides, D. Chryſoſtomum audi oratorem aureum, ſic ille quondam è pulpito.

Hom. de diff. ferendis reprehenſ. *Si quem videmus veſte breviori vel alioquin indecenter veſtitum, admonemus, & emendamus. Verùm videntes vitam ejus diſſolutam, nec verbum quidem proferimus, videntes mores ejus nefarios, præterimus, tametſi ridicula ſint quæ ad veſtes pertinent, periculoſa autem & damnoſa quæ ad animam.*

Hæc ubi protulit S. Præſul, tum orationem ad eum, qui ejuſmodi eſt, convertit, & ſic ad illum.

Dic obſecro, nonne cùm videt fratrem per præceps ferri manum porrigis? Nonne à lapſu erigis? Nonne reprehendis, & arguis? Et in his majoris facis non offendere, & non haberi pro inimico, quàm ſalutis ejus curam habere? & quam habiturus es apud Deum veniam, vel quam defenſionem?

Profectò

Profectò nullam omninò, ut qui pluris facis veſtem, quàm animam? non faceres ſanè, ſi hujus pretium præ illa expenderes.

Exod. c. 23. v. 4. Iſraëli dilecto Dei populo hæc olim data lex à Domino. *Si occurreris bovi inimici tui, aut aſino erranti, reduc ad eum. Si videris aſinum odientis te jacere ſub onere, non pertranſibis: ſed ſublevabis cum eo.*

Et hæc in ea lege, quæ timoris fuit, non amoris, in qua ſingula æqua lance expende.

Bos eſt, aut aſinus, vile profectò jumentum, & quidem inimici & odientis te, errat hic, errat & ille, & juberis ad eum reducere: fatiſcit ſub onere aſinus (quo nihil ferè abjectius) & tamen juberis levare.

Quid antiqua lex, quæ ſervorum erat, ad novam, quæ filiorum? Quid bos aut aſinus ad hominem, qui tibi & natura & gratia frater eſt? quid ſpiritualis, quid immortalis anima cœlo nata ad vile jumentum? certè aut parum aut nihil, & tamen hujus tibi cura Deo judice demandatur: quantò magis & illius, cujus nullum eſt pretium niſi Dei hominis ſanguis, & Deus ipſe. Quod cùm probè norit qui Chriſtianus eſt, mirum ſanè atque deplorandum, quod animæ fratris tam parva ſit cura, laborque, ne pereat.

Ne porrò pereat, tuâ inertiâ atque incuriâ, excipe quæ D. Chryſoſtomus de hac ipſa Dei lege.

Nonne audiſti quod Deus Iudæis præcepit, nempe ne errantia inimicorum jumenta deſpiciant, & lapſa ne prætereant? Quod cum Iudæis præceptum, ne inimicorum bruta contemnant, nôsne fratrum animos, qui quotidie ſupplantantur, deſpiciemus? Et quomodo non eſt ſumma inhumanitas, & ferina crudelitas, nos non tantum curæ hominibus impendere, quantum alii jumentis.

Hæc ubi dixit non ſine probro & rubore generis noſtri, tum adjicit, *Et hoc eſt, quod vitam noſtram confundit, hoc eſt, quod omnem ordinem ſubvertit:* naturæ ſcilicet & gratiæ.

Joſephus Ægypti prorex & ſalus, cùm immenſam propè frumenti copiam collegiſſet in horrea, & fame extremâ jam laborarent Ægyptii, hæc ad illum: *Cur moriemur te vidente?* enimverò non moriemur, nec enim is es qui morientes feras, cùm vitæ ſervare poſſis. Gen. c. 47. v. 19.

Quod Joſepho Ægyptii, hoc tibi, Chriſtiane, eſt frater. Cadit ille, & non concidit mortuus à peccato, quod ex vero mors eſt, tibique dicit in aurem: *Cur moriemur te vidente?* certè non moriemur: ſi enim is es, qui eſſe debes Chriſtianus, à morte eximes & peccato, quod mors eſt animæ; eximes autem, & gratiæ reddes, quæ illi vita eſt: & hoc, corripiendo tantùm atque increpando dum licet, & illud quidem, *inter te, & ipſum ſolum.* Et hæc poſtrema illius præcepti circumſtantia, quâ cavetur ut fratris bono ita conſulas, ut tamen etiam honori & famæ; ideoque correptio, qualis qualis fuerit, fiat *inter te & ipſum ſolum*; hoc eſt occultè, & in ſecreto, ſine ſtrepitu, *ſtudens correptioni, & parcens pudori*, inquiebat D. Auguſtinus: *ſi feceris, fortè præ verecundia incipiet defendere peccatum ſuum, & quem vis facere correctiorem, facies pejorem.*

III. Inter te & ipſum ſolum.

Serm. 16. de verbis Dom.

Ne verò feceris, exemplo tibi erit Patriarcha Joſeph: ad illum venerant ejus fratres, inſcii tamen fratrem eſſe, quem per ſummum ſcelus vendiderant: poſt multa ultrò citróque dicta, factáve, tandem prodere ſe ſtatuit Joſeph, ut & fratrem agnoſcerent, & venditioni infandæ ſcelus, non ſine pudore, & pœnitudine.

Sed qui fiet iſtud? jubet exceſſe Ægyptios omnes, & quotquot aderant præſentes, ut ſolus cum ſolis eſſet, nullo teſte, arbitro nullo, judice nullo.

Præcepit ut egrederentur cuncti foras, ut nullus eſſet alienus agnitioni mutuæ: tum ſic ad illos. *Ego ſum Joſeph.* Gen. c. 45. v. 1. 3.

Hîc omnes invaſit ſtupor, invaſit & terror, ingenſque metus. Quem ita deterſit Joſeph, ut tamen & corriperet ipſe, & facti pœnitudinem induceret: ſic enim apertiùs: *Ego ſum Joſeph frater veſter, quem vendidiſtis in Ægyptum.* verſ. 5.

Ecce ſcelus objicit, ecce blandè corripit, corripit tamen; tum admiſſum crimen elevat, elevat & timorem: *Nolite pavere*, inquit, *neque vobis durum eſſe videatur, quod vendidiſtis me in his regionibus; pro ſalute enim veſtra miſit me Deus ante vos in Ægyptum.* verſ. 5.

Habes, Amice Lector, in hac correptione, & ſecretum, ut fratrum honori conſulat, conſulat & pudori, & ſimul etiam amori ac compaſſioni, dum ſe à Deo præmiſſum ait in Ægyptum, pro eorum bono & ſalute. Atque ita eorum crimen ob oculos ponit, ut tamen non exaggeret illud, nec aggravet; ſed qua licet imminuat.

Quod & faciendum ei, qui fratrem accuſat & corripit, ut emendet.

QUÆSTIO TERTIA
LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Si te audierit, lucratus es fratrem tuum.* verſ. 15.

QVANTVM LVCRVM SIT FRATRIS, vel unius tantum?

Lucratus es, inquit Chriſtus, & quidem dupliciter.

Primùm Cœlo Deoque; qui enim erat reus gehennæ, & Satanæ mancipium à peccato factus, jam in libertatem, quæ eſt filiorum Dei, aſciviſti; jam ex inferno cui imminebat, eripuiſti: quod ingens eſt lucrum, & bonum; lucrum dico unius animæ, & bonum gratiæ, quod, D. Thoma judice, *majus eſt bono totius univerſi.* Quomodo lucratus?

Deinde lucratus es tibi, quia eo correptionis beneficio eum tibi obſtrinxiſti, & debitorem feciſti; imò & tibi etiam feciſti benè, quia & tibi ſalutem acquiſiſti: ut enim D. Chryſoſtomus: *Per ſalutem alterius, nobis quoque acquiritur ſalus*; quod ſanè immenſum & bonum eſt lucrum. Animæ quantum lucrum?

Amice Lector, quod animæ ſalutem, tuam ſalutem dixero, tuum & lucrum, ſic enim appellandum cenſuerunt DD. Patres; Chryſoſtomus, ſalutem tuam dixit; D. Hieronymus, lucrum tuum: *Aliorum ſalutem facit lucrum animæ ſuæ.* Epiſt. 13.

Amplius dico, facit & lucrum Chriſti: *Gaude ad lucra Chriſti*, inquiebat Ferrandus Diaconus ad eum, qui animam lucratus eſſet: quid majus dici, aut excogitari poteſt? quid pretioſius? certè in hoc orbe aſpectabili omninò nihil. Quid enim eſt anima? Quid ſit anima?

Anima D. Bernardo, *theſaurus eſt*; & quidem auro, argento, gemmis & unionibus pretioſior, & hunc tuum facis, hunc lucraris, hunc capis vel leviuſcula Serm. 3. de 3. Advent.

vinſcula correptione fratris tui: hnne enim,

Serm. 28. *Et vitalis eſcæ jactu, & hamo cœleſtis verbi de mortis gurgite ad lucem tollis ſempiternam*, ut aureè D. Chryſologus.

O fortunatum vitalis eſcæ jactum! ô fœlicem hamum cœleſtis verbi, ô tibi fortunatum & fœlicem! ô fortunatum & fœlicem fratri tuo!

Dic enim amabò te, ſi vel unico jactu retis ex imo
I. Theſaurus. maris educere poſſes aurum, quod aliquando eò merſum, ſi gemmas omnes, ſi uniones; quanti tibi eſſet ille jactus?

Tanti, inquies, qnanti aurum omne, quanti & gemmæ, & uniones: at quanti illæ ad immortalem animam Dei capacem ac beatitatis? Non tanti quanti granum arenæ ad aurum, uniones & gemmas.

Dico amplius: Quid, ſi vel uno retia jactu ſceptra, coronas, diademata, Regna, Imperia in ſinum, quaſi tuum importare poſſes, quanti illnm æſtimares? Certè tanti quanti iſta omnia; at quid hæc ad animam vitæ redditam & gratiæ, redditam & cœleſti Regno? profectò, aut parum, aut omninò nihil; nec tantum quantum terra ad Cœlum, quantum pulvis & lutum ad gemmas.

II. Imago Dei. Sed rurſus, quid eſt anima? Excipe ex D. Leone Pont. Max. eſt Imago Dei, & ſpeculum Divinitatis.

Serm. 1. de Jejunio. *Si creationis noſtræ*, inquit, *intelligimus exordium, invenietmus hominem ideò ad imaginem Dei conditum, ut imitator ſui eſſet authoris; & hanc eſſe naturalem noſtri generis dignitatem, ſi in nobis quodam ſpeculo Divinæ benignitatis forma reſplendeat.*

III. Speculum. Si ergo anima eſt Imago Dei, & ſpeculum Divinitatis, etiam ſpectata ſecundùm naturam, quæ erit conſiderata ſecundùm gratiam? Sanè quantum intereſt inter naturam & gratiam, tantum neceſſe eſt intereſſe inter animam ornatam gratiâ, & eandem naturæ ſuæ relictam: & illam tibi Deoque lucraris, dum peccantem in te corripis, etiam in ſecreto conclavi, & ſine arbitro.

Actor. c. 17. v. 29. Sed iterum, quid eſt anima? Apoſtolum audi, dicet ille tibi: *Genus eſt Dei*, in quo proinde divinum quid ineſſe neceſſe: quod ſi *Genus Dei*, quo apud te
IV. Genus Dei. in pretio? omninò eodem quo Dei Genus.

In terris apud puſillos mortales, qui ea ferè tantùm quæ oculis patent, ſummi faciunt, ſummum & eſſe è regio genere, èque ſanguine regio.

At quantum illud? quantum fortunæ ludus, quantum equo & jumento ſunt phaleræ. Sit quis è regio ſanguine, ſit è proſapia Cræſi aut Iri, ad animam nihil intereſt: eſt enim & hujus & illius anima ejuſdem ordinis & perfectionis, & dignitatis.

Sed ulterius elabor, quæroque ecquid ſit anima? ecquo pretio? eodem quo Dei hominis ſanguis,
V. Pretium Sanguinis Chriſti. quo & vita. *Empti eſtis pretio magno*, aiebat Apoſtolus: at quod illud? Chriſti ſanguis & vita, quæ valoris ac pretii infiniti, & propè tanti, quanti Deus ipſe.

Quid dici amplius, quid excogitari poteſt? omninò nihil. Et hoc pretium eſt, quod ſanctiſſimis quibuſque ſtupôri fuit, fuit & amori, & curæ longè maximæ, ne aliquo ſuo vitio, aut incuriâ periret.

Bernardum audi pro eo pretio ſibi, uti aiebat,
Serm. 3. de duplici adventu. depoſito mirè anxium: *Si ſtillantem*, inquit, *in Cruce Domini Sanguinem collegiſſem, eſſetque repoſitus penes me in vaſe vitreo, quod & portari ſæpius oporteret, quid animi habiturus eſſem in diſcrimine tanto?*

Et certè ad ſervandum accepi, pro quo mercator non inſipiens, ipſa utique ſapientia, ſanguinem illum dedit; ſed & habeo theſaurum illum; in vaſis fictilibus multò plura, quàm vitreis imminere pericula videantur.

Hæc S. Præſul, ex quo iſta fuſiùs expendi velim.

Primùm quidem quod Chriſtus ſit *Mercator* ſapiens, & peritus in paucis, qui norit omnibus pretia ponere.

Secundò, quod Sanguinem dederit, ut pretium animæ, ex quo conſequens eſt, quod animam tanti æſtimârit, quanti ſuum Sanguinem, quanti & vitam.

Tertiò, quod anima ſit veluti theſaurus, & quidem in corpore, velut in vaſe vitreo repoſitus, adeoque obnoxius diſcrimini magno, & periculis mille, quæ dum attendit ille ipſe Præſul, non ſine ſacro & timore & horrore exclamat:

Quid ergo infelix? quò me vertam, ſi tantum theſaurum, ſi pretioſum depoſitum iſtud, quod ſibi Chriſtus Sanguine proprio pretioſius judicavit, contigerit negligentiùs cuſtodire.

Quod ſibi D. Bernardus, hæc & tibi quiſquis frater fratrem in te peccantem vides: theſauros eſt illius anima, depoſitum eſt pretioſum, & quidem tibi depoſitum, atque ejuſmodi quod Chriſtus Sanguine proprio pretioſius judicavit.

Vide cujus culpæ ſis reus, ſi theſaurus ille, ſi depoſitum illud tuâ incuriâ tuoque vitio pereat; peribit autem, niſi corripiendo ſervaveris.

Ut autem ſerves, exigunt omninò multa, & quidem potiſſimum iſtud, quod ſit quaſi Chriſti Sanguis in vaſe vitreo collectus, adeoque omni curâ ſervandus, ne effundi contingat.

Qui D. Bernardo ad ſervandas animas ſtimulus fuit, idem *Petro Gonzales* ad quærendas, ſi fortè à ſalute, Deoque aberraſſent: Videbatur enim ſibi ſparſas olim à Chriſto Sanguinis guttas colligere, & venis illius, corporique reſtituere, invento non minus ingenioſo, quàm pio: cùm enim ſanguineo illo rore, imò flumine ac torrente, emptæ ſint hominum animæ, profectò qui eas colligit, & Sanguinem ut colligat eſt neceſſe, cùm earum pretium colligat.

Et hoc eſt pretium, hoc pondus animæ, quod Religioſos Viros in campum & pulverem educit, quod per longos viarum anfractus, per maria, & timendos æſtus in exteros orbes importat, ut animas Cœlo colligant, Deoque reddant; dumque reddunt lucrentur Chriſto, lucrentur & ſibi.

Sibi dico, quia ut ante inſinuavi ex D. Chryſoſtomo, *Per ſalutem alterius, nobis acquiritur ſalus.*

Exemplo res fiet illuſtrior. Abbati in extremis Baronius An. 716.
agenti fortè adfuit S. Bonifacius, viditque dæmones facto velut agmine in ægrum irruere, tentareque adverſa omnia, imò & audiit exclamare: *Noſter eſt hic Abbas, noſter eſt.*

Ad has voces, inconditoſque clamores, & tartarea ſpectra ſtupere omnes, horrere, ingemiſcere, & morienti malè timere; cùm ecce illicò, & ſtuporem & horrorem, & metum excuſſit bonus Angelus, & cuſtos Abbatis moribundi, quem comitabatur è Cœlo delapſa Beatarum Animarum turba, eaque adeò numeroſa, ut juſtum dixiſſes exercitum; & verò juſtus erat: cenſebat enim octo animarum millia, quas S. Abbas, quà correptione, quà piis officiis, quà etiam precibus Cœlo intulerat; beneficio ſanè ſingulari, cujus omninò memores Beatitati jam donatæ, è Cœli Regia in morientis cellulam venerant, ut illius ceu Parentis, ceu Salvatoris optimi animam è corpore educerent in ſinum Dei & beatæ æternitatis, in qua & vitam & ſalutem inveniret ſempiternam; adeò verum illud, Quod per ſalutem alterius, nobis acquiratur ſalus.

QUÆ-

QUÆSTIO QUARTA
LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos teſtes, quod ſi non audierit eos, dic Eccleſiæ.* verſ. 16. 17.

QVIS HIC ORDO CORREPTIONIS FRATERNÆ? Quando ſervandus, & quando non?

Correptionis gradus.

TRES ſunt veluti gradus correptionis fraternæ: Primus eſt ſecreta correptio, ſine teſte, ſine arbitro, & hic exprimitur hiſce verbis: *Corripe eum inter te & ipſum ſolum.* Secundus, correptio coram uno vel duobus teſtibus. Tertius, denuntiatio: *Dic Eccleſiæ*: quid autem hic ſit Eccleſiæ, controverſum eſt

S. Hieronymus & S. Anſelmus & S. Gregorius intelligunt fidelium cœtum ac multitudinem, quæ conſtituit Eccleſiam, ut ſcilicet coram ea arguatur, & pudefiat atque emendetur.

Hanc interpretationem avidè arripiunt Novatores, ut democraticum, & populare regimen ſtabiliant, itaque populo blandiantur: unde Caſtalion, pro, *Dic Eccleſiæ*, vertit, *Dic Reipublicæ*; profanè magis, quàm verè & piè. Alii, *Dic Communitati*: in idem incidit, & abuſibus eſt obnoxium.

Unde verius & planius D. Chryſoſtomus, Theophilactus, Euthymius, aliique Interpretes paſſim explicant. *Dic Eccleſiæ*, id eſt Paſtoribus & Prælatis, qui Eccleſiam repræſentant, & quorum eſt ſubditos arguere, & ſi rebelles ſint ac pervicaces punire, & cogere etiam per excommunicationem, ut habeantur & ſint ſibi tanquam *ethnicus & publicanus*: hoc eſt, ab Eccleſia ceu corpore reſciſſus, veluti membrum putridum, & toti corpori noxium.

Et hic ordo eſt, hi gradus correptionis fraternæ, quem quia diviniore Chriſti oraculo accepimus, nec excutere eſt noſtrum, multóque minus invertere, & evertere quod illicitum atque impium eſſet.

Hoc licitum & pium, canones ſervare, ut in fraterna correptione aberret nemo, nemo & peccet, quod fiet ſi ſpectetur provectus, iſque alius atq; alius.

Primus eſt bonum publicum v. g. Reipublicæ, aut communitatis, quod præponderat bono privato.

Secundus bonum animæ, & ſalutis proximi, quod præponendum bono famæ ejuſdem.

Tertius bono famæ proximi ſemper eſſe conſulendum, ſalvo tamen communi, & ſalutis proximi: ſed quid ſi Paſtores ipſi, Prælati ipſi peccent, ad quem deferendi, à quo judicandi, à quo & damnandi, & puniendi? ex uſurpata hactenus Eccleſiæ praxi, reſponſio ponetur in aperto.

Si Paſtores fuerint inferioris notæ, atque ſubſellii, ad Epiſcopos: ſi Epiſcopi, ad Summum Pontificem Chriſti in terris Vicarium: ſed quid ſi (quod Deus avertat) ipſe Summus Pontifex.

Quæſt. 108.

Abulenſis hic, Panormitanus, Gerſon, Almainus, aliique, ad Eccleſiam, id eſt ad Concilium generale, qui etiam ex hac ſententia in Concilio Baſileenſi de Papatu depoſitum volunt Eugenium hujus nominis IV.

Eugenius IV. Pont. deponitur.

Verùm ex hoc facto nullum illi opinioni præſidium, nulla authoritas peti poteſt, quia hoc veluti temerarium & penitus illicitum damnavit, reprobavit, retractavitque Concilium Florentinum, & uſus ipſe praxiſque confirmavit poſt lapſum miſerabilem S. Marcellini ſummi Pontificis. Cùm enim Sinuenſe coactum eſſet Concilium centum octoginta Epiſcoporum, eique ſeſe ſponte ſua motuque proprio ſtitiſſet S. Marcellinus tum pœnitens, acclamatum eſt ab univerſo Concilio.

Tuo te ore, non noſtro judicio, judica, nam prima ſedes à nemine judicatur: Ita teſtis eſt S. Damaſus, & Platina in ejus vita, & habetur diſt. 21. canone. 7. *nunc autem.*

Ratio eſt, quia Papa nullum habet in terris ſuperiorem, ne Concilium quidem Generale, & quia caput eſt Eccleſiæ: cujus ratio ulterior hæc eſt quòd Papa authoritatem omnem, poteſtatemque ſuam non accipiat ab Eccleſia, ſed immediatè à Chriſto, ex quo conſequens eſt quod nec judicari nec damnari nec deponi poſſit ab ullo, ne quidem à Côcilio Generali: moneri poteſt, urgerique poteſt ut errorem deponat, & declarari excidiſſe Pontificatu, ſi, quod abſit, in publicam hæreſim incidiſſet; Ideoque ipſo facto deſineret eſſe Pontifex; imò & fidelis & Chriſtianus. Et hæc de ordine correptionis, ejuſque gradibus: veniamus ad ſecundũ caput quæſtionis initio propoſitæ, videlicet quando ſervandus, & quando non? non enim ſervandus certis caſibus, è quibus

Pont. an poſſit deponi.

Primus eſt, quando peccatum eſt publicum; tum enim per ſecretam monitionem famæ peccantis conſuli non poteſt, multoque minus ſcandalo publico, quod peccans peccando dedit.

Ordo correptionis non eſt ſervandus certis caſibus.

Secundus eſt, cùm peccatum tertiæ perſonæ, aut etiam Reipublicæ noxium eſt, uti eſt hæreſis, quæ ut cancer ſerpit, ideoque & citò, & ſumma vi recidi debet.

Tertius eſt ſi conſtiterit monitionem ſecretam, aut etiam coram teſtibus non profuturam; ut enim ait Adrianus, *Fruſtra niti, & nihil aliud laborando, quàm odium quærere, extremæ dementiæ eſt.*

Quartus eſt, ſi correptus cedat juri ſuo, ſuæque famæ, contentuſque ſit ut peccatum ſuum illicò deferatur ad ſuperiorem, uti fit in ſocietate JESU, in cujus primo aditu, primóque examine, à Novitio quæritur an ita cedat juri, quod habet ad famam ſuam, ut contentus ſit ad ſuperiorem ſtatim deferri, quodcumque fuerit peccatum ſuum, & reſpondet omninò paratum eſſe.

Neque mihi dixeris ei fieri injuriam, ejuſque famæ. Nec enim fit: Volenti non fit injuria, ut habet trita parœmia: neque etiam famæ, cùm ea ceſſio fit in bonum cedentis, bonumque totius ordinis. Plura qui volet, conſulat Suarez Tomo 4. de Religione capite 7. & Leſſium de Juſtitia & Jure.

QUÆSTIO QVINTA
MORALIS.

Ad illa verba: *Si peccaverit frater tuus corripe eum.* verſ. 15.

OMISSIO CORRECTIONIS, QVAM NOXIA SIT tum peccanti, tum omittenti, tum etiam publico?

NOXIAM oſtendent ſcita SS. Patrum, qui eam omiſſionem alio atque alio nomine ceu ſtigmate notant.

S. Hilarius *Adulans ſilentium* vocat, atque acriore orationis genere, ceu ſtylo pungit.

Memini, inquit, ab Ezechiele dictum *Epiſcopos reos ſanguinis futuros, quorum adulanti ſilentio plures in interitum incidiſſent:* Ecce ut noxia peccanti, noxia & omittenti eſt, quia & hujus & illius eſt interitus, & quidem ſempiternus: quòd & advertit D. Augu-
In Pſal. 138. ſtinus, qui eam diſſimulationem appellat *Impiam patientiam*: ſic enim de illa. Tua patientia mors eſt, mors & illi, quem corrigi oportuit; mors & tibi, qui corrigere debuiſti.

Serm. 16. de verbis Dom. Eâdem appellatione uſus S. Leo Pont. Max. imò & acriore, dum indigitat *Peſtiferam patientiam*: ſic enim ad Sacerdotes & laxatiores Myſtas, quibus potiſſimùm incumbit id oneris.

Abjicienda prorſus peſtifera hæc ſacerdotali vigore
Epiſt. 76. *patientia eſt, quæ ſibimet, peccatis aliorum parcendo, non parcit.*

Quod ipſum in alia Epiſtola confirmat & repetit, utrique peſtilentiam eſſe in publico graſſantem, non alio vitio, quàm incuriâ, deſidiâque rectorum: ſic enim ad illos.

Epiſt. 86. *Inferiorum ordinum culpa ad nullos magis referenda ſunt, quam ad deſides negligenteſq; Rectores, qui multum ſæpe nutriunt peſtilentiam, dum auſteriorem diſſimulant adhibere medicinam.*

Hæc Magnus S. Præſul zelo diviniore plenus, qui eam in corrigendo negligentiam appellat *Peſtilentiam*, quâ nihil publico gravius accidere ſolet: ut enim graſſatur peſtilentia, atque in omnes ordines nullo diſcrimine ſævit, ſic & ea remiſſio in fraterna correctione: cujus probè conſcius Gennadius Epiſcopus, cùm Clerum haberet inſolentiorem, qui & monita ſui Antiſtitis ridebat, & in omni genere laſcivitæ volutabatur, & remedia humana incaſſum eſſent adhibita, ad divina confugit.

Templo illi præerat S. Eleutherius Martyr, ad hunc ardore plenus, pleni & fiduciâ, ad illum litteras ſcripſit in hunc modum.

Sancte Martyr Dei Eleuth.:, Clericus tuus incompoſitam vitam agit; quapropter aut tibi ille corrigendus, aut tu ab Eccleſia rejiciendus es.

Liberæ voces, audaces litteræ, quæ tamen non prius in terris ſcriptæ, quàm in Cœlis receptæ, atque à vindice Deo exauditæ: nam & derepentè Clericus ille mortuus concidit, & poſteris exemplo fuit, ut & Antiſtites ſuos benè monentes audire, & Divos diſcerent revereri.

Sed, inquies, at aliorum correptio difficilis eſt, & plerumque etiam odioſa: non abnuo. Quid facias? *Ea eſt peculiaris hominum affectio, atque morbus,* uti annotat S. Gregorius Nyſſenus; non tamen ideò *De Caſtig.*
omittenda; ſed adhibenda quædam moderatio in eo poſita, ut in corrigendo primæ partes dentur clementiæ, lenitati, humanitati; ſecundæ ſeveritati, & timori: & has & illas jungi voluit Iſidorus Peluſiota, dum Præſules monitioni ſuæ voluit *metum ad-* *Lib. 2. Epiſt.*
jungere, & lenitatem aſpergere, atque ex metu & bonitate laudabilem temperationem facere: quod ut faciat, meminiſſe debet ſe ſubditorum ſuorum non tam ſeverum Patrem, quàm blandam eſſe Matrem; nec tam Dominum, quàm Paſtorem.

Audiant prælati, qui ſibi commiſſis ſemper eſſe volunt formidini, utilitati rarò: audiant, inquam, & diſcant D. Bernardi, ſuaviſſimi Doctoris, eloquentiâ lacteâ, ſic olim ad illos:

Suſpendite verbera, producite ubera, pectora lacte pinguiſcant, non typhone turgeant.

Sed & objiciet aliquis, negotium mihi eſt cum duro atque pervicaci ingenio: ita ſit, affectio eſt, morbus eſt animi; ſed & morbi vim furioſam atque violentiam olei effuſione mitiga; uti monebat S. Martyr Ignatius in Epiſtola ad Polycarpum. *Epiſt. 8.*

Quod ſi ſic mitigare non poſſis, per me licet, compone vultum ad ſeveritatem, attolle vocem, acriùſque inſiſte, quò plus habeat ponderis correctio, & obdurata in vitio mens commoveatur; ſed & in hoc modum tene, quem præſcribit Auguſtinus his verbis.

Foris terribiliter perſonet increpatio, intus lenitatis *Serm. 18. de verbis Dom.*
teneatur dilectio.

Et ita quidem ſonet, ita, & ſi velis, tonet increpatio; *Ut faciat vitiorum odium, & pretium virtutum,* *Seneca lib. de ira c. 5.*
ut eleganter & nervosè Sapiens Koo:anus.

FERIA

FERIA QVARTA
HEBDOMADÆ TERTIÆ QUADRAGESIMÆ.

EXPEDITUR ſolemnis ad CHRISTUM legatio Scribarum ac Phariſæorum. Qui enim potius? erant & hi & illi Hieroſolymis velut in Fidei matrice, & religionis arce, ſibique attogabant cenſuram, & novorum Doctorum (qualis erat CHRISTUS) & doctrinæ novæ, quam Iudæis proponebat, confirmabatque in ſumma miraculorum luce: & hæc & illa perſtringebat oculos & animos Scribarum & Phariſæorum; Scribarum quidem, qui venditabant ſibi legis ſcientiam planè ſingularem: Phariſæorum autem, qui profitebantur eximiam quandam vitæ ſanctitatem, & rigidiorem externæ obſervantiam.

Ab hæc & illa tumidi, atque inflati, hanc Servatori quàm optimo movent quæſtionem: *Quare Diſcipuli tui tranſgrediuntur traditionem ſeniorum? non enim lavant manus ſuas, cum panem manducant.*

Ad hæc reſpondet Magiſter Optimus CHRISTUS, argumento, ut dicimus ad hominem, & ait: *Quare & vos tranſgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram?* Si ſcelus ducitis, tranſgredi traditionem hominum, quantò majus erat contraire mandatis Dei, eáque auſu temerario, atque impio tranſgredi, uti & vos facitis. *Matth. c. 15. v. 1.*

Deinde docet lotiones illas externas atque traditiones frivolas eſſe, & omnis boni vacuas, nec evadere ad animas, ideoque nulla ratione anteponendas Legi Dei, atque mandatis, quæ pervadunt ad animos.

Denique contra eos ſtatuit hoc dogma, atque axioma: *Non quod intrat in os coinquinat hominem; ſed quod procedit ex ore,* atque intimo corde, hoc coinquinat hominem. *verſ. 11.*

Et hæc ſumma Evangelii, de qua paucæ nobis erunt inſtituendæ quæſtiones.

QUÆSTIO PRIMA
LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Tunc acceſſerunt ad eum ab Hieroſolymis Scribæ & Phariſæi dicentes: Quare Diſcipuli tui tranſgrediuntur traditionem ſeniorum? Non enim lavant manus ſuas, cùm panem manducant.* Matth. c. 15. verſ. 1. 2.

IUSTANE FUERIT EA EXPOSTULATIO?

Immunditia legalis, unde? UT ea ponatur in aperto, claraque luce, videndum nobis erit, quibus ex rebus in veteri Lege contraheretur immundhia quædam legalis, quam proinde neceſſum erat elui, & qua de cauſa?

A Moyſe Dei nutu, juſſuque debebant Judæi abſtinere à contactu variarum rerum v.g. morticinii, ſive cadaveris mortui, avium rapacium, atque immundarum, uti etiam caro porcina, & ſi quis ea caſu tetigiſſet cenſebatur immundus atque irregularis, ita ut ei non liceret ingredi templum, niſi prius, adhibita lotione in lege præſcripta, legalem hanc immundiam atque irregularitatem purgando expiaſſet. *Lotio unde?*

Cauſa porro hujus divinæ legis ea erat, ut per haſce lotiones externas, adumbraret internas, atque excitaret judæos, utpote dura capita, craſſique genii homines, ad uſurpandas lotiones ſpirituales animæ per contritionem & pœnitentiam. *Ratio Legis.*

Porro Scribæ & Phariſæi, qui volebant cæteris haberi religioſiores, totam ſuam ſanctitatem in exteriori illa lotione conſtituentes, crebrò ante cibum, imo & in ipſa menſa ſeſe lavabant, ut ſi vel inſcii,

vel incogitantes aliquo fortuito caſu immunditiam hanc, atque irregularitatem corporalem contraxiſſent, eam abluerent.

Hac etiam de cauſa, & calices, & paropſides, è quibus bibebant & comedebant, imo & lectulos menſales lavabant, ne ſi fortè hæc vaſa cibos ipſos immundos reddidiſſent, & ipſos quoque ex eis comedentes redderent immundos.

Verùm hæc qualis, qualis lotio, non lege præſcripta, ſed conſuetudine introducta, uſurpataque à Phariſæis potiſſimùm ea in re ſuperſtitioſis.

Fatebor tamen etiam ſine nævo ante cibum & ſub menſam inductum eſſe morem illum, ut crebriùs eluerentur manus ad majorem munditiem, & decorum, atque in eum finem ad nuptias in Cana Galilææ poſitas fuiſſe hydrias ſex aquæ, ad eam purificationem.

Neque credendum eſt Apoſtolos adeo ruſticos fuiſſe, ut pranſuri, vel cœnaturi non abluerent manus: abluerunt enimverò: ſed abſtinuerunt tantum à religioſa illa lotione, verius & Phariſaica, quæ alebat ſuperſtitionem: Phariſæi enim aquam affundebant tribus vicibus: Primò in digitos, dein in manus, denique ad uſque cubitum: Et hinc vocati ſunt *Baptiſtæ*, teſte S. Juſtino, imò ex iis nonnulli, ſingulis diebus in aqua mergebantur, quæ ſanè ſuperſtitioſa eſt vanitas, atque damnanda, uti & illa quæ fuit Heliogaboli Imperatoris, qui ad ſingula fercula lavabat manus, ut teſtatur Lampridius.

Atque ex his facilis eſt reſponſio ad propoſitam initio quæſtionem, fueritne juſta illa Scribarum, atque Phariſæorum expoſtulatio? certè juſta non fuit, cùm illi neque adhæſerit nævus aliquis ſuperſtitionis, neque ruſtica atque incivilis immundities.

Serm. 171. Chryſologum audi pro Domini diſcipulis, contra Phariſæos: *Nemo*, inquit, *cum hæc audit exiſtimet diſcipulos Domini ſub ſpecie contemptus inculta & lutulentis manibus edere, nec menſæ Domini, nec convivii communis ſervare, & colere, honeſtatem, quando illud, neque natura patitur, nec hoſpitalitatis admittit affectio. Qui aquam manibus non offerat mox ad venientis obſequium? quis ad offerentis triſtitiam mox recuſet? præſertim cum Dominus ipſe arguat Simonem invitatus ad menſam:* Luc. c. 7. *Pedibus meis aquam non dediſti: vult itaque fieri, quod ſic exigere perdocetur.*

Quid igitur contra Domini Diſcipulos Phariſæi: excipe aureo ejuſdē Præſulis ſtylo: Sic enim inquit,

Phariſæi non diligentiam corporis in diſcipulis Domini, ſed ſuperſtitionis ſua baptiſmata perquirebant, neſcientes unum baptiſma, quod Dominus non lavandis ſolùm, ſed innovandis animabus, corporibuſq; inveniſſet, quod non corpus ad cultum vitæ, ſed conſcientiam dilueret ad ſalutem.

Hæc ubi protulit de Phariſæorum, deque Domini Baptiſmate, deque hujus & illius diſcrimine, tum ſic orationem convertit ad Phariſæos, qui cùm de foro veniunt, niſi baptiſati fuerint, non manducant, ſervantes baptiſmata calicum, & urceorum, ac æramentorum & lectorum.

Phariſæe, quid te mundum credis, cùm tua omnia ſint tuo polluta convivio? at unde polluta? ſubjicit *in foro*: tu de innocentis ſanguine diſputaſti, de rapienda ſubſtantia pauperis perquiſiſti, perſcrutatus es qualiter libertatem addiceres ſervienti, & cùm interiora tua tanto ſint confecta crimine, quemadmodum te exterior lavare & mundare ſufficiet aqua?

Enimverò non ſufficiet; ſed pergit S. Præſul, venitque ad calices, urceos, æramenta quæ tu Judææ baptiſas, quæ motu, ſenſuque carentia per naturam: ut reatum neſciunt, ita non ſentiunt; & hæc tamen honoras, & te per quem contaminata ſunt omnia, non emundas tuis uſibus, tuis obſequiis; hæc mancipata purificas, & te divinis officiis, divinis myſteriis non purificas mancipatum?

Hæc Ravennenſis Præſul contra Phariſæos, quæ etiam contra Chriſtianos eodem jure, imò & potiori. Ecquid enim, ut teipſe alloquar, ô juvencule, ô juvencela, manus lavas aquâ, non dico elementari; hæc enim non tibi ſatis eſt ut mundulæ, ut mollicu- (Homo omnia ſibi vult eſſe munda præter ſe.) læ, ut delicatulæ ſint manus; ſed ſapone, eoque hiſpanico, ſed herbâ ſaponariâ, expreſſoque ex ea ſucco; ſed lacte, ut candidulæ ſint; ſed aquâ roſaceâ, ut etiam odoriferæ: adeò tibi tuo primis curis atque amoribus ſunt mundæ manus, nec manus tantùm; ſed & collum, ſed & cervix, ſed & facies, & moles corporis univerſa, ſed & induſia ſollicantia, quæ mutas ferè in dies, & vis eſſe quàm mundiſſima, ſed & veſtes in quibus ne minimam feres maculam; neque nævum, eluis illicò ac detergis, ſi quis fortè aſperſus ſit etiam leviſſimus. Quid dico veſtes, ſed & calices, ſed & urceoli ac æramenta, ſed & lectuli, verbo uno ſupellex omnis, ſive ea ſit culinaria ſive aulica, ſive expoſita in abaco vaſa ad uſum, ad pompam, ad luxum, vis eſſe munda, verbo uno omnia vis eſſe munda, præter conſcientiam tuam, præter animam tuam, præter teipſum.

Te enim per quem contaminata ſunt omnia, non emendas, tuis uſibus, tuis obſequiis mancipata purificas, & te divinis officiis, diviniſque miniſteriis fortaſſe mancipatum non purificas.

An non ea cœcitas, an non immanis dementia? enimverò & cœcitas & dementia, & tamen ut ea ſit, hanc & amat & ſequitur noſtra ætas.

Quotuſquiſque enim eſt hoc quo vivimus ævo, qui ea vero dicat: *Lavabo inter innocentes manus meas*; manus dico, id eſt opera, quorum ſymbolum ſunt manus; pauci certè, omninò pauci, è centum, è mille fortè vix unus.

Dic enim ut in teipſe detorqueam quæ S. Chryſologus olim in Phariſæos: Nunquid in foro, in curia de innocentis ſanguine diſputas? nunquid de rapienda ſubſtantia pauperis diſquiris? nunquid perſcrutaris qualiter libertatem addices ſervituti, nunquid & in alia crimina pronus ac præceps irruis, nunquid teipſe & interiora tua omnia fœda libidine impuriſque amoribus inficis & commaculas, & tamen de affuſis à pœnitentia lacrymis, deque ſalutaribus aquis, quibus conſcientiam mundes atque eluas, ne cogitas quidem; nec facis pro animæ tuæ bono ac ſalute, quod Phariſæi pro carne ſua; an non is ſtupor eſt atque inſania? profectò & ſtupor & inſania, quam ſic deplorat D. Auguſtinus, qui olim hæc è pulpito. (Omnia bona præter ſe.)

Sic homines negligunt vitam ſuam, ut nolint habere malum, niſi ipſam. Villam emis? bonam quæris? uxorem vis ducere? bonam eligis: filios tibi vis naſci? bonos optas: caligas locas? non vis malas, & vitam amas malam. Quid te offendit vita tua, quam ſolam vis habere malam, ut inter omnia bona tua, ſola anima tua ſit mala. (Omnia ornata præter ſe.) (Serm. 16. de verbis Dom.)

Hactenus S. Præſul eo quo ſolet ſacratioris eloquentiæ nervo.

Quid facias? hoc pleriſque mortalibus vitium eſt: quæ corporis ſunt enixè curant, quæ autem animæ negligunt; & hæc ſumma calamitas, quæ mundum occupat propè univerſum. In hoc duo hominum genera diſtinguit Apoſtolus. Carnales hi, illi verò ſpirituales; hos inter & illos magnum eſt diſcrimen.

Carnales toti carnalibus rebus incumbunt, carnis ſtudent delitiis, voluptatibus, ornatui, ſanitati, Luxuriæ, divitiis.

Spiritales è contra ſolis ſpiritûs & animæ bonis vacant, conſcientiæ puritati, nitori, ſplendori à virtutibus, meritis Cœlo cumulandis, per jejunia, per corpuſculi afflictationes, per liberales eleemoſynas, per opera bona, quibus Cœlo atque æternitati ingentes acquirunt divitias.

Carnales

Carnales dicunt, valeat corpus, & quidem optimè, veſtiatur ſplendidè, gemmis & auro niteat, cubet molliter in pluma & anſere, natet in delitiis, voluptatibus diffluat, nihil ei negetur quod expetat. Quid interim animæ? nihil ad nos.

Spirituales è contrario aiunt, ſit anima ſana, ſit munda, ſit culta, ſit Angelis amica, ſit Deo proxima: quid interea carni? quid corpori? minima illius ſit cura.

ad Rom. c. 8. v. 9. De his ita quondam Apoſtolus: *Vos autem in carne non eſtis; ſed in ſpiritu:* At quinam illi? an fortè Cœlites? an mortui, qui carnem jam exuerunt? minimè; quinam igitur? Romani, ad quos ſcribit: *Nunquid Apoſtolus alloquitur eos, qui jam carnis depoſuerant pondus?* nequaquam, inquit. Divus Auguſtinus; ſed eos qui inter Romanos juſti, qui ſpirituales erant.

Hi certè in carne non erant, ſed in ſpiritu; quia carnalia non quærebant, non amabant; ſed ſpiritualia, adeoque erant in ſpiritu: anima enim magis eſt ubi amat, quàm ubi animat; ſic & juſtus omnis dicitur & eſt *in ſpiritu*, adeóque nec mundi, nec boni, nec ornati.

Quid agas? hæc eſt plerumque mortalium noxa, hæ curæ præpoſteræ, quæ faciunt, ut apud ſe ornata ferè velint omnia, præter ſe, præter animam, cujus veſtis, & pulchritudo, & ornatus omnis eſt virtus.

Refert D. Chryſoſtomus lepidum cujuſdam Philoſophi factum: Hic ſubingreſſus domum hominis opulenti & prædivitis, advertit eam elaboratam probè, aulas & conclavia omnia tapetibus veſtita, ornataque abacis, vaſis argenteis, aureiſque mirè divitiis ac ſplendentia, imò & ipſum pavimentum polito nitens marmore, & ſubinde etiam aulæis Attalicis inſtratum, laquearia omnia auro Cyanoque nitentia, quæ omnia curioſo oculo dum luſtrat, fortè expuere appetens, atque ad ædium illarum Dominum converſus, in faciem ejus expuit, attonitiſque ad id facti omnibus,

Ne miremini, inquit, nihil enim in hac domo conſpicio ſordidum, incompoſitum nihil, nihil incultum atque inornatum, præter ipſum domûs poſſeſſorem, atque Dominum.

Quod huic, judice Philoſopho; hoc & pleriſque hominum uſu venit, quorum animas, & conſcientias, ſeu interiorem domum, ſubingredi ſi liceret, ſi luſtrare in ea omnia, nihil paupereulum magis; nihil magis ſordidum ac fœtens appareret: non domum, non conclave internum diceres, ſed equorum, & porcorum ſtabulum, & quod vilius, abjectiuſque eſt, ſterquilinium.

QUÆSTIO SECUNDA
LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Quare & vos tranſgredimini mandatum Dei, propter traditionem veſtram.* Matth. cap. 15. ℣. 3.

QUÆ HAC RESPONSIONE SCRIBARUM ET PHARISÆORUM vitia notat, & carpit IESUS?

CHRISTO, etſi Magiſtro optimo & ſapientiſſimo, inſulſum illud atque abſonum obtruſerant Scribæ & Phariſæi: *Quare Diſcipuli tui tranſgrediuntur traditiones ſeniorum?* quibus reponit: *Quare & vos tranſgredimini mandatum Dei, propter traditionem veſtram?* quaſi dicat, ſi vitio vertitis, quod Diſcipuli mei trangrediantur traditiones ſeniorum, id eſt hominum, quanto magis vobis vitio dabitur, qui tranſgredimini mandatum Dei, quod Sanctum, & inviolabile eſſe debet? & hoc quidem *propter traditionem veſtram?*

Rectè *veſtram*, quia ea traditio de lavandis cum ea cura ac ſuperſtitione manibus, non erat *ſeniorum*, puta Moyſis Iſayæ, Jeremiæ, Danielis, aut aliorum Prophetarum qui apud illos ſeniores erant, ſed recens Scribarum & Phariſæorum inventum, vel ut famam ſibi facerent ſanctitatis, vel ut lucrum facerent ſuum: ideoque à Chriſti diſcipulis eam obſervari minimè oportuit, nec enim religionem ſapiebat, ſed olebat ſuperſtitionem.

Scribarum & Phariſæorum vitia.

I. Et hoc primum, quod ſtylo ſignat, & pungit Chriſtus, videlicet ſuperſtitionis.

II. Alterum eſt erroris, & impietatis; erroris in fide, impietatis in Deum: *Trangredi enim mandatum Dei*, & erroneum eſt & impium, proximo etiam injurium.

III. Erant nimirum moroſi, & injuſti aliorum cenſores, & ita quidem ut in aliis minimos nævos, imò nec nævos viderent; in ſeipſis autem ne graviſſima quidem ſcelera, ex eo ſcilicet genere hominum, qui in aliorum oculis feſtucam vident, in ſuis autem nec trabem quidem, in quos illud Chriſti:

Hypocrita ejice primùm trabem de oculo tuo, & tunc videbis ejicere feſtucam de oculo fratris tui. Math. c. 7. v. 5.

Qui trabem habet in oculo ſuo, quomodo feſtucam videbit in oculo fratris ſui? enimverò non videbit, ſed nec videre poterit, quia trabs, non pupillam modò, ſed & totum oculum occupat, obruit excæcatque: ſic & qui rationem ceu bonæ mentis oculum, graviſſimis criminibus opprimit, leviuſcula peccata in aliis ut videat, eſt adynaton: Et qui in ſe maximas noxas amat & fovet, quomodo minimas in aliis oderit? quomodo emendabit? ut ergo & oderit & emendet in aliis minima, in ſeipſe prius maxima purget eſt neceſſe, quod quia, nec Scribæ, nec Phariſæi faciebant, fruſtra in Diſcipulis Chriſti minima carpere atque emendare ſatagebant, cùm ipſi maxima in ſe non emendarent.

Fuiſſe autem maxima (ne abeam ab Evangelico texto) liquet ex eo quòd multiplici religionis aut voti ſpecie, atque fuco docerent parentibus etiam in neceſſitate conſtitutis neceſſariam alimoniam negandam eſſe, ſi illa vel illius pretium Deo offerretur, quod non alio fine faciebant, quàm ut ſuo quæſtui atque lucro ſtuderent, quod avaritiæ erat, & in parentes etiam impietatis: natura quippe & ratio, & Lex Dei, præcipit, ut liberi parentibus alimenta ſubminiſtrent, ſi modo urgeat neceſſitas. IV.

Neque huic Legi obſtare potuit quodcumque voti vinculum, & quæcumque oblatio, huic enim prævalet jus pietatis quo filii obligantur alere parentes in neceſſitate, & hoc ipſo naturæ jure, cui cedere debet jus omne, & humanum & divinum.

Unde ſi quis bona ſua omnia Deo voviſſet, & interea Parens in neceſſitatem incidiſſet, bona patri danda, non templo, non Deo: quia votum eſt religionis tantùm: at Parentes alere, eſt juris naturæ. Contra quod peccabant, & Scribæ, & Phariſæi, duplicis peccati rei, videlicet & avaritiæ, & impietatis, & tamen ut ii eſſent, Chriſti Diſcipulos arguebant, quòd ante cibum manus non lavarent; quæ culpa (ſi tamen fuit) leviuſcula.

V. Verùm quid facias? ita erat Scribarum & Phariſæorum genius, aliena vitia prodere, ſua tegere; aliena ſcrutari, & ſua negligere; aliena vulgare, & ſua reticere; foris ſemper eſſe, & domi nunquam: & hoc quoque ſceleratis & ſtultis eſt ingenium.

Appello verba Sapientis & fidem: *Pes fatui*, inquit, *facilis in domum proximi, & homo peritus confundetur*: vel ut legit Ambroſius: *Pes fatui facilis in domum proximi, qui autem ſapiens eſt verecundatur*: vel ut Syrus: *Pedes ſtulti ingrediuntur citò intra domum*, ſcilicet alienam, ut videant & ſcrutentur quid in ea fiat; *at vir ſapiens inclinat faciem ſuam*, quaſi erubeſcens curioſiùs eam inſpicere, ideoque oculos deprimens, ne videat quæ in ea ſunt, aut fiunt: Q. D. Sapiens verecundè, nec niſi invitatus, vel coactus ingreditur domum alienam; ſponte verò nunquam.

Hoc vitio notatus olim Crates Thebanus, qui idcirco dictus eſt *oſtiorum apertor*, quòd in omnes domos irrumperet, & ſi quid diſplicuiſſet, reprehenderet libertate Cynica, hoc eſt impudenti, à qua ut ſuos auditores avocaret Socrates, & ſimul à curioſitate rerum alienarum, crebrò uſurpabat illud Homeri: Ædibus in noſtris, quæ prava, aut recta geruntur inſpiciamus; in aliis autem minimè.

Si Phariſæi ſecum fuiſſent, & ſuis quaſi in ædibus, hoc eſt in ſuæ conſcientiæ penetralibus, non carpſiſſent Chriſti Diſcipulos; neque etiam carperent alii, hâc quâ vivimus ætate; ſed proh dolor, pudorque! multi ſemper foris ſunt, domi aut rarò, aut nunquam: non eſſent, ſi audirent illa Domini verba: *Intra cubiculum tuum.*

In Pſal. 33. *Beati*, inquit D. Auguſtinus, *qui gaudent, quando intra cor ſuum nihil mali ibi inveniunt.*

Quomodo nolunt intrare domos ſuas, qui habent malas uxores, quomodo exeunt ad forum, & gaudent: cœpit hora eſſe, qua intraturi ſunt domum ſuam, & contriſtantur: intraturi enim ſunt ad tædia, ad murmura, ad amaritudines, ad averſiones, quia non eſt domus compoſita, inter virum & uxorem non eſt pax.

Hæc ubi S. Præſul extulit de viro, cui domi eſt uxor mala, tum applicat peccatori, cui conſcientia eſt mala.

Ita, inquit, *peccatores redire ad conſcientiam ſuam nolunt, ne ibi peccatorum litibus evertantur*; tum adjicit: *Ergo ut poſſis redire ad cor tuum, munda illud, aufer mala, & intra cor tuum, & ibi gaudebis.*

Sic intravit Propheta Regius, qui de ſeipſo iſta ingenuè & verè.

In Pſal. 100. *Perambulabam in innocentia cordis mei, in medio domûs meæ.*

Medium domûs ſuæ cor dicit; domus enim noſtra interior cor noſtrum eſt, inquit Auguſtinus, *hanc domum quiſquis habet malam, pellitur ab illa foras: qui enim in corde premitur mala conſcientia, quomodo quiſquis ab ſtillicidio exit à domo ſua, aut à fumo, non ſe patitur ibi habitare; ſic qui non habet quietum cor, habitare in corde ſuo libenter non poteſt.*

Et cùm non poſſit ibi habitare, foras exit à ſeipſo, inutili atque damnanda indagine aliorum, quæ ſæpè ſæpiùs carpit ſine cauſa, ſine ratione, uti hîc fecerunt Scribæ, & Phariſæi erga Diſcipulos Domini, & hoc grande eorum vitium fuit, quo qui laborant, ab eodem Auguſtino dicuntur, *à ſeipſis*

In Pſal. 87. *exules facti*, dicuntur *& fugitivi cordis ſui.*

Venio ad aliud Scribarum & Phariſæorum vitium, quod fuit ejuſmodi, quod in parvis eſſent ſtricti; in magnis autem laxi ac ſoluti: *Excolantes* VI.
culicem, camelum autem deglutientes, ut de illis Salvator, qui camelum opponit culici, tanquam maximum minimo: ſi parvus culex in potum veſtrum inciderit, eum excolando & per colum ſtillatim tranſmittendo, retinetis in colo, dein abjicitis, ne eum bibendo hauriatis; interea tamen vaſtum camelum ingenti oris rictu, fauciumque hiatu dilatato tranſglutitis: q. d. res minimas, puta decimationes herbarum, utpote vobis lucriferas exactè curatis, ne quis vos defraudet, etiam in minimo: interea verò injuſtitias, rapinas, ſacrilegia, aliaque ſcelerum monſtra, inſtar cameli grandia & gravia ſine ſcrupulo committitis, & quaſi potando tranſglutitis.

In colandis culicibus diligentiam, in glutiendis camelis incuriam adhibetis, inquiebat S. Hilarius.

Ita nimirum in rebus minimis meticuloſi, in maximis ſecuri, in nugis ſcrupuloſi, in ſolidis criminibus liberi, audaces, temerarii. Conſcientiam prætexunt, ne Pilati ſubeant prætorium, ob feſtivæ diei ſolemnitatem, & nullo anguntur ſcrupulo, ſi Dei Filium etiam ipſo Paſchali feſto, omnium celeberrimo, ad Crucem, ad mortem poſtulent, & rapi curent.

Sed quid in Phariſæis & Scribis hæret diutius oratio, an non ſubinde etiam in Chriſtianis ſunt qui excolant culicem, & camelum deglutiunt, hoc eſt, qui etiam minima peccata ponderant, & horrent; maxima verò ne æſtimant quidem. Hæc ſibi ſcrupulo ducit, ſi poſt acceptam Synaxim expuat; & ſi maledico ore in detractiones, in proximi nomen & famam multa & gravia evomat, nullum habet ſcrupulum: illa timet ne fortè crucem ſtramineam in terra calcet ac terat, quaſi ſacrilegii rea, & interim in conſcientiæ foro, in Confeſſionis tribunali ſacrilegam confeſſionem facere non exhorreſcit. Aliæ ſcrupuloſè legunt roſarium, quaſi penſum Virgini debitum, & ſi omiſerint, veluti reas ſe accuſant & damnant, & non accuſant nec damnant cogitationes impuras, & illicitos amores, & prava deſideria, quibus ſe abripi patiuntur: mendaces profectò in ſtateris ſuis, ut qui levia, gravia reputent; & contra graviſſima, veluti leviſſima. Judicium feceris, quod de ſtateris illis? certè quod ferres, ſi quempiam videres, qui talem circumferret ſtateram, ut poſito ex una lance bove, ex altera verò muſca, aut formica, ſpectares tamen bovem illum adeò levem ut aſcenderet ſurſum, & muſcam, aut formicam adeò gravem ut inclinaretur deorſum? Certè de ejuſmodi ſtatera pronuntiares: ô ſtateram doloſam! ô fallacem, in qua nimirum, quod gravioris eſt ponderis, leve eſſet; & levioris, quod eſt grave, imò & graviſſimum. Idem facito de iſtius farinæ hominibus, qui gravia, levia exiſtimant, & levia gravia, & aliena ſemper gravia. Uti & de illis, qui pro- Pſal. 61. v. 4.
pria ſcelera levia, *planè mendaces in ſtateris ſuis.*

Hi profectò, & apud homines, & apud Deum abominabiles, de quibus proinde extulit illud Spiritus Sanctus: *Pondus & pondus, menſura & menſura,* Proverb. c. 20. v. 10.
utrumque abominabile eſt apud Deum.

At quinam illi, quibus eſt pondus & pondus, menſura & menſura: reſpondet S. Gregorius Pont.

Primò ii, qui aliud pondus habent, ad quod penſant Hom. 4. in Ezechielem.
ſibi, & aliud pondus, ad quod penſant proximo. Ad dandum quidem pondera leviora, ad accipiendum verò gravia præparant.

Omnis itaque homo, qui aliter penſat ea quæ ſunt proximi, & alia quæ ſua ſunt, pondus & pondus habet; utrumque ergo apud Deum abominabile eſt.

Ratio eſt ea quam ſubjicit, quia ſi ſic proximum ut ſe diligeret, hunc in bonis ſicut ſe amaret: & ſi ſic ſe ſicut proximum adſpiceret, ſe in malis ſicut proximum judicaret.

Et

Et quia in bonis ſic proximum non amat ſicut ſe, nec ſe in malis judicat ſicut proximum, ideò convincitur habere pondus & pondus, adeoque Deo eſt abominabilis.

Secundò ii habent pondus & pondus, qui ſanctiores apparere affectant humano conſpectui, quàm divino, ut rectè Caſſianus.

QUÆSTIO TERTIA MORALIS.

Ad illa verba: *Honora patrem & matrem.* Matth. cap. 15. ℣. 4.

ECQUIS ILLE HONOS, QUÆ ILLIUS VELUTI PARTES? Et quis ab eo proventus?

Quis ille honos? HONOS Patri & Matri debitus, tria omninò continet & reddi jubet à filiis: videlicet *Reverentiam*, *obedientiam & beneficentiam*, ſi modò ea indigere contigerit. Et hunc honorem deferri parentibus volunt jura omnia, tum divina, tum humana.

Quæ partes? *Divina* quidem ipſo Dei digito impreſſa tabulis lapideis, in quibus primæ tabulæ inſculpta eſt, quæ Deum ejuſque honorem ſpectant. In ſecunda verò, quæ ad proximum attinent, atque in his priore loco, quæ ad parentum honorem. Quippe cùm ſecundum ab Opifice locum teneant.

Nam ut Deus qui effector eſt & conditor, omnibus eſt initium & origo: *ſic quiſque etiam parens, ſe nato filio, quaſi ſtirps quædam eſt procreationis, & fons vitæ, & ex eo progreditur ut ſit, ideoq́; poſt Deum, proximum locum obtinet, in reverentia, obedientia, beneficentia ſibi debita: & hoc ut loquuntur divina jura, confirmant etiam humana:* veriſſimum enim eſt illud oraculum Pauli Juriſconſulti in Pandectis. *Lib. 7. de adopt.*

D. de obed. *Filio ſemper honeſta & ſancta perſona Patris videri debet*: quod ſi ſancta, utique ejuſmodi, cui reverentia primùm: certè in Sacris Paginis linguaque ſacra vox Sanctum Hacam ſignificat, & Sanctum ut ciconiam, quod Deus Opt. Max. declaratum voluit in Parentes, reverentiam, obedientiam, ſimul & miſericordiam profundi oportere. Ciconia quippe pietatem ſignat & miſericordiam erga parentes, adeoque & beneficentiam, quam & poſtulat *Jus naturæ*: æquitati enim & rationi conſonum eſt, ut à quibus vitam acceperis, & ipſum eſſe quod es, eiſdem & vitam ſuſtentes, & eſſe quantum in te eſt proroges, quod facis liberali & munifica in eos beneficentia, ex qua conficit S. Thomas quod prima & potior filiorum ad Parentes, quàm ad filios, uxores, & quaſvis alias perſonas, ſit obligatio. *2. 2. Q. 26. art. 9.*

Ratio ducitur ex notiſſimo illo principio. *Qui prior eſt tempore, potior eſt jure; at pater prior eſt tempore, igitur & potior eſt jure.*

Multos habet quis creditores: cui primò ſolvendum? certè cui prior eſt tempore: debita enim poſteriora non poſſunt præjudicare anteriori, ſaltem ubi cætera paria.

Benedictiones. Venio ad proventus, ſive benedictiones, quæ Deo largiente impluunt in capita filiorum, qui in Parentes & reverentes ſunt, & dicto audientes, & benefici. Pererius novem enumerat, & quidem Cœlo judice adpromiſſas. *In Gen. c. 9.*

Prima Longævitas. Prima eſt vita longæva: *Honora Patrem tuum, & Matrem tuam, ut ſis longævus ſuper terram*; eſt igitur vita longæva, illius honoris veluti merces, uti contra vita brevis, & contracta, ſupplicium negati parentibus, vel honoris, vel obedientiæ, vel beneficentiæ, quod uti Scriptura ſacra teſtatur, ſic & loquuntur ipſa hiſtoriarum monumenta: è multis unum producam cujus meminit S. Bernardus. *Exod. c. 20. v. 12.*

In Hiſpaniæ citerioris oppido cui nomen Sui, non procul à Valentia, adoleſcens fuit notatus à pervicaci erga parentes inobedientia, à qua (ut eſt facilis in alia ſcelera) ad publica latrocinia, aliáque crimina devenit, & quidem anno ætatis decimo octavo, nec amplius, ob quæ in vincula conjectus, eſt ſuſpendio damnatus.

Erat eò ætatis penitus imberbis, verùm derepentè è furca pendenti, atque exanimi, & barba prorupit, & comæ capitis caneſcere viſæ, dixiſſes ſeniculum atque nonagenarium.

Ea rei novitate & miraculo undique excitæ populorum undæ, excitus & Clerus omnis, imo & Epiſcopus, qui unà cum aliis in genua prolapſus ſupplex ad Deum venit, ut intelligeret quid ſibi vellet id monſtri genus, atque portentum: Ubi datum aliquid orationi, in locum eminentiorem conſcendit Epiſcopus, ut quaſi è pulpito diceret.

Dixit porro, Deo intus monente, adoleſcenti Cœlo vindice, tantum detractum ætatis fuiſſe, quantum in vita detraxerat obedientiæ, cujus ſi retinens, fuiſſet ad eam veniſſet ætatem, quam portendebat, & barba promiſſa, & caneſcentes capilli, nimirum illi ſeptuaginta eòque amplius annos detraxerat inobedientia: Tanti refert qui te geras erga eos, quos tibi poſt Deum natura dedit progenitores.

Et hæc de benedictione prima, quæ eſt *longævitas* cui jungitur altera.

Eſt illa opum abundantia, ingenteſque theſauri, quos aperit, effunditque in ſinum honor parenti redditus: ut enim Eccleſiaſticus: *Sicut qui theſaurizat, ita qui honorificat matrem ſuam.* Theſauriſat, inquam, & in hac mortali vita, & in altera immortali; accumulat enim longè maximum bonorum operum, ac meritorum theſaurum, quem & in Dei ſinu recondit. Et hæc ſecunda benedictio. II. Abundãtia bonorum. *Eccleſ. c. 3. v. 7.*

Tertia eſt jucunditas & fœcunditas in filiis: quàm & ſpondet Eccleſiaſticus: ſic enim præſago ſpiritu: *Qui honorat patrem ſuum jucundabitur in filiis, quia eos inveniet probos, ſanos, habiles.* Arabicus vertit, *Multiplicati ſunt filii ejus.* En fœcunditas in illis. Hæc nimirum eſt Lex talionis, ut quod facit filius patri, idipſum à filio ſuo recipiat: cùm ergo obedientia ſua lætificarit patrem, eadem & ipſe lætificabitur à filiis. Quò ſpectavit & Thaletis ad filios vox: quale præmium impenderitis parentibus, tale à liberis expectate. III. Jucunditas in filiis. *Cap. 3. v. 6.*

Quarta benedictio, eſt familiæ ſtabilitas: *Benedictio enim patris firmat domos filiorum, maledictio matris eradicat fundamenta.* q. d. benedictio patris facit ut filius prole & familia, eaque divite, honorata, & ſplendida dotetur, decoretur, & duret in ſæcula; *Maledictio autem matris* (pari jure & patris) *eradicat fundamenta*, id eſt familias, earumque opes ac honores peſſundat, delet, extinguit, ad radices uſque, ad uſque fundamenta. IV. Familiæ ſtabilitas. *verſ. 11.*

Exempla

Exempla porro paternæ benedictionis dedit Antiquitas in *Sem* & *Iaphet*, qui à Noëmo; in *Iſaaco*, qui ab Abraham; in *Iacob*, qui ab Iſaaco benedictus, Pater fuit duodecim tribuum Iſrael.

Maledictionis autem in *Cham*, qui irridens patrem ex vino nudatum, ab eo maledictus, eam maledictionem & ſervitutem in poſteros, id eſt Chananæos tranſmiſit, quod Chamo, hoc & aliis.

Maledictio Parentum quàm noxia.

Refert D. Auguſtinus exemplum hujuſce maledictionis à matre, quæ decem filiis maledicens, omnes illos tremulos, miſeros, vagos, & palabundos reddidit. Cauſam ſi quæris, ea eſt, quòd Deus parentibus velut inſtrumentis utatur ad beandos vel perdendos filios; beandos quidem, ſi modò eorum obſervantes, perdendos autem ſi ſecus.

Cæſaris Auguſti proles maledictæ.

Felix fuit Auguſtus Cæſar, ſed in prolibus à libidine proſtitutis infelix, ideóque illis maledicens, imò abdicans, omnes extinxit, nimirùm Juliam utramque, puta filiam & neptem, ac poſtea etiam Agrippam à ſe adoptatam, quas proinde vocabat tres ſuas vomicas, ſive tria carcinomata, vetuitque eas ſepulchro ſuo inferri, exclamans etiam illud: O utinam cœlebs vixiſſem, orbusque periiſſem! & meritò; melius enim eſt orbari filiis & filiabus, quàm indecoras atque infames poſt ſe relinquere, uti ferè relinquuntur à parentibus eæ, quæ ab illis fuerint maledictæ: ſed manum contraho, ſtylumque ſubduco, à tam ferali argumento, tranſeoque ad quintam benedictionem.

V. Exauditio à Deo. *verſ.* 6.

Ea eſt *exauditio à Deo*, cùm oraverint. *Qui honorat patrem ſuum in die orationis ſuæ exaudietur:* S. Ambroſius vertit, *veniam impetrabit*; ſcilicet præteritorum, & à futuris continebit ſe, ſingulari Dei præſidio, *quin & in oratione dierum*, id eſt quotidiana, exaudietur: Tigurina, *votorum quotidianorum compos erit*.

Et benè: qui Deum mandantem audivit, ab eo etiam in oratione exauditur: & qui Deum honoravit in patre, ab eo quoque honoratur, & ſibi quaſi obedientem experitur, qui patri ceu Deo obedivit. Rabanus legit, *Qui reveretur patrem, peccata expiabit.* Quid enim potius? Deus honorem parentum, eorumque obſervantiam inſtituit veluti ſacrificium pro peccato: quod indicat ea vox *expiabit*, quæ propria eſt ſacrificii. Et jure ſanè meritiſſimo: ſi enim qui vitulum aut hircum ad aras mactat atque immolat, peccatum expiare creditur, multò magis per obedientiam, qua voluntas, potiſſima pars hominis, parentibus ſubſternitur ac veluti mactatur.

VI. Dignitas & honor. *verſ.* 13.

Et hinc ſexta benedictio, quæ eſt *dignitas* quædam *& honor*, qui filiis à parente & matre accedit: *Gloria enim hominis ex honore patris, & dedecus filii pater ſine honore, uti etiam dedecus filii mater in ignominia.*

Cujus ea ratio ex natura petita, quòd filius ſit veluti pars patris, & matris, ab hac & illo veluti deciſa, adeóque honor hujus, atque illius, eſt filii honor, ſicut honor totius eſt etiam partis.

Septima benedictio quæ à parente manabit in filium ei morigerum, eſt perennis apud Deum memoria, atque exinde etiam adjutorium: *Eleemoſyna enim patris non erit in oblivione, & in die tribulationis commemorabitur tui.* q. d. ipſa eleëmoſyna memoriam tui refricabit Deo, & cauſam tuam aget & perager, ut ſolet Patronus atque Advocatus apud Judicem, & hinc etiam ſicut in ſereno glacies, ſolventur peccata tua, vel ut habet Syrus: *Sicut calor glaciem ſolvit & liquat, ſic abrogabit peccata tua*: beneficentia enim filii in patrem & matrem, eſt veluti calor, veluti ſol à quo liqueſcit omnis peccatorum glacies, quæ erat in filio: & hinc illi redditur calor caritatis, & ſol gratiæ; adeoque dies peccati, qui totus erat nubilus, vertetur in diem ſerenitatis, à cœleſti lumine atque æſtu, quæ eſt octava benedictio, cui pro coronide jungitur nona.

VII. Adjutorium. *verſ.* 15. 17.

Octava benedictio, videlicet à Deo, cujus intuitu ſic filium hortatur Sapiens: *In opere & ſermone, & omni patientia honora Patrem tuum, ut ſuperveniat tibi à Deo, & benedictio illius in noviſſimo maneat:* Maneat, inquit, nec enim Dei benedictio eſt fluxa atque evanida; ſed ſtabilis, ſolida atque æterna; & ea te manebit, tibique ſervabitur in noviſſimo die, hoc eſt in die mortis tuæ, & diſtricti examinis, ac divini Judicii, in quo jacietur æternitatis alea: & hæc eſt ſumma benedictio; imò & compendium omnium benedictionum, quæ à Deo judice ac remuneratore filiis obedientibus ac beneficis obvenire poſſunt, eſſeque illis pro præmio honoris, non ſolùm beneficentiæ, ſed etiam largitatis, ad quam ſic filios omnes hortatur Divus Ambroſius:

VIII. Peccati remiſſio. *verſ.* 9. *id.*

Paſce patrem tuum, paſce matrem tuam; ſi paveris matrem, adhuc non reddidiſti dolores, non reddidiſti cruciatus, quos pro te paſſa eſt, non reddidiſti alimenta, quæ tribuit tenero pietatis affectu immulgens labris tuis ubera. non reddidiſti famem quam pro te illa toleravit, ne quid quod tibi noxium eſſet, ederet; ne quid quod lacti noceret, hauriret. Illa tibi jejunavit, tibi manducavit, tibi illa quem voluit cibum, non accepit; tibi quem noluit cibum, ſumpſit: tibi vigilavit, tibi flevit, & tu illam ægrè pateris? O fili quantum tibi ſumis judicium, ſi non paſcas parentem. In c. 18. Lucæ.

Hæc ubi melleâ eloquentiâ dixit S. Doctor, tum rationem hanc adjicit, *quia illi debes quod habes, cui debes quod es.*

QUÆSTIO QUARTA MORALIS.

Ad illa verba: *Qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur.* Matth. cap. 15. v. 4.

CUR ADDITUM MORTE MORI, ET QUID ILLUD?

ARABICUS vertit, *Qui dicit verbum malum in patrem ſuum, vel matrem ſuam, morte moriatur.*

In Levitico additur, *& ſanguis ejus ſit ſuper eum*; ſanguis id eſt reatus, & pœna ſanguinis, hoc eſt mortis, ſit ſuper eum, quia ſi moritur, ſuâ culpâ moritur.

Quod ſi qui verbis tantùm maledicit patri, vel matri ex lege reus eſt mortis, quantò magis is, qui eiſdem malefacit, ſurripitque lege naturæ debitam ſuſtentationem, nec tantùm ipſe ſurripit; ſed & alios ex cathedra quaſi Doctor ſurripere docet, uti facitis vos, ô Scribæ & Phariſæi.

Sed quæſtio hìc inſici poteſt, cur non dicitur ſimpliciter, *moriatur*, cur additur *morte moriatur?* & quid ſit morte mori?

In Sacris Paginis, ne verbum, ne apex quidem myſterio vacat: ubi felicem, ubi beatum, ubi Cælo, Superiſque

Cap. 18. v. 11. Superiſque gratum vivere dicunt, dicunt *vitâ vivere.* Ita de juſto, Ezechielis voce, pronuntiavit illud Dominus: *Hic juſtus eſt, & vitâ vivet:* & è contrario
verſ. 13. ubi de ſcelerato, ejuſque morte agunt: *Morte,* inquiunt, *morietur,* id eſt infelici morte rapietur: & hæc eſt prima explicatio. Altera eſt hæc, *morte mori,* eſt omninò mori, certa plenaque morte, abſque ulla ſpe veniæ. Poſtrema deniq; *morte mori,* eſt mori per ſententiam judicis, violenta infamique morte, non autem placida & tranquilla, qualis eſt plerumque ea, quæ à natura obvenit, diciturque paſſim ab Antiquis *naturæ debitum*, quod dum ſolvis, diceris quidem mori; non autem morte mori.

Abſalonis mors. Qui parentum minus reverentes, qui inobedientes, qui maledici ſunt, dicuntur *morte mori,* quod probare exemplis mihi in præſens eſt animus, & quidem primò iis, quæ ſunt antiquioris memoriæ, tum recentioris: Ex illis erit Abſalon, parentis optimi filius peſſimus, movit ille arma in Davidem, & hic etiam caſtra contra illum poſuit atque ordinavit, diviſitque in tres turmas. Primæ præerat *Joabus*, Secundæ *Abiſai*, Tertiæ *Ethai Gethæus* dux inclytus.

2. Reg. c. 17. v. 24. Caſtra porro ſtatuit in *Manahim*, felici omine, quod olim in eo Jacob accepiſſet cœleſtis militiæ copias auxiliares, quas unà cum terreſtribus juncturus erat Deus exercituum contra Abſalonem rebellem patri filium. Et hæc prima circumſtantia, notatu digna, locus ſcilicet caſtrorum Davidis.

Altera eſt pugnæ locus, qui fuit Saltus Ephraim. *Et factum eſt prælium in Saltu Ephraim*, inquit Scriptura, *& cæſus eſt ibi populus Iſraël ab exercitu David, factaq; eſt plaga magna in die illa viginti millium; fuit autem ibi prælium diſperſum ſuper faciem omnis terræ, & multò plures erant quos ſaltus conſumpſerat de populo, quàm hi, quos voraverat gladius in die illa.*

In hoc prælio, duo potiſſimùm ſpectanda. Primò locus illius, qui fuit *Saltus Ephraim*, id eſt *deſertum augmenti.*

At unde augmentum in deſerto? & à quo illud?

Erat exercitus Abſalonis copioſiſſimus: ut enim
2. Reg. c. 15. habent Regii Annales, toto corde univerſus Iſraël ſequebatur Abſalon: Davidis autem longè
Davidis exercitus unde auctus. inferior, utpote qui conſtaret tribus tantùm turmis; ſed in æſtu armorum, fervoreque prælii, mirùm quantum auctus: ſed unde auctus in deſerto? unde ibi novus miles, quo uberetur? Reſpondet Caïetanus, & Lyranus, ex Hebræorum ſententia, auctum miraculo.

At quod illud miraculum? fuit ejuſmodi, quod è ſaltu proruperint millena & millena animalia, Leones, Tigrides, Urſi, Serpentes, quorum ibi ingens erat numerus, junxeruntque ſe exercitui Davidis; irrueruntque in exercitum Abſalonis, & immanem in eo ſtragem fecerunt, & inde, ut annotat Caïetanus,

Ex multiplicatione animalium nominata videtur ſylva illa, Sylva Ephraim, ab augmento. Cui opinioni favet vis Textûs Hebraici, in quo ſic legitur.

Et multiplicavit ſylva ad vorandum populum, præ iis quos voravit gladius in die illa, id eſt: Sylva multiplicavit feras ad vorandum militum Abſalon, vagantes per ſylvam; nec tantùm ſylva multiplicavit feras, atque in rebelles immiſit; ſed etiam quod mirère magis, etiam ipſe ſaltus pro Davide pugnavit, emittens è ſinu ſuo atque evomens lapides, & ſaxa in milites palabundos, & rebellia Regi capita; ut proinde mirum non ſit, quod multò plures abſumpſerit ſaltus, quàm vorârit gladius.

Ita nimirum pro parente, adverſus rebellem filium, inſurgunt animalia rationis expertia, & ipſi quoque lapides, etiam ſenſu carentes, ſparguntur in adverſa cœlo capita, & contra naturam naturæque legem pugnantia, uti pugnabat filius contumax, &

refractarius Abſalon, in quem proinde etiam pugnavit ipſa quercus, & ramos quaſi retia explicuit ad capiendum, ſiſtendumque fugientem: ut enim habent ſacræ paginæ.

Accidit autem ut occurreret Abſalon ſervis David 2. Reg. c. 18.
ſedens mula, cumque ingreſſus fuiſſet mulus, ſubter con- v. 9.
denſam quercum, & magnam, adhæſit caput ejus quercui, & illo ſuſpenſo inter Cœlum & terram, mulus, cui inſederat, pertranſivit.

Accidit, inquit Scriptura, non caſu, non deerrantis muli vitio, ſed certa & mirabili Dei providentia, atque Juſtitia, quæ ſontes à tergo ſequitur.

Accidit autem, primò, ut fugiens Abſalon occurreret ſervis David; deinde ut mulus ingrederetur ſubter condenſam quercum; tum ut comæ Abſalonis laxæ & fluitantes implicarentur inter ramos denſiores illius quercus, quibus ſe teneri dum ſentit mulus, quaſi impatiens remoræ, atque oneris, pertranſiret illo ſuſpenſo inter cœlum & terram, terram quidem quæ diutius rebellem patri filium, ſuſtinere non poterat, & cœlum, quod nec eum capere;

Hæc inter adventat è Joabi militibus unus, qui intuitus Abſalonem pendentem è quercu, idipſum Joabo nuntiat, qui celeri curſu advolat, & ſuſpenſum ac ſeſe motitantem tribus lanceis transfodit, & cordi palpitantis infigit.

Non fuit illud humanæ induſtria; ſed divini judicii, inquit D. Chryſoſtomus. In Pſal. 7.

Ab inani gloria faſtúque nimium præcipiò Regnum affectarat, & Regis, Ducum, populíque corda inſana Regni cupidine, velut potenti telo transfixerat: advolavit affectati regni vindex & ultor Joab: *tres lanceas infixit in corde Abſalon.* Si regios optimi parentis animos, ſi genus ſuum, ſi nomen legiſſet Abſalon, erat in ſolo nomine fœlix omen, erat officii ratio, erat alta parenti pax: *Abſalon* enim interpretantur Hebræi, Pax patris: ſed infelix adoleſcens, & ſui & nominis oblitus, Regni, patriſque turbo fuit, qui reſidere non potuit, & quieſcere, niſi potenti telo figeretur, & ſiſteretur cor rebellis filii: & ita tandem factum eſt, & factum benè.

Tres lanceas infixit in corde Abſalon: tot enim infigi oportuit, ut tria ſpicula uno corde exciperet, qui & Regis & Ducum & populi, id eſt trium corda, uno ambitionis telo vulnerarat. Abſalonis cordi cur infixæ tres lanceæ?

Neque hîc ſtitit divinæ juſtitiæ manus, *Cùm adhuc palpitaret, hærens in quercu cucurrerunt decem juvenes* verſ. 15.
armigeri Joab, & percutientes interfecerunt eum.

Appoſitè omninò decem, ut qui torum parentis aſcenderat, decemque ejus concubinas violarat, tot in ſe ſentiret tela, tot & ſagittarios, quot ſuæ libidinis tela in parentis concubinas emiſerat.

Ita nimirum quos numeros cenſuit, ſervavitque culpa, eoſdem recenſet, ſervatque pœna.

Ab hac videri poterat Divinæ Juſtitiæ factum ſatis, non tamen factum. *Tulerunt enim Abſalon, & pro-*
jecerunt eum in ſaltu in foveam grandem, & comporta- verſ. 17.
verunt ſuper eum acervum lapidum magnum nimis.

Et hic fuit ultimus actus funeſtæ illius tragœdiæ: mortuis id reliquum eſt ſolatii, ſcilicet honor funeris, ac ſepulturæ, quibus caruit Abſalon, qui ſepulturæ locum nec invenit in templo, nec in Regia; ſed in ſaltu, ſed in grandi fovea, nec monumentum aliud quàm acervum lapidum, temerè & tumultuariè congeſtum: & pro titulo, ne quidem tritum illud: *Hic jacet.*

Verùm quidem iſtud quod Abſalon etiamnum vivens, ſpirans, ſtatuam erexerit futuram perennem ſui nominis memoriam, idque fecerit, quia non habebat filium, per quem nomen fa- 2. Reg. c. 18.
mamque ſui nominis transferret in poſteros, ha- v. 18.
buerat quidem tres filios, & filiam unicam; ſed illi mortui omnes patre ſuperſtite, & hoc juſto Dei

judiclo, ut qui in parentem optimum ac piiſſimum futurus aliquando eſſet impius ac rebellis, careret ipſe filiis, qui alioquin futuri eſſent à morte, & pro titulo, & pro ſtatua, & pro monumento nominis ſui; ſed qui ſua in parentem contumacia, atque inobedientis ſe dignum non reddiderat, eo caruit & carebit ævum in omne.

Huic porrò, quod eſt antiquioris memoriæ, jungamus aliud, quod eſt recentioris.

In Normanniæ partibus, vir erat prædives; ſed ignobilis: huic erat filius unicus, qui deinde matrimonio junctus filiæ etiam unicæ militis inter ſuos nobilis, ea lege & conventione factâ, ut ſua omnia bona in dotem filio cederet, futurum omninò, ut & patri, & matri abundè provideret de victu, non ad neceſſitatem tantùm, ſed ad lautitiam & delitias: ceſſit pater; ſed tamen ſubtimidè, ceſſit & mater audaciùs, quia credula magis. Peractis nuptiis primo anno, & patri, & matri à filio fuit optimè: ſecundo & tertio pluſculum minus benè; quarto malè, & deinceps peſſimè; & eò quidem, ut deeſſent etiam propè neceſſaria ad vitam tenuiter ſuſtentandam.

Ita nimirum & lenteſcere paulatim, & deficere cœpit in parentes pietas, & adeò quidem ut filius impatiens & faſtidioſus in paucis, ſenioris patris, & ſeniculæ matris contubernium ferre diutiùs non poſſet. Itaque habito cum uxore conſilio, ſtatuitur, ut è regione domûs erigeretur domuncula, veriùs ruſtica caſa, in quam ſeſe reciperent, & certè receperunt magnam ibidem rerum omnium penuriam paſſi.

Filii in patrem impietas punita.

Fortè die quadam, ſenicula mater ex adverſo ſtans, vidit in filii domo anſerem in veru aſſari in cœnam, tum ſic ad maritum: Vade, inquit, & eſurientem animam vel ſemel paſce ad ſatietatem: ivit ſeniculus ſcipioni innixus, quem ut tremulo gradu advenientem vidit filius, mox anſerem ſemiaſſum ſubducit ab igne, atque abſcondit.

Factum vidit pater, diſſimulavit, & in domunculam ſe recepit; tum jubetur ancilla anſerem quærere, & rurſum igni admovere: paret illa; ſed ecce horridum ſpectaculum, horridum & monſtrum; anſeri adhærebat ingens & turgidus buſo: horret illa & exclamat, clamore excitur herus, boni patris filius peſſimus, qui dum omni niſu conatur buſonem excutere, inſilit ille in faciem, eíque ita tenaciter adhæſit affixus, ut nullâ arte, nullâque vi refigi potuerit, aut excuti.

Ad id ſpectaculi monſtrique accurrunt vicini, accurrit & populus frequens, ſtupor omnes invadit, eò maximè, quòd ſi buſonem tangeres, ſi pungeres, & ipſum virum tangere, pungereque credidiſſes, tantus eum invadebat urgebatque dolor. Tenuit ea calamitas multis annis, ſpectaculum ſanè triſte & horrendum; cui ut remedium inveniret, tandem adiit illius loci Epiſcopum, & culpam ingenuè faſſus, hanc ab eo pœnitentiam accepit, ut in expiationem ſui ſceleris per Normanniæ & Galliæ Civitates excurreret, palamque omnibus faceret, & ſuum crimen, & criminis pœnam.

Paruit ille, & quidem etiam Pariſios venit, populoque ſeſe ſpectandum dedit, non ſine gemitu, & lacrymis, & ſtupore ampliſſimæ Civitatis, in qua quot ferè incolæ, tot teſtes oculati, quos inter Fr. Joannes de Magno Ponte, Ordinis Prædicatorum; qui hoc ipſum Thomæ Cantipratano retulit, & hic ad poſteros tranſmiſit, ut ii fierent alieno periculo maloque cauti, diſcerentque in parentes benefici eſſe, liberales, pii. *Lib. 2. Apum c. 7.*

Quid autem de illo homine tandem actum, non ita conſtat, fama eſt Sanctorum quorumdam precibus, eo monſtro (quod ſubitò diſparuit) tandem fuiſſe liberum.

Mitto alia ejuſdem generis exempla, ne chartas onerem in tam ferali argumento.

FERIA QVINTA

HEBDOMADÆ TERTIÆ QUADRAGESIMÆ.

CAPHARNAI Civitate Galilææ nobilis erat Synagoga, in quam ſubingreſſus CHRISTUS, invenit miſellum hominem, *qui habebat dæmonium immundum, quem & ſanavit*, ex eoque velut uſurpato malè hoſpitio, dæmonem ejecit, his voculis: *Exi ab eo*: inde egreſſus *introivit in domum Simonis*, in qua & illius ſocrum febricitantem reperit, rogatus, ſolo imperio febrim expulit, & eò quidem ut ſurgens, mox illi miniſtraret: adeò perfectæ ſanitati reddita. nec mirum: erat enim CHRISTUS, & corporum medicus, & animorum, quod & patuit, cùm occidente Sole variis languoribus detenti ad eum adducti ſunt, quos & curavit omnes: ut enim in dæmones illi erat imperium, ſic & in morbos omnes.

Luc. c. 4. v. 33. *v. 35.*

Ea miraculorum fama cùm ingentem populi turbam exciviſſet traxiſſetque, nec eam caperet Simonis domus, etſi ampla: egreſſus eſt in deſertum, ubi & populum tenuit, pavitque cœleſti verbo, doctrinâque puriore, tum ad alias quoque Civitates deflexit, utpote ad eas è Cœlo demiſſus, *& erat prædicans in Synagogis Galilææ.* Et hæc Evangelicæ hiſtoriæ ſumma, à qua tranſeo ad Quæſtiones pauculas, formandis ritè moribus accomodas.

QUÆ-

QUÆSTIO PRIMA

MORALIS.

Ad illa verba: *Surgens autem IESVS de Synagoga introivit in domum Simonis.* Lucæ c. 4. v. 38.

CVR DICITVR IESUS *SVRGENS DE SYNAGOGA;* *Et cur introivit in domum Simonis?*

IN Scriptura ſacra, ne apex quidem eſt ſine Numine, ſine myſterio: ludit enim in verbis Divina Sapientia, atque ad Sacramenta alludit, ut quod verbis occultè, exprimat apertè etiam in factis.

Ita (ne abeam ab argumento mihi propoſito) dicitur, Chriſtus *ſurgere*, qui ſederat ut Doctor, & *abire de Synagoga* Judæorum, *& introire in Simonis domum*.

At quid, inquies, ibi myſterii? ſi nuda ſpectentur verba, omninò aut perexiguum, aut nihil: ſi Sacramenta, quæ ſub illis latent, grandia ſunt. Deo ter Opt. ter Max. duæ in terris fuere domus, jam inde ab ipſa æternitate.

Synagoga Dei domus. Una fuit Judæorum Synagoga, in qua reſedit velut in domo, & cum hominibus habitavit ſub propitiatorii, Sancti Sanctorum & Arcæ ſymbolo: *factus enim eſt in pace locus ejus, Et habitatio ejus in Sion*; *hoc* eſt Hieroſolyma, quæ fuit viſio pacis.

Eccleſia Dei domus. Altera deinde fuit Simonis Domus, Domus petri; hoc eſt Eccleſia Catholica, quam introivit deſerta priore, id eſt Synagoga.

At cur hanc deſeruit? accipe ex viſione quondam objecta Ezechieli Prophetæ. Erat ille captivus in Babylone exiſtens, cùm Deum vidit ſpecie viri, ab eóque, ejuſque manu, raptus in Hieruſalem.

Cap. 8. v. 3. *Similitudo manus apprehendit me in cincinno capitis mei, & elevavit me ſpiritus inter terram, & cælum, & adduxit me in Hieruſalem.*

In illo raptu, ſive in corpore, ſive in ſpiritu, vidit idololatriam, & abominationes quadruplicis generis, quæ fiebant in templo, & domo Dei.

Primò vidit idolum Zeli. *Ecce*, inquiebat *ab* verſ. 5. *Aquilonem* portæ altaris, idolū Zeli in ipſo introitu.

Idolum zeli quod in ſynagoga? Quod illud? erat idolum *Baal*, quod poſuerat in templo Rex Manaſſes, quod ablatum à Joſia Rege, reſtituit *Ioakim, & Sedecias*: aliis dicitur *idolum accenſionis, vel irritationis*, quia Deum accendit, irritavitque ut abiret à Judæis.

Secundò vidit depicta idola in exedris, ac ſacerdotes eis thurificantes: ſic enim ad illum Deus. *Fili hominis fode parietem, ingredere, & vide abominationes peſſimas, quas iſti faciunt, hic, & ingreſſus vidi. Et ecce omnis ſimilitudo reptilium, & animalium, abominatio, & univerſa idola domus Iſraël depicta erant in pariete.*

Abominationes Iſraëlis quæ? En peſſimæ abominationes Iſraëlis, & ſacerdotum expreſſæ per reptilia, per animalia: erant enim & hi, & ille, quaſi reptilia, adrepentes, atque, inhiantes terræ & terrenis, & inſtar brutorum vivebant quaſi rationis expertes, & quod longè peſſimum erat, extrinſecus Deum colere videbantur, intrinſecus autem, atque in occulto, adorabant idola: & hæc etiam altera cauſa propter quam Deus, & Chriſtus egreſſus à Synagoga, & ingreſſus in Domum Simonis, hoc eſt in Eccleſiam.

Tertiò, quod ferè malorum omnium fuit caput, vidit ſeptuaginta viros de ſenioribus. *Septuaginta viri de ſenioribus Domus Iſraël*; erant hi ſeptuaginta verſ. 11. Seniores concilii Sanedrim, & quaſi ſummus Judæorum ſenatus, qui Chriſtum ad mortem damnavit; propter quod ſcelus, & à Synagoga diſceſſit, Chriſtus, & vera fides ac religio; acceſſit ad domum Simonis, domum Petri, hoc eſt Eccleſiam.

Vidimus cum Ezechiele quas abominationes fecérint ipſi, primùm Reges, deinde Sacerdotes & Seniores, denique & ipſi Senatores: ſpectemus, quæ populus, quæ ætas omnis, & ſexus, quæ propè univerſus Iſraël: ea Deus ſpectanda dedit primò Ezechieli, deinde poſteris; ſic enim ad illum. *Vides Fili hominis quæ domus Iſraël in tenebris, & unuſquiſque* verſ. 12. *in abſcondito cubiculi ſui: Dicunt enim: non videt Dominus nos, dereliquit Dominus terram.*

Hæc Iſraëlis, hæc impiorum atque Atheorum vox eſt: credunt enim Deum in tenebris, profundáque nocte, ſuaque ſcelera non videri, multóque magis ea, quæ in corde & anima agitantur, non eſſe ſub oculo divinæ mentis, & hinc cæco impete, pronoque ac præcipiti lapſu feruntur in ſcelerum abyſſum. Et ita prolapſus omnis propè Iſraël, & hinc à Deo ter Opt. ter Max. derelictus, derelictus & à Chriſto.

Et hoc ipſum quod indicatum voluit, cùm expi- *Luc. c. 23.* rante in Cruce Domino, templi velum ſciſſum eſt medium, à ſummo uſque deorſum, quaſi viam aperiret ad exceſſum eorum, qui eò claudebantur. Et verò exceſſiſſe liquet, ex eò quod refert Joſephus *Lib. 5. de* Annalium Judaïcarum Scriptor, & Egeſippus, qui *excidio Hieroſol. c. 44.* Apoſtolis coævus fuit, & ſcripſit; nempe audita hæc verba dicentium.

Tranſeamus ex his ſedibus, hoc eſt deſeramus Sanctuarium, domum hanc fugiamus, & locum illum antiquæ habitationis noſtræ, quia non ſumus ferendo tot ac tantas abominationes.

Hæc Angeli templi Tutelares, hæc cœleſtes Intelligentiæ, velut incolæ, velut etiam defenſores Sanctuarii. Tranſeamus ex his ſedibus, inquiunt: at quò Beatæ Mentes? utique cum Chriſto *in domum Simonis, in domum Petri*, hoc eſt *in Eccleſiam*, quæ ex vero eſt domus Simonis, id eſt obedientis.

(*Simon* enim idem eſt quod *obediens*) *in domum* Simon ideſt obediens. *Petri* (hæc enim eſt Petra, ſupra quam fundata eſt Eccleſia) in domum ſanitatis & ſalutis: hanc nempe ingrediens Chriſtus talem reddidit: ut enim habet Evangelicus Textus: *Stans ſuper illam, imperavit febri,* Simonis domus Eccleſiæ typus. *& dimiſit illam.* Ecce ut domus Simonis, domus Petri, facta eſt domus ſanitatis.

Quod illi domui, hoc & Eccleſiæ, cujus illa typus & umbra fuit, domus eſt illa ſanitatis & ſalutis, non tam corporibus, quàm animabus.

Laborat quis originali peccato, id eſt lethali morbo; veniat in Eccleſiam, & in ea per Baptiſmum, & ſalutare lavacrum, remedium inveniet, & perfectam animæ ſanitatem.

Afficituralius quàm peſſimè peccatis gravioribus, quæ mortalis dicimus, Superbiâ, Avaritiâ, Luxuriâ, Gulâ, aliiſque id genus morbis? confugiat ad Pœnitentiæ lavacrum, & peccati maculas omnes eluet, & conſummatæ reddetur ſanitati, reddetur & ſaluti: ſunt enim in Eccleſia, ceu Petri domo, tot ſalutis vaſa, quot Sacramenta; tot medici, quot Sacramentorum miniſtri: eos adeat quiſquis animo eſt æger, quiſquis de ſanitate vitaque ſpiritali periclitatur, & ſalvabitur. Quod ſi non ſalvetur, ſibi imputet, non Chriſto ſupremo corporum & animorum Medico, non etiam Eccleſiæ, in qua ceu in Apotheca morbis animæ curandis medicina parata, atque omnibus expoſita.

Sed proh dolor, pudorque! etiamnum in Eccleſia eæ reperiuntur abominationes, quæ olim in Judæorum Synagoga.

Idolum zeli quod ſit in Eccleſia? Reperitur *Idolum zeli:* In cupido reperitur avaritia, quæ eſt idolorum ſervitus: in ambitioſo, honor; in ebrioſo, Bacchus; in obſceno, amaſia; in hæretico, proprium judicium, ut ait D. Hieronymus: hæc enim vitia ſunt idola, id eſt res vanæ, & umbraticæ, quas unuſquiſque quaſi pro ſummo bono, proque Deo ſibi format, atque in mente fingit, & quibus, & à Deo diſcedit; & Deus abeo: ecquid enim, ut in uno idolo ſtylum figamus & animum, quot ab una hæreſi urbes, quot Provinciæ, quot Regna abierunt à Chriſto, & Chriſtus ab ipſis.

Verùm ut ab illis diſcedamus, ſiſtamusque in Catholicis; quot inter illos ſunt, qui in tenebris, & in abſcondito cubiculi ſui, dicunt quod olim Judæi: *Non videt Dominus nos.*

Quod ſi non dicant lingua & verbo, dicunt mente, dicunt & facto: quod ut videas, fode parietem, penetra, pervadeque ad eorum conſcientias, & audies impium atque atheum iſtud. *Non videt Dominus:* & quia non videt ea falſa eorum perſuaſione, hinc excedunt in omnia ſcelerum genera, laxis veluti habenis, & cœco concupiſcentiæ impetu, quod ea qua ſolet facundæ mentis ſolertia declarat D. Cyprianus. Illum audiamus:

O ſi poſſis, inquit, *oculos tuos inſerere ſecretis, recludere cubiculorum abductas fores, & ad conſcientiam luminum penetralia occulta reſerare, aſpicias ab impudicis geri, quod nec aſpicere poſſit frons pudica. Videas quod crimen ſit, & videre quod videas, quod vitiorum furore dementes geſſiſſe ſe negant, & gerere feſtinant: libidinibus inſanis in viros viri proruunt. Fiunt quæ nec ipſis, nec illa poſſunt placere, qui faciunt.* Lib. 2. Epiſt. 2.

Iidem in publica accuſatores, in occulta rei, in ſemetipſos cenſores, pariter & nocentes. Damnant foris quod intus operantur, quorum quò ſecretior culpa, major audacia eſt. Hactenus S. Præſul.

Etiam in ſui ævi catholicos, quæ nos ad noſtra ſæcula poſſumus derivare, ſimul & lugere, quod per ejuſmodi crimina ab Europa fides abeat ac religio, transeatque ad Japonas, & Chinas, extremosque orbis fines.

QUÆSTIO SECUNDA

MORALIS.

Ad illa verba: *Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus; & ſtans ſuper illam, imperavit febri.* Lucæ c. 4. ỷ. 38. 39.

CUR CHRISTUS INTROIVIT IN DOMUM SIMONIS? Et quo cæremoniarum apparatu ejus ſocrum curavit à febri?

AD primam & ſecundam partem hujuſce Quæſtionis, reſpondebit aureâ eloquentiâ D. Chryſologus:

Videtis, inquit, *quæ res ad domum Petri invitaverit Chriſtum: utique non diſcumbendi voluptas, ſed jacentis infirmitas; non prandendi neceſſitas, ſed ſalutis occaſio; divinæ virtutis opus, non humanæ pompa convivii.* Et hæ rationes pro Chriſto militârant, illæ pro Petri domo. Serm. 18.

In domo Petri, ut ait, *non vina, ſed lacrymæ fundebantur; turbabat ibi familiam, non cura convivii, ſed cura languentis: febris ibi, non edacitas æſtuabat. Unde illuc Chriſtus non epulas percepturus, ſed vitam redditurus intravit: Deus quærit homines, non humana, cœleſtia dare cupit, non concupiſcit invenire terrena: Chriſtus ergo recepturus nos, non noſtra quæſiturus.*

Iſtæ quas ſubjicio pro ſocru Petri: ſic enim Cap. 8. v. 14. Matthæus: *Venit IESUS in domum Petri, & vidit ſocrum ejus jacentem & febrientem.*

Vidit, inquit D. Chryſologus, *ad quod venerat, non aſpexit qualitatem domus, non occurrentium turbas, non ſalutantium pompam, non familiæ concurſum, certè non ipſum præparationis ornatum; ſed aſpexit gemitum languentis, febrientis attendit incendium; vidit periculum deſperata, & ſtatim manus ad opera ſuæ Deitatis extendit: nec ante ad humana diſcubuit Chriſtus, quàm mulier quæ jacebat ſurgeret ad divina.*

Porrò ut ſurgeret, hic adhibitus eſt quaſi cæremoniarum apparatus.

Primò *vidit*: videre Chriſti fuit amaſſe, fuit miſertum eſſe, fuit & benefeciſſe.

Tum etiam tenuit manum ejus, & dimiſit eam febris. verſ. 15.

Videtis, inquit D. Chryſologus, *quomodo dimittit febris, quem tenuerit Chriſtus: acceſſus illuc mortis nullus eſt, ubi vivificatoris ingreſſus eſt.*

Sed, inquit, *quæ neceſſitas tangendi erat, ubi inerat jus jubendi; ſed Chriſtus tenuit manum mulieris ad vitam, quia Adam de manu mulieris acceperat mortem.*

Tenuit manum ejus, ut quod manus præſumentis amiſerat, manus repararet auctoris.

Tenuit manum ejus, ut acciperet indulgentiam manus quæ carpſerat de morte ſententiam.

Hæ, interprete D. Chryſologo, rationes pro eo quod Chriſtus tenuit manum ejus; illa pro eo quod habet Lucas: *Et ſtans ſuper illam imperavit febri.*

Meritò ſtans, quia *ibi non ſtat infirmitas ubi author ſalutis aſſiſtit.*

Igitur Chriſtus ut Petri ſocrum curaret, vidit eam febrientem: dein tenuit manum ejus; tum ſtetit ſuper illam; denique imperavit febri, & imperaſſe fuit ſatis, & ſatis ut ſe probaret & ſoſpitatorem, & Deum; utpote cui parerent morbi, & mors ipſa, quæ erat in januis, & quam depulit unà cum febri.

Et hæc paucis ad primam & ſecundam hujuſce Quæſtionis partem: deſcendo ad tertiam, quæ exhibet ſocrum Petri jacentem, & febricitantem *magnis febribus*, ait Lucas, cujus occaſione quæro, quid ſit febris? & unde dicta? Alia atque alia eſt

febris,

febris; una corpus invadit atque inflammat, altera animum incendit, & hæc & illa dicitur à fervendo.

Febris corporis eſt calor exæſtuans, & quaſi verſus in ignem aiebat Servius.

Febris animi, eſt ardor concupiſcentiæ, & æſtus quidam libidinis, Gulæ, Avaritiæ, Invidiæ, & aliorum vitiorum: quot enim in mente vitia, tot & febres. Audi quid ſuper eo D. Ambroſius.

Lib. 4. in c. 4. Lucæ. *In typo*, inquit, *Socrûs Simonis & Andreæ, variis criminum febribus caro noſtra languebat, & diverſarum cupiditatum immodicis æſtuabat illecebris; nec minorem febrem amoris eſſe dixerim, quam caloris.*

Itaque illa animum, hæc corpus inflammat.

Hæc ubi generatim dixit S. Præſul, tum per omnia vitia ſacer Orator excurrit, & ait.

Febris noſtra Avaritia eſt, febris noſtra Libido eſt, eò quòd ignitæ ſint cupiditates: unde & Apoſtolus: *Si non ſe continent nubant, melius eſt nubere, quàm uri*: quod & probat in aliis quoque vitiis: ait enim: *Febris* noſtra Luxuria eſt, & febris noſtra ambitio eſt, febris noſtra iracundia eſt. Quæ licet corporis vitia ſint, ignem tamen oſſibus implicant, mentem, animum, ſenſumque perturbant.

Mentem, inquam, id eſt ſuperiorem noſtri partem, hoc eſt intelligentiam; ſenſum, id eſt inferiorem, quæ eſt concupiſcentia; denique & totum animum accendunt atque exurunt: præſertim verò ea, quæ eſt à Luxuria, cujus exemplum ſubjicit in *Theatima*, qui audiens à medico ſe perditurum oculos, ſi uxori miſceretur, libidine victus exclamavit: *Vale amicum lumen.* Sic febre libido flagrantior eſt, graviúſque præcipitat atque inflammat, & ita Theotimum præcipitavit, qui deinde cæcus redditus eſt.

Analogiæ concupiſcentiæ, & febris. Hactenus Mediolanenſis Antiſtes, à quo venio ad præcipuas febris & concupiſcentiæ analogias.

Prima. Prima eſt hæc: ſicuti febris fit, cùm noxius humor & vitioſus calor, naturali calori repugnans cor afficit, vel inficit: febris animæ fit, cùm voluntas hominis noxio amore concupiſcentiæ, qui Dei amori repugnet, imbuitur.

Secunda. Secunda, ſicut febris temperiem tollit humorum & qualitatum in corpore; ſic & animæ febris tollit temperiem paſſionum & actionum ejuſdem.

Tertia. Tertia, ſicuti febris corporis ex pulſu inordinato dignoſcitur: ſic & animæ febris excogitationibus & ſollicitudinibus nimiis, mentem crebrò & celeriter pulſantibus aperitur.

Quarta, ſicut febris corporis ſitim excitat atque acuit, quam febricitantes bibendo non extinguunt; ſed potiùs augent atque acuunt: ſic & febris animæ proritat ſitim opum, honorum, voluptatum, quæ tamen eas hauriendo non extinguitur, ſed augetur: quod verſiculo expreſſit Poëta: *Quò plus ſunt potæ plus ſitiuntur aquæ.* Quarta.

Quinta, febris plerumque ex frigore oritur, & deſinit in calorem atque æſtum; ſic & febris animi ſæpiùs oritur ex negligentia, torpore atque otio, & inde cupiditas ardorque Luxuriæ, à quo totus inardeſcit homo. Quinta.

Sexta, febris guſtum vitiat, ut dulcia atque mellea videantur amara; cujus hæc ratio è natura petita, quod ipſe guſtus, pravo aliquo humore ſit infectus: ſic & febris animæ, facit ut res divinæ, puta conciones, lectiones ſpirituales, pia colloquia, monita ſancta, penitus deſipiant. Sexta.

Septima, febris corpus ſanum, pulchrum, vegetumque, reddit infirmum, deforme, exſuccum, atque horridum: ſic & animæ febris eam facit debilem, turpem, ſpiritu vacuam, & quaſi exſuccam, atque enervem. Septima.

Octava, febris hominem ſic exagitat, ut quieſcere non poſſit, neque ſupinus, neque pronus, neque in latus: ſic & animæ febris eum facit inquietum, ut nuſquam conſiſtat, figatque mentem; ſed ab una cupiditate mox vertatur in aliam. Octava.

Nona, febris una ſubinde gignit aliam, Tertiana degenerat in Quartanam, quartana ſubinde in continuam, & frigida in ardentem: ſic & vitium unum, parit aliud. Acedia Gulam, Gula Luxuriam parit, Invidia in Iram tranſit, & ita de aliis morborum monſtris; monſtrum unum ex ſe generat aliud. Et hæc Cornelius aliique in Lucæ caput quartum. Nona.

Mitto febres alias atque alias, quibus laborat peccator ceu graviter infirmus. Acedioſus Hectica, Guloſus Quotidiana, Tertiana Inconſtans, Quartana Luxurioſus; Tumida Superbus; Sitibunda Avarus: ita cuique peccatori ſua eſt Febris.

QVÆSTIO TERTIA
MORALIS.

Ad illa verba: *Rogaverunt illum pro ea.* verſ. 38.

SITNE ROGANDVS DOMINVS PRO SANITATE OBTINENDA? Et quomodo, & à quibus?

ENIMVERÒ rogandus, & rogandum hic exemplo ſuo docuêre *Petrus* ipſe, aliique domeſtici, ſolliciti utique pro obtinenda ſanitate, quæ in humanis ferè eſt ſummum bonum, & ſine qua nullum propè eſt naturæ bonum: ſed tamen ita rogandus, ut ſemper adjiciatur ea conditio: *Si expedit.*

Timotheus D. Pauli diſcipulus, imò & Chriſto filius, cùm gravioribus & frequentibus infirmitatibus teneretur, non ſemel de iis monuit *Paulum*, ceu diſcipulus magiſtrum, ceu patrem filius, ut ab eo morbi remedium acciperet.

Quid deinde Paulus? an ut poterat Deum ſoſpitatorem pro eo rogavit, an eâ quâ pollebat miraculorum gratiâ uſus eſt? an ut aliis ſua ſaltem ſemicinctoria tranſmiſit, ut eorum contactu etiam ſolo ſanaretur? minimè. Hoc unum ſuaſit, quod ſuaderet gnarus medicus: Fili mi, perfer, & dura; noli adhuc aquam bibere, ſed modico vino utere propter ſtomachum tuum, & frequentes infirmitates tuas? ſed cur, inquies, illud tantùm? reſpondet D. Chryſoſtomus, quia Juvenis erat; inventus autem multa & hilari utens valetudine, obnoxia eſt multis & acerbioribus animi morbis.

Sciebat, inquit, *quod difficilis res eſt juventus. quod jactabilis, fallibilis, labilis eſt, & vehementiori indiget fræna: pyra enim eſt exteriora apprehendens omnia facileque & celeriter ſuccendens.* Homil. ad populum.

Hæc ubi extulit rationum inſtar omnium, tum ſubjicit illud dignum Cedro: *infirmetur corpus, & non infirmetur animus.* Nempe cùm infirmatur illud, hic firmatur, & ſi fortè infirmus ſit, convaleſcit. Auguſtinum audi, multa doctum experientia.

Tract. 7. in Ioan.

Quàm multi, inquit, *ægrotant in lectulo innocentes qui ſi ſani eſſent procederent ad ſcelera committenda? quàm multis obeſt ſanitas? latro, qui procedit occidere hominem, quantò melius illi eſſet, ut ægrotaret? qui nocte ſurgit ad fodiendum parietem alienum, quantò illi melius ſi febribus jactaretur? innocentius ægrotaret, ſcelerate ſanus eſt?* Hæc S. Præſul, quo judice multis expedit magis ut ægri ſint quàm ut ſani, ideóque cùm alicui petitur ſeu Deo, ſeu etiam à Sanctis ſanitas, addendum iſtud quod eſt prudentiæ, quod & charitatis, ſi expedit.

D. Petro Apoſtolorum Principi uxor fuit nomine *Perpetua*, ea qua ſuſcepit filiam unicam, cui nomen *Petronilla*: hanc natura finxerat, ornaratque mira atque amabili pulchritudine, à qua & omnibus amori erat & ſtupori. Ne porrò hæc ei aut aliis eſſet illecebra atque incitamentum ad cupidinem, ſeu ea vetita eſſet, ſeu etiam licita in honeſto conjugio, ſuavis Dei providentia in primo ætatis flore morbum immiſit, & lecto affixit, tenuitque per annos: erat ille paralyſis, à qua & ſibi erat onerι, & aliis, qui pertæſi & moleſtæ & longæ illius ægritudinis Petrum rogarunt, ut qui vel ſola ſua ombra morbos depelleret ab aliis: depelleret & à filia eam qua laborabat paralypſim, & qui in extraneos beneficus eſſet, eſſet & in filiam: quibus ille: *Non expedit ei.* nimirum pro ea qua valebat propè cœleſti intelligentia, pervidebat pro virtute, pro gratia, proque beatitate æterna, melius eſſe filiæ ægram eſſe, & paralyticam, quàm omni morbo vacuam.

Tum ne à favore in domeſticos, ne ab amore in filiam, ne à beneficentia in indigam deficere videretur, néve poteſtate apud Deum, & prona benefaciendi voluntate carere, ſic ad filiam: *Surge Petronilla, & menſæ miniſtra.*

Surrexit illa, & menſæ miniſtravit omninò valens ac valida: abſoluto deinde miniſterio, parentis nutu juſſuque, iterum ſe lecto reddidit, atque eadem qua prius occupata paralyſi, neque ea libera fuit uſquedum periculo libera; periculo, inquam, perdendæ virginitatis, quam Deo voverat.

Et verò valenti ac vegetæ periculum fuiſſe, ex eo conſtat, quòd deinde poſt annos complures ad eam venerit & genere nobilis, & divitiis fortunaque ſpectabilis adoleſcens, nomine *Flaccus*, qui eam ſibi in conjugem depoſceret, cui illa nec annuit, nec renuit; ſed trium dierum inducias petiit, quibus exactis, gynecæum ſibi mitti petiit. Interea verò ad Deum pro virginitate tuenda ſupplex venit, ſupplicem cœlum audiit, & die tertio ſacerdotem ſubmiſit *Nicodemum* nomine, qui in ædibus illius & Miſſam celebravit, & Venerabile miniſtravit, futurum illi in Cœlum uſque pro viatico.

Et certè fuit; mox enim eo accepto virgineam animam Deo reddidit.

Advenere interea Flacco ſubmiſſæ virgines, futuræ utique Petronillæ & ſponſæ comites, & celebraturæ (ut credebant) & ſponſalia & nuptias; ſed & mortuam invenere: pro his & illis pompam funebrem ducere, non ſine ſtupore, mœrore & lacrymis.

Et hæc certa fide ex Annalibus, & illius geſtis ac vita, ex qua colliges veritatem ejus oraculi, quod tum fuderat ejus parens: *Non expedit ei.*

Et verò non expediſſe ex eo conſtat, quòd valens virginitatem amiſiſſet, quam ſervavit ægra, nec eſſet Sanctorum faſtis aſcripta, ſi ſponſa, ſi nupta, uti deinde fuit cùm virgo; nec miraculis inclaruiſſet uxor, & ſponſa Flacci, ſicut inclaruit virgo, & ſponſa Chriſti.

Ex quibus maneat iſtud, Nec Deum nec Sanctos pro obtinenda ſanitate invocandos, niſi addito pro coronide effato illo: *Si expedit.*

Et ſanè ſi morbum, atque ex eo naſci ſolitas affectiones attendas, expedit magis eo detineri etiam in lectulo quàm libero pede vagari: *morbus* enim eſt *opportunus monitor*; monet quippe nos humanæ ſortis, & mortalitatis.

Morbus eſt monitor opportunus.

Tum etiam ad vitam piè atque ex virtute inſtituendam hortatur, atque urget, ceu ſeverus cenſor: quod ipſum agnovit, atque expreſſit Theodorus Archiepiſcopus Colonienſis: rogatus enim à Sigiſmundo Imperatore, quæ compendioſa eſſet ad virtutem via, reſpondit:

Via ad palmas.

Si tuam vitam ita inſtitueris, uti facturum te promiſiſti, dum calculus, aut podagra, aut alius morbus gravior te oppreſſit.

Deniq; eſt brevis & certa via, quæ ducit ad palmas, ad coronas: ita duxit *S. Ligduinem*, quam amabilis & admirabilia ſimul Dei providentia per annos octo ſupra triginta aliis atque aliis morbis exercitam voluit, & cui ut animos faceret humano altiores & ſuo ſexu, in extaſi illi ſpectandam dedit coronam, pretioſis gemmis illuſtrem, atque ornatam mira luce ac varietate. Et hæc illi: *Abſoluta eſt tua corona*, qua donaberis, qua lucebis in Cœlo, & tota æternitate.

a S. Lidwina.

Ejus corona

Propter has aliasque rationes multis expedit malè valere, paucioribus benè: ideóque cùm Deus rogatur, aut Sanctus, ſive pro impetranda, ſive pro retinenda ſanitate, addenda hæc clauſula ſalutaris, *Si expedit.*

S. Audomarus Tervani olim Epiſcopus, cùm annis compluribus orbus fuiſſet oculis, & lucis uſura, atque ad S. Wedaſti ſepulchrum eam recepiſſet, memor ſe non addidiſſe eam clauſulam, *Si expedit*, ad ejuſdem Divi tumulum rediit, enixèque rogavit, ut ſi cœcitas ſaluti magis eſſet congrua, illam rurſus pateretur, & ecce aliud miraculum, impetravit enim illicò, & reliqua vita paſſus eſt.

Supereſt ultima pars motæ initio quæſtionis, ſcilicet à quibus petenda ſanitas? in aperto eſt reſponſio. Primum à Deo ter Opt. ter Max. deinde à Chriſto reparatore univerſi, tum etiam à Diva Matre, quæ ſecundùm Deum eſt Omnipotens, denique à ſanctis qui cœlis redditi ſunt, & beatitati, potiſſimùm autem ab iis, quibus Deus tribuit privilegium curationis hujus, aut illius morbi.

Sic S. Genovefa opitulari deprehenſa febribus: ſic & S. Hugo monachus Curiæ Dei, ſic & Abraham Eremita Arvernenſis, ſic & S. Quintianus Epiſcopus Arvenorum, ſic & S. Sylveſter Epiſcopus Cabilonenſis, & S. Iſidorus 15. Maii.

S. Genovefa febribus medetur.

Sancti qui variis morbis medentur.

Podagra S. Gebuinus Lugdunenſis Epiſcopus, S. Gobrianus Epiſcopus Venetenſis.

Chiragra S. Gerebrenus Martyr.

Calculo S. Syria Virgo Trecenſis, & S. Drogo 16 Aprilis colitur in Belgio, non procul Valencenis.

Iiſdem morboſis Iliacis S. Rolendis 13 Maii, Sternnnus, S. Marchulphus.

Peſti S. Rochus, S. Hippolitus, S. Macarius, S. Sebaſtianus, & noſtra hac ætate S. Franciſcus Xaverius.

Angina S. Wibertus Epiſcopus Verdenſis.

Epilepſiæ S. Maturinus, S. Lupus Epiſcopus Senonenſis, S. Emiemundus Lugdunenſis Epiſcopus, S. Nanphoſius.

Cancris S. Fiacrius.

Cardiaco morbo S. Dulciſſimus Agennenſis Epiſcopus.

Dolori capitis S. Cæſaria Avennionenſis.

Morſui canum rabidorum S. Hubertus primus Leodienſium Epiſcopus.

Morſus ſerpentum S. Amabilis.

Ophtalmia S. Phara Virgo, & S. Clarus Wulcaſſinus.

Fluxui

Fluxui ſanguinis S. Conſortia, & S. Aſclepius Epiſcopus Lemovicenſis.

Et hi ferè ſunt quos & Aotiquitas coluit atque amavit ceu interceſſores & patronos, ceu etiam veluti corporum animorumque medicos, quos noſtri tenet compaſſio; major profectò in Cœlis, quàm aliquando in terris: Ut enim D. Bernardus, *Sanctus quiſquis is eſt, neque quia impaſſibilis omninò, ideò & incompaſſibilis factus eſt; ſed nunc potius viſcera miſericordiæ, cùm ante fontes miſericordiæ exiſtit.* Hos porro fontes è Divinitate ceu Oceano Miſericordiæ effluere facit quoties à morbo ſua eſt mortalibus miſeria, ſua & afflictio.

In prima hujus Univerſi molitione, Firmamento Deus infixit Stellas, majores alias, alias minores, quæ non ſolùm luce ſuâ terras perfundant; ſed & ſuas influentias demittant in hominum capita, eoſque benè afficiant.

Quod Firmamento Stellæ, hoc & Sancti Cœlo ſunt; & quod Stellis influentiæ, hoc & Sanctorum beneficentia eſt erga miſeros mortales: fluit hæc in hos atque illos, & huic febrium ignes extinguit, illi lentam Podagræ Chyragræque alluviem ſiſtit, iſti calculum eruit durumque ſaxum, alteri ſanguinis fluxum cohibet, alia alia morborum genera depellit, & hoc quidem ſuâ apud Deum interceſſione, quæ ſanè efficax eſt, imò & propè omnipotens. No ſit injuria verbo, omnipotentem dixit Clemens Lib 1. Alexandrinus: *Oratio*, inquit, *dominans eſt, imò & omnipotens.* Strom. Quòd ſi omnipotens in terris, multò magis in Cœlis: in his certè morbis imperat, imperat & morti; dominatur huic & illis, ut liquidò videbis in Sanctorum Annalibus, in quibus nullum eſt morborum genus, quod non ſit deterſum expulſumque interceſſione alicujus è Cœlo Divi: Conſultò abſtineo ab exemplis, quia cuique occurrere poſſunt.

****

FERIA SEXTA

HEBDOMADÆ TERTIÆ QUADRAGESIMÆ.

LECTIO hujus Evangelicæ lucis multis nominibus commendata, & multis rebus illuſtris.

Primùm à loco & civitate Samariæ, quæ dicta eſt *Sichar*, in qua Abraham primum Deo ſacrificium obtulit, & terræ illius promiſſionem accepit: tum etiam à Iacob, qui revertens à Meſopotamia, ibidem tabernaculum fixit, & puteum fodit: deinde à Ioſepho qui moriens in Ægypto, ſua oſſa eò transferri juſſit, & ibidem velut in prædio ſuo ſepulchrum voluit invenire: denique à CHRISTO in ejus aſcenſu fatigato, & colloquio cum muliere Samaritana, in quo quot verba, tot myſteria, tot oracula, quæ paucis exponere eſt animus.

QUÆSTIO PRIMA
LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *IESUS ergo fatigatus ex itinere ſedebat ſic ſupra fontem.* Joan. cap. 4. verſ. 6.

VNDE ILLA CHRISTI FATIGATIO? Et quid in ea arcani myſterii?

Rationes illius fatigationis. VIDEBITUR fortè cuipiam ea quæſtio difficultatis omnis vacua, vacua & arcani Myſterii: Ecquid enim dicet unus aliquis, an non in aperto eſt reſponſio? *ex itinere*, ex aſcenſu ardui montis fatigatus erat: non abnuo; ſed in ea ipſa fatigatione, myſteria Dei arcana agnoſco & veneror. At quænam illa? alia ſunt atque alia.

I. Ratio. Primum ut in luce Univerſi eſſet veritas Corporis Chriſti: futurum enim erat, ut in hoc arietarent conſequentibus longè ſæculis Hæretici.

Manichæi eorumque ſequaces effutire aliquando debebant Chriſti Corpus verum non fuiſſe; ſed apparens tantùm, ſed phantaſticum, quale ſubinde aſſumpſere Angeli atque ex aëre formaverunt, ut ſe darent in conſpectum hominum: & ſi tale fuiſſet, certè fatigari non potuiſſet: ut ergo tale non fuiſſe conſtet, fatigari potuit ac debuit; verum enim corpus fatigatur, non autem phantaſticum.

Deinde alii hæretici mentiri debebant, ac fingere iſtud: verum quidem fuiſſe Chriſti corpus, veram & carnem; ſed quæ non eſſet paſſibilis; ſed impaſſibilis virtute illi connexæ Divinitatis, à qua veluti ſpiritualizata Chriſti caro, & talis reddita, qualis ferè futura eſt in die Reſurrectionis, in quo etſi vera caro, verumque corpus, impaſſibile tamen illud. Ita de Chriſti corpore ſenſit Valentinus hæreticus, aliique propè innumeri, quorum hæreſis impugnatur ac deſtruitur, cùm dicitur JESUS ex itinere fatigatus: fatigari enim eſt pati, & fatigatio eſt

paſſio,

paſſio, cujus hæc eſt altera ratio.

II. Ratio. Ea nimirum in humanis, quò perfectior eſt complexio, cujuſque corporis, eò tenerior, eò ad ſenſum doloris atque defatigationum facilior, quod ipſa docet experientia: ſit ruſticus unus aliquis, ſit agricola labori à teneris unguiculis aſſuetus, onus ille feret, cui ferendo par non eſſet Princeps; itineris labores, & ardua montium ſuperabit ſine ſudore, ſine fatigatione, quod non faciet tenellula virgo; ratio eſt, quòd Principis & virginis caro quandam habeat teneritudinem, quam ei intulit corporis complexio & compago. Et eo fuit in Chriſto, cujus caro tenerrima, & complexio delicata, imò facta fictaque à Spiritu Sancto, ut eſſet aptior ad omnem doloris ſenſum: in quo ſanè miraberis atque amabis Dei in genus omne noſtrum bonitatem atque indulgentiam, diſcrimenque quod eſt inter corpora noſtra, & Chriſti Corpus.

In hoc ſtatu naturæ lapſæ corpora noſtra paſſibilia ſunt, mortalia ſunt, & in cineres abitura; verùm ut ea eſſent ex Dei conditoris intentione, non ſunt facta: nec enim in prima Univerſi molitione hominem condidit Deus, ut pateretur, ut moreretur; ſed potiùs contra ne pateretur, ne moreretur effecit: ut enim rectè Sapiens: *Deus creavit hominem inexterminabilem*, id eſt eum, qui nec à dolore, nec à morbis exterminari poſſet; quod ſi deinde, & doloribus, & morbis, & morti obnoxius fuit; culpa fuit hominis, non naturæ; culpa Adami, non Dei mens atque intentio.

Cap. 2. v. 22.

Secus omninò fuit in Chriſti Redemptoris efformando corpore; hoc enim eo fine, eâque intentione, à Spiritu Sancto efformatum eſt, atque fabricatum, ut pateretur, ut moreretur pro ſalute generis noſtri, ideoque tenerrimum, & delicatiſſimum, ut magis capax eſſet doloris, atque ad omnem mali ſenſum aptior, ſecluſo tamen omni vitio, quod connexam haberet culpæ maculam, aut quod ex ea naſceretur.

Et hoc ipſum eſt, quod tot ante ſæcula extulit Chriſtus ipſe Salvator noſter, dum ſic ad Patrem æternum Davidis ore, calamoque: *Corpus perfeciſti mihi*, vel ut alii legunt *Aptaſti mihi*; perfectiſſimum ac tenerrimum, ut aptius eſſet ad omnem patiendi, & moriendi ſenſum: in quo mirè commendatur Dei in nos bonitas.

Pſal. 39. v. 7.

III. Ratio. Sed ex alio capite Chriſtus ceu *Pontifex Confeſſionis noſtræ*, ut ait Apoſtolus, Judæam ceu commiſſam ſibi à Patre Æterno diœceſim viſitabat, & quidem pedes, ut animas perditas, ceu bonus paſtor, quæreret, & cœleſti redderet ovili, & quia pedes, hinc & fatigatus, non neceſſitate, ſed prona ſua voluntate.

Heb. c. 3. v. 1.

Poterat labore nullo, ab una urbe in aliam, à provincia in provinciam, à regno in regnum, ab uno orbe ſi voles in alium tranſire ſubvectus ipſis ventorum pennis; is enim erat, de quo Vates regius: *Qui ambulas ſuper pennas ventorum*.

Pſal. 17. v. 11.

Poterat quadrigas ſibi facere volatiles, & currus, & equos igneos, quales olim Eliæ fecit, & dedit. *Quadriga tua ſalvatio*: Is enim erat qualem prius Abacuc Propheta.

Cap. 3. v. 8.

Poterat efferri nobilioribus, & cœleſtibus ferculis, curruque geſtatorio, quale dediſſent Angeli, quale & Seraphini, milleni illi, atque milleni. *Currus enim Dei decem millibus multiplex millia lætantium, & Dominus in eis*.

Pſal. 67. v. 18.

Poterat & virtute conjunctæ ſibi divinitatis, nullo hominum, nullo & Angelorum miniſterio devehi, atque deportari quò voluiſſet, ſudore nullo, labore nullo, fatigatione nulla: non tamen voluit: ire pedes voluit, voluit & fatigatus ſedere *ſic* humi, ſcilicet aut in duriore ſaxo, ut ſolent defeſſi viatores, & quidem ad fontem ſeu puteum, refrigerii & potûs causâ. Erat enim hora *quaſi ſexta*, hoc eſt meridies, quando fervet æſtus, qui & viatori ſitim conciliat atque fatigationem: ſed cur hanc, & illam pertulit?

Rationem hanc reddit D. Chryſoſtomus, mollem & laſcivam vitam expellens, laborioſam autem & difficilem nos erudiens.

IV. Ratio. Quartam rationem addit D. Auguſtinus, qui præ ſtupore à ſe quodammodo alienus exclamat. *Iam incipiunt myſteria: non enim fruſtra fatigatur IESVS: non enim fruſtrà fatigatur virtus Dei: non enim fruſtra fatigatur, per quem fatigati recreantur: non enim fruſtra fatigatur, quo deſerente fatigamur, quo præſente firmamur. fatigatur tamen IESVS, & fatigatur ab itinere, & ſedet juxta puteum, ſedet, & hora ſexta fatigatus ſedet.*

Ubi fatigatum dixit, omniaque, quæ circumſtabant adjecit, videlicet, modum, locum & horam, tum occulta fatigationis myſteria aperit: ſubdit enim: Tibi fatigatur JESUS, invenimus fortem JESUM, & invenimus infirmum JESUM, fortem & infirmum: fortem, quia omnia per ipſum facta, & ſine labore facta ſunt: infirmum, quia *Verbum Caro factum eſt, & habitavit in nobis.*

Hæc ubi extulit, tum ſubiicit, quid nobis ob illa fortitudine boni, quid etiam ab infirmitate? ſic enim ait: *Fortitudo te creavit, infirmitas Chriſti te recreavit: fortitudo Chriſti fecit, ut quod non erat, eſſet. infirmitas Chriſti fecit, ut quod erat non periret: condidit nos fortitudine ſua, quæſivit nos infirmitate ſua.*

Ecce myſteria, ecce arcana, quæ latebant vel in hac una vocula fatigatus, cujus vel amore vel ſtupore dum capitur Eccleſia, ceu bona mater, ſui filii nomine ſic Chriſtum orat:

Quærens me ſediſti laſſus,
Redemiſti Crucem paſſus
Tantus labor non ſit caſſus. Rectè enimverò.

Quærens me *ſediſti laſſus*, uti olim quærens Samaritanam, ſediſti quoque laſſus. Sed unde laſſus? V. Ratio.
Dicet S. Bernardus, amore laſſus, amoris vi, & violentia laſſus.

O ſuavitatem! ô gratiam! ô amoris vim! exclamat ille ipſe S. Præſul, *fatigatus IESVS, laſſus IESVS: ſed quis hoc fecit? amor dignitatis neſcius, dignatione dives, affectu potens, ſuaſu efficax. Quid violentius? triumphat de Deo amor & de Chriſto.* Serm. 64. in Cant. in fine.

Christi zelus. Errarat Samaritana, & jam ſextùm adultera, uti opinatur S. Chryſoſtomus & Maldonatus, quinque enim viros habuerat, & quidem omnes illegitimos, & nunc etiam eum, quem habebat illegitimum. Quid Chriſtus? ovis erat errabunda, animula errans, & perdita, reducere parat in ovile bonus Paſtor, parat & ſalvare Salvator optimus, & dum quærit & ſalvat, ex itinere fatigatus ſedet, & quidem *hora ſexta*, id eſt in meridie, quo maximè fervet æſtus: quod non ſine numine obſervat Evangeliſta, & notant SS. Patres, apud quos hæc ſtatuitur regula.

Quoties in aliqua hiſtoria exprimitur circumſtantia temporis, hanc vult ſic intelligi, ut inveniatur in corde illius, de quo eſt ſermo.

Abrahæ caritas in peregrinos. Ita dicitur Abraham in meridie, in ipſo diei fervore atque æſtu proſilire ſolitum ad oſtium tabernaculi ſui, ut peregrinos adventantes, atque ex itinere atque calore defeſſos, invitaret ad ſe, atque reficeret.

Gen. c. 18. v. 1. In oſtio tabernaculi ſui, in ipſo fervore diei, inquit Scriptura, ut indicet talem in corde Abraham fuiſſe caritatis æſtum, talem & fervorem, qualis erat in ipſo meridie dieique fervore: talem fuiſſe intus qualis & foris: & hæc temporis circumſtantia etiam notatur in Chriſto, ſcilicet *hora ſexta*, ſive meridies, ut indicetur quis eſſet in Chriſto amoris æſtus, amoris fervor, amoris incendium, à quo dum ſolvitur & liqueſcit totus, quid mirum ſi ſedeat

ſcat fatigatus, fatigat enim amor, uti ſatigat calor, quia & ipſe amor calor eſt.

Amor eſt pondus. Addo, quod & pondus ſit: ut enim D. Auguſtinus. *Amor meus pondus meum, eò feror, quocumque feror.* Quod ſi in homine amor pondus eſt, quidni & in Deo Chriſto ſit pondus: quod ſi pondus, certè & cauſa fatigationis.

VI. Ratio. Sed & aliud erat pondus etiam incumbens Chriſto, peccata nimirum ipſius Samaritanæ, & vita priùs acta in cœno luxuriæ atque adulterii cum ſex omninò viris per tot annos reperita; illa Pater Æternus impoſuerat humeris Filii ſui (uti & peccata hominum omnium) aggravabant atque fatigabant illa Chriſtum, ſic ut ferè ſuccumberet oneri; nec mirum, ut ſcitè D. Chryſoſtomus:

Hom. 1. de pœnit. *Nihil tam ponderoſum & grave, quàm peccatum,* quod demonſtrat in peccato Jonæ à Domino fugientis.

Peccati pondus. Navis, qua vehebatur Propheta, cœpit agitari ventis, quaſſari fluctibus, concuti procellis, & tantùm iis non obrui atque deprimi. Quid interim nautæ? quid vectores? exonerare navim, armamenta in mare projicere, & omni, ut rebantur, pondere allevare: neque tamen ideò conquieſcunt venti, neque ſubſidit mare, neque jactari deſinunt undæ; nimirum aliud erat pondus, quo gravabatur navis; pondus ſcilicet peccati ipſius Jonæ à facie Domini fugientis.

Suprà. *Navis Propheta corpore gravabatur, non corporis magnitudine; ſed peccati: nihil enim tam grave atque oneroſum invenies, quàm peccatum,* inquiebat olim D. Chryſoſtomus.

Quid igitur remedii in eo naufragii & ſalutis periculo? quis modus in fœda jactatione irati maris & fluctuum? Ejicitur è navi Jonas, in mare demergitur: & ecce mirum dictu viſuque, illicò ſilent venti, pacatur mare, & ſua oceano redditur tranquillitas. Quæ cauſa? non alia, quàm ea, quòd navis levetur pondere peccati, pondere peccatoris Jonæ: nempe tantum illud erat, quantum nec ipſa ferebant elementa: nec ipſe Chriſtus in Samaritana, cujus peccata dum in ſuos humeros tollit, non quidem quoad culpam, ſed quoad pœnam, iis mirum quantum aggravatus atque fatigatus; ſedet ad oram putei, & ſedet ſic, ut ſcilicet ſolent ex itinere fatigati, anheli, æſtuantes, ac ſitientes.

Sed à Jona atque Samaritana diſcedo, atque ad te venio, ô peccator quiſquis es: dum te ad pœnitentiam quærit, inveſtigat Chriſtus ad ſalutem, ipſe per occultas inſpirationes, per pios motus, nonne ſi oculis cernere liceret, cerneres etiamnum fatigatum? cerneres anhelum? cerneres & ſitientem ſalutem tuam? cerneres enimverò ſi non oculis corporis, at ſaltem animi: ſed quia non cernis, ideò nec in Chriſto vides illud tuum onus, nec in teipſo etiam ſentis.

Peccatoria inſenſibilitas unde? Ecquid enim? nunquid ab illicita Venere, qua teipſe polluis, agilis es & levis; nunquid à mendaci, mordacique lingua, qua proximi tui famam bonumque nomen laceras, abis illicò è conſeſſu, & ſaltitas, & prope volitas ad alia ſcelera, ad illecebras gulæ, ad lenocinia voluptatum, ad ambitionis & glorioſæ fumos, vacuus ut credis ab onere, liber à peccati pondere.

Liber omninò & vacuus ab omni cura: At cur ſic liber & vacuus? dicam tibi: à culpa evenit quod elementis à natura: hæc in locis ſuis naturalibus, & in ſuo quaſi centro, non gravitant, uti docent plerumque Philoſophi, & ipſa quoque probat experientia: Sit urinator unus aliquis, dejiciat ille ſeſe in mare, & à ſummo ad ima deſcendat oceani, nullam ille gravitatem, nullum ſentit aquarum pondus; etſi immenſa ei incumbat aquarum moles, quod ſi ab illa ſibi reddatur & libero cœlo, hauriatque ex illa oceani abyſſo ſex dumtaxat aut ſeptem hydrias aquæ, jubeaturque humeris imponere, efferreque in montem, aut etiam colliculum, ſtatim ſentiet aquæ pondus, & ſub illo gemet, & fortè etiam fatiſcet. Quæ cauſa? quia, ut dixi, aqua in proprio & naturali loco non gravitat; at verò in alieno, & quaſi violento, vel maximè gravitat.

Quod urinatori ſub aquis uſu venit, hoc & peccatori; mergitur hic in profundum, in abyſſum ſcelerum ſuorum, neque tamen illius pondus, illius gravitatem ſentit: *Impius, cùm in profundum venerit, contemnit,* inquit Sapiens. Cap. 18. v. 3.

At cur contemnit? quia non ſentit illius pondus.

At rurſum cur non ſentit? quia peccatum & impietas eſt in loco ſuo naturali. Sed iterum quis ille? Eſt voluntas inordinata, eſt paſſio & affectus inſolens, in quo peccatum omne, ceu in centro, ceu in loco naturali reſidet, & quieſcit; & quamdiu in eo manet peccator, non ſentit peccati pondus: redde illum voluntati ordinatæ, redde rationi, educque ex profundo aquarum, hoc eſt ſcelerum ſuorum, & mox ſentiet, quàm grave, quàm oneroſum ſit peccati pondus.

Exemplo res erit illuſtrior: adulterio gravius nihil eſt, & tamen cùm in eo eſt adulter, non ſentitur ipſius gravitas: quæ ratio? quia adulterium eſt in loco ſuo proprio ac naturali, quieſcit in paſſione illa carnali, in affectu libidinoſo erga ſcortum, & quamdiu in eo quieſcit, non ſentit peccati ſui pondus: affulgeat illi lux aliqua de Cœlo, aperiatur illi mentis oculus, atque hoc veluti duce moveatur voluntatis affectus, convertatur ad Deum, avertaturque à creatura, & mox percipiet quanta ſit peccati ſui gravitas, quantumque pondus.

Quod olim videre licuit in Davide: abierat ille totus in illicitos Bethſabēe amores, & in illis quieſcebat, altúmque dormiebat, ſine ullo doloris ſenſu, ſine conſcientiæ remorſu, ſine intellectu, nec ſe videbat, nec peccati ſui fœditatem. Quid deinde? Adeſt Propheta Nathan, & ſub unius oviculæ parabola (quam rapuerat à pauperculo vir dives) obductum oculis velum tollit, videt ille, agnoſcit, horret, ac deteſtatur adulterium ſuum, moxque erumpit in illud pœnitentis: *Peccavi Domino.* Cur ita? quia aperti oculi, mutata in melius voluntas, & hinc redit doloris ſenſus, & peccati gravitas, velut plumbi maſſa, animo incumbit, unde & exclamat: Davidis adulterium.

Iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me. Pſal. 37.

QUÆSTIO SECUNDA

HISTORICA ET MORALIS.

Ad illa verba: *Venit mulier de Samaria haurire aquam.* verſ. 7.

QUÆ, ET QUALIS FUERIT ILLA MULIER ANTE converſionem? Quæ dèinde poſt converſionem?

IN eo colloquio quod habuit Chriſtus cum muliere Samaritana, inter alia, hæc illi: *Vade voca virum tuum, & veni huc*; cui mulier dixit: *Non habeo virum*: cui deinde JESUS: *Benè dixiſti, quia non habeo virum: quinque enim viros habuiſti, & nunc quem habes, non eſt tuus vir.*

verſ. 16.

verſ. 17. 18.

Ex quo Chriſti Domini effato colligit D. Chryſoſtomus, quæ, qualiave fuerit ea mulier *Samaritana*, cui adhæſit nomen illud appellativum à Samaria, unde exierat; alioqui nomen illi proprium *Photina*, quod colligere eſt ex Martyrologio Romano, ut infra oſtendemus. Interea excutiemus quid ex illo Chriſti pronuntiato: *Bene dixiſti, non habeo virum; quinque enim viros habuiſti, & nunc quem habes, non eſt tuus vir.*

Samaritanæ quod proprium nomen.

Ex hoc, inquam, D. Chryſoſtomus, aliique non pauci conficiunt, primò mulierem exlegem eſſe.

Apud Samaritanos ea lex fuit & quidem ſevera, ut nemo pluries, quàm quinquies, matrimonium iniret; rebantur nimirum illi ſive viro, ſive mulieri ſatiandæ libidini plus ſatis fuiſſe; quinquies matrimonium contraxiſſe, nec licebat ulli ad ſextas nuptias tranſire; ſecus ſi feciſſet habebatur & exlex, & infamis à prohibita venere, & talis paſſim audiebat *Samaritana.*

Matrimonii lex non plus quinquies.

Habuerat illa quinque viros, ſive in legitimo toro, ut opinatur S. Auguſtinus, Beda, Euthymius, Rupertus, ſive illegitimo, uti credit S. Chryſoſtomus, Maldonatus, neque hi ſatis fuerant explendæ libidini, aſſumi debet ſextus, non maritus, ſed adulter, quo cum domi velut ſcortatori lupa conviveret, non ſine infamiæ nota.

Epiſt. 2. ...

D. Baſilius ad Amphilochium, aiebat Trigamiam, ſive tertias nuptias eſſe Eccleſiæ inquinamenta: ſic enim ad illum.

Trigamos ſæpe tribus & quatuor annis ſeparabant; id autem non nuptias, ſed *Polygamiam* appellabant, vel caſtigatam fornicationem; & ideo Dominus Samaritanæ, quæ quinque maritos jam habuerat, quem nunc, inquit, habes, non eſt maritus, nempe quod digni non ſint, qui à Digamiæ menſura exciderunt, ut vel mariti vel uxoris nomine appellentur.

Hæc S. Baſilius, cujus venia dixerim, aliter nunc ſentire Eccleſiam, quæ & quartas, & quintas, & ſextas, & ſeptimas, imò & plures nuptias admittit, licet ſentiat indecentes eſſe & incontinentiæ indices, quod fortè tantum voluit D. Baſilius.

Nuptiæ jam quoties licitæ?

Verùm ut ut ſit, in Samaritana vitio dari debuit, quod poſt quinque Nuptias etiam ſcortum admiſerit, quo cum propudioſa in libidine viveret, contra patriæ leges, & ſtatuta, & contra gentis illius morem, apud quam illicitum erat & infame, declinare ad ſextas nuptias, multoque magis etiam ſine his alteri viro ſeſe proſtituere, uti fecit Samaritana, cui proinde Chriſtus: *Et nunc quem habes non eſt tuus vir.*

In quo ſanè mireris, & ames Servatoris modeſtiam, & in corripiendo gratiam atque manſuetudinem; nec enim in faciem objicit mulieri: Tu es adultera, tu es fornicaria, nec acre quippiam obtrudit, uti certè poterat; ſed unum ei ſub oculos ponit: *Quem habes non eſt vir tuus*, in quo tamen tacitè inſinuat cum eo fornicari, licet illud occultum ſit, & ſe noſſe, ac proinde Prophetam eſſe & Meſſiam, ut qui ſecreta & occulta penetraret.

Et verò penetraſſe ſatis advertit *Samaritana*, quæ ſic ad JESUM: *Domine, video quia Propheta es tu*, ut qui occulta pervadis, atque in lucem apertumque ponis: & hoc initium fuit initæ in melius vitæ: ut enim ſcitè Rupertus, *una eademq; confeſſione & de ſe confeſſa eſt, quod erat* (quod fuit humilitatis) *& de illo, quod eum eſſe intelligere poterat* (quod fidei fuit) *minus quidem, & longè minus, quàm ille: erat, confeſſa eſt; ſed confitendo quantum perceperat, dignam ſe fecit, cui crederet IESUS totum quod erat*; nempe ſe Meſſiam eſſe, *quia ſalus ex Iudæis eſt*, Syrus vertit, *quia vita ex Iudæis eſt*; nimirum, quia ego Chriſtus, qui ſum author ſalutis, à Deo miſſus ſum, non ex Samaritanis, ſed ex Judæis natus.

Cui mulier, *Scio quia Meſſias venit*, id eſt adventat, & mox aderit. Dicit ei JESUS: *Ego ſum qui* verſ. 18. *loquor.*

Hæc ut audiit Samaritana, *reliquit hydriam ſuam,* v. 28. *& abiit in civitatem Sichar, & dicit illis hominibus: Venite & videte hominem, quia dixit mihi omnia quæ-* v. 29. *cumque feci.* Numquid ipſe eſt Chriſtus? quibus in verbis duo notat: Primùm quod recepto in corde Chriſto Domino quid faceret, niſi jam hydriam dimittere; alterum niſi Evangelizare curreret.

Venerat, inquit D. Chryſoſtomus, *hauriendæ aquæ gratia, & cùm verum fontem inveniſſet, contempſit alterum, & supernâ veniente gratia, apoſtolico munere fungitur.*

Hæc nimirum mutatio dexteræ excelſi, hæc ad meliora converſio, hæc illuſtria magnarum virtutum decora, quæ ſtylo melleo notavit D. Ambroſius, dum ſic ait:

Samaritanæ virtutes.

Novo admirationis genere mulier, quæ ad puteum Samariæ meretrix advenerat, à Chriſti fonte caſta regreditur, & quæ aquam petere venerat, pudicitiam reportavit.

Statim etiam indicante Domino ſua peccata, recognoſcens confitetur Chriſtum, annuntiat Salvatorem, & relinquens aquæ vaſculum, ad civitatem non fert hydriam, ſed refert gratiam.

Et gratiæ.

Vacua quidem reverti videtur onere, ſed plena revertitur Sanctitate; plena inquam redit, quia peccatrix advenerat, revertitur prædicatrix, & quæ hydriæ vaſculum amiſerat, Chriſti plenitudinem reportabat: in nullo civitati ſuæ inferens detrimentum: Etenim ſi aquam civibus non intulit, tamen fontis ſalutem invexit.

Hactenus ſuavi eloquentia D. Ambroſius, ex quo habes à converſione quàm alia fuerit à ſeipſa, etiam in vita: accipe quî deinde in morte.

Franciſcus Bivarius in Commentario Chronici ad Annum Chriſti 60. ex actis Italicenſium, quæ Jeremias

Jeremias Patriarcha Conſtantinopolitanus Anno Chriſti 180. è Græco in Latinum tranſtulit, oarrat Samaritanam hanc apud Carthaginem in Africa prædicaſſe Evangelium Chriſti, ideoque eum duobus filiis Victore & Joſepho, ac quinque ſororibus, Anatolia, Photi, Photide, Paraſceve, & Cyriaca, ac Sebaſtiano Duce ſub Nerone, illuſtre ſubiiſſe Martyrium.

Martyrium

Primùm enim in teterrimum carcerem detruſi, inde in ardentem clibanum roris tribus diebus miſſi, à quo indemnes extracti, ſemel & iterum veneno potati: plumbo etiam & reſina in liquorem redactis, in ore Photinæ, & in auribus cæterorum ſine detrimento ſuſceptis; ſæpiùs bovinis nervis cæſi, pectinibus quoque ferreis à capite in ſublime ſuſpenſi, excarnificati, atque facibus ignitis ad Martyrum latera applicatis exuſti, oculis demum erutis, iterum in carcerem venenoſis animalibus ſcatentem, ſine cibo & medicamine, miſerabiliter interierunt: ſed cùm illuc amœna Chriſti luce ac viſione perfunderentur, priſtinæ ſanitati reſtituti, oculorum etiam uſuræ cœleſti beneficio redditi, ciboque per miraculum, tribus menſibus, totidemque diebus recreati; denique è carcere educti, rurſumque flagris cæſi, pelleque ad extremum detracta, capite minuti, illuſtrem Martyrii palmam conſecuti, grandes animas Cœlo Deoque conſecrârunt.

Hæc Bivarius ex Actis à Jeremia traductis, atque ad poſteros tranſmiſſis.

Reliquiæ.

Sacrum caput hujus Samaritanæ, inter illuſtriores Sanctorum reliquias, Romæ aſſervatur in Baſilica D. Pauli.

QUÆSTIO TERTIA
LITTERALIS ET MORALIS.
Ad illa verba: *Mulier da mihi bibere.* Joan. cap. 4. ℣. 7.

QVÆ FVERIT IN CHRISTO SITIS, ET VNDE?

Sitis duplex.

DISTINGUUNT Medici duplicem in homine ſitim: Una eſt *naturalis*, altera eſt *animalis*.

Naturalis eſt in qualiber parte corporis, quando ſcilicet deficit humidum: ea dicitur naturalis, quia naturale eſt, quod unaquæque pars appetat ſibi neceſſaria, quale eſt refrigerium.

Animalis, fit in ore ventriculi, & ſic dicitur quia ventriculus eſt pars in qua in cunctis animalibus celebratur ſitis, jejuno ſcilicet atque arido ventriculo. Porrò, ſitis tam hujus, quàm illius, cauſæ ſunt potiſſimùm tres, nempe evacuatio, labor, & ardor.

Tres ejus cauſæ.

Et hæ inventæ ſunt in Chriſto, cùm ad puteum, ſeu fontem fatigatus ſedebat, ſic inventa & in illo ſitis, tam naturalis, quàm animalis; & tam hæc quàm illa orta erat primùm ex *Evacuatione*, diuturna ſcilicet ac longiore tam cibi, quàm potûs abſtinentia, quæ ex eo patuit, quòd Diſcipuli reduces ex urbe pro quærenda annona, ſtatim adjecerint ſine cunctatione, ſine mora: *Rabbi manduca*, & hoc quidem non improbitate quadam, ſed amore & ſtudio in Magiſtrum, cùm itinere & æſtu fatigatum viderent, ut annotat D. Chryſoſtomus.

Itinere certè, & hinc altera in Chriſto cauſa ſitis, nempe *labor*, cui acceſſit etiam tertia, nimirum *ardor* & æſtus diei ac ſolis; erat enim hora ſexta, id eſt meridiana: vel ut Nonnus vertit, *erat hora afferens ſitim*.

Et hæc de illa ſiti ex natura petita & corporis humani compage: alia ſitis eſt, quæ non eſt corporis, ſed animi: huic enim & ſua ſitis eſt, & quidem ardentiſſima: at quænam illa exprime ex Auguſtino:

Sitis animi quæ?

Omnis, inquit, *qui ſibi vult aliquid præſtari in ardore eſt deſiderii: ipſum verò deſiderium, ſitis eſt animæ.*

In Pſ. 62.

Hæc fuit in Davide, quam & prodidit, cùm ſic ad Deum: *Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus.*

Ecce ſitim regiæ mentis, ecce deſiderium Dei & beatitatis, quod & magis exprimit aperitque, dum ſic iterum ad Deum ſuum, amoreſque ſuos.

Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei.

Pſal. 41. v. 3.

Sitivit, inquit; ecce deſiderium, ecce ſitim; ſed ex ardore, hoc eſt ex inflammata voluntate; ad Deùm, *fontem* ait, vel ut Latini, Divique Patres; longéque plurimi, Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, Bernardus, *fontem vivum*: verè enim Deus eſt fons omnis boni, è quo peremni copioſoque fluxu emanant atque effluunt in mortaliũ ora, animoſque gratiarum omnium fluenta, & beneficiorum cœleſtium rivuli, non ut ſolent in terris, mortui illi, inſipidi, turbidi, cœnoſique; ſed vivi illi, ſapidi, limpidi, purique: qui enim alii deriventur ex fonte vivo, id eſt Deo, qui ut unicè deſiderat ſalutem noſtram, ſic & ſitit, ſitit & Chriſtus, qui è ſinu Patris deſcendit in mortales oras, evictus quodammodo ſiti, ardoreque ſalutis humani generis.

Deus eſt fons.

Demus argumenta ſitis hujus, atque æſtûs.

Sitis illius argumenta quæ?

In humanis alia ſunt atque alia indicia ſitis.

Primum eſt ſi avidè ad extinguendam ſitim, bibat ex qualibet aqua obvia, etiam turbida atque cœnoſa.

Primum.

Notus Apologus cujuſdam Abbatis, qui cùm è ſuo monaſterio omnes omninò mulieres ablegaſſet, idque monachi ſecus acciperent, quàm oporteret, clamitantes illud, nullum à vetulis ac deformibus mulierculis eſſe periculum, die quadam in cœna, carnes omninò ſalſas apponi juſſit, & quidem ſine ullo potu.

Illi verò ſub noctem, ſiti propemodum cocti, de ſtrato ſurgere, & vinum primò, dein aquam de puteo quærere, ſed in caſſum, occluſa enim probè cellaria, occluſus & ad puteum aditus.

Quid igitur? ad culinam delapſi, aquam ſordidiſſimam, quibus ollæ elutæ fuerant, avidè haurire cœperunt, & largiùs ebibere, hoc experimento edocti, *Sitientem ab omni proxima aqua bibere*; ut vulgaris habet parœmia.

Si ab humanis ad divina mihi gradum facere liceat, dicam, & ex vero dicam, Chriſtum ſalutis noſtræ avidum atque ſitientem, ex proxima aqua turbida illa, & cœnoſa bibere voluiſſe, cùm Samaritanæ dixit: *Mulier da mihi bibere*: erat enim ea vero Samaritana, velut aqua turbida, à paſſionibus ſuis, erat & lutoſa, cœnoſaque à ſua libidine, & prohibita venere: verùm ut ea eſſet, illius tamen ſitiens erat Chriſtus, ſitiens & pœnitentiæ, ſitiens & lacrymarum, quas dum ſitit, ait, *Da mihi bibere.*

Die quadam Salvator optimus ſeſe ſpectandum dedit S. Gertrudi, & hæc illi quæ olim Samaritanæ *Da mihi bibere*. cui illa: O Domine nec mihi una

Lacrymæ Chriſto potus.

guttula, nec lacrymula eſt. Tum Chriſtus ei præbuit poculum aureum, & ecce illicò cor ei inardeſcere, & oculi in lacrymas uberes ſolvi, è quibus repletum poculum, è quo & bibit: adeo Chriſto gratæ lacrymæ quas & in Gertrude ceu ſponſa ſitiebat Chriſtus, ſed eæ lacrymæ amantis erant, & mirum quantum amantis; ſed quas à Samaritana exigebat dolentis erant & pœnitentis: Hinc illi, *Voca virum tuum*; cui cùm dixiſſet illa: *Virum non habeo*; ſubjecit Chriſtus: *Benè dixiſti virum non habeo, quia quinque viros habuiſti, & quem habes, non eſt tuus.* Supponit oculis pudendum ſcelus, & adulterium infame, cui tot annis indormierat, eo conſilio, ut crimen agnoſcat ſuum, ut oderit, & deteſtetur, ut fugiat, verbo uno ut pœnitere incipiat: & hæc in Chriſto ſitis, qua dum ardet atque æſtuat, dicit ei: *Da mihi bibere.* Scilicet pœnitentis & dolentis animæ lacrymas, quæ ſapidæ ſunt, etſi ab anima turbida, & cœnoſa.

Inſin. S. Gertrudis lib. 2. c. 11.

Secundum

Et hoc primum eſt argumentum ardentiſſimæ ſitis: alterum eſt, ſi quis ſemper ſitiat, nec iterum, iterumque ac ſæpius epotâ aquâ ſitire deſinat.

Et ita ſitivit Chriſtus, è quo ſi quæras, cur è ſinu Patris delapſus ſit in ſinum Virginis: cur natus in ſtabulo, cur poſitus in præſepio, cur octavo die Circumciſus, cur in Ægyptum fuga elapſus, cur per miracula in omnes beneficus? audies ad hæc omnia: *Sitio, ſitio, ſitio.*

Si deinde cur vinciri ſe paſſus, cur flagellis cæſus, cur ſpinis coronatus, cur trabalibus clavis affixus Cruci? dicet quod prius, *Sitio, ſitio, ſitio.*

Et verò tot ante ſæculis in ipſa Cruce, ceu amoris, & doloris lectulo: Exclamavit enim, *Sitio* vel in ipſa propè morte.

Sed, ô Domine, quid ſitis? ergone plus cruciat ſitis quàm Crux. De Cruce ſiles, & de ſiti clamas, Sitio.

Quid obſecro? *Veſtram ſitio fidem, veſtram ſalutem, veſtrum gaudium:* Plus animarum interitus, quàm corporum me torquet, & inde pro illis clamo, pro his autem ſileo. Et hoc ſecundum fuit argumentum ardentis in Chriſto ſitis, cui addo tertium, quod eſt ejuſmodi, ſi quis non ſibi ſitiat, ſed alteri.

Tertium.

Drogo Epiſcopus Oſtienſis de Paſſ. Domini.

Rudolphus II. Imperator Auguſtus cùm in Bohemiæ Regem *Ottocarum* rebellem arma moveret, exercitus ejus ſumma aquæ penuria laborare cœpit, ipſe etiam Imperator tolerare ſitim. Inter hæc eminus conſpicitur vir paganus qui meſſoribus adultâ die potum ferebat.

In hanc prædam non oculi tantùm, ſed & avidæ manus iere, abreptusque eſt homo cum lagena: hanc Imperatori obtulerunt, quam fortè tulerat bona fortuna compeſcendæ ſiti.

Rodolphi Imper. ſitis.

Quid hîc Auguſtus? non Reges tantùm, ſed & ſeipſum vincere doctus, illicò lagenam nullius ore libatam ruſtico reddi juſſit, adjiciens illud Auſtriaco dignum & Cæſare.

Ego quidem exercitui meo, non mihi, ſitiebam.

Si ab homine ad Deum-Hominem ire mihi fas ſit, & quidni ſit, dicam Chriſtum non ſibi ſitiiſſe unquam, ſed nobis. Quid eſurivit, quid ſitivit Chriſtus, *niſi bona opera noſtra*, inquiebat D. Auguſtinus.

In Pſal. 34

At quænam illa? diſce ex iis quæ Chriſtus ad Samaritanam: Dixerat enim: *Mulier da mihi bibere.* Cui illa, Quomodo Judæus cùm ſis, bibere à me poſcis, quæ *ſum mulier Samaritana? Non enim couſuntur Iudæi Samaritanis*, quos ſcilicet habent ut excommunicatos, ideoque nec eadem utuntur menſa, poculo, vaſe. Omninò, inquit, D. Auguſtinus, *vaſculis eorum Iudæi non utuntur.*

Ioan. c. 4. v. 9.

Hinc Chriſtus ſitiens bonorum operum, quæ ab illa exigere volebat, occaſionem cœpit ea ponendi in aperto, & ſic ad illam:

verſ. 10.

Si ſcires donum Dei, & quis eſt qui dicit tibi *Da mihi bibere*; hoc eſt interprete Toleto. Si ſcires me eſſe Chriſtum, & mundi Salvatorem; Donum utique æterni Patris, Dei donum commune utique omni humano generi, & hodie etiam tibi proprium. Ecce fidem quam in ea requirebat.

Tu forſitan petiſſes ab eo, & dediſſet tibi aquam vivam: ecce ut excitat in ea orexim, & appetitum illius aquæ, hoc eſt doctrinæ ſuæ: ecce ut Chriſtus, *ſitit ſitiri*, ut ait D. Gregorius Nazianzenus; & hoc eſt argumentum quartum ardentis in eo ſitis Qui calente ſiti uritur, nihil intentatum relinquit, quo eam extinguat: fontes, puteos, fluvios quæritat, & ubi non invenit, gemit, ſuſpirat, & queritur.

Orat. 40.

Quartum.

Eum in modum ſe habet Incarnata Dei *Sapientia, foris illa prædicat, in plateis dat vocem ſuam.*

Proverb. 1. v. 20.

At quam vocem? audi ex Iſaia. Omnes ſitientes venite ad aquas, properate, venite, & emite abſque argento, & abſque ulla commutatione: ecce ut ſitit, ſitietque: utque ſitiatur, nemoque avertatur ex eo capite, quòd fors argento aut commutatione emendæ eſſent eæ aquæ, ſpondet nullum exigendum pretium, non aurum non argentum, non ullam alterius rei commutationem, ſed omninò gratis.

Et hoc ipſum quod deinde expreſſit ipſe Chriſtus, qui magno die feſtivitatis clamabat. *Qui ſitit, veniat ad me, & bibat*: veniat ad me, ecce ut ſitit ſitiri, dum urget ut veniat; & ſi non venerit, queritur atque ingemiſcit, & cœlum terrasque evocat, veluti teſtes tanti ſtuporis: ait enim, *Obſtupeſcite Cœli ſuper hoc, & portæ ejus deſolamini vehementer.*

Joan. c. 7. v. 37.

Cur ita? *Duo enim mala fecit populus meus. Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt ſibi ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas.*

Jerem. 2. v. 12.

At quis ille fons, & quæ aquæ vivæ? Fons Chriſtus, aqua viva doctrina Chriſti, ciſternæ diſſipatæ falſa dogmata: fons Deus ipſe, aquæ vivæ gratia, quæ vitam donat. *Reſpicite, ô mortales, & reſipiſcite, & ad vitæ fontem recurrite*, aiebat Triſmegiſtus, etiam in cœcæ gentilitatis nocte.

Ad eum fontem, & Samaritanam, & mortales omnes evocat Chriſtus, ardore ſummo, celeritate ſumma, & hinc ore Vatis Regii exclamat: *Cucurri in ſiti*, hoc eſt interprete D. Ambroſio, *Feſtinavi ſitim omnium ſuſcipere*; ſitim, inquam, mei, & doctrinæ meæ, quæ ex vero ſitis eſt mea, & qua alios ſitire volo.

Pſal. 61. v. 5.

Et hoc fuit quartum argumentum ſitis ardentioris, cui adjicio quintum, quod eſt ejuſmodi, ſi quis pretio quolibet emat, unde ſitim mitiget atque extinguat.

In planitie Ezra, vel Azarod, Arabiæ deſertæ, legitur Epitaphium viatoris, & jumentarii vectoris, qui uterque quidem ſiti periit, quamvis ille ab hoc aquæ hauſtum decem omninò ducatorum millibus emiſſet.

Quintum.

Lonicer part. 1. hiſtor.

Lyſimachus regnum ipſum cum aquæ cyatho commutaſſe dicitur, adeò carus illi aquæ cyathus, adeo ardens ſitis, pro qua ſedanda datur ab hoc regnum, & ab illo ducatorum millia penduntur.

Aquæ hauſtus emptus 10 ducatorum millibus.

Sed quid illa ad ſitim Chriſti? quid ad pretium quod pependit pro ea extinguenda? certè non tantum quantum gutta ad Oceanum; non tantum quantum obolus ad montem aureum.

Empti eſtis pretio magno, inquiebat ad Corinthios Gentium Doctor; at quod illud pretium? non aliud quàm Sanguis Chriſti, quàm vita Dei Hominis, quod ſanè magnum, imò maximum, quia valoris infiniti, à quo Chriſtiani olim appellati ſunt *Empti*: empti ſcilicet & redempti à Paganiſmo.

1. Cor. c. 6. v. 20.

Chriſtiani cur dicti ſint empti.

Filii Chriſtianorum à Chriſtianiſmo ad Turciſcum traducti, dicebantur olim *Empti*. Ita cùm Tartari ſubegiſſent Armeniam, vendiderunt pueros Chriſtianorum: hos *Melech Sala* Ægypti Sultanus emit magno, vocavitque *Mamluchos*, id eſt emptos: *malac* enim Arabicè ſignificat emere, & hæc appellatio

latio tenuit ad tria & amplius ſæcula; dura quidem illa atque infamis: at hæc qua Chriſtiani dicuntur *Empti*, & blanda, & ſuavis, & pretioſa, & nobilis.

Empti, dico, *pretio magno*, quod & in Chriſto magnam quoque ſitim oſtendit: ſitim, inquam, ſalutis noſtræ ac beatitatis, quæ empta nobis, non alio pretio, quàm Chriſti Paſſione, quàm Cruce, quàm morte per extrema ſupplicia obitæ. Beati qui pretium illud admittunt, ſeque eo emi patiuntur; miſeri contra infelices, qui illud reſpuunt, nec ſe eo redimi permittunt.

At quinam, inquies? Pagani, Hæretici, maliqúe Chriſtiani; de quibus ſic olim Chriſtus Davidis ore: *Pretium meum cogitaverunt repellere.* (Pſal. 61. v. 5.) Quod ingratitudinis atque impietatis fuit in Chriſtum, in ſe verò ſtuporis inſanæ, atque crudelitatis: ſed quid deinde Servator Optimus, an ideò pretium ſubſtrahat? an eos à ſe repellat? an detrudat ad inferos ingrata inſanaque capita? minimè gentium: ait enim etiam tum, *cucurri in ſiti*, cucurri ad Indos, ad Japones, ad Chinenſes, per me meaque miracula, perque viros Apoſtolicos; cucurri ad Hæreticos ad Hollandos, ad Scotos & Anglos per Verbi Dei præcones; cucurri ad malos Chriſtianos per occultas inſpirationes, per Sacramenta, ceu vaſa gratiæ, & hoc in ſiti; id eſt in ardore incenſoque deſiderio ſalutis eorum: quod deſiderium, mea fuit, eritque ſitis.

QUÆSTIO QUARTA
LITTERALIS ET MORALIS.
Ad illa verba: *Qui biberit ex aqua hac, ſitiet iterum.* verſ. 13.

(verſ. 10.) DIXERAT Samaritanæ Chriſtus: *Si ſcires donum Dei, & quis eſt, qui dicit tibi: da mihi bibere: Tu forſitan petiſſes ab eo, & dediſſet tibi aquam vivam.*

Rata mulier de aqua haurienda è puteo mentionem injici, ſic ad Chriſtum. *Domine, neque ſitulam aut aliud vas habes, in quo haurias, & puteus altus eſt*, id eſt profundus, quadraginta ſcilicet cubitis, ut opinatur Rupertus. *Unde ergo habes aquam vivam?* quaſi diceret, ô *Domine*: incipit enim ſuſpicere & revereri, cùm Dominum vocat: hîc non eſt alia aqua, quam hujus putei, puteus autem profundus eſt, nec tu, ô JESU, ſitulam habes qua aquam ex eo haurias, unde ergo eſt tibi aqua viva?

Hæc Samaritana, quam ut blandè & ſuaviter abduceret ab aqua elementari, & traduceret ad cœleſtem, hæc illi: (verſ. 13.) *Omnis qui biberit ex aqua hac, ſitiet iterum.*

Qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum.

QUÆ SIT HÆC ET ILLA AQUA? Et quod inter eas diſcrimen?

A Senſu litterali tranſimus ad moralem & tropologicum, & dicimus cum D. Auguſtino, quod aqua in puteo ſit voluptas hujus ſæculi in profunditate tenebroſa, olida & putida, ex natura ſcilicet *putei*, qui dicitur à putore: (Puteus à putore.) hanc aquam incauti mortales hauriunt hydriâ ſuarum cupiditatum, quæ faciunt hominem ſemper ſitire; quia cupiditas eſt inſatiabilis, quod liquidò patebit ex natura & conditionibus aquæ terrenæ, quarum hæc eſt (Conditiones aquæ terrenæ:)

Prima. quòd ſint obtentu difficiles: ut enim de illis ipſa Samaritana: *Puteus*, è quo hauriendæ ſunt, *altus eſt*, profundus eſt, ideóque hauſtu difficilis: (Prima qualitas.) opus enim funibus, catenis, trochleis, manuum & lacertorum motu, niſuque totius corporis; & tamen ut hauſtu ſunt difficiles, labore multo, ſudore multo hauriunt miſeri mortales, non abſimiles illis, qui hauriebant è puteo qui occurrit Jacob.

Veniebat hic in terram orientalem, *& vidit puteum in agro, tres quoque greges ovium accubantes juxta eum: nam ex illo adaquabantur pecora, & os grandi lapide claudebatur*, (Gen. c. 29. v. 1. 2. 3.) morisque erat ut cunctis ovibus congregatis, devolverent lapidem, & refectis gregibus, ſuper os putei ponerent.

Hiſtoria eſt inſtituto meo peraccommoda. Puteus ille mundus eſt, (Puteus eſt mundus, ad eum accubant greges tres.) juxta quem accubant tres hominum claſſes, velut totidem ovium greges, & bruta animantia, quæ accubant juxta puteum, ut ex illo poſſint adaquari.

Primus grex eſt impudicorum, qui toti ventri vacant, & veneri.

Secundus eſt avarorum, qui cogendo auro accumulandiſque divitiis incumbunt.

Tertius eſt ambitioſorũ, qui inſtar Cameleontis auram popularem, Principum favorem & gratiam aucupantur, & vanæ gloriæ fumum captant, & dignitatum titulos ambiunt.

Et his tribus plenus eſt mundus: ut enim Joannes Chriſti Scriba, & à ſecretis: *Omne quod eſt in mundo concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ.* (1. Joan. c. 2. v. 16.)

Et hi & illi inſtar animalium rationis expertium accubant ad mundum hunc, quaſi proſtrati ad puteum ut ex eo hauriant aquam: at quanto molimine? quanto & labore? collige ex eo quòd os illius putei grandi lapide claudatur, quòd devolvere neceſſum eſt grandi niſu, lacertorumque contentione, & hoc toties quoties ex eo adaquari volueris.

Sit puella, ſit virgo abſcondita in ipſis domûs penetralibus, ſit ſub arcta parentum cuſtodia, ſit & conjugata ſub tutela mariti: quot huic & illi ab impudico amaſio parantur inſidiæ? quot lenæ interponuntur? quot munuſcula redduntur? quis curſus, recurſuſque etiam nocte concubia faventibuſque tenebris operibus, ſcilicet tenebrarum?

Diſce ex uno omnes. Valencenis urbe Belgica, fuit adoleſcens, qui captus impuro amore virginis, aliàs caſtiſſimæ, cùm palam nihil promoveret, inſidias tetendit, monſtratáque viâ clanculùm in cubiculum virginis irrepſit, ſeſeque abſcondidit occultiſſimè; (Amaſius impudicus.) ſed inſidiatorem ſuæ virginitatis ſub lectica abditũ deprehendit virgo: exilit ille & primò blanditiis egit & verbis mollioribus; deinde, cùm ea nihil proficerent, laſcivo habitu, geſtuque ad ſcelus invitavit, & cùm hæc incaſſum irent, vim paravit.

Non tulit petulantiam Chriſtiana Amazon, arreptumque candelabrum in hoſtile caput tam validè impegit, ut vix evaſerit vivus.

Crederes, & amori, & labori datum ſatis; crederes & ab illo vulnere refrixiſſe impuri amoris æſtus: at contra incaluit magis: perſanato quippe poſt aliquot menſes vulnere, ad magicas artes confugit, & ſemel, bis, tertióve amatorios pulveres animorum Philtra, chartaſque peregrinis characteribus exaratas virginis veſtibus, libris, cubiculoque inſeruit. Ecce quis etiam aberabo labor, ecce in-

 ſana

ſuos molimina, in quibus tamen non ſtitit improbus amator, captatâ quippe ſolitudine, cùm parentes abnoctant, clancularià clave ad cubiculum evaſit, & cùm virgo ſe quieti dediſſet, erupit, involavitque ceu raptor ad aquam, ceu lupus ad prædam.

Quid faciat pavida columba ſub ungue accipitris? inclamet? nullus exaudiet. gemat? gemitibus non movetur inceſtus amor. Luctetur? ſed certa ſtabit ab hoſte victoria.

Vacua igitur humano præſidio; ſed Deo plena: *Age*, inquit, *pertinax amator, dum caſta mihi eſſe non licet, liceat eſſe cauta: erit utrinſque famæ conſultum, ſi peſſulus foribus obducatur, ne ſerò domum revertens ancilla amores iſtos turbet vel infamet.*

Providè, inquit, *inſanus amator; ſed comitata ibis ne ſolitos ludos agas.*

Præit ergo illa ſuper inductâ ſuboculâ, prehenſit comes laciniam, & dum per tenebras gradiuntur, primoreſque fores prenſat virgo, è manibus elabitur, atque in medias plateas ſe proripit.

Videri poterat deſiſſe adoleſcens ab improbo illo labore, at nec deſiit: convenit cum inſigni mago, qui ſuis incantationibus malignos ſpiritus, ſpectraque tartarea in virginis cubiculum immittat, ut quam impudicis amoribus non vicerat, vinceret nocturno illo horrore, atque terroribus: at nec ſic vincit: detecta enim fraus, & philtrum cereo domeſtico inſertum reperit, atque exemit.

Habes uno in exemplo, quod ames, quod horreas, Amice Lector: quod ames, in Virgine propoſitum ſervandæ caſtitatis: quod horreas, in amaſio inſanos amores, & in his inſanos quoque labores, ut apertè conſtet illud, quàm difficiles ſint aquæ illæ è mundi puteo, & concupiſcentia carnis petitæ: quod & agnoverunt, licet ſeriùs, infelices animæ, dum ſic ex ipſa inferorum abyſſo. *Laſſati ſumus in via iniquitatis, & perditionis, & ambulavimus vias difficiles.*

Sap. c. 5. v. 7.

At unde laſſati? utique ab improbo labore, in viis luxuriæ difficilibus, vel ut Arabicus vertit *inambulabilibus, inextricabilibus:* ejuſmodi quippe eſt via illa concupiſcentiæ carnalis, in quam quiſquis ingreditur, ex ea ſe extricare non poteſt; tot enim in ea labyrinthi, tot offendicula, tot ſpinæ quibus cruententur toti.

Venio ad aquam alteram, eamque etiam terrenam: ea eſt divitiarum ſitis, & aviditas quæ in avaris ceu ſecundo grege reperitur: ea non hauritur niſi è puteo mundi, ceu concupiſcentia oculorum, quæ non expletur, niſi labore magno, magna corporis animique contentione.

Vide inſtitorem, quot ille urbes? quot regna? quot Imperia decurrit, ut merces inde devehat, diſtrahatque; quot adit pericula? quot labores ſuſtinet? quantos in terris æſtus, quanta hyemali cœlo frigora tolerat? quot undarum, ventorumque turbines in mari? quot & quàm frequentia naufragia? & hæc omnia ut evadat, quot curis angitur? quot moleſtiis fatigatur ut lucrum faciat, & ſi non faciat, quot & quantos dolores patitur, domi curæ, & foris timores, domi labor in formandis mittendiſque litteris cambialibus, & foris metus, ne minus benè cedant, ne foro quis cedat, & ſi fortè ceſſerit, quæ anxietas, ne & ipſe cedere cogatur? an non & hi, & illis ſimilea dicere poſſunt ac debent, *Laſſati ſumus in via iniquitatis, & perditionis, & ambulavimus difficiles vias*, ab oriente in occidentem, ab uno orbe in alium? enimverò ambulavimus, imò & cucurrimus labore multo, ſudore multo, & mille periculis. Cur ita? accipe ab Ænigmate, quod jactare ſolent pueri noſtrates: quærunt hi inter ſe, quodnam iſtud ſit, quod divitea aſſervant, abjiciunt pauperes? & reſpondent mucum, & phlegma, atque ejuſmodi excrementa, ſtrophiolo pretioſo divites excipiunt, egeni abjiciunt, proculcant: quod illi, hoc & avari: hi uniones gemmas maris, veluti excrementa quærunt & ſtudioſè colligunt, quæ abjiciunt Chriſti pauperes, rati in paupertate quietem, in divitiis laborem eſſe, quem tamen amant avari, ut & ambitioſi, & hi ſunt veluti tertius grex.

Grex qui accubat ad mundi puteum, è quo non hauriuntur aquæ ſine labore. Ecquid enim non tolerat ambitioſos, ut ſibi ſcalam faciat ad aſcenſum, ut gradum ad honorem, quæ Regum & Principum terit limina? quot genuflexiones, quot abjecti proni corporis animique ſigna non dat? quot vigilias ad magnatum atria? quot & quàm prolixa verba adulationis & fuci plena? & cur hæc omnia? ut veniat in Principum familiaritatem, ut gratiam aucupetur ac favorem, & ſi fortè eum jam acquiſierit, quot & quàm edaces curæ ne ab illo excidat.

Aulicorum appello fidem, atque experientiam duorum Aulicorum è prima Imperatoris nobilitate. Hi Treviros venerant, vel aulam frequentaturi, vel viſuri ea quæ parabantur ſpectacula, quibus dum injicitur longior mora, vel tædio victi, vel quod veriſimilius, cæleſti impulſu, ſecedunt animi causâ in vicinum nemus adjacenteſque hortos, hîc occurrunt Monachorum caſæ & tuguriola: eò quippe loci ac temporis indulgens Deus agmina habebat Eremicolarum, veluti totidem ſpiritualium apum examina, quæ mella legerent cœlaſtium deliciarum, ac voluptatum, & hoc inter nemorum umbras.

In has admiſſi Aulici illi, dum fortè curioſiùs omnia luſtrant, & alia atque alia Monachorum tuguriola ſubeunt, in horum uno libellum inveniunt, in quo impreſſa expreſſaque magni *Antonii* vita, hanc oculo dum decurrunt, decurrunt & animo, eorum unus quaſi jam alius à ſeipſo, quaſi mutatus in virum alium, ſic ad alterum. S. Antonii vita.

Dic quæſo te, omnibus iſtis laboribus noſtris quò ambimus pervenire? quid quærimus? cujus cauſa militamus? majorne eſſe poterit in palatio ſpes noſtra, quàm ut amici Imperatoris ſimus? Et ibi quid non tam fragile plenumque periculis? & per quot pericula pervenitur ad majus periculum? & quamdiu iſtud erit? Amicus autem Dei ſi voluero, ecce nunc fio. Lib. 8. conf. c. 6.

Hæc Aulicus ille apud Auguſtinum, cujus verba paululum expendamus, vel potiùs expendant ipſimet ambitioſi, & iſta ſibi dicant ad invicem.

Omnibus iſtis laboribus noſtris, quid ambimus? *Laboribus* certè, quibus pares nec ſentit ruſticus ille qui à manè uſque ad veſperum ligone terram verſat, & cum ejus luctatur duritie, nec ille, qui maria tranat, ventorum ludus, & procellarum pila atque ludibrium. Ecquid enim (ut cætera taceam) nunquid labor eſt, & quidem improbus, adulari, palpare, gratam oſtendere faciem, ingratitudinem adorare, laudare perverſitatem, ignorantiam admirari, illi placere, qui tibi diſplicet, & cui tu diſplices, certè diſplicere potes; gratia quippe Principum & inſtabilis, & fluxa, & quem divitem opulentum atque fortunatum ea fecit, mutatâ velut aurâ, & pauperem, & mendicum, & infelicem mox reddit: ut enim quidam aiebat, Reges ſæpè ſæpiùs ſubditis velut apibus utuntur, à quibus ut mel & ceram expriment, eas fumo, & igne aut expellunt, aut præfocant.

De Heliogabalo dixit ex antiquioribus nonnemo, quod Aulicos ſuos haberet ut ſpongias, quas ubi bonis velut beneficentiæ ſuæ fluentis repleverat, mox eos opprimens, exprimebat illud omne quod ingeſſerat. Heliogabalus aulicos habet ut ſpongias.

Ite ergo quicumque eſtis & gloriæ, & honorum aucupes; ite, & vobis in aurem dicite quod Aulici illi apud Auguſtinum.

Omnibus noſtris laboribus quid ambimus? quid quærimus?

quærimus? quid ſperamus præter unam Imperatoris amicitiam? & in ea quid non fragile? quid non fluxum? quid non periculi plenum? per quot pericula pervenimus ad majus periculum; animæ ſcilicet ac ſalutis periculum, quod ut declines dicito tibi, quod illi ſibi: *Amicus autem Dei ſi voluero, ecce nunc fio.* Quid verò amicitia Imperatoria ad amicitiam Dei? hoc certè quod Deus ad hominem, quod temporis momentum ad æternitatem, quod terra ad Cœlum, quod libertas ad ſervitutem, quod æterna beatitas ad inferni rogos atque incendia, in quæ ſæpè ſæpiùs ducit etiam amicitia Regum, etiam Cæſarum.

Valeat ergo hæc, nec ambiatur tot votis, nec quæratur tot laboribus, nec acquiratur tot periculis; prævaleat autem illa quæ Dei eſt, ambiatur illa, quæratur, & acquiratur illa: ut verò acquiratur, ſufficit velle. Ut enim Aulici noſtri: *Amicus Dei ſi voluero, ecce nunc fio.* Et ita facti illi, & hoc ſine mora, ſine ulla tergiverſatione; eadem quippe horâ & animum mutârunt, & habitum, & clauſtrum in palatium, & Cæſarem terreſtrem in cœleſtem permutârunt, quod & fecerunt etiam eorum ſponſæ virgines, & formâ divites, & nobilitate ſublimes, quæ & ipſæ in Aſceterium ſacrarum Virginum ſucceſſerunt: Tantum apud illas valuit vel unicum Sponſorum exemplum.

Secunda qualitas.

Venio ad ſecundam qualitatem aquæ terreſtris, hoc eſt terrenæ voluptatis, quæ eſt ejuſmodi, quod ſit jumentis hominibuſque communis: quod indicant ea Scripturæ verba: *Bibit Iacob ipſe, & filii ejus, & pecora.*

Bibit, inquam, & quidem innoxiè ex aqua illa elementari, quæ tam pecoribus, quàm hominibus eſt communis: uti & ſunt omnia bona mundi, videlicet delitiæ, voluptates, venuſtas, fortitudo, ſanitas, aliaque illis affinia, ex quibus ſubinde magis participant animalia, quàm homines; & hoc quia Deus ea non condidit ad bona eminentiora, & altioris, id eſt ſupernaturalis ordinis; ſed ad inferiora, intra terminos naturæ, quæ eis liberaliùs conceſſit.

Animalia donis naturalibus pollent.

Hinc videmus quo robore præſtet Elephas, quâ Cervus currat agilitate, quâ volet Milvus velocitate, quâ pulchritudine niteat Pavo, quo viſu Aquila, & quàm perſpicaci valeat, & quo canis vigeat olfactu, & ita de aliis animalibus, quibus voluptas tota ferè eſt in ſenſibus, & in iis, quæ & naturæ ſerviunt, & blandiuntur ſenſibus, uti facit cibus, & potus, ad quæ abjecta ſunt animalia, uti & homines qui animalem vitam ducunt.

1. Cor. c. 2. v. 14.

Qui ejuſmodi eſt Apoſtolo dicitur *animalis homo*, & Judæ Apoſtolo *animales* dicuntur, & ſunt *ſpiritum non habentes*, ideoque & Sacris Paginis, & ipſi Deo non appellantur ſpiritus; ſed pura puta caro.

Et tales fuerunt, qui vixerunt ipſo Noëmi tempore, ad quem ſic Deus minaci voce: *Non permanebit Spiritus meus in homine, quia caro eſt.* Carnem vocat, & quidem meram eos omnes, *qui perinde vivunt ſine ratione, ac ſi ſola carne conſtarent*, ut interpretatur D. Chryſoſtomus.

Hom. 22. in Geneſ.

Talis & filius prodigus, qui *cupiebat implere ventrem de ſiliquis, quas porci manducabant.*

Luc. c. 15. v. 16.

Tales & hoc ævo quamplurimi, qui toti ſunt, toti vacant atque incumbunt terrenis bonis, non attendentes quod ea non ſint hominibus propria, ex ea parte, quâ ſpiritus ſunt, & ſuppares Angelis; ſed tantùm ex illa, quâ caro ſunt, & habent quid commune cum animalibus; carnem ſcilicet & ſanguinem: & quia caro ſunt & ſanguis, non appetunt niſi ea, quæ animalibus communia; non hauriunt alias aquas, niſi eas, quæ & jumentis & hominibus communes ſunt.

Tertia qualitas.

Tranſeo ad tertiam conditionem aquarum terreſtrium, quæ tales ſunt ut nunquam ſatient, nunquam ſitim extinguant: appello ad illud Chriſti ad Samaritanam oraculum: *Qui biberit ex aqua hac, ſitiet iterum.*

Ratio eſt, quòd aqua hæc elementaris ſitim quidem levet, non tamen expleat; ſed ſubinde proritet magis, ut videre eſt in Hydropico, in quo verum eſt illud Poëtæ: *Quò plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ.*

Porro cauſa hæc eſt, quòd calor naturalis, qui eſt in animali, atque etiam in homine ſemper duret, ſemper accendatur; adeoque & ſitim ſemper excitet atque acuat.

Quod in animali facit calor ille à natura inſitus, hoc & in homine concupiſcentia, quæ & ipſa calor eſt, ignis eſt, ardor eſt, & inde ab illa etiam ſitis, & quidem rabida atque inſatiabilis.

Quæſivit aliquando Clemens Romanus, cur Incarnata Divini Verbi Sapientia Baptiſmi Sacramentum in aqua conſtituerit? & reſpondet, ut internum concupiſcentiæ ignem in nobis extingueret. Concupiſcentia igitur ignis eſt; quod ſi ignis, certè is qui bonorum terreſtrium ſitim excitet, nec extinguat.

Lib. 9. Recogn.

Baptiſmi Sacramentum cur in aqua?

Sapienti tria ſunt inſaturabilia, & quartum quod nunquam dicit ſufficit. Tum quæ ſint illa exponit: *Infernus, & os vulvæ, & terra, quæ non ſatiatur aquâ; Ignis verò nunquam dicit, ſufficit.*

Proverb. c. 30. v. 16.

In ea qua vivimus & ſpiramus aura mortali, tria ſunt inſaturabilia. *Os vulva*, inquit, in quo ſignatur libido & Luxuria, quæ non extinguitur, nec ſatiatur ipſo uſu; ſed ejus deſiderium ipſo uſu ſemper capit incrementum.

Terra quæ non ſatiatur aquâ: ſed ut ea ſubinde pluvio cœlo imbuatur mox hiat, & aquam exigit; & hâc veluti ſymbolo quodam notatur avaritia, quæ nec auro, argentóve, nec opibus ullis expletur; ſed quò magis abundat, eò magis egere videtur.

Ignis qui nunquam dicit, ſufficit. Ex hoc bellè exprimitur *Ambitio & ſuperbia*, quæ nunquam dicit, *ſufficit.* Si unam civitatem occupavit, provinciam affectat; ſi Provinciam, Regnum ambit; ſi Regnum, Imperia quærit; ſi etiam hæc, orbem ſi poteſt univerſum. Ambitio ſcala eſt, in qua alii atque alii honorum ſunt gradus, in quibus nunquam dabitur ultimus.

Alexandri Magni ambitio.

Exemplum habes in Alexandro Magno, qui cùm anno ætatis ſuæ vigeſimo arma movere cœpiſſet, & anno trigeſimo vix expleto & Provincias, & Regna, & Imperia, totumque propè orbem ſibi ſubjeciſſet, audiſſetque Philoſophos de aliis mundis inter ſe diſputantes, illacrymatus eſt, dolens quod unum tantùm è multis (ut rebatur) ſibi ſubegiſſet, & ſuis armis: adeò inſatiabilis eſt ambitio.

Unus Pellæo iuveni non ſufficit orbis.

Ratio in oculis poſita vel ipſo Chriſti oraculo: *Qui biberit ex aqua hac, ſitiet iterum. Luxuria, avaritia, ambitio*, aqua eſt, ex qua *qui bibet, ſitiet iterum.*

Wolſæi ambitio.

Ita ne antiquiora conſecter, ſuperiore ſæculo ſitiit *Volſæus* Anglus, qui ex Sacerdote plebeio factus eſt Sacellanus Epiſcopi Vinceſtriæ; inde Regi ab eleemoſynis. Quid deinde? expleta ſitis? minimè, ſitit iterum: fit Legatus à Latere, omnes Regni infulas pro arbitratu diſtribuit, omnia deglutit Sacerdotia, an ſatiatur? nequaquam, ſitit iterum.

Rex eum loco Patris ſuſpicit & colit: Carolus V. Imperator ad eum ſcribens ſe ejus cognatum, & filium nominat. Quid amplius à gratia Regis, à favore tanti Cæſaris? ſitit iterum: At quid ſitit? Papatum, & quia *Hadrianum VI.* Belgam ſibi Prælatum videt, nec patitur, totum Angliæ regnum ſurſque deque vertit, Schiſma inducit; & cùm pejora ſitiret atque meditaretur, juſto Dei judicio in carcerem conjicitur, ibique vitam, non ſitim extinguit, ut experientiâ diſceret, & ſuo malo quàm verum illud Chriſti oraculum: *Qui biberit ex aqua hac, ſitiet iterum:*

iterum: Ex aqua dico ambitioſæ ac ſuperbiæ mentis, vel ſi mavis ex igne concupiſcentiæ, qui pabulo ſuo non extinguitur; ſed potiùs accenditur, nec unquam dicit *ſufficit*: & quia nunquam dicit *ſufficit*, hinc eum, quem ſemel incenderit, ita accendit, ut ipſe nunquam dicturus ſit, *ſufficit*.

Ratio ea eſt, quam adſert Jobus de cujuſmodi dignitatum & honorum Tantalo, deque prole Veneris impudica, deque opum & divitiarum infami helluone: *Exardeſcet contra eum ſitis.* Cap. 18. v. 9.

Ne porro exardeſcat in ipſius perniciem, & malum, apud ſe tacitus, & ſedulò conſideret, quantum illud alterius ævi inſatiabile, nempe *Infernum*, qui licet in dies, in horas, in momenta damnatis oppleatur, nunquam tamen os claudit; ſed ſemper in prædam hiat, & hiabit etiam in te, ô avare! ô ambitioſe! cujus eris præda.

QUÆSTIO QUINTA

LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum.* verſ. 13.

QVÆ SIT ILLA AQVA, ET QVÆ ILLIVS QVALITATES?

PULCHRA atque elegans eſt antilheſis inter aquam, de qua Samaritana, & eam, de qua Chriſtus, quam ſic aperit.

Qui bibit ex aqua hac, ſitiet iterum: qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum. q. d. aqua communis, qualis eſt tua ex puteo, ô mulier, ſemel guſtata, ſitim quidem ſedat; ſed ad modicum tempus, quia non manet in ſtomacho; ſed ab eo concoquitur, corrumpitur atque evaneſcit, aut enim per ſudorem expirat, aut per urinam ſecernitur.

Aqua Spiritus Sancti viva. Hæc autem aqua, quam ego dabo, & quæ eſt aqua viva, hoc eſt Spiritus Sancti *gratia*, vel ſemel guſtata ſufficit ad abigendam ſitim, & penitus extinguendam: quia quantum ex ſe ſemper manet in anima; habitualis enim eſt; atque ex lege Dei ordinaria ſecum affert ſtatis temporibus auxilia prævenientia; puta impulſus gratiæ excitantis, qui ſufficiunt ad retinendum animæ humorem, atque vigorem, & perſeverantiam, ac ſalutem.

Dixi quantum eſt ex ſe: manet enim, & perennat in anima, niſi ipſe hanc aquæ *gratiam* per peccatum mortale effundas, atque evomas: quod ſi effundas, *ſities iterum*; ſi retinueris, *non ſities in æternum*: habet enim hoc *gratia*, mentem ita reficit, potat, & ſatiat, ut nihil aliud ſitiat, aut deſideret, eâ contenta, & veluti ſatura, etiam in hoc ævo mortali, quo exacto feliciter aliam dabit aquam amabilis Dei providentia, aquam ſcilicet *gloriæ*, à qua plena, ac perfecta erit animæ corporiſque ſatietas, eſuries omninò nulla, ſitis etiam nulla.

De hac ita D. Auguſtinus ad Dominum Deum ſuum. *Satiabimur in bonis domus tuæ.* De qua ergo aqua daturus eſt?, niſi de illa, de qua dictum eſt. *Apud*
In Pſal. 35. *te eſt fons vitæ, nam quomodo ſitient, qui inebriabuntur ab ubertate domus tuæ.*

Beata ſaturitas, beata ebrietas, quæ manabit à bonis domus Dei, beata & ubertas: at unde hæc & illæ? utique à fonte vitæ, de quo ſic ipſe Chri-
verſ. 14. ſtus Samaritanæ: *Fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.*

Syrus vertit *aquarum ſalientium.* Arabicus, *ſcaturientium.* Alludit Salvator optimus ad fontes, qui tanto impetu & copia aquas continuò effundunt, ut poſteriores ſemper priores impellant, ac licet per valles deducantur, cogant tamen eas per tubos exilire ad tantam altitudinem, quanta eſt ipſius primi fontis altitudo atque ſcaturigo.

Quod fontibus, hoc & gratiæ, cujus origo atque ſcaturigo cùm ſit in Cœlo, & à Cœlo, aquas ſuas, id eſt pios mentis impetus atque deſideria, facit exilire aduſque ſui originem, hoc eſt ad Deum, ad Cœlum, ad vitam æternam.

Er hæc dicta ſint ad primam partem propoſitæ initio quæſtionis, Quænam eſſet iſta aqua? Nempe *Spiritus Sancti gratia?*

Secunda fuit, ecquænam eſſent qualitates illius Qualitates illius aquæ tres:
aquæ? eæ potiſſimùm ſunt tres, è quibus hæc

Prima, quòd ſint obtentu faciles, & gratis donetur. Hoc patet vel ipſo Chriſti oraculo: *Aqua*, inquit, Prima.
quam ego dabo. Dat igitur, non vendit, nec pretium ullum exigit, etſi aqua illa ſit ſine pretio, & pretium omne ſuperet: etſi ſit quid cœleſte ac prope divinum, & veluti quædam delibata divinæ portio auræ. Dat tamen, & quidem gratis.

Quod ipſum etiam Iſayæ vaticinio multis ante ſæculis proclamatum voluit, dum ſic ad mortales omnes orbe toto ſparſos:

Omnes ſitientes venite ad aquas, & qui non habetis Cap. 55.
argentum, properate, emite, & comedite abſque ulla commutatione.

Hujus liberalitatis etiam gratuitæ ſymbolum aliquod, vel ſi mavis figuram, dedit Iſraëlitis in longa illa, difficili ac moleſta peregrinatione, in qua illi, ut ait Apoſtolus, *Bibebant de ſpiritali conſequente eos* 1. Cor. c. 10. v. 4.
petra, petra autem erat Chriſtus.

Io hoc loco, utpote obſcuro, pius ludit Interpretum labor, & Sanctorum Patrum alius atque alius ſenſus.

D Hieronymus multorum Hebræorum ait hanc Petra in fontem mutata.
fuiſſe ſententiam, quod in arente Cœlo, ſoloque, indéque ardente ſiti totius populi, ipſa petra in fontem mutata, populum per viam comitaretur, ne unquam deeſſet aqua, quæ ſitim extingueret.

D. Hieronymo conſentit D. Ambroſius, qui In ſluvium.
ait, quod ea petra tam uberes ex ſe aquarum veluti gurgites effunderet, ut ipſos ſequeretur Iſraëlitas; ſic ut ipſis ſatiatis, & eas fugientibus, nihilominus poſt illos fluxu perpetuo & copioſo ſequerentur, & per oſtia tabernaculorum intrarent, perque quamlibet rimam, ea ubertate, ut illas viles facerent, ſicuti & manna, & quaſi illas fugerent: ſic enim, inquit S. Præſul:

Aqua fugientes populos ſequebatur ut biberent, ut non In cap. 10. ad Cor.
ſitirent, ſedimerentur, & non perirent.

Alii ex Hebræis opinantur Mariam Moyſis ſororem, deciſam ex ea petræ partem, ſecum extuliſſe, quæ quoties eſſet percuſſa, dabat aquas, atque hoc fuit Hebræos bibiſſe, *conſequente eos petra.*

Veráne ſint iſta omnia, an verò Rabbinorum commenta, & ſomnia, hîc non diſputo, unum aſtruo,

quod

quod extra litem & controverſiam eſt, quod Petra illa ſpiritalis ſit ipſe Chriſtus, ea ſequitur nos etiam fugientes, hortatur per ſe, perſque ſuos, per ſe occultis inſpirationibus, gratiaque excitante, quæ ſpiritalis eſt aqua, minatur inſuper, atque trahit; minatur, ut ſanctum in nobis timorem exciret; trahit, ut in amorem rapiat, nec ceſſat dum uſque apprehendat, & hoc eſt quod ait Apoſtolus, *conſequente eos petra*, id eſt Chriſto, ſeu gratia Chriſti; Ea nos, toto vitæ noſtræ curſu, ceu peregrinatione, comitatur & ſequitur, & tot rivulis nos potat, reficitque, quot beneficiis onerat, ornatque, perenni quaſi aquarum fluxu.

Petra ſpiritalis.

Quid enim aliud ſunt ſacramenta omnia, niſi fontes aquarum cœleſtium? quid aliud confeſſio niſi rivuli? quid conciones? quid indulgentiæ? niſi lapſæ de Cœlo pluviæ, quibus mens exſucca, atque arida, ſic imbuitur, ut ſatietur, & quidem (quod mireris, & ames) omninò gratis: hoc enim vel ipſa nominis ſui Etymo ſonat gratia. Væ miſeria illis atque infelicibus, qui eam recuſarint, qui fugerint.

Ita fugit unus aliquis ut genere nobilis, ſic & vitiis infamis.

Nuremberg in ejus vita.

Venerat in Hiſpaniam B. Franciſcus Borgia, & de via deflexerat in orbem, in qua moribundus jacebat. Monitus de viri periculo, ejuſque juvandi cupidus, ante ſimulachrum Chriſti Crucifixi in genua procidit, ne inſelici illi animulæ, Chriſtum ejuſque gratiam fugienti, deeſſet divina bonitas.

S. Fräciſcus Borgia adeſt moribundo

Franciſco ſic oranti, ita de Cruce Salvator: Adi confeſtim ægrum, eumque hortare, ut ſe expiet, ego non illi ut Medicus & infirmorum curator adero.

Abit Franciſcus bonæ ſpei plenus, & gaudens tanto adjutore, domum venit, & Salvatorem vidit medici ac propè famuli ſpecie; hanc nimirum aſſumpſerat in eam amoris ac miſerationis ſcenam: recedit interim Dominus, quaſi ſervo ſuo locum ceſſurus, qui poſt paucula, de confeſſione ſermonem injecit; ſed ſurdo canit atque obdurato: hinc triſtis & ipſe receſſit, ac denuò in genua provolutus coram Chriſto Crucifixo, dum ardentiùs orat, hoc rurſum audiit ex ore Crucifixi.

Obſtinatio peccatoris.

Conveni iterum pervicacem illum, meque tecum defer, ſi fortè me conſpecto Cruci pro ſe fixo, convertatur & vivat. Ecce ut miſellum, etiam fugientem à ſe & à ſalute, ſequitur.

Redit Borgia, & ſubmotis arbitris, ut liberior eſſet, verbis ad pietatem compoſitis, ſubmiſſiſque in terram genibus, Chriſtum Crucifixum illi repræſentat, & per ejus Paſſionem, perque vulnera, perque mortem orat, obſecratque, ut peccata ſua confeſſione eluat; inſtare enim ultimum vitæ momentum, & primum æternitatis.

Ad omnia miſer obſurdeſcit: Addit & vocem ſuam Dominus JESUS, & quidem Sanguinis, quem etiamnum è vulneribus effundebat; ſed neque hanc audiit obduratum in malo caput: at ſuo malo.

Mox enim Servator revulsâ è Cruce dextrâ, ſuum Cruorem in faciem projecit obſtinati peccatoris, ut quot illius tum eſſent guttæ, tot aliquando eſſent linguæ, quæ neglectam benigniſſimi Salvatoris ac Medici operam exprobrarent, æterniſque incendiis reum addicerent.

Diſce hoc exemplo, MI LECTOR, ut peccatorem ſequitur Chriſtus, ut Hebræos petra, ut aquas gratiæ ſuæ ac miſerationis effundat: eaſque dum licet aperto ſinu excipe: ni feceris perpetuùm areſces, eriſque ignis æterni pabulum.

II. Qualitas.

Tranſeo ad ſecundam qualitatem ſpiritalis illius aquæ: ea eſt ejuſmodi, quod hominibus ſit propria: non autem ut elementaria, quæ tam jumentis, quàm hominibus communis eſt.

Ea porrò aqua eſt Chriſti gratia, quæ ſoli creaturæ intellectuali (puta Angelicæ & humanæ) eſt propria. Ratio in aperto eſt, quia gratia eſt veluti quædam participatio naturæ Divinæ, per quam anima recipit in ſe eſſe divinum quodammodo: per hanc enim Deus, & tota SS. Trinitas reſidet in homine tanquam in throno, modo longè ſublimiori, quàm in Cœlo Empyreo.

Gratia quid ſit, & qui effectus illius?

Per hanc Deus habitat in anima, ut Rex in ſuo regno, imò & in ſua curia. Rex terrenus quiſquis is eſt, non habitat perſonaliter in quolibet loco ſui regni; ſed in aula ſua, ex qua imperat, ordinat & diſponit omnia: ſic & Cœleſtis, id eſt Deus, in anima habitat, non ſolùm perſonaliter (cùm ubique ſit, utpote immenſus) ſed & peculiari quadam ratione per ſuam gratiam manet in ea, dicitque illud expreſſum Evangeliſtæ calamo: *Ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.*

Joan. c. 14. v. 23.

Manſionem, inquam, non tantùm per eſſentiam, & potentiam; ſed eſſe ſupereminens, quod S. Thomas appellat *ſingularem modum*: ſed ſicuti fons divinus ſupra omnem naturam, ſupra omne quod creatus intellectus concipere poteſt, & fit veluti ſcaturigo aquarum viventium in vitam proſiliens ſempiternam: fit, inquam, per gratiam aliaque dona ſupernaturalia, quibus dat intellectui lucem, voluntati amorem, iraſcibili potentiæ fortitudinem; concupiſcibili temperantiam.

Quod ipſum aliquando oſtendit *S. Tereſiæ* ſponſæ ſuæ, & hoc in amœna quadam ſpecie. Die quadam in exceſſu mentis vidit quomodo Deus unus in eſſentia; Trinus in Perſonis, eſſet in anima ſua, quomodo illam totam occuparet, totam impleret, veluti ſi omnes maris aquæ unâ ſpongiâ comprehenderentur, totam illam penetrantes, imbuenteſque; ſic & SS. Trinitas eam quaſi pervadebat, eam occupabat, non ſolùm eſſentiâ, præſentiâ, potentiâque, quomodo pervadit, occupatque omne quod eſt creatum; ſed & gratiâ ſuâ, ſed & cœleſtibus donis. Quod ipſum exhiberi poteſt, & quaſi oculis objici in ſpeculo, in adamante; & hic, & illud objiciatur Soli, communicabit illi lumen, ſplendorem, calorem, pulchritudinem ſuam, & quidem ea ratione, ut ſi oculis crederes, diceres in ſpeculo, in adamante eſſe Solem alterum; imò & Solem ipſum, adeò illum exprimit, exhibetque oculis: ſic & gratia communicat animæ, in quam inciderit, eſſe quoddam divinum, & Deum ipſum, quod etiam longè perfectiùs facit à gloria, & lumine gloriæ, à qua Deum referret, redditque anima beata, quantum creaturæ fas eſt.

S. Thereſiæ viſio gratiæ.

Gratia eſt ſimilis ſpeculo.

Fuit illud Joëlis ſolemne vaticinium: *Montes ſtillabunt dulcedinem, & per omnes rivos Iuda ibunt aquæ, & fons de domo Domini egredietur, & irrigabit torrentem ſpinarum.*

Cap. 3. v. 18.

Deſcribit hic Propheta gloriam electorum, in quos *ſtillabunt montes dulcedinem*: *Montes*, inquam, id eſt tres Perſonæ Divinæ, quæ creatis omnibus eminent quaſi Divini montes: *ſtillabunt* hi in electos omnes *dulcedinem*, hoc eſt omne genus ſuavitatis, *& per omnes rivos Iuda*, id eſt per omnes electorum potentias, ſenſuſque omnes *ibunt aquæ*; aquæ dico laudis, gratiarùm actionis, gaudii & exultationis: *Et fons de domo Domini egredietur*: *Fons*, inquam, procedens de Sede Dei, & Agni, quaſi profluvium bonorum omnium, qui *& irrigabit torrentem ſpinarum*, hoc eſt eorum, qui aliquando in valle hujus ævi mortalis fuerint adinſtar ſpinarum à peccatis ſuis & vitiis, quæ ea vero ſpinæ ſunt infructuoſæ, imò & noxiæ; modò verò donatæ gloriâ ac beatitate, ſunt veluti arbores fructuoſæ plantatæ in montibus æternis, in quibus fiet *fons aquæ ſalientis in vitam æternam.*

A Caſtro ad Cornel. loc.

Apocal. c. 22. v. 1.

Hieron. ad Pammachium

Et hæc paucis de ſecunda qualitate ſpiritalis illius aquæ: deſcendo ad tertiam, quæ à Chriſto expreſſa his verbis: *Non ſitiet in æternum*; quia nimirum,

III. Qualitas.

ea penitus ſatiat, & ſitim extinguit, cùm è contra aquæ elementares nec ſatient, nec ſitim extinguant; ſed ſæpè ſæpius irritent, atque incendant magis: quod & verius de aquis, id eſt de omnibus hujus mundi bonis, ſeu ea repoñas in divitiis, ſeu in honoribus, ſeu in voluptate: hæc enim omnia hominis appetitum nunquam explebunt.

Cujus ea ratio, quòd anima humana ſit Dei, id eſt boni infiniti capax, quæ autem ejuſmodi eſt, expleri non poteſt finito bono, quale eſt omne creatum, & creabile. Hinc vulgatum iſtud D. Auguſtini: *Lib. 4. de Civit. c. 16.* *Capacem Dei, quidquid Deo minus eſt, non implebit. Et hoc feciſti nos Deus ad te, & irrequietum eſt cor noſtrum donec requieſcat in te.* *Apoc. c. 1, v. 7.* Et hinc ducitur altera ratio, petita ex parte Dei, qui eſt *Alpha & Omega, principium & finis.*

Principium quidem, à quo ſolo ſit, à quo ſolo trahat eſſe quod habet, quod ſpiret, quod vivat.

Finis autem, quem unum reſpicere debet, & in quo uno, ut in ultimo fine, quieſcere.

Romani mirum quantum ſuperſtitioſi Deorum & Dearum cultores, cuique actioni ſuum affigebant Deum.

Deos ſingulos ſingulis rebus, imo ſingulis motibus tribuebant.

Romani Deum aut Deam ſingulis actionibus aſcribebant.

Deam ſtatuebant *Ageroniam*, quæ illos ad agendum excitabat.

Stimulam, quæ acriter inſtigabat, extimulabatque ad diligenter operandum.

Murceam, quæ homini quietem adferebat.

Streuuam, quæ vires tribuebat, quibus homo robuſtus evaderet.

Quietem verò, etſi Deam crederent, non tamen adorabant, nec ædem illi dicatam voluerunt intra ſepta Civitatis; ſed extrà. Quæ ratio?

Ea certè, quòd experientia didiciſſent, quod in tanta Deorum & Dearum multitudine, adeóque (ut rebantur) bonorum copia, non eſſent ſatiati, nec quietus appetitus; ſed potius ad alia aliaque ſemper anhelans atque ſitibundus.

Cujus ratio patebit à ſimili: Sit manus malè affecta tubere ardentiſſimo, glaciem pedi ſupponas, involvas & gelida nive, non ideo ardorem ignemque, qui in manu eſt, extingues. Quæ cauſa? quia ardor ille & ignis in manu eſt, non in pede; manui ideo applicanda glacies, atque admovenda nix eſt, non pedi.

Similiter ſit aliquis, qui fame teneatur rabida, & ab illa propè pereat, ſit panis in loco vicino, ſit in panario, niſi eum ſumpſeris, & in ſtomachum injeceris, famem ſatiabis nunquam.

Sic animam bonis terrenis, etſi circùm te ſint, etſi iis cingaris, etſi obruaris, famem nunquam explebunt, quia ea omnia non evadunt ad animam, in qua ſola eſt fames.

Similiter ſit alius, qui ſiti ardeat vehementiore, eum circumſtent vinea vaſa omnis generis, græca, Cretica, Malvatica, niſi ea in guttur, & inde in ſtomachum infuderis, ſitim ſedabunt nunquam: quia ſitis in gutture, in ſtomacho eſt: ſic nec mundi bonis ſitim explebis, quia ea non penetrant uſque ad animam, in qua una ſitis eſt, ardor eſt.

Eris ſimilis iis de quibus propheta Jobus. *Eſurientibus tulerunt ſpicas, & inter acervos earum meridiati ſunt, & qui calcatis torcularibus ſitiunt.* Similis, inquam, miſellis iſtis, quos Domini crudeliores cogunt laborare, ſudare, famere, etiam inter ſpicas, & earum acervos, & ſitire facta vindemia, calcatiſque torcularibus.

Quod illi Domini, ſeu potius tyranni, paupercculis; hoc & mundus, ceu impotens Dominus, ſervis ſuis, aſſeclis ſuis, amatoribus ſuis: cogit eos famere etiam inter copioſam meſſem; inter acervos ſpicarũ, & ſitire calcatis torcularibus, effuſóque vino: hoc eſt inter bona hujus mundi & vitæ mortalis, inter voluptatum aquas, & maria ſi voles, *ſitiet iterum*.

Non ſic qui biberit ex àqua, quam ei dederit Chriſtus, non *ſitiet* hic in æternum. Cur ita? *quia fiet in eo fons aquæ vivæ*, Fons perennis. Si cuipiam, qui arderet febri, atque interno æſtu, qui ſiti laboraret ardentiſſima, poneretur in lingua gemma ejuſmodi, quæ mox verteretur in fontem, profectò non ſitiret ille quamdiu in lingua foret ille fons, quamdiu manaret copioſo fluxu.

Sic nec ſitiet ille, cui gratia, ceu ſpiritalis aqua, ceu etiam vitæ fons, influet in animam, effluetque in omnes ejus potentias; *non ſitiet*, inquam, in æternum.

De hac aqua ſic olim David ſuâ benè doctus experientiâ. *Super aquam refectionis educavit me Dominus.* *Pſal. 22. verſ. 11.*

In Hebræo legitur *menuchoth*, quod ſignificat quietem, refrigerium, conſolationem. Unde aliqui vertunt ſuper aquas quietum, & conſolationum, quibus, qui fuerit repletus, non ſitiet in æternum.

FERIA

FERIA SECVNDA QVARTÆ HEBDOMADÆ QUADRAGESIMÆ.

INCARNATA Divini Verbi Sapientia erga mortales modò Miſericordiam & Clementiam ſuam explicat, modò Iuſtitiam & ſeveritatem exercet expeditque, etiam in pœnas ultrices.

Heri Miſericordiæ locum dedit, & Clementiæ in famelicos atque indigos, cùm è quinque panibus, & duobus piſcibus, pavit è viris, *numero quaſi quinque millia.* Joan. c. 6. v. 10.

Hodie ſuas juſtitiæ & juſtæ ſeveritati dat vices, cùm flagellum intorquet in vendentes & ementes, in profanatores ædis ſacræ, cùm *nummulariorum effundit æs, & menſas ſubvertit.* Joan. c. 2. v. 15.

Ita factum oportuit, & oportet, miſcenda clementiæ ſeveritas, & miſerationi juſtitia. Alendus erat populus, cùm CHRISTUM ſequeretur, CHRISTIque Leges: caſtigandus, cùm à CHRISTO, ejusque Mandatis diſcederet.

Moyſi præceperat olim Dominus ut in Arca Teſtamenti reponeret *Manna*, quo Iſraëlem nutrierat in deſerto, & longa illa peregrinatione: & ſimul etiam *Virgam*, qua percuſſerat Ægyptios rebellia Deo capita. Ara Teſtamenti manna continebat & virgam. Quæ cauſa?

Ut *Manna*, cœleſtique illo pane, & *Virga* veluti duobus ſymbolis moneretur, & divinæ ſeveritatis in reos, & indulgentiæ in pios, & ſacrorum reverentes: illius exemplum hodie oſtendet in vendentes & ementes in templo, & in fœneratores, profanatoresque ſacrarum ædium, ut videbimus infra.

QUÆSTIO PRIMA MORALIS.

Ad illa verba: *Et cùm feciſſet quaſi flagellum de funiculis.* Joan. cap. 2. verſ. 15.

CVR FLAGELLVM, ET CVR DE FVNICVLIS? Cur & ipſe Chriſtus iis uſus adverſus vendentes & ementes in Templo?

MIRABITUR fortaſſe quiſpiam eas à me moveri quæſtiones, cùm reſponſio ſit in aperto: erant enim ad manum funiculi, è quibus facilè fuit texere flagellum: ſic eſt, ſi ſola ſpectes verba; non autem, ſi occultum & latens in iis myſterium, quod evolvere eſt animus, & quidem:

1 Cur flagellum ſibi fecerit. Primò cur flagellum aſſumpſerit ipſe Chriſtus mortalium aliàs mitiſſimus? & cur ipſe in reos illos extorſerit?

Videtur hoc minus decorum, & alienum à Chriſto Deoque Homine; imò & à Deo, qui ut advertit Hom. 43. D. Chryſoſtomus, *Non per ſeipſum punit; ſed per Angelos.*

Angeli mali Dei vindices. Ita Pharaonem, adverſum Cœlo caput, punivit per Angelos malos. Ita Davide teſte & interprete Divinæ mentis: *Miſit Deus in eos iram indignationis ſua, indignationem, & iram, & tribulationem, & immiſſiones per Angelos malos.* Pſal. 77. v. 49. Hieronymus vertit *per Angelos peſſimos*, licet ſubinde etiam per bonos, ut notat D. Auguſtinus.

Ita Sennacherib, maledicum, & blaſphemum, ducentemque exercitum centum octoginta quinque millium, Angelico fugavit proſtravitque miniſterio; per ſe verò minimè, etſi ſolo nutu poſſet. Angeli boni ſubinde.

Ita Sodomam, & Sodomitas incendit evertitque vindex Deus per Angelos, non per ſe. Juvat illius meminiſſe temporis.

Ad Abrahamum adultâ jam die advenêre juvenes omninò tres, nempe eam ſpeciem, vel Angeli aſſumpſerant, vel Deus ipſe Trinus & Unus in perſona trium Angelorum, ſeſe videndum dederat: at unde de Abraham dicitur: *Tres vidit, & unum adoravit.*

Sub veſperam, inclinato in occaſum Sole, Lotho apparent Angeli duo dumtaxat.

Hîc

Deus ad pœnas tardè venit.

Hîc iojicitur quæſtio una, alteráve; Cur ſcilicet luce mediâ atque in ipſo diei æſtu apparet Deus Abrahamo? cur Lotho veſperi? *Venerunt enim duo Angeli Sodamam veſperi.* Cur deinde duo tantùm? & quid actum de tertio? cur ſe ſubtraxit?

Ad primam in ipſo meridie; calente cœlo, ſeſe ſiſtit Abrahamo, quia in eum beneficia collaturus venerat, & nova lætiſſima de dando filio Iſaaco etiam à matre ſterili atque effœta, ideóque apparet in aperto, & clara luce; amat enim videri.

Ubi è contrario, veſpere obſcuro adeſt Lotho, quia puniturus venerat, & quia puniturus, tenebras amat, expectatque profundam noctem, quia ſic amat non videri.

Ad ſecundam, cur è tribus unus, iſque Deum unum referens, ſeſe ſubduxit ab illa ſcena miſerabili? cur à flammis quibus ardere debebat Sodoma? quia nec his, nec illi adeſſe ſe, miſceri ſe divina bonitas patitur: punire enim & perdere alienum eſt ab illo, peregrinum eſt, quod ipſum loquuntur, & quodammodo clamant exempla eorum in quos Cœlum juſtè in pœnas exarſit, & quidem in Ægyptiis, in communi illa Primogenitorum cæde, cùm Angelus percutiens Ægyptum totam pertranſiit: Angelus, inquam, non Deus ipſe, & quidem intempeſta nocte.

Cùm quietum ſilentium tenerent omnia, & nox in ſuo curſu medium iter perageret, inquit Sapiens, venit exterminator Angelus. At cur eò loci ac temporis ſic venit? in promptu eſt reſponſio, quia & ipſe etiam nos plectens, ſilentium amat, noctem amat ne videatur, adeò etiam averſis quodammodo oculis ſontium pœnas & ſupplicia aſpiciunt, horrentque & videre, & videri. Quid facias? eſt ille Beatorum genius, qualis & Dei.

Balthaſari Regi fatales characteres.

Sacrilego Regi Balthaſari inſcribi debuerunt fatales illi characteres: *Mane, Techel, Phares:* manus inſcribentis apparere debuit in pariete ad ſtuporem, ad horrorem.

At quando? nocte mediâ, adultiſque tenebris, quia nec ipſum Cœli lumen, nec Sol, Orbis oculus, nec Angeli lucis, æquis oculis aſpiciunt pœnas, quas à ſontibus exigit iratum Numen.

Si ita eſt (uti re ipſa atque exemplis oſtendimus) cur Chriſtus flagellum connexit ipſe? cur explicat in ementes & vendentes in templo?

Hom. 22. in Joan.

Quæſitu dignum eſt, inquiebat D. Chryſoſtomus, *quâ gratiâ Chriſtus, cùm aliàs injuriis contumeliiſq; affectus, Samaritanus, & dæmonium habens appellatus, nihil tale fecerit, nunc non contentus flagella, verbis etiam in eos invehitur.*

In Sacris Paginis legimus Chriſtum bis flagello animadvertiſſe in ementes & vendentes in templo, & quidem:

Joan. c. 2.

Primò ſub initium ſuæ Prædicationis, cùm cœpit mundo inclareſcere à miraculis, mutatâ ſcilicet aquâ in vinum. Unde Hieroſolymam venit circa Paſchæ feſtum.

Secundò, poſtero die Palmarum, quo ejuſmodi ſacræ ædis profanatores flagello expulit è templo: Itaque & prædicationi ſuæ initium dedit, & finem; cœleſti divinoque zelo Domûs Dei.

Sed quæ cauſa? Venerat Magiſter optimus fundamenta jacere novæ legis: at lex illa, lex futura erat amoris. Cur igitur eam orditur à timore? cur ab inflicta pœna? Evangelicæ Legi, quæ omni fideli communis eſt, & quæ Dei domus eſt, uſu venit, quod cujuſque domui, de qua ſic Spiritus Sanctus

Cap. 27. v. 4.

Eccleſiaſtici ore calamoque: *Si non in timore Domini tenueris te inſtanter, citò ſubvertetur domus tua.*

Timor Domini.

Quod ſi tua domus, certè etiam Eccleſiæ, cujus fundamentum eſt Timor Domini, ſine quo nec unquam aſſurget Eccleſia, nec ſtabit: ut porrò ſtaret, eam fundare voluit in timore & reverentia Numinis.

Gen. c. 2. v. 17.

Ita in ipſis mundi cunis, cùm mandatum Adamo & Ævæ indixit Deus, illicò timorem adjecit, illius veluti cuſtodem fideliſſimum: *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris.*

Hunc porro timorem ſuſtulit Serpentis aſtus, cùm ea ſuo mendax adjecit: *Nequaquam morte moriemini.*

Et ecce eo, ceu fundamento, ſublato, mox corruit Adæ Ævæque domus, id eſt genus noſtrum univerſum.

Quod in ipſa mundi infantia, hoc & in ipſis naſcentis Eccleſiæ primordiis, in qua etſi Lex eſſet amoris, ea tamen fundari debuit in timore, non ſervili illo, qualis eſt in ſervis & mancipiis; ſed in filiali & reverentiali, qualis eſt in filio erga Parentem optimum: quo quia non ducebantur, non continebantur Judæi, ut ſacris ædibus ſua apud illos maneret religio, ſua reverentia: ideò in eos Chriſtus etiam flagris animadvertit, ut ſolemus apud ſervos & mancipia, ut quos non coërcebat filialis timor, coërceret ſervilis: ſicque à ſervili timore finem fecit Antiquæ Legis, & à filiali initium dedit novæ: quo enim potius?

Eccleſ. c. 25. v. 16.

Timor Dei initium dilectionis, inquiebat Sapiens, hoc eſt à timore, & cum timore incipit dilectio Dei, & ſimul etiam augetur, & perficitur: Timor enim Dei cauſat ejuſdem amorem, & amor etiam cauſat timorem.

Amor cauſa eſt timoris.

Sicut vapor eſt cauſa pluviæ, & viciſſim pluvia eſt cauſa vaporis; ita amor Dei cauſat timorem eum offendendi, at viciſſim timor & reverentia Dei, cauſat ejuſdem amorem, aiebat Palacius. Hi quippe affectus, *Timor*, & *Amor*, ſibi proximè junguntur: Primus omnium eſt *Amor*, ſecundus *Timor*.

III. Cur è funiculis, & qui ſint illi?

Venio ad tertiam partem propoſitæ initio quæſtionis, cur ſcilicet Chriſtus *flagellum fecit de funiculis?* Hoc non tam litteræ, quàm myſterio ſervit, quod hic aperire eſt conſilium.

2. Regum c. 8. v. 2.

Annales Regum ubi Davidis victoriæ meminere deque devictis Philiſtinis & Moabitis, tum adjiciunt pro emblemate: *Menſus eſt autem duos funiculos, unum ad occidendum, & unum ad vivificandum.*

In hoc loco, ut pote obſcuro, ludunt Interpretum ingenia, quæruntque ecqui ſint illi duo funiculi? & cur ita?

Davidis clementia.

Fecit hic David in acie & pulvere martio, quod in agris metator: hic funiculo metitur agros, & pro placito ſuo quoſque ſuis uſibus deſtinat, hos armentorum pabulo, illos ſerendis frugibus, alios vinearum plantationi: agri verò iſti quamcumque in ſortem dari contingat, neque metatori, neque cultori reſiſtunt. Sic Moabitæ bello fracti à Davide, & omninò proſtrati, & quaſi coæquati, nec vel muſſitare auſi: ſubjiciuntur illius imperio, quaſi funiculo menſorio, ſive ad mortem deſtinarentur, ſive ad vitam, ſive ad ſervitutem, ſive ad libertatem.

Hæc ad litteram, iſta ad mores, quibus oſtenditur quod David non ferino more, totóque furoris impetu, in devictos, proſtratoſque hoſtes incubuerit: ſed ad menſuram, ad funiculos, è quibus unus brevior & contractior, & hic miſericordiam ſignabat; alter longior atque explicatior, & ille Juſtitiam.

Demonſtrabat quod & hanc & illam etiam in reos miſcere debent Principes, & proniores eſſe ad miſericordiam, quàm ad Juſtitiam; & ſi puniendum, non ſeverè, ſed benignè puniendum, & ſemper citra condignum: & ita in hac vita ſontes caſtigat Deus; imò & in altera: ut enim Theologi,

Dei clementia in damnatos.

in ipſo inferno, in quo tamen exercetur ſummus juſtitiæ rigor, Deus tamen damnatos punit *citra condignum*: nec enim omninò & per omnia punit pro gravitate delictorum.

Quod

Digitized by Google

Quod Deus, ſeverus tamen criminum vindex, id Chriſtus eò loci ac temporis, quo *flagellum fecit de funiculis*, non de funibus, non de rudentibus; hi enim craſſiores, aſperi, nodoſi: ſed de funiculis tenuioribus, & mollioribus illis, hoc eſt ita ſeverè ut tamen blandè, & quidem etiam ed menſuram.

Et hæc ratio attinet ad Chriſtum: ex quas ſubjicio ſpectant atque arguunt profanatores ſacræ ædis hoc eſt vendentes atque ementes in templo, quos expulit flagello facto de funiculis. Quibus enim potiùs?

Peccatum eſt funis. Iniquitas omnis funis eſt, trahitur ille primò, duciturque è filis tenuibus, tum vario nexu gyroque ita implicatur & torquetur, ut funis evadat, iſque validiſſimus, quem diſſolvere frangereque etſi plurimum velis, non poſſis.

Sic & iniquitas, ea petitur è parvis & leviuſculis rebus, vanaque voluptatula, ſeu tenui filo texitur & ita quidem texitur, ut fiat funis, cui diſſolvendo vix par eſſe poſſis.

Hos funes ſua doctus experientia ſcitè explicat D. Auguſtinus. *Optimè*, inquit, *dicitur reſtis peccatorum; ut enim torqueatur, reſtis additur, & non adduntur recta fila, ſed lora. Pravitas ſibi connexa ducitur in longum, & non cogitat prævidere, quod malè texunt; ſed addere, producere in longum, protendere ut habeat in fine unde illi ligentur manus & pedes, & projiciatur in tenebras exteriores, & inferni lacus igneos.*

En quia in fine ſic habet omnis iniquitas (maxinè ſi letalis ſit) adeo illi ab Iſeya intentatur horrendum iſtud væ.

Cap. 5. v. 18. *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis.*

Chaldæus vertit, *væ qui incipiunt paulatim peccata, augentque ut creſcant, & fortia fiant, ut vinculum plauſtri.*

Syriaca verſio habet. *Væ qui protrahunt peccata ſua tanquam funem oblongum.*

Arabica, *væ qui multiplicant peccata ſua, & ea prolongant ſicut funis longus, & circulo revolvunt peccata ſua, ſicut circumit rota.*

Ex his porrò verſionibus liquet, peccata eſſe funes, ex quatuor analogiis. Prima quia fiunt ex filis, id eſt rebus leviuſculis, & vaniſſimis. Secunda quia diſtorta ſunt ut funes. Tertia, quia fortia ſunt ut funes. Quarta, quia invicem connexa, atque implicata, ut funes.

Diſcamus exemplo familiari, contra Regulam? Peccavit unus aliquis malus religioſus, negat Peccatum, ecce additur mendacium, reſpuit correctionem, accedit contumacia, quæritur ad carcerem, Tract. 10. in Joan. aufugit, ecce Apoſtaſia, excommunicatur, tranſit ad Hæreticos, ecce Hæreſis. ita S. Auguſtinus.

Vult alius ditari, mentitur, calumniatur, fœnus exercet, furatur. Ita S. Baſilius.

Deperit alius Virginem: ſeipſe ornat ad pompam, ad luxum, adhibet muſicam, conviviola, tripudia, mittit litteras, lenas ſibi conciliet, & ſubinde ad magica delabitur; ecce funiculos, qui evadunt in funem, quo ita tenetur, ita capiatur ut ſeſe extricare non poſſit.

Ita paulatim, & ſenſim ſine ſenſu, ſeſe intricavit Sampſon amoribus unius Dalilæ. Primùm aſpectu liberiore, tum compoſitis ad illicias verbis, mollioribus illis, & fuco plenis, tum illius querimoniis, fortè & lacrymis, tum dormitione in illius ſinu, fortè & oſculis. Quid inde? cedit Dalilæ, revelat ſecretum, tondetur, robur amittit (quod ſcilicet erat in crinibus) capitur à Philiſtinis, excœcatur, vincitur, & molam vertere cogitur. Ecce funes peccatorum, ecce & funes malorum.

Ut bis & illis te extrices, liberéſque, AMICE LECTOR, fac quod initio fecit aliàs invictus *Sampſon*, cùm cœpiſſet indulgere ſuis amoribus, cùm indormiſcere in Dalilæ ſinu, excitatus à ſomno, vincula, quibus ligatus erat, *ſic rupit, quomodo ſi rumpat quis filum de ſtuppa tortum putamine.* Jud. c. 16. v. 9.

Dalila carnis ſymbolum. Eſt *Dalila* molliuſcula caro, ea tibi parat peccati vincula, quibus tenearis, ſed dormienti, ſed ſopito; age, excitare à ſomno, & tibi, vigiliæque reddere, & periculum cui hactenus indormiſti, agnoſce, & antequam tenuia fila (hoc eſt leviora peccata) texantur in funem, & in graviora invaleſcant, ea rumpe; rumpes certè quomodo ſi rumpat quis filum de ſtuppa tortum putamine: non rumpes ſi evaſerint in funem, ſi peccata peccatis addita, ceu filis fila, excreverint in rudentem; aut profectò (ſi qua Cœli erit in te miſeratio) nonniſi quàm difficillimè.

Appello D. Auguſtini fidem atque experientiam: accipe quid ille criminum ſuorum funibus illigatus.

S. Auguſtini vincula. *Suſpirabam*, inquit, *ligatus non ferro alieno, ſed meâ ferreâ voluntate. Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, ac conſtrinxerat me.*

Quippe ex voluntate perverſa facta eſt libido, & dum ſervitur libidini, facta eſt conſuetudo, & dum conſuetudini non reſiſtitur, facta eſt neceſſitas, quibus quaſi annulis quibuſdam ſibimet annexis (unde catenam appellavi) *tenebat me obſtrictum dura ſervitus.*

Ecce annulos iſtius catenæ, ferrea voluntas, libido inſolens, conſuetudo inveterata, gravis neceſſitas, denique pudenda ſervitus, in quam venit etiam ſpontè, etiam voluntariè: evenit enim illi, quod jumento, quod bovi; quod equo: cùm primò currui adhibetur, alligeturque, ſalit, recalcitrat, jugumque conatur excutere, & manere liber; at ubi jugum ſubiit, eique aſſuetus eſt, ſpontè illud ſubit, imò ex habitu illud adit mox ut è præſepio ſolvitur, eſto in illo laborandum, ſudandumque ſit, & gemendum ſub onere.

Quod jumento, idipſum & homini: primùm enim peccati onus averſatur, detrectat, fugitque; at ubi ſemel ei aſſueverit, ſpontè illud admittit, ſubitque etſi ſit longè graviſſimum; imò & in illud procurrit, quamvis ſub eo non ſit futurus ſine dolore, & gemitu. Tantum etiam in malis valet inolita conſuetudo. Ne porro hæc etiam in te invaleſcat, in primo aditu pedem retrahe, ſiſteque abiturientem in præceps animum.

QUÆSTIO SECUNDA
MORALIS.

Ad illa verba: *Omnes ejecit è templo.* Joan. cap. 2. verſ. 15.

CVR OMNES, ET CVR EIECIT E TEMPLO?

APUD mortales etſi par ſit delictum, ſubinde tamen non eſt par pœna: habetur enim aliqua perſonæ ratio: nec eadẽ lege tenetur nobilis, eadem plebëius; hic in cute, ille punitur in ære, ut habet antiqua parœmia: imò (ut audio) quibuſdam in Regnis expreſſè lege cavetur ne nobilis extremo afficiatur ſupplicio capitis, nec membrorum mutilatione puniatur, uti fieret plebëius. In Galliis certè dicitur, quod ſanguis Regius effundatur nunquam, ſervatur ille Regno, ſervatur & publico: nec malè.

Perſonæ acceptio.

Apud Deum Superoſque non eſt par ratio, quos eadem involvit culpa, eadem involvit & pœna; nec eſt ulla perſonarum acceptio, Crœſus, Irúsve ſuat, nihil intereſt.

Non eſt apud Deum.

Puſillum & magnum ipſe fecit, & æqualiter eſt illi cura de omnibus. Uti Seraphinum fecit in Cœlis, ſic & formicam fecit in terris, & eadem manu illum in nihilum redigere poteſt, quâ & hanc; eâdem Regem, quâ & plebëium.

Sap. c. 6. v. 8.

Ecce Dominus, inquiebat Iſayas agens de ſupremo Judicii die, *diſſipabit terram, & nudabit eam, & affliget faciem ejus, & diſperget habitatores ejus, & erit ſicut populus, ſic & Sacerdos; & ſicut ſervus, ſic & dominus ejus; & ſicut ancilla, ſic & domina ejus:* Nimirum Deus ter Opt. ter Max. eadem Juſtitiæ Lege ſortitur inſignes & imos; eadem eos, qui in purpura & ſceptro, atque illos, qui in ſacco & cinere.

Et hoc eſt, quod adjicit ille ipſe Vates Iſayas: *In die illa* (nempe Judicii) *viſitabit Dominus ſuper militiam Cœli in excelſo, & ſuper Reges terræ, qui ſunt ſuper terram, & congregabuntur in congregatione unius faſcis.* Ut qui pares ſunt in culpis, damnentur pariter in pœnis: *Avari cum avaris, Luxurioſi cum luxurioſis.* Et hoc quidem nullo perſonarum diſcrimine: ſit ruſticus in ligone, ſit Rex in ſceptro: apud Deum, æquum Judicem, nil refert, quam ipſam æquitatem declarat in Jechonia Rege, de quo ſic Jeremiæ voce, calamoque.

Verſ. 22. Haymo.

Vivo ego dicit Dominus, quia ſi fuerit Iechonias velut annulus in manu dextra mea, inde evellam eum.

Cap. 22. v. 24.

Hoc eſt, etſi Jechonias mihi tam junctus eſſet, tamque carus, quàm annulus cordialis in dextra mea; etſi tam neceſſarius tamque pretioſus, quàm annulus ſignatorius, qui & in uſu eſt, & in pretio, & in amoribus, tamen ob ſceleta edocam illum, evellamque de manu mea, adeo nihil Deo charum, nihil & pretioſum, quod non abjiciat, non evertat juſtus Judex, ſi poſtulent crimina. Quod Deo ter Opt. ter Max. hoc & Chriſto Servatori, apud quem æqua in omnes animadverſio, ut videre eſt in ea ipſa quam hodie tractamus hiſtoria, qua legitur omnes ejeciſſe de Templo, & ne vel upi peperciſſe, qui modò reus violatæ ſacratæ ædis eſſet.

Non eſt apud Chriſtum.

Erant eò loci ac temporis in illa perſonæ tam ſacræ, quàm profanæ: erant laici, erant & ſacerdotes, & hi & illi, ejuſdem notæ ac culpæ rei. Sacerdotes quidem, qui animalia in ſacrificium oblata ſervabant viva, nec Deo immolabant, ſed vendebant vel Inſtitoribus, vel etiam advenis illis viliore pretio, ·bis autem majore, quod & ſacrilegii fuit, & ſordidæ avaritiæ, uti annotat Anacletus II. Pont. Max. & Pius I. & Julius I. atque ex illis Toletus.

Et hos, & illos omnes Chriſtus ejecit è templo, nec unum ſervari voluit, quia omnes ſacrorum erant profanatores, ut poſteros doceret exemplo ſuo, factoque, æquam in omnes obſervare Juſtitiæ legem, nec perſonarum acceptores eſſe; hoc enim & alienum eſt à Chriſto, & Chriſtianiſmo.

Non eſt in Chriſtianiſmo.

Neſcit religio noſtra perſonas accipere, nec conditiones hominum, ſed animos inſpicit ſingulorum: ſervum & nobilem, addo ego profanum, & ſacrum *de moribus pronuntiat*, de moribus judicat, abſolvit aut damnat.

S. Hieron. ad Celantiam.

Rationem hanc adjicit S. Doctor, quia *ſola apud Deum libertas eſt, non ſervire peccatis: ſumma apud Deum nobilitas eſt, clarum eſſe virtutibus.*

Et hoc ipſum eſt, quod *Eugenio* Papæ, ſummo utique poſt Chriſtum in terris, ejuſque Vicario commendatum impensè voluit S. Bernardus, dum ſic ad illum.

Non ſit in te acceptio perſonarum; non parvi te reum peccati exiſtimes, ſi facies peccatorum, & non potius cauſas judicas meritorum.

De conſider. l. 2. c. 14.

Ut porro ſcias cujus peccati ſis reus, ſi in judicio, pœniſque infligendis, ſit apud te perſonarum acceptio; paucis accipe, quæ ex hac malorum eluvies.

Acceptio perſonarum, inquiebat in Epiſtolam Jacobi nobilis Interpres, *Iuſtitiam pervertit, Charitatem lædit, ſcindit Chriſtianiſmi unitatem:* ſed ne longiùs, hæc verba notaſſe ſit ſatis.

Cornelius.

Venio ad ſecundam partem propoſitæ initio quæſtionis, cur ſcilicet Chriſtus, aliàs mortalium omnium mitiſſimus, etiam armatâ flagellis manu ejecerit de templo vendentes & ementes? cur & nummulariorum æs effuderit? cur & menſas everterit? Subeſſe debuit ratio longè graviſſima, quia apud ſummam rationem nihil eſſe poteſt ſine ſumma ratione.

Ea porro fuit ejuſmodi, quam expreſſit ipſe his verbis: *Nolite facere Domum Patris mei, domum negotiationis.*

Verſ. 16.

Et hoc primum illis crimen, quod Dei domum feciſſent domum negotiationis. Alterum, idque gravius, quod etiam domum orationis feciſſent *ſpeluncam latronum*, vel ut vertit Arabicus: *ſpeluncam latronibus*, quales & ipſi. Ut enim ſcitè Divus Hieronymus. *Latro eſt, qui & templum in latronum convertit ſpeciem, qui lucra de religione ſectatur, cultuſque ejus, non tam cultus Dei, quàm negotiationis occaſio eſt.*

Et tales apud Judæos erant illius ævi Sacerdotes, qui toti lucro intenti, honeſta templi ſpecie, quaſi in ſpelunca latitantes, carâ venditione, uſuris aliiſque fraudulentis modis atque artibus, peregrinos & pauperes expoliabant, uti faciunt in viis latrones.

Sacerdotum vitia.

Eſt latro inſeſſor viarum à latendo dictus, vel ut alii, latro quaſi latero, qui à latere inſidiatur viæ, ut rectè S. Iſidorus.

Lib. 10. Etym.

Et ii erant Sacerdotes, latebant illi ſub ovina veſte lupi, ſub ſacro habitu profani, nec tam vitæ advenientium, quàm burſæ inſidiabantur; & hoc quidem in templo, quaſi in ſpelunca, in quo ſanè

& in

& in Deum impii, & in proximum injurii, & in ſe-ipſos noxii.

Lib Hexam. c. 1.

In Deum quidem, quia templum, *Sacrarium eſt SS. Trinitatis*, ut rectè D. Ambroſius, *Dei domus eſt, & domicilium Æterni Patris*, quod qui auſu temerario, & nefando crimine violârit, næ ille in Deum eſt injurius.

Euſebius de vit. Conſt. lib. 1. c. 46.

Eſt & in proximum, quia templum eſt *Propitiatorium*, è quo Sacerdos & propitium reddere Numen ſolet, & ſi iratum fuerit, placare: quod ni fecerit, næ populo injurius eſt, næ etiam & ſibi noxius, quia templum cùm ſit *Sanctuarium, & Sanctificationis domus*, Sacerdotem & ſanctum facere debet, & ab omni noxa & flagitio liberum reddere, & cùm ſit *Virtutum ſchola*, virtutibus inſtruere, *atque à divinis ad divina transferre*, ut altiore ſtylo S. Dionyſius Areopagita: quod quia non tranſtulere illius ævi Sacerdotes, ideò à Chriſto, etiam armatâ flagellis manu expulſi de templo, atque ejecti, & hoc quia domum orationis fecêre domum negotiationis.

Sed, inquies, unà cum Venerabili Beda: *Nunquid videbantur licitè vendi in templo, quæ ad hoc emebantur, ut in eodem templo offerrentur Domino?*

Enimverò licitè vendi poterant: *ſed nolens ipſe Dominus aliquid in domo ſua terrenæ negotiationis, ne ejus quidem, quæ honeſta putaretur exhiberi, diſpulit negotiatores injuſtos, & foras omnes ſimul cum iis, quæ negotiabantur ejecit.*

Hæc ubi dixit, tum orationem ſtylumque vertit ad hanc ætatem noſtram, & ait: *Quid ergo fratres mei, quid putamus faceret Dominus, ſi rixis diſſidentes, ſi fabulis vacantes, ſi riſu diſſolutos, vel alio quolibet ſcelere reperiret irretitos? qui hoſtias, quæ ſibi immolabantur, ementes in templo vidit, & eliminare feſtinavit?* Hactenus Beda.

QVÆSTIO TERTIA
MORALIS.
Ad illa verba: *Auferte iſta hinc.* verſ. 16.
QVID E TEMPLO AVFERRI,
Et quid in Templum inferri debeat?

Hic moveri poteſt ea quæſtio, cur Servator optimus qui Patris Æterni domum amabat ut ſuam, qui ejus in ea cultum ſpectabat, & quidem unicè, nihilominus ea omnia auferri jubet, quæ ad Dei ter Opt. ter Max. cultum faciebant, uti erant hoſtiæ immolandæ, & quæ non tam erant in Templo, quàm in ejus atrio, puta boves, oves, arietes, vitulos, columbas, turtures? Cur, inquam, eas omnes efferri mandat; imò & armata manu ejicit ipſe? In oculis, & manibus, eſt reſponſio: non tam eas amandari vult, quàm aſſuſum illis vitium, hoc eſt avaritiam inſolentem, & Templi pollutionem, cujus occaſionem dabant omnes iſtæ hoſtiæ; non ſuo vitio, ſed ſacrilegorum illorum culpa, qui iis abutebantur ad ſuas libidines, hoc eſt ad uſuram, ad fraudes, & malos dolos, ad auri argentique cupidinem, ad nefanda lucra. Hæc, inquam, omnia procul eſſe vult è Templo. Ex quo injicitur mihi alia quæſtio. Quænam ergo è Templo auferri voluit? & quænam in illud inferri? quænam ne inferri quidem?

Aurum in tẽpla quædam inferri nefas.

Plutarcho teſte, quædam erant templa, in quæ ingredientes aurum omne relinquebant, ſi quod fortè ſecum haberent: ferrum autem nulla in fana introeunti permittebant: quæ cauſa?

Uti & ferrum.

Ne ceede, aurum, ne etiam ferrum arceri à templis: & hoc & illud ex ſe eſt innoxium: ſed hominum vitio cùm fiat noxium, meritò arcetur à templo:

Quæ cauſa?

In auro enim & ferro notantur duo potiſſima vitiorum inſtrumenta, quæ à ſanctitate cùm ſint vel maximè aliena, nefas eſt ea inferre in templa.

In auro quippe non tam aurum attenditur, quàm immoderata illius appetentia, & habendi ſitis, quæ eſt ab avaritia.

In ferro autem animi acerbitas, morum durities, vindictæ appetitus, & pondus quoddam naturæ ſocordis indicatur: quæ omnia à ſacris ædibus abeſſe debent, & ſi fortè ſubintrarint, expelli.

Ubi porro ea aliaque vitia, ceu monſtra, ex animo, hoc eſt è parvo templo ejeceris; etiam ejeceris è magno: fatendum enim, quod annotat Clemens Alexandrinus, duplex eſſe templum. *Alterum magnum, ut Eccleſia: alterum parvum, ut homo.* Tam ex hoc, quàm ex illo eliminanda omnia vitiorum monſtra, eliminandæ cupiditates, ut ſirenes, arcenda & curarum domeſticarum atque inanium turba: nec admittenda niſi ad fores uſque, nec ultra: tum adſciſcenda, atque adjungenda virtutum omnium ornamenta, atque imprimis in toto habitu corporis modeſtia, quam & adhibuere ipſi Gentiles, non ſine ſtupore, non ſine rubore Chriſtianorum, quos in extremo illo ac decretorio judicii die & arguent, & condemnabunt.

Lib. 7. Strom.

Quæ in auro & ferro vitia.

Audi de illis Romani ſapientis oraculum. *Intramus templa compoſiti, ad ſacrificium acceſſuri, vultum ſubmittimus, togam adducimus, in omne argumentum modeſtiæ fingimur.*

Lib. 7. Nat. QQ. c. 30.

Hæc Romani, hæc ethnici, hæc idololatræ ſubeuntes profana fana. Quid nos, qui Chriſtiani & nomine & re ſumus, qui intramus in ſacram ædem, quæ ex vero locus *Angelorum eſt, locus Archangelorum, Aula Dei, Cœlum ipſum*: ut aureè D. Chryſoſtomus.

Hom. 6. in 1. ad Corinth.

Hoc ergo primùm inferatur in templum, modeſta quædam & habitûs & corporis compoſitio; Hanc afferebat S. Baſilius cùm rei divinæ operaretur, atque (ut verbis Nazianzeni utar) *Concinnam modeſtiam, & decorem Angelicum potius quàm humanum.* Et hunc quoque in templum Chriſtianus importet; importet, deinde membra corporis omnia veluti totidem victimas Deo offerendas, ſacrandaſque, & quidem

Modeſtia in Templis.

Orat. 20.

Primò os ad Dei ter Opt. ter Max. laudes, *ad* aliquam gratiarum Panegyrim, non qualem olim Phariſæus, qui hæc ore tumido, inflatiſque buccis: *Deus gratias tibi ago, quia non ſum ſicut cæteri hominum, raptores, injuſti, adulteri, velut etiam hic Publicanus: Jejuno bis in Sabbatho, decimas do omnium quæ poſſideo.*

Themiſtius Orat. 16. c. 4. n. 3.

Hæc ille, qui aſcendit quidem orare; ſed noluit Deum rogare, ſed ſe laudare: Parum eſt non Deum rogare, ſed ſe laudare, inſuper & Publicano oranti inſultare, inquit D. Auguſtinus de peſſimo illo oratore: qui ut notat D. Baſilius: *Apud ſe orabat, non apud Deum.*

Serm. 36 de verb. Domini

In c. 2. Iſay.

Et

Serm. 3. de Annunt.

Et quia ſic orabat, *vacuus rediit*, & meritò, *quia plenitudinem ſimulavit*, inquit D. Bernardus.

Os in templis.

Non ſic Chriſtianus orator, non ſic: *Os* quidem ille infert in templum; ſed os explicatum in Dei laudes, non ſuas; os humile, non tumens; os pœnitens, non exultans, etiam in bonis ſi quæ fors habeat; ſed gemens in malis, quibus obrui ſe novit, & quia novit, veniam rogat, uti ex adverſo Publicanus, qui hæc in Cœlum: *Deus propitius eſto mihi peccatori.* Quid deinde? rediit juſtificatus ab illo, & quia exinanivit ſeipſum, *quia vacuum vas exhibere curavit, gratiam retulit ampliorem.*

Luc. c. 19. — *D. Bernard. ſuprà.*

Epiſt. 58.

Ita nimirum appoſitè S. Paulinus: *Iuſtitia* in hoc *ædificabat*, quod in illo *ſuperbia deſtruebat*.

Humilitas in Templis.

Ne deſtruat etiam in te quiſquis in templum oraturus venis, Joëlem audi, ſic ille ad ſuos olim, ſic in præſens ad nos:

Cap. 14. v. 3.

Tollite vobiſcum verba, mollia ſcilicet, lacrymoſa, ſancta & pia, quæ Dei irati atque exacerbati cor demulceant, leniant, atque emolliant, flectantque ad miſerationem, & dicite ei: *Omnem aufer iniquitatem, & accipe bonum*, hoc eſt tam animum, quàm verbum: *Verbum* ſcilicet pœnitentiæ, & contritum animum: Et reddite *vitulos labiorum*, id eſt hoſtias labiorum; has enim ab ore tuo expectat iratum Numen, & iſtis placari vult. Affer igitur in templum *Os* tale; ſed & *aures* Deo uni ſacrandas, Deo offerendas in hoſtiam, verbo uno *aures audiendi*. Has à te poſtulat mundi Reparator, dum hoc ad te oraculum.

Matth. c. 4. v. 9

Qui habet aures audiendi audiat.

Aures in templis.

Non petit iſte aſininas aures, ut Mydæ; præciſas, ut Spadonis Perſæ; nec ictibus laceras, ut Entelli; nec foratas, ut Platonis; nec immane quantum patulas, ut Indiæ gentis fabuloſæ; non curioſas, ut Oracuſtarum; non præſtigiis illuſas, ut Fanaticorum; non tinnitu reſonantes, ut amantium; nec piloſas, ut ſoricum, nec ut cervorum ſciſſas atque diviſas; ſed audiendi ſtudioſas: audiendi, inquam, quid ratio, quid lex, quid Deus jubeat, quid & loquantur in Eccleſia cœleſtis verbi Præcones, velut Interpretes Divinæ Mentis. Illas dico aures importa in templum, quæ in Cœli ſonitum intentæ ſint, quæ ſalutis verba cupidiſſimè excipiant.

Manus in templis.

Sed & cum auribus etiam manus: at quas manus? utique eas, quas in ſponſa ſua, id eſt anima, requirit & amat cœleſtis Sponſus; videlicet ut ſint *tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis.*

Cant. c. 5. v. 14.

Tornatiles quidem, hoc eſt, quæ ſint veluti torno elaboratæ æternitati, & quæ illi ſoli laborent: Sint & *aureæ*, hoc eſt in eleemoſynas effuſæ, & quæ aurum ſpargant in egenos, & Chriſti pauperes.

Sint & *plenæ hyacinthis*, hoc eſt, quæ omnia agant ſpe & amore bonorum cœleſtium.

Sicut eæ, quæ fuerunt olim in prima naſcentis Eccleſiæ infantia.

In has manus fidelium, in ſacris ædibus, & cædere pectua, & tundere ſolebant. Quod Tertullianus notat, veluti pingens habitum orantium Chriſtianorum: Sic enim, inquit, *Genibus poſitis, & manibus cædentibus pectus.*

Con. Ind. c. 11.

Tertulliano ſubſcripſit D. Bernardus, qui ſic ad oratorem verè Chriſtianum: *Si pectus tunſionibus, ſi cœlos clamoribus fatigaſti.*

Ita nimirum primævi Chriſtiani, manibus tundebant pectus, ad declarandum animi dolorem, & puniendam velut conſcientiam, quæ parentis optimi jura legesque violaſſet.

Ita & ante illos Publicanus, qui à longè ſtans tundebat pectus ſuum, dicens: *Deus propitius eſto mihi peccatori.*

Et hoc inſtitutum manavit jam inde ab Apoſtolis, qui ad aras, atque inter Sacra, ad illa Dominicæ orationis verba: *Dimitte nobis debita noſtra*, manu pectus cædebant: quod D. Auguſtinus ſic expreſſit: *Hoc eſt quod pectus tundimus, & dicimus in oratione Domino Deo noſtro, Dimitte nobis debita noſtra.*

Quod ſi quæſierit ad quid ea pectoris tunſio, audies ex D. Auguſtino: *Tunſio pectoris, eſt obtritio cordis.* *In Pſ. 31.*

Sed & aliæ ſunt manus, & ipſæ ſubinde in templum inferendæ: eæ ſunt elatæ atque expanſæ. Chriſtiani enim aliquando modò manus in altum tollebant, modò eaſdem hinc & inde extendebant *Lib. 8. hiſt. c. 7.* in *Crucis modum* formamque, inquit Euſebius.

Et Tertullianus deſcribens modum orandi à Chriſtianis uſurpari ſolitum. *Manus*, inquit, *non attollimus tantùm; ſed & expandimus, Dominica paſſione modulantes.*

Hæc ille, ſublimi quidem, ſed obſcuriori ſtylo: modulari *Dominica Paſſione*, nihil eſt aliud quàm componere ſe, & conformare, ſive modum atque effigiem induere, Chriſti in Cruce morientis, ejuſque vim & gratiam orationi adjungere.

Sed hic modus orationis, jam privati potius loci eſt, quàm publici.

Denique in templis ſubinde etiam junctæ manus, ſubinde ante pectus decuſſatæ. Junctæ ſupplicantium geſtum continent, & ſignificationem habent demiſſi animi, & ſe Deo ſubjicientis. Decuſſatæ verò, atque in formam crucis compoſitæ, orantem monent ut in pectore, medioque in animo, vivam Chriſti patientis memoriam retineant atque conſervent. Et hæc de manibus inferendis in templum: dicamus & de oculis, & quinam illi?

Oculi in templis.

Primò non ſint curioſi: mirum enim quàm noxia curioſitas oculorum: eam vidit atque damnavit antiquitas in *Dina*, Patriarchæ Jacobi filia. Juvenili levitate egreſſa eſt domo, *ut videret mulieres alienigenas; quid inde?* vidit, & ſtuprum paſſa. *Gen. c. 34. v. 1.*

Hanc ſic compellat D. Bernardus: *Quis crederet tunc illam tuam curioſam otioſitatem, vel otioſam curioſitatem fore, poſt ſic non otioſam: ſed tibi, tuis, hoſtibuſque tam pernicioſam?*

Oculorum cuſtodia.

Paucis perſtringit S. Præſul ingentia mala, quæ à vagis & curioſis leviuſculæ puellæ oculis importata ſunt: ea videlicet, Virginis ſtuprum, violata pudicitia, genitoris mœror, familiæ probrum, fratris ira, ſævuſque furor, & plurimorum cædes.

Quod ſi tanta, totque mala in profana regione intulit aſpectus curioſus, quæ non efferat è ſacris ædibus cùm incidit in veſtium luxus, molleſque formas? ſed de his infra opportuniùs.

Abſint igitur à templis aſpectus curioſi. Abſint & oculi vagi: dicuntur autem ii, qui vix unquam apud ſe ſunt, qui foris ſemper, huc atque illuc temerè & inconſideratè conjecti, quos Sapiens vocat *Proverb. c. 17. v. 24.* *oculos ſtultorum*, vel ut hebræa phraſis, *oculos vagos.*

Abſint denique, & quidem quàm longiſſimè, *oculi per res varias fornicantes.* Ad coërcẽdos oculos, *Num. c. 15. v. 39.* & in officio continendos, Hebræis mandarat Deus utad veſtium extimarum oras appenderent fimbrias hyacinthinas, hoc eſt cærulei coloris, ut dum in eas abjicerent oculos, & Cœli meminiſſent, & cœleſtium, *nec ſequerentur cogitationes ſuas, & oculos per res varias fornicantes.* *verſ. 39.*

Quod ſi iſta Hebræis dederit in mandatis, quid cenſendum feciſſe Chriſtianis, potiſſimùm autem, in æde Deo divinoque cultui ſacra?

Et hæc ætatis noſtræ macula, quòd in ea aut exigua ſit, aut nulla propè oculorum cuſtodia: potiſſimùm autem in juvenculis noſtris: ſtant illi ad prima templi limina, non ut publicanus olim, tundentes pectora ſua, non demiſſo in terram vultu, non audentes in cœlum oculos levare; ſed inſatiabili curioſitate, vaga oculorum licentia, effrenique libidine huc atque illuc circumſpectantes quæ virgo,

virgo, quæ puella, quæ matrona ſubintret, quæve egrediatur? Quid inde? figitur oculus, figitur & animus in hujus atque illius pulchritudine, & hinc cogitationum obſcœnarum turba, hinc inſana deſideria, ubi quod oculus vidit, animus cōcupiſcit.

Pulchritudo quid ſit?

Et verò quidni concupiſcat? eſt pulchritudo blanda *tyrannus*, & ſimul etiam violenta, ut bellè Socrates.

Orat. 43.

Eſt *dulcis illecebra, charum venenum*, ut diſertè D. Gregorius Nazianzenus.

Ode 8.

Eſt præco Veneris, & dulcium amorum, ut eleganter Pindarus.

In Timæo.

Eſt *flamma quædam, ac veluti fulgor emanans è corpore*, ut doctè Plato: emanans, inquam, primùm ad oculos, deinde ad animum, illos ubi perſtrinxerit, tum & hunc percellit, occupat, evertit: Quid enim aliud faciat flamma ignisque imo pectore latitans? erumpat eſt neceſſe, & in magnum evadat incendium.

Lib. 3 de Provid.

Hic refero eloquentis Salviani dictum, qui oculos nominavit, *Naturales quoſdam animi cuniculos*.

Ut enim in obſidione civitatum, quæ vel naturâ, vel artificio munitæ ſunt, ducto cuniculo ad caſtellum fit reſticula pulveris tormentarii, duciturque in lineam ad præſidii fundamentum, neque tamen igne applicato fiunt ſubitò grandia illa, & miranda quæ videmus; ſed paulatim flamma ſerpit per apertam viam ſecuta, & exiguâ fomitis continuatione innutrita, donec in ſpecum latè patentem, & copioſam materiam infuſa, in vaſtum erumpat incendium.

Tunc videas ſubitò ignem furere, ſolum quati horrifico ſonitu, compleri omnia, ſubrui turres, volitare ſaxa, moles in ſublime attolli, quaſi telo Poetici Jovis.

Sic eximiæ formæ pulchritudo per oculos, ut animi cuniculos ſubiens, ſi aſpectus continuatione, ut igneo fomite, ardor ipſe cupiditatis, affectioque minus honeſta intimam in cordis arcem pervenerit, magnum fieri incendium eſt neceſſe, fumo & tenebris compleri mentem, propoſita pia convelli, gratiæ præſidium & propugnaculum everti, ruere muros diſſipatæ conſcientiæ, non ſine triſti, acerba, fatalique calamitate: quam ne incurras, AMICE LECTOR, & quiſquis ſacratiora loca ſubis, author tibi ſum, imò & ipſe Chriſtus, qui Publicano modeſtiæ ac demiſſionis præco fuit: ut in templis demiſſo ſis in terram vultu, nec *Ludas oculis, nec rotes cervicem* (quod ad notas pudicitiæ retulit D. Ambroſius) ſed potius in terram, ceu communem matrem, abjicias oculos, atque etiam ad ipſas ſi voles inferorum ſedes, atque incendia, quæ peccatis tuis promeritus es, dicaſque cum Publicano: *Deus propitius eſto mihi peccatori.*

Lib. 3. de Virg.

Quod ſi fortè (quæ oculorum, id eſt orbium iſtorum levitas eſt, ac volubilitas) eos attolli contigerit, atque in pulchellam faciem incidere, ne in ea hæreant, néve figantur; ſed ſervetur ſalubre illud D. Auguſtini monitum.

In Reg. 3. c. 21.

Oculi veſtri etſi jaciantur in aliquam, defigantur in nullam. Sic & periculum, quod ab oculis eſt, faciliùs declinabis, & Dei beneficio eris, quod apud Tertullianum eſt *Chriſtianus, qui ſalvis oculis fœminam videt, & animo adverſus libidinem cæcus eſt.*

In Apolog. c. 46.

Ubi tales oculos in Eccleſiam intuleris, affer & pedes, & genua.

Genua in templis.

Pedes quidem, non qui huc illucque per eam diſcurrant, veluti per ſtadium: non qui obambulent, veluti per forum; ſed uni ferè loco affixi: genua verò, quæ Deo ſubmittantur ex Apoſtolica inſtitutione, de qua ſic D. Hieronymus: *Legimus geniculationes in oratione præceptas.* Quæ enim potius? certè D. Ambroſius aiebat, flexis genibus *Domini mitigari offenſam, iram mulceri, gratiam provocari.*

In c. 3. Ep. ad Epheſ.

Lib. in Hexam. c. 9.

Ecce quæ & quanta à genuflexione emolumenta, ſi tamen in ea dum genu ſubmittitur, ſubmittatur & animus, & quod extrinſecus oſtentat, exprimat intrinſecus.

Et ita exprimendum etiam exemplo docuit D. Hieronymus, qui hæc de ſeipſo: *Deum genu poſito ſuppliciter adoramus, & fixo in terram poplite, magis quod ab eo poſcimus, impetramus.*

Supra.

Suppliciter, inquit, ecce demiſſionem & reverentiam: *adoramus*, ecce Latriæ cultum: *fixo in terram poplite*, ecce orantis ſitum; inclinationem atque abjectionem ad teſtandam ſingularem animi reverentiam, ergà ſummi Numinis Majeſtatem, quam veneramur.

Et ita venerari nos docuerunt DD. Patres, ita & primævi Chriſtiani, quorum *genua trita eſſe*, dixit Auguſtinus, uti & ſua: ſic enim, inquit, *Quotidie, ad Eccleſiam curro, genua mihi trita ſunt in orationibus.*

Tract. 3. in Joan.

Et hic fuit, eſtque uſitatus modus orandi in Eccleſia: alter eſt procumbere in faciem, & prono capite incurvari, ac ſterni ſolo: Et hunc ritum adhiberi ſolitum docuit Tertullianus, maximè *in rebus attonitis*, in afflicta fortuna, in qua orabatur olim *facie humi voluta*te.

Lib 3 contra Marc. c. 18.

Ecce quæ ſpecies orantium, hauſta ſcilicet vel ab ipſa cœleſti Curia, in qua ut aiebat D. Chryſoſtomus.

Serm 5.

Pavent Cœli, Poteſtates metuunt, in faciem procumbunt Cœli Seniores: Reverentia ſcilicet ac Majeſtate Numinis, ſuique demiſſione atque abjectione, à qua vel longiſſimè abſunt juvenculi noſtri, qui ad prima templi limina, vix uno poplite, uno genu flectunt, dicuntque Chriſto, ſi minus voce, certè reipſa cum Judæis: *Quis eſt qui te percuſſit?* Ex vero enim Chriſtum in VENERABILI alapâ percutiunt impii illi oratores.

Non ſic Auguſti Cæſares, non ſic inclyti Reges, non ſic præcelſæ mentes, & Cœlo naræ.

Theodoſius Imperator Mediolani ſeſe in Eccleſiæ pavimentum abjecit, quod uſitatum quoque magnis Regibus monet Procopius in illud Iſayæ.

In cap. 49. Iſay.

Erunt Reges nutritii tui, qui inquit, *genu flexo in Eccleſia terra frontem alliduni*, quod commune fuiſſe in templis, in hunc modum demonſtrat Salvianus: ſic enim ait:

Lib. 6.

Ad domos Dominicas currimus, corpora humi ſternimus, mixtis cum fletu gaudiis ſupplicamus.

Ecce ſupplicandi formam, cui conſona eſt etiam illa, quæ invaluit ipſo D. Auguſtini ævo, cujus hoc eſt luculentum teſtimonium de homine Chriſtiano:

Lib. 50. hom. Homil. 40.

Scito quotidie venire, hominem ſcilicet ad templum, *genua figere, fronte terram concutere, aliquando vultum ſuum lacrymis rigare, & in iſta tanta humilitate ac perturbatione dicere, Domine, Domine.*

En orandi formam, en demiſſionem, en abjectionem orantis, en pœnitentiam, & fuſas in ea lacrymas, en à reverentia Numinis quodammodò perturbationem, en denique & fidem his voculis expreſſam: *Domine, Domine.* En præclara magnarum virtutum in oratione decora atque ornamenta; quæ utinam uti audit, ſic & referret ætas hæc noſtra: ſed proh dolor, pudorque! quantum ab illis abſumus, quantum ad vitia illis contraria declinamus.

QUÆSTIO QUARTA
LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba : *Zelus domus tuæ comedit me.* verſ. 17.

QVIS ILLE ZELVS, ET QVÆ VELVTI ILLIVS COMESTIO?

Zelus quid ſit?

ZELUS ille fervor eſt, æſtus quidam animi, ſtudiumque ardens; procurandæ gloriæ templi tui (in quo, ô Domine! quaſi in domo tua habitas) eſt & indignatio, quam in vendentes, qui illud profanant, & peſſumdant, côcepi.

Ille ille *zelus comedit me*, hoc eſt *abſorbuit me*, vel ut Symmachus, *conſumpſit me*, *exedit me*, ſicut ignis: ferrum ignis conſumit, & in ſe quodammodo tranſmutat, ut non jam ferrum, ſed merus ignis eſſe videatur.

Et hæc ad litteram paucis indicaſſe ſit ſatis: venio ad mores ex ea formandos, ad debitam in templis reverentiam, ad zelum, ſtudiumque pro ea ſervanda, ad vindictam, juſtamque de prævaricatoribus ultionem cùm occaſio exegerit.

Têplorum reverentia.

Reverentiam diſce ex ipſo naturæ ductu atque lumine, & vide etiam in tenebris impiæ ſuperſtitionis Ethnicorum, qui præ reverentia honoréque Numinum, quæ in delubris verſari opinabantur, in ipſo introitu fanorum, calceos ponebant, ut refert Juſtinus martyr. *Apol.* 2.

Diſce eandem ex ipſis Judæis, apud quos tanta fuit Templi Salomonici veneratio, ut ne parietes quidem populo contingere licuerit. Quam ob cauſam alii quidam veluti prophani parietes ædificati ſunt, qui ſacros illos contegerent, ut mihi Author D. Gregorius Nazianzenus. *Orat.* 29.

Diſce deinde Zelum, ſtudiumque conſervandæ etiam in aliis illius venerationis, cultuſque.

At unde Zelus? ne quære, non aliundè quàm ex amore. Ut enim ingenioſè D. Auguſtinus: *Amor zelos ut filias parit.* *Tract.* 10. *in Joan.*

Amor parens zeli.

Videt unus aliquis uxori contumeliam inferri, manus injici, vim parari, & ſubitò exardeſcit, zeloque concitatus vim vi repellit. Cur ita? quia uxorem amat.

Videt parens filium injuriis affici, videt filius parentem, & mox incurrit, imò & involat in contumelioſum. Cur ita? quia amat: Amor igitur zelum concipit, zelum parit, Amor zeli parens.

Quod ſi ita eſt etiam apud homunciones è terra lutóve malè compactos: Quid erit in Chriſto, Deo-Homine? certè & zelus ardens, quia amor ardens.

Zeli exempla.

Spectabat hic Patris Æterni domum, id eſt Templum, à profanis illis, quà venditoribus, quà emptoribus, quà etiam ſacerdotibus violari. Quid inde? flagellum expedit, manum armat, & tam hos, quàm illos è Templo depellit. Quæ cauſa? non alia quàm Patris Æterni amor, & natus in eo zelus, & hic omni ævo enituit in viris Principibus, in magnis atque excelſis mentibus. Producamus exempla ex omni retro antiquitate petita.

Mathathiæ zelus.

Primum erit in *Mathathia*, viro à pietate in Deum ac ſuperos illuſtri. Forte hic incurrit in unum aliquem ſacrilegum de populo Iſrael, qui ſpectante tota Judæorum Synagoga thus adolebat idolo ſuper altare erecto, & hoc in Dei ter Opt. ter Max. injuriam, in Legis contemptum, in Synagogæ dedecus. Non tulit id facinus vir Princeps, & Heros inclytus, inardeſcit à zelo, iram concipit, ferro manum armat, & ſacrilegum inter focos, & fumantem aram interimit: ita de illo ſacræ paginæ:

Vidit Mathathias, & doluit, & contremuerunt renes ejus, & accenſus eſt furor ejus ſecundum judicium Legis, & inſiliens trucidavit eum ſuper aram. *Machab.* 1. *c.* 2. *v.* 24.

Vidit & doluit, græcè *accenſus eſt zelo.* Ita nimirum primus zeli motus, eſt dolor natus ex conſideratione rei contra Dei gloriam vergentis. Secundus eſt ardor, & ira, quæ exurgit ad repellendum malum, unde *& contremuerunt renes ejus*, ſive viſcera omnia, quæ nomine renum in Scriptura ſignificari ſolent: *& accenſus eſt furor ejus*, hoc eſt *Ira*, quæ dicitur *furor brevis*: non fuit tamen in eo indecora hæc ira, neque orta ex ea commotio, quæ dicitur *furor*, ut exprimatur quanta fuerit; ſed quanta quanta fuit, non tam ex paſſione fuit, quàm ex ratione & zelo divini honoris; unde & dicitur, *ſecundum judicium Legis*, & ſecundùm illius dictamen: *& inſiliens*, ecce impetum ex juſta commotione factum: *& trucidavit eum*, hoc eſt caput abſcidit, ſic ut truncum corpus in ſacrilegam aram caderet, & caput ad pedes miniſtri regii volveretur, audaci ſanè facinore, & digno ſene quàm optimo, cujus zelum probabit efferretque poſteritas omnis, uti & *Phinees*, qui fornicationem publicam ultus eſt, uno quoque ictu confodit peccantem utrumque, & quæ induxerat, & qui conſenſerat, zelo ſanè altiore ac cœleſti: quo enim alio?

Zeli motus

Num. c. 25.

Phinees zelus.

Digna D. Ambroſio iſta vox: *Zelus Dei vita eſt*: quod ſi Dei, & ſecundum illum etiam Mathathiæ fuit, fuit & Phinees. *In Pſal.* 118

Atque utinam eſſet eorum omnium penes quos eſt jus gladii, non viverent illi, niſi vita Dei, id eſt zelo puriore divini honoris; utinam & ſtarent pro aris & focis, proque Dei domo: Sed ne longiùs, redeo ad antiquiores Heroas.

Zelus Dei vita.

Hos inter fuit *Elias* Vates, qui ſpectante ſacrilega illa impiaque Regina Jezabel, falſorum ſacerdotum Belial quadringentos obtruncavit, incitatus ardentiore zelo divinæ gloriæ, divinique cultus, quem ſacrilegi illi violabant.

Eliæ zelus.

Ab *Elia*, venio ad *Moyſen*, & hic mirum quantum ab eodem zelo exarſit: Deſcendebat ille de monte à cœleſti cum Deo colloquio enthæus totus, deferebatque Tabulas Legis divinâ manu conſcriptas, cùm ecce incurrit in oculos vitulus aureus, quem ſibi conflârat populus, & cui pronus accidebat: id facinus non tulit Moyſes, non tulit idololatriam in populo aliàs Dei.

Moyſis zelus.

Quid inde? Primò tabulas confregit, atque comminuit, pallium exuit, gladio ſe accinxit, tum ſuos adhortatus, ut ſe viros probarent, & qui Dei filii ſervique eſſent, ferrum nudarent, irruerent in rebelles illos atque in Deum impios, & quà dextris, quà ſiniſtris cæderent, ſternerentque.

Et ita factum, & factum benè: ceciderunt enim in illa die non minus, quàm viginti millia de populo.

Sed ô Moyſes! ô mortalium, qui tum erant, mitiſſime, quis eos iræ motus impetuſque concitavit? quis arma dedit, quis in cædes, & ſtrages movit? non aliàs, quàm pro Deo zelus, proque Synagoga, ceu Dei domo.

Sed

Decretal. c. 8. Sed antiquiora, inquies, ſunt iſta: demus aliud recentioris memoriæ, & hoc in *S. Stephano* Rege Hungariæ. Is pro ea, qua fuit in Deum religione, atque in Sacris myſteriis reverentia, ſeverè ſanxit & ſtatuit, ut ſi quis inter divina Miſſarum ſolemnia, & Scripturæ Sacræ in templis prælectiones, fabulas otioſas intexeret: ſi *Major* eſſet (hoc eſt illuſtri domo natus) cum publica infamiæ nota ex Eccleſia pelleretur: ſin autem *Minor*, id eſt è vulgo, in ipſo templi atrio, primùm vinculis oneraretur, deinde etiam flagellis acriter corriperetur, vel ad aliorum exemplum, vel ad temeritatis ſupplicium.

S. Stephani Regis Hungariæ zelus.

Meritò ſanè Rex pius ea animadverſione dignos cenſuit illos, qui profana confabulatione loca ſacra contaminarent, & ſibi noxii, & aliis graves, quos proinde D. Chryſoſtomus, extra Eccleſiæ ſepta proturbandos eſſe cenſebat, etiam ut *alienæ ſalutis* inſidiatores, etiam ut templorum *profanatores*: quo enim alio nomine eos notari poſſe credas? qui ut obſervat B. Petrus Damianus de *Eccleſia non oratorium: ſed loqiutorium; non oraculum, ſed conciliabulum faciunt. Qui cum parvo peccato ad Eccleſiam veniunt, & cum peccatis multis de Eccleſia redeunt.* ut rectè Ambroſius: quæ S. Præſulis cenſura, ſi vera eſt de iis, qui in templo fabulis vacant; quid erit de illis qui & in ſacris Ædibus, & cogitationes impuras fovent, & nutriunt, & ſubinde etiam impudica colloquia, & impuriora deſideria, quibus inſinuari poſſet illud Baſilii Seleucienſis: *Non eſt hic locus lupanar; ſed Eccleſia.* *Hom. 1. de verb. Iſay.* *Serm. 33.* *Orat. 41.*

****

FERIA TERTIA
HEBDOMADÆ QUARTÆ QUADRAGESIMÆ.

HIEROSOLYMIS dies erat feſtus Tabernaculorum, iſque celebris diebus omninò ſeptem: die quarto aſcendit CHRISTUS in templum, in quo erat conferta populi turba, ad quam dicere cœpit cœleſtis orator, ea verborum copia, eo rerum pondere, ea doctrinæ luce, ut omnes attonitos haberet, & ſuſpenſos tanta rei novitate; nec enim capiebant, unde is, qui nec Scholas frequentaſſet, nec litteras ullo docente didiciſſet, tantam hauſiſſet altioris ac cœleſtis doctrinæ copiam. Hinc & illa ad invicem: *Quomodo hic litteras ſcit, cùm non didicerit?* Certè novimus eum, & Mariæ & Ioſephi, hoc eſt fabri filium, non aliam edoctum artem quàm fabrilem, in qua nec alii libri quàm ſecuris, ſerra, bipennis, dolabrum, aliáque ejuſmodi artis inſtrumenta. *Joan. c. 7. v. 15.*

Unde ergo litteræ, unde doctrina? quibus Dominus: *Mea doctrina non eſt mea, ſed ejus qui miſit me*; hoc eſt Æterni Patris, cujus voluntatem qui fecerit, intelliget quæ qualíſve doctrina mea, & à quo emanet: quæ enim loquor, ex eo loquor; quæve doceo, ex eo doceo, nec ut meum vendito, nec gloriam meam inde peto, nec inde nomen mihi facio; ſed illius dumtaxat, qui me miſit, & nomen amo, & gloriam quærito.

Et hæc ferè Evangelicæ hiſtoriæ ſumma, ex qua alias atque alias educemus quæſtiones.

QUÆSTIO PRIMA
LITTERALIS ET MORALIS.
Ad illa verba: *Mirabantur Iudæi.* Joan. cap. 7. verſ. 15.

QVÆ CAVSA ADMIRATIONIS, ET QVID IN EA aut virtutis fuerit, aut naturæ, aut vitii?

CUM Chriſtus, ceu magiſter à pulpito ad ſubjectam turbam diceret, modò proponebat doctrinam planam, & facilem, qualis erat ea, quæ mores tangebat, & quæ conſuetudines, & hoc etiam ſtylo ſimplici & facili, ut plebs etiam rudis atque inerudita eam caperet: modò ſtylum efferebat altiùs, atque ad altiora Fidei myſteria ducebat, eaque explicabat tantâ verborum luce, tanto ſententiarum pondere, ut ipſi etiam in Lege benè docti, & qui Judæos inter & videri & eſſe ſapientiores putabantur, ea non caperent, & hinc naſcebatur admiratio: quod enim quis ignorat, aut non capit, mirari ſolet. Cauſæ admirationis.

Unde vulgò dicitur *admiratio ignorantiæ filia.* Ita Nicodemo, Rabbinos inter facilè Principi, doctrinam propoſuit, quæ erat de nova filiorum Dei generatione per Baptiſmum faciẽda: fortè Nicodemus Admiratio ignorantiæ filia.

ex Chriſto petierat ut ſe doceret viam, quæ duceret ad Cœlorum regnum, de quo jam Chriſtus concionem habuerat, cui interrogationi reſpondit, viam ad Cœlum, eſſe Baptiſmum, his verbis.

Joan. c. 2. v. 3.

Niſi quis renatus fuerit denuò, non poteſt videre regnum Dei.

Et quia hoc ignorabat, hoc non capiebat *Nicodemus*, mox erupit in illud admirantis: *Quomodo poteſt homo naſci cùm ſit ſenex? nunquid poteſt in ventrem matris ſuæ iteratò intrare & renaſci?* Non noverat, inquit Auguſtinus, *niſi unam nativitatem ex Adamo, & Æva.* Ea de cauſa, ut annotat D. Cyrillus, *Spiritualem nativitatem non capiens, nec ultra res humanas quicquam cogitans, corporalem quendam ventrem, & reditum hominis, & partum fingere cogitur.*

Joan. c. 6. v. 53.

Quod *Nicodemus*, hoc etiam è Rabbinis alii, hoc & Judæi ad invicem: *Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum?*

verſ. 54.

Injecerat Chriſtus ſermonem de Pane Euchariſtico, ſeipſum dixerat *Panem vitæ*, addiderat & iſtud: *Niſi manducaveritis Carnem Filii Hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis: Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam:* aliaque de SS. Euchariſtiæ Myſterio, quæ dum non capiunt, exeunt in illud vel ignorantis, vel admirantis: *Quomodo? quomodo?*

Joan. c. 16. v. 17.

In concione, quæ illi ferè ultima, multa dixerat de ſua Reſurrectione, de Aſcenſu in Cœlum, deque reditu ad Diſcipulos in extremo Judicii die; ſed ſubobſcurè his verbis: *Modicum & non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me, quia vado ad Patrem.*

Quæ myſteria ſecretiora dum non pervadunt, ſic ad invicem: *Quid eſt hoc quod dicit?* Ecce admirantis. *Neſcimus quid loquitur?* Ecce ignorantis.

Admiratio an vitium?

Quod ſi ea, ſeu admiratio, ſeu etiam ignorantia cecidit in Diſcipulos, qui biennio, eoque amplius fuerant in Chriſti ſchola, quid mirùm ſi in Judæos, de quibus ſic Evangeliſta: *Mirabantur Judæi.*

Sed hinc oritur quæſtio altera, quid in ea admiratione virtutis fuerit, aut vitii? aut etiam naturæ?

Mirari, & non cõverti vitium eſt.

Potuit eſſe puræ naturæ, quia dictante naturâ, & ſola ratione duce, ea miramur, quæ non capimus, quia ſuperant captum noſtrum, & in hoc nihil eſt virtutis, nihil & vitii; & ſi ita fuiſſent mirati Judæi, nihil in eo virtutis fuiſſet aut vitii: ſed quia *admirabantur, & non convertebantur*, inquit Auguſtinus; hinc ea admiratio, vitio illis data eſt, & dari debuit.

Cur & unde non converti?

Sed quæres, cur non convertebantur? & cur modò tam pauci convertuntur? aliæ ſunt, atque aliæ cauſæ: ex parte adventantium ad concionem, ex auditorum vitio, qui afferunt ea quæ non debent, & relinquunt domi & foris, quæ in templum afferre deberent: de ſingulis pauca, & primò quidem de Judæis, cur illi Chriſtum, ceu divinum Oratorem, audientes, mirarentur tantùm, & non converterentur?

Cauſæ variæ.

Prima cauſa, quia afferebant curioſitatem duntaxat, qua ſeſe paſcerent, & aures, non animos; vel rerum novitate, vel cæleſtis eloquentiæ nitore atque nervo.

I. Curioſitas.

Hanc attulit Herodes, ad quem cùm miſiſſet Pilatus JESUM, gaviſus eſt: erat enim ex multo tempore cupiens, & videre, & audire illum, *quia ſperabat ab eo ſignum videre fieri*, inquit Evangeliſta: ſed nec ſignum vidit, nec perorantem audiit; nec enim ideo Chriſtus venerat ut *curioſitatem* paſceret.

Hanc attulere & Judæi illi, qui frequentes venerunt, non ut JESUM viderent, & audirent, ſed ut Lazarum & viderent, & audirent. Ecce *curioſitas*, à qua nihil domum reportarunt, niſi unum illud mirari.

Mirabantur Judæi; ſed non convertebantur; quod & locum habet plerumque in Chriſtianis auditoribus; ex quibus alii ad conciones veniunt curioſitatis cauſa: vel ut nova audiant, & docta, & ſubtilia, qualia jactari ſolent in lectionibus Academicis, in ſcholarum exedris. Sed quid *Evangelio cum Academia*, objicit Tertullianus. Certè omnino nihil.

Sunt & alii, qui adventant in templum, non ut concionem ſacram audiant; ſed potius orationem profanam, & in dicendo genus pictum, florens, variegatum, omnique eloquentiâ diſtinctum, quod Syneſius disertè appellat, *Luxuriantis linguæ delitias.* *In Dion.* D. Baſilius, *Ampullas in oratione Sophiſticas.* D. Hieronymus, *Cothurnatam eloquentiam.* S. Proſper, *Phaleratam.*

Orat. 32.

S. Gregorius Nazianzenus, graviore cenſurâ uſus, *Sermones meretricios*, hoc eſt fuco & purpuriſſâ comptos, & illicio blandæ voluptatis animos titillantes.

Hanc porro *curioſitatem*, utpote ſacris injurioſam, ſalutique inimicam, damnant & arguunt DD. Patres.

Lib. de Relig. c. 3.

S. Auguſtinus, cujus hæ fuerunt juſtiſſimæ querelæ: *Si quando ad diſputationem venitur, Platonico nomine ora crepantia, quàm pectus Deo plenum, magis habere geſtimus.* Hæc de ævi ſui vitio S. Doctor: nec minora D. Hieronymus, cujus hæc fuit expoſtulatio.

In proœmio lib. 3. in Epiſt. ad Galath.

Iam in Eccleſiis iſta quæruntur, omiſſaque Apoſtolicorum ſimplicitate & puritate verborum, quaſi ad Athenæum, & ad auditoria convenitur, ut plauſus circumſtantium ſuſcitentur, & oratio Rhetorica artis fucata mendacio, quaſi quædam meretricula procedat in publicum, non tam eruditura populos, quàm favorem populi quæſitura; à qua proinde nihil referas aliud, præter unum illud, *Mirabantur; ſed non convertebantur:* cujus damni hæc prima cauſa.

II. Immoderatum diſcendi ſtudium.

Altera eſt, quòd perverſi illi auditores ad concionem afferant aures, non animos; intellectum, non voluntatem; ſciendi ſtudium, non affectum emendandæ in melius vitæ, ſimiles columbæ de qua queſtus eſt Oſeas Vates: *Ephraim, quaſi columba ſeducta non habens cor.* *Cap. 7. v. 11.* Similes illis, qui ſeſe mutuò invitabant ad audiendum Ezechielem Prophetam: *Venite*, inquiebant, *& audiamus, quis ſit ſermo egrediens à Domino.* *Cap. 33. v. 30.*

Enimverò, ſic invitati non veniebant, ſed quaſi veniebant; non intrabant, ſed quaſi intrabant; quaſi audituri Prophetam, ſed ex vero non audituri: inde Dominus Ezechieli, *& veniunt ad te quaſi ſi ingrediatur populus.* Cur ita? Cur non veniunt illi, ſed quaſi veniunt? quia veniunt quidem corpore; ſed non mente: cogitatio enim remanet domi, affectus & cor ibi remanet, ubi & amor. Huic in domeſticis curis, illi in arca, in nummis, in divitiis, quibus inhiat; alii in meretricula, quam deperit; alteri in officio, in dignitate, quam ambit & ſequitur, quaſi *columba ſeducta, non habens cor.*

In ejus vita.

Quiſquis is eſt, ſimilis eſt illi diviti in cujus funere cùm orationem haberet S. Antonius de Padua, pro argumento illius ſumpſit hoc thema. *Mortuus eſt dives, & ſepultus eſt in inferno.* Tum ſic ad ſuos auditores; convenit apprimè diviti huic id genus argumenti: etſi enim illius exanime cadaver, ſit adhuc in terra; anima tamen illius ſepulta eſt in inferno. Cauſam ſi quæris, ea eſt, quòd veniſſet ille quidem ad Eccleſiam; ſed cor ſuum non attuliſſet, ſed reliquiſſet involutum, immerſum atque inſepultum in gazis ſuis, in auri argentique acervo: & ne ſola verbis meis ſit fides, ite, properate ad illius ædes, & tale ſcrinium reſerate, & cor ejus reperietis nummis immerſum, & in theſauro ſuo quaſi ſepultum: nummi quippe erant illi pro theſauro, & ubi theſaurus erat, ibi & cor ejus erat, eſtque etiam modò.

Avari cor.

Iverunt illi, & properarunt, & mirum dictu, viſuque! cor ipſius adhuc calens, propè palpitans in

nummorum

nummorum cumulo invenerunt: adeo verum iſtud Chriſti oraculum: *Vbi theſaurus veſter eſt, ibi & cor veſtrum erit.* Et hæc ſecunda cauſa, propter quam *mirabantur; ſed non convertebantur.*

Accipe & tertiam: hæc erit, quòd ejuſmodi divini Verbi auditores, habeant quidem cor; ſed diviſum illud ac bipartitum, & hæc ruinæ illorum, hæc damnationis eſt cauſa.

III. Diviſum cor, diviſus & affectus.

Appello Oſeæ fidem & vocem: hæc ille: *Diviſum eſt cor eorum, nunc interibunt*: carpit hîc Judæos, qui cordis ſui partem unam dabant Deo, alteram idolis: cupiebant enim Deum, & idola colere, & tam hæc, quàm illum ſibi propitium reddere, quod deinde fecerunt Romani, qui omnium gentium Deos colebant, ut omnes ſibi faventes haberent, & ne, ſi vel unum omiſiſſent, eum ſibi adverſum facerent, unde & erexerunt aram *Ignoto Deo.*

Cap. 10. v. 2.

Lib. 4. Reg. v. 33.

Quod Romani ex inſana ſuperſtitione, quod & Judæi ea perverſa inclinatione ad idololatriam: hoc inter Chriſtianos mali illi oratores: *Diviſum eſt cor eorum,* in concione: pars una Deo cedere videtur, pars altera idolo cedit, hi Baccho, illi Veneri, alii Plutoni, etiam inter ſacra litare videntur: clariùs eloquor, dum ab Eccleſiaſte funditur Sermo divinus, hic de Baccho cogitat, ille de Venere, ſuiſque voluptatibus, alius de Plutone, deque cogendis divitiis: nec mirùm, quia uni Bacchus pro Deo, altori Venus, alii Pluto. *Diviſum eſt cor eorum.*

Quid inde? audi ex Propheta: *Nunc interibunt,* quia ex nunc amittent gratiam, quæ eſt animæ vita, & deinde gloriam, quæ eſt vita æterna. Et hæc etiam eſt ratio, quod *mirabantur* quidem; *ſed non convertebantur*: Et hæc de tertia cauſa, cui adjicio quartam: ea fuit & *Obduratio*: hauriebant illi auribus doctrinam planè cœleſtem; ſed animis obduratis rejiciebant: audiebant à Chriſto, ceu divino Oratore, parabolas alias atque alias, & in iis ſentiebant ſua vitia notari atque carpi, ſubinde etiam & ſæpius ad virtutum ardua ſeſe vocari, & revocari à putido vitiorum cœno, in quo jacebant: *mirabantur* quidem; *ſed non convertebantur.* Quæ cauſa? non alia quàm obduratio, & mentis in malum obſtinatio.

IV. Obduratio.

Pharao.

Talis fuit Pharaoni, ad quem miſſus Moyſes, ceu Orator, ceu altiſſimi Legatus, ut Iſraëlem dimitteret, abireque ſineret, ad ſacrificandum Deo viventi: audiebat ille verba, ſeu potius oracula, ſpectabat opera, prodigioſa illa ſed non exaudiebat; *mirabatur, ſed non convertebatur.*

Cap. 7, v. 2.

De his & illis ita Sapiens: *Magna ſunt judicia tua, Domine, & inenarrabilia verba tua.* Sed ut magna eſſent ut inenarrabilia: non tamen iis credebat Pharao: percellebatur quidem, ſed non ideo flectebatur: plagas ſentiebat, ſed non ideo conſentiebat Moyſi, Deoque imperanti. quæ cauſa? non alia quàm obduratio, qualis fuit in Balthaſare Rege impio. Procurrebat ille inſtar effrænis equi in omnia ſcelera, maximè verò ſacrilegia: nam & templi vaſa, & aurea argenteaque illa, diripuerat, convivium inſolens extruxerat, eoque per ſummum nefas vaſa templi polluerat, violarat jura omnia, humana, divina.

Quid inde? vindex è Cœlo Deus, quia ea deſpiciebat omnia, nec irrita abire patiebatur, contra candelabrum in ſuperficie parietis aulæ regiæ, manu quaſi hominis, tres voculas inſcripſit; *Mane, Techel, Phares.* Manum ſuſpicit Balthaſar, characteres aſpicit, ſed non intelligit, tremit, horreſcit, pallet, miratur, turbatur, totoque corpore concutitur: ut enim ſacræ paginæ:

Balthaſari Regi fatales literæ.

Tunc facies Regis commutata eſt, & cogitationes ejus turbabant eum, & compages renum ejus ſolvebantur, & genua ejus ad ſe invicem collidebantur.

Daniel. c. 5. v. 6.

Inter hos cogitationum fluctus, & turbines, inter æſtus agitatæ mentis, inter laceræ conſcientiæ terrores, & imminentium malorum horrores, *exclamavit fortiter,* juſſitque citò evocari ex omni ordine ſapientes, magos, aruſpices, ariolos, propoſitis etiam ingentibus præmiis illi, qui & ſcripturam legere poſſet, & interpretari: adſunt illi; ſed nemo unus omnium ſcripturam legere, multoque minus interpretari poteſt.

Quid igitur conſilii? vocatur *Daniel,* prodit in medium, aſpicit, legit ſcripturâ hanc: *Mane, Techel, Phares,* tum etiâ interpretatur à Cœlo benè doctus:

Mane. Numeravit Deus Regnum tuum, & complevit illud.

Dan. c. 5. v. 25.

Techel. Appenſus es in ſtatera, & inventus es minus habens.

Phares. Diviſum eſt Regnum tuum, & datum eſt Perſis & Medis.

Hanc trium vocularum interpretationem, & quidem ſibi Regnoque ſuo fatalem, audit *Balthaſar,* miratur, ſtupet, horret, tremit, nec tamen ideò convertitur, utpote de numero eorum, qui *mirabantur; ſed non convertebantur.*

Quid inde? Cœlum ſilet, terra ſtupet, & Balthaſarem anno toto ſuſtinet, ſuſtinet & Deus invictâ patientiâ, nec tamen ideò converſus Balthaſar etiam anni unius morâ, quæ data fuit ſi fortè ad ſe rediret, atque ad Deum facti ſui pœnitens; nec tamen redit poſt eam *Danielis* concionem, poſt ea Cœli minantis oracula atque prodigia, quæ dum irrita videt, tandem in pœnas ſeſe explicat: *Eadem quippe nocte interfectus eſt Balthaſar, Rex Chaldæus*: eadem, inquit, ex Guevara Alcazar, non ejuſdem anni, ſed ſequentis: quippe ea nocte quotannis convivari conſueverant Chaldæi, pervigilium agentes cujpiam Deorum ſuorum.

verſ. 30.

Quæ ſententia, ſi vera eſt; & mirari licet atque amare longam Dei patientiam; & ſtupere atque odiſſe Balthaſaris impœnitentiam, & timere atque horrere ad eam Cœlo vindice pœnam.

Sed abeamus ab antiquitate, & devolvamur ad noſtram hanc ætatem, videamuſque an non in hanc etiam cadant ea quæ in illam, & quidem:

Primò, an non eadem curioſitas? Sit Eccleſiaſtes unus aliquis, cui lingua benè pendula, cui vox mollicula, blandula, accentus lenis, non aſper, acutus, non gravis, ad illum confluunt paſſim omnes; fundat ille ampullata, phalerata verba, ad eum undique fit concurſus. Et quid inde? Quid Auditoribus illis? Certè quod D. Auguſtinus: *Mirabantur, ſed non convertebantur.*

Sit alius, qui in pulpito, & templis, quod in Cathedris & in ſcholis, rara omnia, docta, ſubtilia atque excelſa promat, veluti è tripode; ad eum audiendum curritur: & quid inde, quid Auditoribus iſtis? Idem quod Auguſtinus: *Mirabantur, ſed non convertebantur*: ex concione quippe doctiores fortè redeunt; ſed non ſanctiores.

Uti hoc in Auditoribus Chriſtianis primum vitium eſt, ſic & prima emendandi cura debet eſſe. Concionea quomodo audiendæ.

Secunda hæc erit, ut in templum, & in concionem afferant etiam animos, & non tantùm aures: voluntatem ſimul & intellectum; nec tam ſtudium aliquid diſcendi, quàm in virtute proficiendi: hic enim finis & ſcopus, in quem tota collimet concio eſt neceſſe, cætera omnia fruſtrà ſunt.

Fruſtra eſt & boni vacua fucata illa verborum pompa: ut enim ſapienter D. Athanaſius in Chriſtianis concionibus: *Non ſpecimen glorioſæ eloquentiæ, & levium Sophiſtarum pompa; ſed canones Apoſtolici requiruntur.* *Apol 2.*

Non affectata eloquentia, ſed non intermiſſa gratia, ut ſcitè Divus Ambroſius: non obtinebitur autem hæc, ſi in concionem non intuleris animum & pronam voluntatem, in Fide, in Charitate, in virtutibus omnibus proficiendi. *Lib. 1. Offic. c. 22.*

Non pnficient autem; ſi audituri Dei Verbum afferant *cor diviſum*, multóque minus, ſi cor obduratum, ut faciunt noſtn hnc ævn benè multi etiam è Chiiſtianis Auditnribus: ut enim teipſe compellem quiſquis is es, multa audis de cœleſti gloria, de beatitate, de Empyrei luce, de torrente voluptatis, quo potaberis, quo inebriaberis in Cœln, in ſinu quodammodo Divinitatis: miraris, ſed non inde converteris, non aſpiras ad Cœlos, nnn deſeris voluptates tuas terrenas, non lutum in quo jaces, non carnis illecebras & lenocinis, quibus caperis.

Audis infelicem divitis Epulonis exitum, audis ſepultnm in infernn, in voracibus illis Erebi flammis, & hoc, quia Lazaro mendico deciduas è menſa micas negavit, quia panis etiam mucidi fruſtum recuſavit: audis, & miraris; ſed non ideò converteris.

Audis ex ipſa inferni voragine, ex ipſis inferorum rogis, lamentabiles illas divitis Epulonis voces: *Pater Abraham miſerere mei.*

Audis & iſtud Abrahæ Patris: *Crudelis fili, quam*
D. Chryſol. ſerm. 66. *miſericordiam petis, quam tibi negando pauperi tu negaſti? miſer fili, ſi Lazarus ad tuam menſam veniſſet, tu ad iſtum diſcubitum non veniſſes.*

Audis & illud ejuſdem Divitis: *Mitte Lazarum:* ſed gratis, *reſpicit modò Lazarum ſurſum, qui ante deorſum videre deſpexit.*

Audis à divite Epulnne, ſed *cùm eſſet in tormentis, nimirum pungit pœna, quem non pœnitudo compunxit, & vexant tormenta, quem Lazari vulnera non moverunt.*

Audis & miraris, nec tamen ideo cnnverteris.

Audis & hoc divitis rurſum ad Abraham, *ut intingat extremum digiti ſui in aquam: ita qui clauſit manum pauperi, extremi ſtypem digiti ſic depoſcit, & ſitit aquæ guttam, qui vini lacus, ne guttam daret, incluſit.*

Audis & iſtud ejuſdem. *Vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. non quaſi reliquum corporis ab incendio haberet immune, ſed quia lingua plus ardet quæ miſericordia ut fieret jubere neglexit: in lingua manus ſentit incendium, quæ maledixit pauperi, pauperi miſericordiam contradixit: lingua in tormenta prima eſt, quæ denegando pauperi, pauperis blaſphemavit authorem.*

Audis denique & hoc extremum divitis Epulonis ad patrem Abraham. *Rogo te Pater. Modo rogas ſed fruſtra, quia modo tibi tempus patiendi eſt, non rogandi:* ſed quid rogas? *ut mittas Lazarum in domum patris mei: ad illam januam in qua fame ſua, inhumanitatis tuæ titulos fixit, ubi poſtes tuos ſuis ulceribus laureavit, ubi fame ſua pinxit micas tuas.* Audis, inquam, hæc omnis, & miraris, ô Chriſtiane auditor; ſed non iden cnnverteris.

Audis & illud Chriſti oraculum, quia dictum
Exod. c. 21. eſt antiquis, *oculum pro oculo, & dentem pro dente.*

Sed quibus antiquis? *utique Iudæis, quos antiquos*
D. Chryſol. ſerm. 38. *plus malitia fecerat, quàm vetuſtas, quos furor vindictæ cupidos ſic tenebat, ut pro oculo caput, pro dente animã poſtularent.*

Hinc eſt, quòd eos lex ad vindictæ neceſſitudinem refrænabat, ut qui veniam culpæ ſapere non valebant, vel modum ſaperent ultionis, & tantum vindictæ exigerent, quantum læſionis intulerat vis furentis: ſed hoc antiquis, nobis autem per gratiam innovatis divina quid bonitas imperet, audiamus.

Vobis, inquit, *ſed quibus? utique Chriſtianis. Sed quid illis. Non reſiſtere malo, quod cùm dicit, vult nos vitia non repenſare vitiis; ſed ſuperare virtutibus, & in ipſis ſcintillis adhuc extinguere iram, quæ ſi pervenerit ad totum furoris incendium, ſine Sanguine non ſedatur. Ira vincitur lenitate, manſuetudine extinguitur furor, malitia bonitate palpatur, crudelitas pietate proſternitur, impatientia patientia punitur.*

Ecce virtutes, quibus interprete D. Chryſnlogo vitia ſuperare nns vult Chriſtus, qui ab illn Chriſtiani dicimur, & ſumus.

Audis hæc? & hæres, & miraris; non tamen ideo converteris: audis inſuper & iſtud, quod, *qui vult vitia vincere, pietatis arma teneat, non furoris.* Audis & hnc ejuſdem Præſulis, *quod vincere in bono malum, ſit Chriſtianæ virtutis, ſit bonitatis culmen, pietatis faſtigium, & divinæ philoſophiæ, non humanæ.*

Audis, inquam, hæc nmnia; & tamen, ô dnlor! ô pudnr! ô nefas! ſi vel verbulo lædi te ſenſeris, ardes ira, furore abriperis, in campum, in arma lædentem provocas, nec mora, mittitur feralis ſchedula, duello deſignatur fatalis arena, nudantur enſes, certatur acriter, pes pedi, manus manui committitur, fnnditur ſanguis, exprimitur vita, ſuit exanime cnrpus, & terræ alliditur, & anima inferis mancipatur. Quæ ratio? ea, quam affert ille ipſe Oratnr aureus, dum ſic è pulpito ad ſuos:

Fratres ubi ſe peccatorum morbus, vitiorum ſcelus, impietatis phrenesis mentibus infudit humanis, & quidquid erat ſcientiæ, ſenſus & rationis extinxit, furore veſano fecit deſiderare vitia, horrere virtutes, agi gladiis, vulneribus ruere, vivos mortibus deperire.

Audis Patris Æterni Verbum è ſinu Patris in ſinnm Virginis delapſum, audis natum in ſtabulo, reclinatum in præſepio, jacentem in fœno, non in anſere, non in purpura: audis & miraris, nec tamen ideo converteris, nec ſequi ſtudes eum, qui præivit.

Audis abjectum ad Diſcipulorum, & Judæ pedes, audis tingentem lympha, tergentem linteo, qun erat accinctus.

Audis & dicentem iſtud, *exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.*

Audis, & miraris, nec iden cnnverteris: omnibus enim te anteponis, ſupponis nulli.

Audis oſculo à Juda traditum, vinculis nnuſtum, plagis lividum, cruce gravatum, ſpinis coronatum, clavis affixum infami lignn: miraris patientiam, nec tamen ideo cnnverteris.

Audis & hoc D. Chryſologi ad ſuos olim Auditnres: *Ergo fratres, obediamus Chriſto, & furentium fratrum morſus, verbera, onera, totâ pietatis virtute portemus, nec dedignetur conſervus hoc accipere à conſervis, quod Dominus à ſervis, & pro ſervis dignanter accepit, palmis faciem non negavit, tollenti tunicam & pallium, dimiſit & corpus, angariantem ſe ad laborem, gratus ac libens eſt ſecutus ad mortem.*

Si dignum Dominus pati duxit, pati ſervum quomodo videtur indignum?

Audis hæc nmnia & miraris, nec tamen converteris.

Error eſt, ſtupnr eſt, obdnratin eſt. Ernr certè: ut enim ille Præſul aureus: *Erramus, erramus, fratres, qui non facit quod juſſit Dominus, gratis ſperat, quod promiſit.*

QUÆ-

QUÆSTIO SECUNDA
MORALIS.

Ad illa verba: *Qui à ſemeipſo loquitur, gloriam propriam quærit, qui autem quærit gloriam ejus, qui miſit eum, hic verax eſt, & injuſtitia in eo non eſt.* Joan. cap. 7. ℣. 18.

AN HINC PETI POSSIT, QUIS VERUS ECCLESIASTES? Quis falſus, quis bonus, quis malus?

PRIUSQUAM in hac quæſtione aliquid ſtatuam, duo ſupponi velim, quæ extra controverſiam eſſe videntur.

Deus primus Concionator.
Unum erit, jam inde ab initio mundi, ipſum ejus ædificatorem Deum, Eccleſiaſten egiſſe, & tot linguis hominibus locutum eſſe, quot procreatæ res in Univerſo. Ita globi illi cœleſtes enarrant gloriam Dei, ita ſubjecta illis elementa, & creaturæ omnes, ſive animatæ ſint, ſive inanimatæ, eandem Authoris ſui beneficentiam commendant, atque altùm prædicant; ſed potius per illas prædicat earum Architectus, & altùm clamat. Quo factum
Serm. 24. de verbis Apoſt.
ut D. Auguſtinus altiore animo & verbo uſus: *Deum concionatorem* appellârit.

Alterum eſt, ipſum Meſſiam, ſive Chriſtum ſecundum à Deo concionatorem extitiſſe, quod multis ante ſæculis prævidit Iſayas Vates, dum ſic eum
Cap. 61. v. 1.
loquentem induxit *Evangeliſare pauperibus miſit me, ſanare contritos corde, prædicare captivis remiſſionem.*

II. Chriſtus.
Quod ipſum Servator optimus, vel ſuæ vocis oraculo confirmatum voluit; cùm enim Capharnaitæ incredibili oris dulcedine atque ſapientia eum ſibi, ſuiſque civibus diutiùs retentum vellent, id fieri poſſe negavit, vel ob hoc ipſum, quòd oporte-
Luc. c. 4. v. 43.
ret eum *& aliis quoque civitatibus evangelizare regnum Dei*; & rationem ſubjungit, *quia à Deo miſſus ſum.*

Quod ſi Deus primus Concionator, ſi ſecundus ab illo Chriſtus: certè neceſſum eſt, ut qui ab hoc & illo miſſi concionatores, inde & nomen accipiant
III. Ab hoc aut illo miſſi.
& concionandi formam, in qua hæc eſt prima, quæ Chriſti fuit: *Mea doctrina, non eſt mea; ſed ejus qui miſit me Patris.*

Et hinc dignoſcitur verus Eccleſiaſtes, & à falſo
Differentia inter Eccleſiaſten verum & falſum.
diſtinguitur, ſi ex vero dicere poſſit: *Mea doctrina non eſt mea*, ſed ejus à quo miſſus ſum, hoc eſt aut Dei, aut Chriſti, aut ejus in terris Vicarii, eorúmve, qui ab illo authoritatem ceperunt.

Et hæc eſt differentia prima, quam tot inde à ſæculis poſuit Jeremias, queſtus hic aliquando de falſis Prophetis, quos & ſic depinxit: *Qui viſiones cordis*
Cap. 23. v. 16.
ſui loquuntur, non de ore Domini.

Et tales ſunt Hæretici, qui non viſiones à bono
Prima differentia.
genio ſibi oblatas loquuntur & prædicant; ſed potius à malo genio cordis ſui, id eſt paſſionum ſuarum commenta venditant: nec loquuntur *de ore Domini*; ſed de ſuo: & hoc omnibus illis vulgare eſt atque uſitatum, ut rectè notavit Rupertus.

Hæreticorum, inquit, *iſta profeſſio non eſt, mea doctrina, non eſt mea: illis magis placet propria: illa quæ omnium Sanctorum communis eſt, diſplicet*: Et quia diſplicet communis, & placet propria; meritò de illa pronuntiavit S. Hilarius.

Doloſa eſt doctrina Hæreticorum, ſub nomine Dei blaſphema, ſub prætextu religionis impia, ſub veritatis ſpecie fallax.

Doloſa quidem, quia ad colorandas ſuas illas novitates, & falſorum dogmatum turpitudinem, cœleſtium dictorum quaſi velo eam obtegunt, & celant *larva doloſa* inumbrantes, ut ait D. Athanaſius. Et hinc etiam *ſub nomine Dei blaſphema*, quia eam jactant ut Dei doctrinam, ut Dei verbum, & inde
Tom. II. pag. 260.
Deum mendacem faciunt, quod immanis eſt blaſphemiæ, *decerpentes ſancta & adorabilia Scripturæ verba.* Ut & apud D. Cyprianum, *& ipſas Evan-*
Pag. 400.
gelicas & Apoſtolicas paginas, quædam auferendo, & quædam inſerendo violant, ut ſcitè notavit S. Leo: *Scripturæ ſacræ impii fures*, ut appoſitè D. Gregorius
Serm. 4. in Epiphan. Orat. 36.
Nazianzenus. Nec mirum, quia ut obſervavit Vincentius Lerinenſis,

Sciunt fœtores ſuos nulli ferè citò placituros, ſi nudi & ſimplices exhalentur, atque idcirco eos cœleſti eloquii velut quodam aromate aſpergunt.
Hæreticorum malitia.

Cœleſti dico *eloquii*, non nudi & ſimplicis; ſed adulterati, ſed truncati.

Et hoc primum eſt diſcrimen inter verum & falſum Eccleſiaſten: quod hic loquatur à ſemetipſo, non à Deo; de ore ſuo, non de verbo Dei: ille autem de ore Dei, de verbo Dei.

Alterum eſt, quod hic de viſionibus cordis ſui,
Secunda differentia.
deque ſuo ſenſu loquatur; ille de corde, deque mente Dei. Clariùs eloquor, hic de ſua interpretatione, non de ea, quæ eſt SS. Patrum atque Eccleſiæ, quæ & Scripturæ ſacræ fidelis eſt interpres, & in controverſiis etiam judex.

Tertullianus, gravis morum cenſor, hæreticis
De præſcrip. c. 17.
omnibus tribuit, & *adulterum ſenſum, & corruptorem ſtylum*, duobuſque verbis inſignem eorum malitiam complectitur: cùm enim *adulterum ſenſum* eis attribuit, ſignificat novas atque inauditas divinarum Litterarum interpretationes cudere, falſas, impias atque à Spiritu Sancto alienas, ſicque genuinum illarum ſenſum atque mentem impio latrocinio ſuffurati atque ſubducere, de quo ita S. Hilarius ad Conſtantium Auguſtum:

Non ceſſavit ore impio, & ſacrilego animo, Evangeliorum ſinceritatem corrumpere. Ore, inquit, *impio*,
Epiſt. 5.
quod pertinet ad corruptorem ſtylum: *animo ſacrilego*, quod ſpectat ad ſenſum adulterum, quem qui fingunt Syneſius appellat, *improbos trapezitas*, ut qui oracula divina, ut nummum adulterent, & pecuniam adulterinam diſtrahant pro vera.

Quos S. Irenæus, alia comparatione uſus, com-
Lib. 3. c. 19.
poſuit cum eo, qui gypſum aquâ mixtum, daret pro lacte, & coloris ſimilitudine decipiens, venenum propinaret, quod facit is, qui adultero ſenſu, Scripturâ abutens, eam aliis obtrudit.

Sic aliquando abuſus è Nicolaitis unus aliquis, qui Chriſtianam virginem cùm vidiſſet, ſummâ oris elegantiâ & pulchritudine, eâque frui vellet ad explendam impuri corporis libidinem, accedens ita dixit: ſcriptum eſt, *Da omni petenti*, cui illa honeſtè reſpondit (ut quæ fortè hominis petulantiam non caperet) *ſi de matrimonio intelligas, matrem conveni.*

Vides

Videa quomodo impudorati illi, Dei & Scripturæ oracula detorqueant ad incæſtum facinus, & perditam luxutiem ſuadendam.

Sed hæc de adulrero ſenſu, cortuptoque ſtylo hæreticorum, omnibus propè ætatibua uſurpato, quos acrioribus verbis impetunt, carpuntque Divi Patrea. D. Hieronymus, aiebat eos, *Dei Teſtamentum laniare*. D. Leo, *violare*. Euſebiua, *corrumpere*. Tertullianus, *corrodere* ad inſtar murium & glirium.

Verùm enimverò quid facias? quid ſperea ab iis, qui nec Scripturæ ſacræ oracula venerantur, nec Eccleſiam ut matrem agnoſcunt & amant, nec ſanctos Patres ſuſpiciunt; ſed potius deſpiciunt inſolenti faſtu, atque ſuperbia, quam legea vel in unico dicto Baſilidis hæretici, quod refert S. Epiphanius:

Hæreſi 66. ſic ille de ſe ſuiſque: *Nos homines ſumus, cæteri omnes nihil aliud quàm ſues & canes.* Hæc ille impudenti ore calamóque.

Mitto alia ejuſmodi, ne chartam onerem, maculemque calumniis illis in SS. Partes.

Tertia differentia. Tranſeo ad tertiam differentiam, quæ eſt inter Eccleſiaſten bonum & malum; hic gloriam ſuam quærit atque affectat, ille unius Dei: ille lucrum animarum, quod etiam eſt lucrum Dei, ambit atque amat; hic verò ſuum. Qui hæc ſpectant, honori tantùm ſuo velificantur, & fidem prædicant: *Non ut*

Ad 1 Corint. *illa: ſed ipſi laudentur*, ait Ambroſius. Ille ad animos auditorum evadit, *hic tantùm ad aures verba facit*, ut obſervat Iſidorus Peluſiota: ille *in mentem non penetrat*; ſed tantùm extra ad aures circumſonat, ut ſcitè notat D. Dionyſius, de divinis nominibus; hic autem intra, in corda Auditorum influit: ut porro ſic influat, quiſquis eſt Chriſtianus orator, audiat ille D. Hieronymum, qui ſic ad Nepotianum:

Epiſt. 2. *Docente te in Eccleſia, non clamor populi, ſed gemitus ſuſcitentur, lacrymæ Auditorum laudes tuæ ſint.*

Ita fuerunt *S. Fulgentio*, cujus duæ doteæ in concionando, omnium præconiis celebratæ: nam ſingulari orationis dulcedine, *omnium animos demulcebat*, & in iiſdem *compunctionem cordis generabat*, uti annotavit Author ejus vitæ.

Ut ſic demulceat, ut ſic compungat Eccleſiaſtea, in ejus ore ſint ea quatuor: *Ignis*, *Sagitta*, *Lilia Myrrha*.

Ignis quidem, qui Audirorum ſuorum corda ſuccendat, & ignem igne vincat: ignem, inquam, venereum, igne caſti in Deum & Superos amoris.

Ita vicit Jeremias, in cujus ore poſuit, *verba ſua* Cap 5. v. 14.
ignem.

Ita vicêre Apoſtoli, quibus idem hominum Parens linguas igneas è Cœlo demiſit ipſo Pentecoſtes die facto.

Ita vincere optavit Origenes, cujus hoc fuit votum, dignum tanto ingenio: *Unde mihi hoc, ut lin-* Hom. 1 in
guá ignis veniat in cor meum, & de lingua ignea ego Pſal. 18.
quoque proferam ſermonem, ut ex me velox ſermonibus meis accendatur ignis in cordibus Auditorum.

Ubi ſic accenſus ignis, ubi & igneæ linguæ, & verba ignea in Concionatoris ore fuerint; ſint deinde etiam *Sagitta*: ſagittæ dico, de quibus Regius
Vates: *Sagitta tua acuta*; hoc eſt interprete Divo Pſal. 44.
Baſilio, ſermones tui, & verba tua, ſint veluti *Sagitta*, eæque *acuta*, quæ ad corda Audientium penetrent, eaque feliciter lacerent.

Ejuſmodi *Sagitta* fuit Jeremias Propheta, & quidem *electa*, quæ populorum corda mirabiliter tetigit, & plagam infixit, ex qua non ſanguis; ſed lacrymæ, ſed gemitus, ſed ſuſpiria effluxerunt velut è patenti vulnere, vulnere ſalutari atque fortunato: quod & infligat quiſquis eſt ſacer Eccleſiaſtea, qui poſtquam tot ſagittas emiſerit, quot verba, effundat deinde
ſpargatque Lilia. *Labia ejus Lilia ſtillantia myrrham* Cant. c. 5.
primam.

Lilia Hieroglyphicum ſunt puræ & candidæ veritatis, quam S. Gregorius Nyſſenus appellat *ſplen-*
didam & luminoſam: & certè veritas ea eſt, ſplendi- Homil. 1 in Cant.
da eſt, luminoſa, & lumine de Cœlis hauſto, à quo & ſplendeat in ſe, & aliis luceat, & hoc quidem, diſtillando *Myrrham primam*.

Eſt Myrrha ſymbolum *mortificationis*: quam indicat exprimitque ſua amaritie: amara quippe eſt mortificatio: amara palato, ſed dulcis animo: & hanc effundant in aures, atque mentes ſuorum, ſacri Oratores, ſicque ſuum officium expleirint probè.

FERIA QVARTA

HEBDOMADÆ QUARTÆ QUADRAGESIMÆ.

MEMINIT Evangeliſta cœci jam inde à nativitate, tum & modum rationemque, quâ à CHRISTO curatus eſt exponit, longa ſanè & fusâ rei tum geſtæ ſerie, quam antequam ingrediar, evolvamque, pauca de illo. Et quidem primò, quod illi nomen? tum quæ in CHRISTO fides? tum etiam, quid illo actum annis longè conſequentibus? quis, & quantus evaſerit?

Joan. 9. verſ. 38. Nomen illi fuit *Celidonius*, fides certa & vivida, quam expreſſit his voculis: *Credo Domine.* Reverentia in CHRISTUM, cùm *procedens adoravit eum*; Adoravit, inquam, & coluit etiam latriæ cultu: vitæ ſtatus melior, & ſanctior: fuit enim poſtea è 72 diſcipulis CHRISTI: ei quippe ſe adjunxit, eum audiit, ceu diſcipulus Magiſtrum, deinde poſt ejus in Cœlos Aſcenſum ab Apoſtolis baptiſatus, Sancto *Maximino* ſpecialiter adhæſit, & cum eodem & *Lazaro*, atque ſororibus naviculæ impoſitus, atque à finibus Iudæorum expulſus, in *Provinciam* unà cum illis Deo duce exſcendit, multiſque Chriſtianæ fidei additis

cùm

cùm *B. Lazarus* Maſſiliæ, & *B. Maximinus* Aquis ordinati eſſent Epiſcopi, ipſe in miniſterio *Maximini Aquenſis Epiſcopi* conſtanter permanſit, ejus adjutor in functionibus ſacris & concionibus, in quibus diu exercitus, tandem Cœlo maturus in pace quievit, & juxta Magiſtrum conditus, ut quos vita virtusque junxerat, jungeret & ſepulchrum.

Lib. 5. c. 102. Et hæc de illo Petrus de Natalibus Epiſcopus Eſquilinus in Catalogo Sanctorum, quos inter etiam relatus cœcus ille noſter.

QUÆSTIO PRIMA MORALIS.

Ad illa verba: *Præteriens IESVS vidit hominem cæcum à nativitate.* Joan. cap. 9. v. 1.

QVID TACITE INDICET EA PARTICVLA præteriens? *Et quid hæc*, vidit?

NE cecde fortuitò, ne temerè ex Evangeliſtæ calamo effluxiſſe id verbulum *præteriens*, ne & illud, *vidit*: nihil enim in ſacris paginis, ne apex, ne iota quidem vacat myſterio. Ad quod inquies iſtud?

Tranſitus JESU quid importet boni?

In vocula *præteriens*, innuit quæ, & quanta generi noſtro, bona fecit Chriſtus, etiam tantùm *præteriens* & tranſiens, & quàm magna; imò majora ſi permanens.

Tranſiens IESVS, circa mare Galileæ, vidit inopes, & rudes piſcatores, homines propè nihili, *Petrum & Andream: Ioannem & Iacobum*, & Apoſtolos fecit, hoc eſt clariora naſcentis Eccleſiæ lumina, fidelium omnium Principes, primipilos, & columnas futuri ædificii, hoc eſt Eccleſiæ.

Matth. c. 4. *Ambulans IESVS juxta mare Galileæ, vidit duos fratres, Simonem qui vocatur Petrus, & Andream fratrem ejus, mittentes rete in mare (erant enim piſcatores) & ait illis: venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum.*

Ecce unde vocati, ex piſcatione. Ecce & quò, ad piſcationem hominum, etiam Regum, etiam Cæſarum: ut enim D. Auguſtinus: *Volens Chriſtus ſuperborum cervices frangere: non quæſivit per oratorem piſcatorem; ſed de piſcatore lucratus eſt Imperatorem. Magnus Cyprianus orator, ſed prius Petrus piſcator.* *Tract. 7. in Joan.*

Apoſtolorum vocatio.

Ecce quæ Chriſtus ambulans, quæ & tranſiens, quæ & procedens: *Vidit duos alios fratres Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem ejus, & vocavit eos.*

Quod fratribus illis, hoc & Matthæo: *Et cum tranſiret IESVS, vidit hominem ſedentem in telonio*, atque ex uſurario, & publicano Apoſtolum fecit, atque Evangeliſtam: quantum inde bonum, quanta & dignitas, dignitas Apoſtolica, vel ipſis Angelis invidenda, ad quam tranſiſſe JESUM, & vidiſſe fuit ſatis. *Matth. c. 9.*

Chryſol. ſerm. 29. *Sedebat Matthæus, quia ſtare non poterat pondere cupiditatis oppreſſus, & ipſâ totus conſcientiâ fraudis incurvus.* Et ecce vel uno Chriſti tranſitu, vel uno oculorum conjectu, levatur, atque erigitur.

Quod à tranſeunte JESU Matthæo bonum obvenit, hoc & *Zachæo*: Perambulabat JESUS *Jericho, & ſuſpiciens vidit illum*: & hæc illi. *Zachæe feſtinans deſcende, quia hodie in domo tua oportet me manere.* *Luc. c. 19. v. 1.*

Hîc ama, hîc demirare, à tranſeunte JESU ingens & ſingulare beneficium: primum è principe publicanorum, hoc eſt uſurariorum, & latronum (tales enim apud Hebræos habebantur, & vel ipſo ſuo nomine notabantur; vocabantur enim hebræa voce, *par ſim*, id eſt quaſi publici larrones, adeóque infames) & tamen ut is eſſet *Zachæus*, è principe latronum effecit legitimum Abrahæ filium.

Vidit enim illum, non tam oculo corporis, quàm mentis, quo etiam Zachæi animum cœleſti lumine perfudit, ut & Chriſtum Salvatorem agnoſceret, & gratiam impetraret.

Quod & notavit D. Cyrillus: ait enim: *Vidit IESVS animam Zachæi proximè adnitentem, ad ſanctè vivendum*: & hoc fuit alterum Chriſti beneficium, ex eo majus, quòd Zachæus gentilis eſſet, atque idololatra, uti cenſent Tertullianus, Cyprianus, Ambroſius, Chryſoſtomus, cujus hæc de illo:

Filius Abrahæ Zachæus, fide, non genere; merito, non ſobole; devotione, non ſtirpe. Et hoc ſecundum fuit Chriſti in eum beneficium, cui mox adjecit & tertium; hoc videlicet, *Hodie in domo tua oportet me manere.* *Serm. 2. de Zachæo.*

Ita nimirum, ut disertè D. Chryſoſtomus: *Promittit Chriſtus ſe ad ejus domum venturum, cujus deſiderantis jam poſſederat animum*: & quia ſic poſſederat, addit veluti pro gratiæ coronide. *Hodie ſalus domui huic facta eſt.*

Domui huic: nec enim Zachæo ſoli infuſa fides in Chriſtum, infuſa & gratia, à qua Deo gratus eſſet, & juſtus: ſed etiam (ut veroſimile eſt) omnibus ejus domeſticis, qui heri ſui & exemplo, & imitatione, & in Chriſtum crediderunt, & pœnituerunt, & juſtificati ſunt. Tanti Zachæo interfuit & JESUM tranſeuntem vidiſſe, & viciſſim viſum à JESU.

Et hinc deſcendo ad ſecundum caput propoſitæ initio quæſtionis, quod erat ejuſmodi: *Vidit hominem*, & quid ea vocula, *vidit*, importet boni, paucis expono.

Viſus JESU quid importet boni?

Vidit hominem cæcum à nativitate, inquit Evangeliſta, *vidit* non leviter, non curſim, non per tranſennam: ſed attentè, ſed fixè, & hærens in eodem veſtigio; quod demirati diſcipuli occaſionem inde cœperunt, ut hæc ad Chriſtum, *quis peccavit? ipſe an parentes ejus, ut cæcus naſceretur?*

Nimirum diſcipulos invaſerat ſtupor, quid eſſet in miſello homine, quod intueretur Chriſtus? quid enim in eo dignum viſu, maximè quaſi divinis oculis. Quid Deo-Homini gratum? profectò omnino nihil.

Quid enim in cœco niſi cæcitas, & gravis miſeria? & tamen eum *vidit* Chriſtus, & deſtinato conſilio,

ſilio, *vidit.* Quid in eo Myſterii? Primùm ſtupor amabilis, enataque admiratio. Quam à ſimili colliges.

I. Admirano.

Sit Rex unus aliquis, qui ex aula ſua egreſſus, & obvium pagum ingreſſus, illicò hæreat immotus, oculis in ſterquilinium aut graveolentem cloacam defixis. Quid illo diceres? certè iſtud, quid in ſterquilinio hoc, niſi palea putrida, niſi lutum, niſi ſordes? quid in cloaca, niſi putredo, & gravis odor, & colluvies fœculenta? & tamen, & hanc, & illud fixis oculis intuetur Rex ipſe. O ſtupor! ô admiratio nata ex ſpectaculi iſtius novitate, atque inſolentia! Ecquid enim? an non in palatio & aulæa pretioſa, & picturæ elegantes, & ſtatuæ affabrè elaboratæ? nunquid & cameræ propè aureæ, & gemmarum nitor, atque lux, quæ oculos regios detineant, atque oblectent? ſunt enimverò & hæc, & illa? Cur igitur regii oculi hæreat atque occupantur in ſterquilinio, & cloaca?

Ibi pedem ſiſteres, MI LECTOR, ibi & mentem ſiſteres propè amens.

Quod Regi illi mortali: hoc Chriſto, hoc Regi immortali, hoc Deo-Homini diceres, diceres quod ante te Jobus, cùm homo non ſit niſi putredo, & cinis, niſi infamis vitiorum cloaca, & vile lotum. *Quid dignum ducis ſuper hujuſcemodi aperire oculos tuos?*

Cap. 14. v. 4

profectò nihil omnino dignum: ſed quæ Dei miſeratio, quæ bonitas, etſi nihil dignum ſit, facit tamen ut dignum videatur, atque etiam ſit.

Inter Chriſti oculos & noſtros magnum omninò diſcrimen, magnum intervallum; noſtri non aſpiciunt niſi ferè ea, quæ ſibi commoda, quæ utilia, quæ blanda, & titillantia.

Si in amœnam aliquam viriditatem oculos conjicis, etiam innoxiè, placet illa, arridet, blanditurque ſenſui: ſi in auri cumulos argenti nitorem, gemmarum lucem & gratiam; & hæc, & illa ſenſim oblectant, proritantque ad concupiſcentiam: ſi in Dominum, opinaris tibi opitulari poſſe; ſi in principem credis erigere te poſſe ex humili ad altiora: ſi in Judicem, & fortè reus ſis, tibi clementiorem vis, & optas: ſi in pulchritudinem, & venuſtatem oris, frontis, oculorum, & totius corporis compoſitionem, allicetis ad amorem. & ſic de aliis ejuſmodi, quibus oculos paſcis, paſcis & teipſum, & oblectationem, aut commodum quæritas, aliud nihil. Quod olim Zachariæ Vati oſtendit Deus, cùm ei præcepit ut oculos attolleret ac defigeret in oblatum ab Angelo viſionis objectum.

Cap. 8. v. 6.

Fuit illud *Amphora egrediens.* Hebraicè *Epha*, id eſt menſura; ſed quid hæc, aut illa portendit?

In loco difficili atque obſcuro ſudat pius Interpretum labor. Sunt qui velint ea indicari, impletam eſſe à Judæis peccatorum menſuram, & inde excidium Gentis, & in Babylone captivitatem annorum ſeptuaginta.

Alii opinantur quod ea Amphora, ea menſura, ſit ipſe *oculus*: & hoc indicat interpres Angelus, qui de illa hæc ad Prophetam: *Hic eſt oculus eorum in univerſa terra.*

Oculi paſſionem oſtendunt.

Nimirum oculus eſt veluti quædam menſura cupiditatum: omnes enim oculos deflectunt, convertuntque ad ſua lucra, commoda, emolumenta, augmenta cupiditatis, nec eſt qui reſpiciat ad pauperem aliúmve à quo nihil ſperet, ea pectet nihil aut voluptatis, aut lucri.

Avarus.

Talis eſt oculus avari, de quo ſic Ezechiel in verſione græca: *Nequam eſt oculus avari, avertens faciem*

Cap. 45. v. 7

ſuam & deſpiciens animas miſerorum.

Talis fortè & tuus, mi LECTOR: vides pauperem, pannoſum, lacerum, & deſpicis; vides ulceroſum & ſanie madentem, & horres ac fugis. Nimirum & his, & illis tuus clauditur oculus.

Non ſic oculus Chriſti, non ſic: videt ille cæcum & hæret, & miſeratione tangitur, & viſu donat.

Videt leproſum, & mundat; videt ſurdum, & reddit auditum; videt paralyticum, & ſanat; videt mortuum, & vitæ reddit, & huic luci.

Nimirum *oculi ejus ſunt ſicut columbæ ſuper rivulos* Cant. c. 5. v. 12.
aquarum, hoc eſt miſeriarum, quarum ſymbolum ſunt aquæ, & *ex lacte lotæ ſunt*, amoris ſcilicet ac miſerationis, cujus hieroglyphicum eſt lac, & reſident juxta fluenta *pleniſſima*, gratiarum videlicet, quarum ſymbola ſunt fluenta, eaque *pleniſſima* beneficiorum, quæ effundit in miſella capita.

Oculi columbæ qui?

Non ſic oculi tui, non ſic, ô avare: non ſunt oculi tui ſicut columbæ; ſed ſicut accipitria, ut rapiant, ut vorent, ut perdant.

Hos & illos oculos dum aſpicit patiens Jobus, ſic ad Dominum: *Nec aſpiciat me viſus hominis*, quia ab hoc boni nihil, & mala omnia: *ſed oculi tui in me* Cap. 7. v. 7.
Deus, quia ab his mali nihil, & bona omnia.

Videt Diſcipulos *laborantes in remigando: erat enim ventus contrarius eis, ad eos venit ambulans ſupra* Marc. c. 6. v. 48.
mare, & aſcendit in navim, & ceſſavit ventus.

Ecce ut ab oculo JESU miſeratio, & à miſeratione irati elementi pax, & tranquillitas.

Videt Petrum nutantem in fide, & ſe perfidè negantem, & reſpicit, *intuitu ſuo jacentem excitans, &* Hom. in Joan. 82.
ad lacrymas movens, inquit D. Chryſoſtomus.

Ita nimirum, *viſus hominis*, id eſt Chriſti (qui antonomaſticè dicitur Filius Hominis) eſt *miſericordia Redemptoris, quæ inſenſibilitatis noſtræ duritiam* Lib. 8. Moral. c. 8.
cùm reſpicit, emollit, ut rectè annotat D. Gregorius.

Sic emollivit in Petro, qui ad unius ancillæ vocem àverſus à Magiſtro Diſcipulus, longè abierat, non pede, ſed mente: verùm illicò reduxit divinus ille oculus, aditumque aperuit veniæ ac ſaluti: tantum intereſt quî te aſpiciat Salvator, cujus *oculi pulchriores ſunt vino.*

Habent vinum & miſeratio id commune, quod Geneſ. c. 49. v. 12.
lacrymas provocent (ut experientiâ conſtat, & docent Phyſici) cujus ea ratio è natura petita, quòd ab utroque vis caloris in ſublime evecta, humorem diſcutiat, unde manant guttæ in oculos, & formantur in lacrymas.

Lacrymarum ergo.

Et hic eſt affectus miſerationis, quem quia in Meſſia præſenſerat Jacob, illius oculos, amabiliſſimum rorem excitantes, componit cum vino, & eò pulchriores eſſe pronuntiat.

Hebraicè *Chachile*, id eſt rubicundiores, ardentiores, magis radiantes & fulgentes: hæc enim omnia importat una vox hebræa.

Rubicundiores, quia in eo quem viderint, ruborem excitant, & verecundiam caſti corporis, & puræ mentis ornamenta.

Ardentiores, quia provocant ad amorem, quod eſt charitatis. *A palpebris intuentium amor diſtillat*, inquit Heſiodius: quod verius & purius dixerim de Chriſti palpebris, à quibus diſtillat amor, ſed purus, ſed caſtus.

Fulgentiores, quia movent ad reverentiam in Chriſtum, in Deum, quod eſt ſubmiſſionis.

Denique magis *radiantes*, quia oculos eorum quos intuentur lætificant, & animos recreant, quod & futurum Diſcipulis prædixit, cùm dixit: *Iterum* Joan. c. 16.
videbo vos, & gaudebit cor veſtrum. Et gaudium veſtrum nemo tollet à vobis. Quæ cauſa? non alia quàm ea, quæ Chriſti oculis à D. Hieronymo aſcribitur, nempe, quòd *igneum quiddam ac ſidereum radiaret ex* Lib. 3 comment. in c. 21. Matth.
ejus oculis, & Divinitatis Majeſtas luceret in facie.

Igneum quidem, quod malis terrori eſſet; & *ſidereum*, quod gaudio.

De Auguſto hæc refert Juſtinus, eum præditum fuiſſe oculis, non fulgentibus modò, ſed & fulgurantibus, & eo quidem ut intuentes ſuo fulgore percelleret.

Augusti oculi quales?

Hinc miles in eum cùm oculos conjeciſſet, illicóque demiſiſſet, rogatus ab eodem Auguſto, cur id

faceret,

Lib. 15 c. 2. faceret, reſpondit, *quia fulmen oculorum tuorum ferre non poſſum.*

Hujus meminit Cœlius Rhodiginus, & Suetonius, qui hæc in ejus vita.

Oculos habuit claros & nitidos, quibus exiſtimari volebat ineſſe quiddam divini vigoris, gaudebatq́; ſi quis contuenti, quaſi ad fulgorem Solis, vultum ſubmitteret.

Tiberii Cæſaris oculi quales? Hæc ille de *Auguſto*, quibus affinia memorat Plinius de *Tiberio* Cæſare, cui tantus inerat fulgor oculorum, ut nocte mediâ non egeret extranei luminis beneficio; ſed ſuorum ſplendore oculorum intueri omnia, diſtinguere poſſet omnia.

Si hæc Auguſto aut Tiberio, aut natura dedit, aut vanitas invenit, aut adulatio aſcripſit; quid non in Chriſto (in quo & natura maximè benefica, & Deus ipſe author naturæ) quæ in illo acies? quis nitor? quis fulgor oculorum? quod & lumen oculorum? Certè illud, quod ſidera, quod Solem vinceret.

QUÆSTIO SECUNDA

MORALIS.

Ad illa verba: *Vidit hominem.*

CUR ADDIT EVANGELISTA EAM VOCULAM; Hominem.

NON ſine Numine ſacer Hiſtoricus de Chriſto dixit: *Vidit hominem*, ut ex eo intelligeres id ſpectaſſe, quod *Homo* eſſet, non attendiſſe quod pauper, quod pannoſus eſſet, quod miſer & miſerabilis; ſed quod *homo*, ut id unum in paupere ſpectare diſcas, quod ſit *homo*: quod ſi feceris, *non ſecundum viſionem oculorum judicabis.* *Iſay. c. 11. v. 3.*

Oculus triplex. Eſt in homine triplex oculus, corporis unus, mentis alter, fidei tertius.

Corporis oculus repræſentat ea tantùm, quæ extrinſecus patent, puta faciem, ſi lurida ſit, ſi macilenta, ſi tabida, ſi ulceroſa. veſtem ſi paupercula,

I. Corporis. pannoſa, lacera, & quod inde etiam malum, eas quas ab objectis hauſit imagines, transfert in phantaſiam, & phanthaſia in ipſum intellectum (qui pars hominis eſt potior) & inde deſpicit, averſatur & horret: & hoc quia *hic*, ſecundum viſionem oculorum judicat, & errat. Quid facias? *Ubi errat oculus, ibi errat affectus*, ut disertè D. Ambroſius.

Ex horum ſerie maledicti fuerunt Judices illi, in

Perſonarũ acceptio. quos ſtylum acuit D. Jacobus, qui ſimplici & candidâ oratione expreſſit quod in illis erat vitium: ſic enim ad illos.

Epiſt. 2. v. 2. *Si introïerit in conventum veſtrum vir aureum habens annulum in veſte candida; introierit autem & pauper in ſordido habitu, & intendatis in eum, qui indutus eſt veſte præclarâ, & dixeritis ei: Tu ſede hic benè: pauperi autem dicatis, Tu ſta illic, aut ſede ſub ſcabello pedum meorum: nonne judicatis apud vos metipſos? & facti eſtis judices cogitationum iniquarum?*

At unde judices cogitationum iniquarum? in aperto eſt ratio, quia judicarunt ſecundum *viſionem oculorum*, quia non viderunt. nec attenderunt *hominem*: ſed pauperem, ſed mendicum, ſi facie tabidum, fortè ſanie madentem, & hinc deſpexerunt, averſati ſunt, & fugerunt.

Non deſpexiſſent, non averſati fuiſſent, non fugiſſent ſi ut Chriſtus vidiſſent *hominem*; non hominis phaleras. Ut & hoc quo vivimus ævo faciunt mortalium plerique, attendunt quæ hominem circumſtant, non *hominem*.

II. Mentis. Non ſic *mentis oculus*, evadit hic in animum, & *hominem* ſpectat; & inde ſuſpicit & amat, & vult; facitque illi quàm optimè, quia homo eſt, in quo puræ mentis oculus, id eſt *Ratio* attendit quid à natura ſit: ut & ipſe attendas, BENEVOLE LECTOR; excipe quid de illo Philoſophi antiquiores, duce ratione, ceu mentis oculo.

Platoni, qui ſui ævi ſophis audiit *divinus*, altiore intelligentia qua valuit, *homo eſt Horizon Univerſi*, quia terminat, & in ſe jungit utrumque hemiſphærium, ſuperius, id eſt Cœlum & Angelos, inferius terram & bruta: habet enim aliquid his & illis commune, eſſe cum inanimis, vivere cum brutis, intelligere cum Angelis. *Homo quid ſit?*

Triſmegiſto inter ſapientes facilè Principi: *Imago Dei eſt avum, avi mundus, mundi ſol, ſolis autem homo.* Non illius ſolis, qui lucet oculis, ſed qui animo ſurgit; ſeſeque in illo, ut in ſpeculo, imprimit, id eſt Dei. Eidem homo eſt *miraculum magnum.*

D. Auguſtino, homo finis eſt Univerſi cujus *Serm. 23. de Temp.* cauſa *Cœlum firmatũ eſt, extenſum mare, fundata terra.*

Propter quem Sol oritur, & occumbit, propter quem & Luna nitet; & ſtellæ micant, & vertuntur ipſæ Cœlorum orbitæ.

Finis univerſi homo, propter quem è terræ ſinu naſcuntur plantæ, & omnia pratorum viriditas ceu amœna illius veſtis, & fructuum ubertas, quibus alatur, & vivat.

Finis univerſi homo, cujus gratia ſuſpenſæ in aëre volucres, & aves cœli, & ſparſa terris animalia, & adnatantes toto æquore piſces, qui alimento ſerviunt, & huic vitæ mortali ſuſtentandæ; & hoc etiam à ſola natura eſt homo, & hunc vidit Chriſtus, cùm vidit hominem: Hoc enim eſt homo; imo & amplius: *minor eſt mundus*. omnia quippe mundi ſpectabilis mirabilia in eo incluſa, atque ab omnium opifice inſerta.

Quid dico minor mundus? dicere volui & debui cum D. Gregorio Nazianzeno; *magnum* *Orat. 38.* *mundum in parvo.*

Diſtinxere veteres triplicem mundum: primum *Primum.* aiebant Deum, potentiſſimum molitorem & conditorem univerſitatis, quem Athenagoras eruditè nominavit *Mundum perfectum.*

Secundum, hominem, quem dixêre μέγαν, id eſt *Magnum mundum.*

Tertium voluerunt, eſſe rerum creatarum veluti complexum, qui hominis comparatione parvus eſt *mundus*; & ſic appellatus à D. Gregorio Nazianzeno, ut homo eſſet *Magnus mundus in parvo*: magnus, non mole; ſed dignitate, ſed pretio. Et hunc mundum vidit Chriſtus, cùm *vidit hominem.*

Vidit & *pretioſiſſimum Dei opus, adeoque etiam ſuum.* *D. Ambroſ. in Pſal. 118.* *Vidit*, inquam, primò ſcientiâ ſibi infuſâ, dein etiam beatificâ, denique & divinâ; vidit, & amavit, & probavit, & illi benè eſſe voluit. hæc enim videre Chriſti importat; illius enim videre, eſt amare, probare, & benefacere.

Et ita videas oportet, MI LECTOR, ut de te *III. Fidei oculus.* dicatur: *Vidit hominem*: quem ubi ſic videris oculo mentis, aſcendes altiùs, & videbis oculo fidei: ſic enim te videre Chriſtus docuit.

Vidit ille *hominem*, propter quem è ſinu Patris deſcenderat in ſinum Virginis.

Vidit hominem, propter quem novem omninò menſibus clauſus fuerat utero Virginis, ceu materno carcere.

Vidit hominem, propter quem natus in ſtabulo, reclinatus in præſepio.

Vidit hominem, propter quem vitam exegerat in paupera tecto, in vili opificio: filius fabri, & faber creditus, ipſe Fabricator orbis.

Vidit hominem, propter quem ſudavit & alſit annis plus eò triginta tribus.

Vidit hominem, propter quem triginta argenteis à Diſcipulo, & vendi debebat, & oſculo tradi.

Vidit hominem, propter quem & ſputa, & alapas, & flagella, & ſpineam coronam, & trabales clavos, & immane Crucis pondus admiſſurus erat, & feralem in ea lectulum, in quo & grandem animam exhalare decreverat, & Patri Æterno reddere.

Ecce quem eò loci ac temporis *Vidit hominem.*

Ut & tu ſic videas, ſic attendas, Amice Lector, neceſſum eſt (ſi modò is es, qui eſſe voles Chriſtianus) ut oculo Fidei miſellum, pannoſum, cœcum, incurvum, claudum & quiſquis, vel ab inopia vilis atque abjectus, vel ab aliquo vitio corporis malè notatus, aſpicias, dicasque tibi quod te dicere voluit D. Auguſtinus: *Ille, ille homo eſt, propter quem Dei Filius humanam naturam aſſumpſit, opprobria & flagella ſuſtinuit, Crucem portavit, mortem guſtavit, & ad inferna deſcendit, & conſcendit ad ſuperna, ut ad ſuperna raperet.* Suprà.

Et qui ſic *videt hominem*, non ſic deſpicit, non reſpuit; ſed benigniore oculo aſpicit, admittitque; ſit Irus, ſit Crœſus, nihil intereſt, quia *videt hominem* qualis intrinſecus eſt, non qualis extrinſecus; nec ſecundùm viſionem oculorum judicat.

Si judices illi, de quibus Apoſtolus in conſeſſu ſuo, vidiſſent *hominem*, non dixiſſent durum illud: *Sta illic*: nec durius iſtud: *Sede ſub ſcabello pedum meorum*, neque modò incurriſſent in judicium æternæ damnationis.

Si dives Epulo in Lazaro, in mendico, vidiſſet *hominem*, quis eſſet ille à natura, quis à gratia atque apud Deum meritis, non negaſſet illi micam panis, neque modò guttam aquæ peteret à Lazaro, quam non impetraret.

Si & tu dives, & alter epulo, videres in paupere *hominem*, non negares illi, vel obolum, vel fruſtulum panis: ſed negas improbe, negas & crudelis, quia pauperem vides; non autem hominem, & quidem emptum Dei Sanguine, vitâque.

Hoc argumento uſus aliquando D. Chryſoſtomus, ut & te, & divites, & alios omnes excitaret, ut & ipſi etiam in miſerrimis ſic viderent *hominem*: illum audiamus:

Homo dignißimum Dei animal, & propter quem nec unigenito ſuo Pater pepercit. Non enim mihi hoc dicas, quod ſit fugitivus quiſpiam, aut fur, vel facinoroſus, vel quod ſit pauper, abjectus, vilis, & nullius frugis: ſed cogites quòd pro ipſo mortuus eſt Chriſtus, ſufficiat que tibi, utpote idonea ſollicitudinis cauſa. Homil. poſt Ep. ad Philip. de profectu Evangel.

Cogita quantum illi neceſſarium ſit, quem tantum Chriſtus ita appretiatus eſt, ut nec ſanguini ſuo pepercerit.

Tum argumentum ſumit à ſimili, vel potius à fortiori, & ait *Neque enim opinor, ſi Rex pro aliquo occidi vellet, quæremus argumentum aliud, num magnus quiſpiam ille ſit, quem Rex tanti facit, & ſufficiens eſt mors ejus, qui mortuus eſt, ut oſtendat quanta Charitatis fuerit erga illum.*

Nunc verò cùm non homo, non Angelus, non Archangelus: ſed ipſe Cælorum Dominus, ipſe unigenitus, carne veſtitus, tradidit ſemetipſum pro nobis ad mortem, ſi non omnia fecerimus & attentaverimus, ut homines tanto pretio redemptos in omni cura habeamus, qua nos tuebimur defenſione? quam veniam impetrabimus?

Hactenus orator aureus: conſimili argumento uſus eſt D. Auguſtinus, ut ſibi ipſi eſſet in pretio, in primis curis, atque amoribus: ſic enim inquit:

Quando intellexi me Chriſti ſanguine emptum, nolui amplius me exhibere venalem: ut etiam tu nolis quiſquis hæc vel oculo, vel aure excipis, dic tibi ipſi.

Quando intellexi me Chriſti ſanguine emptum, nolui amplius me exhibere venalem, non carni, non mundo, non dæmoni, non ulli mortalium, aut immortalium.

Tranſeo ad aliam, eamque myſticam interpretationem, quâ duas illas Evangeliſtæ voculas, *Vidit hominem*, ad Chriſtum ipſummet transferunt nonnulli, ut ſenſus ſit: *vidit hominem*, id eſt vidit ſeipſum in cœco, inque paupere; *vidit* inquam, Chriſtus ſeipſum, qui filius hominis ſeipſe dixit, & in paupere ſeipſe vidit, hominem homo. Crederes hominem (de quo hic) eſſe veluti ſpeculum, in quo ſe videat Chriſtus, & hoc ex ipſius oraculo, quo edidit iſtud. *Quamdiu feciſtis uni ex fratribus meis minimis, mihi feciſtis.* Matth. c. 25. v. 40.

Quod ſi uni ex minimis, id eſt ex pauperibus, factum, ſibi factum reputat Chriſtus; neceſſe eſt, ut ſe in minimo minimum videat, & in paupere pauperem: ut & tu videre diſcas, Amice Lector & in paupere conſiderare Chriſtum, qui in illo eſt.

QUÆSTIO TERTIA
MORALIS.

Ad illa verba: *Vidit hominem cæcum à nativitate.* Joan. c. 9.

QUIS ILLE COECUS?

Quid nominis, dixi in proœmio; quid hominis, jam explicui: reliquum eſt, ut ex me quæras, quæ ſit illa cœcitas? In aperto eſt reſponſio, ea eſt corporis, hauſta jam inde à nativitate, in qua ei natura, non tam parens, quàm noverca viſa eſt fuiſſe, damnavit eum perpetuâ cœcitate, quæ corpori quidem grande eſt malum; non tamen ſemper animo, imò huic ſubinde & ſæpius bonum eſt, & ingens bonum, quod ex eo colligunt Philoſophi, quod hominis animus, & intimi ſenſus ac cogitationes per apertos oculos effluant, ſeſeque ſpargant toto hoc orbe aſpectabili; at ubi clauſi fuerint, ad eundem redeunt atque intra ſe colliguntur: Ut enim rectè Plinius. Cœcitas an malum?

Animus in oculis habitat, & oculi ſunt vaſa quadam, quæ viſibilem ejus partem accipiunt, & tranſmittunt: non tranſmitterent ſi eſſent clauſa.

Hujus conſcius Democritus Philoſophos inter nominatus creditur ſibi eruiſſe oculos, ut perſpicaciùs naturæ ſecreta rimari poſſet, & clauſis corporeis luminibus, ſolo mentis oculo ea pervidere.

Sed

Sed hoc Philoſopho dandum fuit, non Chriſtiano, qui tamen ea eo ſeriùs dolere, gemere, queriq̀ue non debet, ſi fortè vel à nativitate, vel ab aliquo caſu, vel ab ipſo iovidentiæ vitio, in cœcitatem inciderit:

Ut enim utar ratiocinatione, qua aliquando uſus eſt D. Hieronymus, ut *Abigao* cœco, animos ad patientiam faceret.

Ne doleas, inquiebat, *ſi non habeas, quod formicula, & muſcæ, & Scorpiones habent, id eſt oculos; ſed illum te oculum habere lætare, de quo in cantico canticorum dicitur, vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa, in uno de oculis tuis, quo Deus videtur.*

Fortunatum vulnus, beatum vulnus, quo vulneratur ſponſus: infelix & miſerum, quo vulneratur ſponſa: hic eſt oculus carnis, ille eſt mentis oculus.

Ne ab illo aliquod vulnus pateretur *Petrus Abbas* Clarevallēſis, cùm ſibi ex morbo extinctus eſſet unus oculus, alterum etiam extingui optabat, quod ab illo ſibi peſſimè metueret.

Cœcitatem qui amarūt. Unde de oculis, pio, & liberali joco dicere ſolitus. *Unum de inimicis amiſi, & plus à reſiduo, quàm à perdito formido.*

S. Audomarus. Et ita formidavit *S. Audomarus*, qui cùm D. Vedaſti precibus à cœcitate liber fuiſſet, rurſus à Deo cœcitatem petiit, atque impetravit: ſed ne longiùs, veniamus ad quæſtionem initio propoſitam, ecquis ille Cœcus?

Veniam mihi dabis, AMICE LECTOR, ut à cœcitate corporis, tranſeam ad eam, quæ eſt mentis; hæc enim non infligitur, niſi à peccato: illa verò ſubinde, & ſæpius, peccati omnis eſt vacua, & talis fuit hujus cœci, quæ peccati pœna non fuit, ſed beneficii occaſio, occaſio manifeſta tantæ divinæ bonitatis, atque gloriæ in Chriſto, à quo depellenda erat ea cœcitas.

Igitur iis in præſentia omiſſis, venio ad quæſtionem initio propoſitam: Ecquis ille cœcus? eamque deduco ad mores, & primùm id ſtatuo, & quidem cum Auguſtino.

Cœcus eſt omnis homo. Omnis homo ex Adam prognatus, eſt cœcus, & quidem jam inde à nativitate.

Tract. 44. in Joan. *Naſcimur omnes cœci, quia naſcimur omnes peccatores,* inquiebat S. Doctor.

Ea porrò cœcitas in Chriſtianis, ſacratioribus Baptiſmi aquis eluitur, dum eluitur originale peccatum: Sed proh dolor, pudorq̀ue! vix ratione, ceu oculo mentis, donati ſumus, cùm in eandem cœcitatem relabimur, dum in aliud atque aliud lethale ſcelus devolvimur.

Peccator omnis eſt cœcus.

Cap. 1. *Ambulabunt enim ut cœci, quia Domino peccaverunt,* inquit Sophonias: quo judice, peccator omnis eſt cœcus, quia mentem, ceu oculi pupillam, occupavit mortale ſcelus.

Avarus eſt cœcus. Ita cœcus omnis Avarus. Chryſoſtomum audi:

Hom. 21. in Matth. *Avarus cœcus eſt, amor namque pecuniarum in pupillam mentis, quaſi quidam malignus humor influxit, denſamq̀, jam nebulam operatus eſt.*

Ita S. Præſul, qui avaritiam vult occupare mentem, ut ſolet oculum noxius humor; ita obtegere, ut nubes ſuppoſita Soli, cujus lumen hominibus eripit; lumen dico cœleſte & propè divinum, quod animæ oritur è gratia & charitate: ad hoc enim eſt avarus, quod talpa ad Solem, quod cœcus ad lumen. quod & notavit D. Ambroſius:

Serm. 19. *Avaritia*, inquit, *cœcitas eſt, errorem religionis inducit: cœca eſt avaritia; ſed diverſis fraudum oculata ingeniis: non videt, quæ divinitatis ſunt; ſed cogitat quæ cupiditatis.*

Nec mirum, quia mentis oculus, atque acies ab auro incumbente obruitur: & hinc ut rectè D. Cyprianus. *Magna cœcitas eſt, auro alligatum teneri, & poſſideri magis, quàm poſſidere.*

Quod ſi ex eo cœcus eſt avarus: cœcus etiam libidinoſus; cœcus, dico ſi non corpore, ſaltem mente, cogitatione, affectu. Libidinoſus eſt cœcus.

D. Chryſoſtomi fidem, atque authoritatem appello, ſic ille olim è pulpito ad ſuos, ſic modò è cœlis ad nos.

Quando ab impudica libidine capta fuerit anima, ſicut nubes & caligo corporis oculos, ita & illa corripuerit, & mentem, perſpiciendiq̀, facultatem; nihil ſinit videre ulterius, non præcipitium, non gehennam, non timorem, tam hujus, quàm illius. Homil. 11. 1. ad Cor.

Quomodo enim videret, qui mentis oculo captus eſt? Et hoc dæmonis aſtu, doloq̀ue, qui facit quod corvi cadaveribus, quibus primò oculos eruunt ac vorānt: & hic eſt ſenſus Hugonis Victorini.

Corvus, inquit, *eſt diabolus, qui in cadaveribus primùm oculos petit, quia in hominibus carnalibus intellectum diſcretionis extinguit;* extincto autem intellectu, cœcus eſt, uti corpus e annecto oculo. Lib. 1. de beſtiis. c. 35.

At unde, & cur cœcus? Reſpondet D. Ambroſius, quia *cœca eſt omnis libido.* At rurſum, unde hæc cœca? quia *quod eſt ante ſe non videt.* Lib. de Abraham c 6.

Ante ſe habet libidinis ſpeciem atque imaginem, & illam non videt.

Ante ſe habet fœditatem atque turpitudinem, & illam non videt.

Ante ſe habet pudorem & verecundiam, quæ ſcelus illud ſequitur, & neque hanc, neque illum videt.

Ante ſe habet infamiam & probrum, quæ pudendæ ſunt libidinis comites, & tamen non videt.

Ante ſe habet ingentes flammarum globos atque eructantis ex erebo incendia, & tamen ea non videt.

An non ergo & cœca eſt libido? & libidinoſus cœcus? Quod ſi hic cœcus, eſt & iracundus cœcus. Cur ita? quia *ira videre non permittit*, inquit Chryſoſtomus. At cur non permittit? In promptu eſt ratio petita ex ipſa *Iracundia*, quæ, ut ait ille ipſe S. Præſul, *cœcas parit cogitationes*: emittit enim in intellectum, ceu bonæ mentis oculum, velut craſſiores fumos, ſpiſſamq̀ue nebulam, quæ videre non permittit. Et inde cœcus eſt iracundus: quod ſi cœcus, & cœcus quoque eſt Ambitioſus, & cœca *Ambitio*. Quæ cauſa? eam reddit D. Bernardus. *Cœca ambitio, quia magis imis, quàm ſummis delectatur,* quod evidens cœcitatis eſt argumentum. Iracundus. Ambitioſus. Epiſt. 78. ſuggeri Ab.

Cœleſtia illi Deus offert, ea reſpuit, & terreſtria complectitur.

Cœlum illi aperit, ſi modò intrare velit; at ille infernum ſibi reſerat, infernum præceps ingreditur.

Gloriam ſpondet, & quidem æternam; at ille eligit temporalem, atque æternam amittit.

Beatitatem illi pollicetur Deus; at ille ſibi ſervat infelicitatem. An non ergo cœcus? Enimverò vel maximè.

Mitto cæteras his affinis, & pronuntio eum, qui lethali peccato affectus eſt, & affectum eſſe eâ cœcitate, quæ mentis eſt, & quæ ſummum illius in terris malum.

QUÆSTIO QUARTA MORALIS.

Ad illa verba: *Expuit in terram, & fecit lutum ex ſputo, & linivit lutum ſuper oculos ejus, & dixit ei, Vade, & lava in natatoria Siloë.* Joan. cap. 9. verſ. 7.

QVID ARCANI MYSTERII IN EO CÆRIMONIARVM apparatu?

ERIT fortaſſis, qui me præcipitis audaciæ, & pudendæ temeritatis arguet, qui moveam ejuſmodi quæſtionem: Ecquid enim talpa ad Solem? Quid pulvis & cinis ad opera Chriſti? Quid ad Dei ter Opt. ter Max. arcana, vilis homuncio?

Huic ego reſpondebo cum Divo Chryſologo: *Serm. 176. & ultimo.* *Deus quoties deſperatas humanorum curas corporum paſſiones, Deitatis ſuæ toties potentiam pandit: ſed in una eademq́; infirmitate, quando ordinem ſuæ curationis immutat, cauſas, propter quas hoc faciat, facit nos altiùs perſcrutari.*

Quod ſi facit, faciamus & ipſi duce D. Chryſologo: *Cœci tres à Christo ſanati.* oſtendit hic ex ſacro Evangelii textu à Chriſto tribus cœcis datam oculorum & lucis hujus uſuram.

Unus fuit, cui juxta viam ſedenti, viſum ſolâ reſtituit *juſſione*: cùm enim intuliſſet hic ſupplicis iſtud: *Domine ut videam.* Ait illi JESUS: *Reſpice*, quod fuit imperantis, & ſtatim reſpexit, quod fuit dicto obedientis.

Alter fuit ad *Bethſaida*, cujus perfidiam dum exprobrat *Dominus*, extulit & illud horrendum: *Væ, væ tibi Chorozain, væ tibi Bethſaida.* Tum apprehenſa manu cœci, eduxit eum extra vicum, quaſi eum curare non potuerit in loco; aut beneficio loci indiguerit, univerſis qui contulit viſum.

Ergo apprehenſa manu ejus de domo infidelitatis eduxit; levat eum de perfidia ſeſſione, ut antè fidem, quàm oculos daret: ante menti, quàm corpori redderet ſanitatem.

Marc. c. 8. v. 23. Hanc porrò reddidit, ſed non ſine aliquo cæremoniarum apparatu, in quo primùm hoc fuit, *eduxit eum extra vicum*, cujus rationem jam vidimus.

Secundò, *apprehendit manum ejus*: nimirum Chriſtus, qui *horrere neſcit pauperem, pauperem ſcit amare: totam dedit pauperi manum, ut homo non horreat hominem, & videns non videntem videat, & duce manu cæcum lucu faciat neſcire cæcitatem. Nec dicat homo, non habet manus mea quod det pauperi: det ipſam manum pauperi, & plus erit pauperi manum dediſſe, quàm nummum. iter præbuiſſe pauperi, quàm pauperi panis dediſſe fragmentum.*

Marc. c. 8. v. 23. Tertiò, *expuit in oculos ejus*: Ita nimirum *Dominico ſputo vacuas oculorum replet lacunas, divino ore luciferam dat ſalivam, ut ſancti roris gutta baptiſaret oculos peccatoris, ut aperiat venia, quos clauſerat culpa*: & verò aperuit; ut enim ille ipſe S. Præſul: *Parva Dominici ſputi gutta, arentes cæcitate oculos, ſubitò ſuſcitavit in lucem.*

Quartò, *impoſuit illi manus.* *Nempe in faciendo, in reparando, in componendo hominem, dominicæ manus curatrices, hominibus ſemper adſunt.*

Quintò, *interrogavit eum, ſi aliquid videret: interrogat ut homo, operatur ut Deus: interrogat, ut præſentes ſcirent, ut futuri cognoſcerent cæcitatis hujus non eſſe ſimplicem ſed myſticam curam: non eſſe lumen, ſed auroram quandam, lucemq́; erumpentem*; poſtquam rogatus à Domino, cœcus ſi quid videret reſpondit:

Video homines ut arbores ambulantes: nimirum *imperfectis oculis grandeſcunt forma, turbantur ſpecies, res falluntur ipſa. quia non jam viſionem, ſed adhuc umbram ſuſtinent viſionis.*

Iteranda igitur fuit *cura Chriſti, ut perfecti oculi futura, certa, manentia viderent & æterna.*

Iterum ergo, *poſuit manus ſuper oculos, & cœpit videre, ita ut clarè videret omnia.*

Et hæc Chryſologus de ſecundo illo cœco: de tertio *à nativitate cæco, nato non lumini, ſed tenebris, & cui natura viſum inviderat, atque ipſa, quæ aperit oculos, oculos clauſerat & negarat*; de illo, inquam, & cæremoniarum in eo curando apparatu, iſta diſcutie.

Primò, *Chriſtus imponit lutum, & collyrio materiali, fingit, facit, procurat oculos, non recurat, ut creante, non medicante manu, ut inde homini ſuppleret lumina, unde hominem fecerat totum*, nempe ex luto. *Cur lutum?*

Et hæc prima ratio illius cærimoniæ, quæ ducitur ab ipſo mundi exordio, in quo Deus, ceu figulus, hominem è luto finxit. Uti porrò tum finxit hominem: ita modò cœcum quodammodo refinxit hominem, eique oculos efformavit è luto, vili ſanè materia, atque ut videtur aptiore ad excœcandum, quàm illuminandum.

Si cœco illi natura negarat etiam ipſos oculorum orbes, uti inſinuat D. Chryſologus; ut eos effingeret Chriſtus, poterat è criſtalli glacie, pura illa ac diaphana, formare, poterat è diamante nitenti, poterat è ſtellis, Cœli utique oculis: & hæc & illa materia magis conſentiebat cum ipſis orbibus oculorum, qui in parvo mundo, id eſt homine, ſunt quod in cœleſti ſtellæ. Cur igitur è luto potius?

In divinis eſſe poteſt pro ratione voluntas: quia tamen apud primam & ſummam rationem, nihil expers eſt rationis; hæc eſſe potuit, ut clarius atque evidentius eſſet miraculum, utpote in quo Chriſtus aſſumeret, quod erat dando viſui contrarium, ut eſt lutum, quod potius obruit oculos, quàm ex ſe eruit. Et tamen ex illo mixto cum ſputo lenivit oculos cœci, cujus hæc potuit eſſe tertia ratio.

Ut in hoc oſtenderet Dominus, quod ipſe nobis ſit medicus & medicina: per ſputum enim terræ mixtum, ſignificatur Divinitas juncta humanitati, ex qua Dei & hominis mixtura, facta eſt ægroto homini medicina.

Addi poteſt & quarta ratio, quam extulit Gloſſa interlinealis his verbis.

Ecce Collyrium, quo ungitur in cœco genus humanum omne, ſcilicet cogitatio ſuæ vilitatis, quod ex luto factum ſit, ut per eam ſuperbia, quæ illud excœcavit, curetur: quo ſpectat & ille ritus

Eccleſiæ,

Eccleſiæ, qoo die cinerum etiam iis aſperguntur corònata capita, his additis.

Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris.

Cur ſaliva. Et hæ rationes faciunt pro ea cærimonia luti, quam in curaodo cœco adhibuit Chriſtus; pro ſaliva verò ea, quam ſubjicio.

Galeoo Judice hominum Saliva jejuna, eſt medica, & contra ſerpentes præſidio, & lippitudines oculorum quotidiana jejunæ ſalivæ inunctione ſanantur.

Et hæc ratio è natura petita, ſupra quam erat cœci curatio: oculorum lippitudini ſervire potuit ſaliva, non tamen cœcitati, ideoque aliam adjicio, quæ eſt myſtica.

Saliva ſymbolum eſt ſapientiæ, ac providentiæ: defluit enim à cerebro, quod altiſſimarum cogitationum ac judicii ſedes eſt, & cœci curatio opus fuit divinæ Sapientiæ, & amabilis illius Providentiæ, cui ſaliva ſervire potuit, ut inſtrumento cui ineſſet medica vis, vis ſalutifera, eaque ſupra omnem naturæ ordinem atque vim.

Aliam rationem adjicit D. Chryſoſtomus, ut eo cærimoniarum apparatu, videlicet luto, ſaliva, eorumque inter ſe mixtura, atque Natatoria Siloë, ad quam cœcum emittit, probaret cœcam illius obedientiam atque ſubmiſſionem.

Ecquid enim animo volvere, quid voce eloqui potuit cœcus? Nonne & iſtud?

Quid lutum informe, grave, abjectum ad oculos, ad viſum, qui mihi dandus eſt? Quid pinguior ſalivâ? Quid Natatoria Siloë? Quid in ea lotio? Ego certè in ea me lavi non ſemel, laverunt & alii, & tamen ne unus omnium ſanatus eſt: quæ enim iis aquis vis ineſſe pôteſt, quæ virtus, quæ non in aliis fontibus?

Hæc ſecum cogitare potuit Cœcus, hæc & ſibi dicere: non tamen dixit, non cogitavit; ſed tacitus paſſus eſt, & lacunas oculorum impleri luto, & hoc ſalivâ miſceri, & ex utroque liniri oculos, & in Natatoria Siloë elui probè.

Quid inde? Ivit, lavit, vidit & rediit videns, atque ad Chriſti genua accidit, atque adoravit.

Et hæc ratio moralis eſt: facit enim ad mores ritè formandos, docetque quàm grata Chriſto, quàm & homini ſalubris obedientia cœca.

Ab his rationibus venio ad Allegoricam, quæ cærimonias illas omnes ad myſterium transfert: Myſterium, inquam, Dominicæ Incarnationis & reparationis generis noſtri, modumque & ordinem in ea ſervatum. Et hoc ex gloſſa interlineali, ex qua iſta deſumo.

Cœcus, eſt genus humanum quantum quantum eſt; Saliva eſt Sapientia, quæ ex ore Altiſſimi prodiit; terra, ſeu *Lutum*, eſt Chriſt. Caro: ex hoc, & illa ungitur cœci oculus, cùm ſit Cathecumenus; mittitur hic ut ſeſe lavet in *Natatoria Siloë*, cùm ad Baptiſmum emittitur, per hunc eluitur in Siloë, id eſt in miſſo, hoc eſt Chriſto, in quo puriorem Fidei oculum recipit, & videt omnia, quæ Fidei ſunt, & donatur gratiâ, quæ melior eſt animæ vita; & charitate, quæ cœleſtis ignis eſt, & ardor quidam entheus.

Sed cur mittitur ad Natatoriam Siloë? In oculis & manibus eſt ratio, quia hæc Chriſti typus & umbra fuit, ad quem mittitur cœcus, ut illuminetur: eſt enim Chriſtus fons aquæ vivæ, eſt fons & Siloë, cui conſonat & ipſum Meſſiæ nomen, nomen & fontis: Meſſias enim Hebraicè dicitur *Siloach*, Græcè & Latinè *Siloe*, id eſt miſſus, Miſſus ſcilicet ab Æterno Patre, cujus miſſionis vaticinium ſolemne hoc fuit. Cur in natatoria Siloe.

Non auferetur ſceptrum de Iuda, & Dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus eſt. Hebraicè, *donec veniat Siloach.* Chaldaicè, *donec veniat Meſſias.* Gen. c. 49. v. 10.

Dum ergo Chriſtus cœcum emittit ad *Siloë*, refricat Judæis memoriam illius vaticinii, quod manarat olim à Patriarcha Jacob, quaſi tacita voce diceret.

Ego qui in *Siloë* emitto cœcum, ſum *Siloach*, ſum & *Siloe*, hoc eſt, Meſſias: quem ut probaret eſſe ſe; quoties fere cum Judæis diſputat, Siloë, ſibi nomen facit, quod eſt *miſſus*: hoc enim illi nominis fuit, atque officii.

Nominis dico, quod fuit & boni ominis: ut enim acutè D. Auguſtinus. *Niſi ille fuiſſet miſſus, nemo noſtrum eſſet ab iniquitate dimiſſus.*

Mitto alia, quæ de natatoria *Siloë* dici poſſent, & ipſa Antiquitate veneranda, & miraculorum fama illuſtria: hic ſuffecerit ea ſtylo notaſſe, quæ ad meum inſtitutum facere videbantur.

FERIA QVINTA
HEBDOMADÆ QUARTÆ QUADRAGESIMÆ.

CONCIONEM habuerat cœleſtis Orator ad confertam populi turbam, cùm ecce adſunt Iudæi, rogantque ut Centurionis ſervum moribundum ſanaret: ſanat IESUS, non tam eorum precibus permotus, quàm Centurionis fide, inſignique demiſſione: ſanat, inquam, vel ſolo vocis imperio, cui cedebant morbi omnes, ipſaque mors aliis omnibus inexorabilis: Tum ut annotat D. Gregorius Nyſſenus, ad *miracula quædam ardua magis accedit.*

Ibat IESVS, inquit Evangeliſta, ***in civitatem***, quæ vocatur *Naïm*: erat ea Galileæ civitas boni nominis, & ominis: Naïm enim idem eſt ac pulchra, decora, jucunda, debuitque illa nominari, quòd faceret ad augendam & funeris acerbitatem, & luctum bonæ matris, efferri filium è loco, qui faciebat ad amœnitatem, & juventutis florem. Et hæc prima circumſtantia nominis, cui mox additur altera, hæc ſcilicet. Luc. c. 7. v. 11.

Cum

verſ. 12. *Cùm appropinquaret portæ Civitatis*; & hæc etiam ſtylo notari debuit, quod faceret ad miraculi celebritatem: erant enim in porta Iudices, & in portis exercebantur judicia, adeóque ad eas frequens erat populi concurſus, atque adventantium turba, qualis eſſe ſolet in foro & roſtris.

Et *ecce defunctus efferebatur*, ſcilicet extra urbem, hebræo more ritúque, quo ſepulchra extra urbium pomœria conſtitui ſolebant, tum ad nitorem, tum ad aëris ſalubritatem, ne à cadaveribus ſitum contraheret, & graveolentiam.

Filius unicus, græcè *unigenitus*, quem ſcilicet ſolum & unicum genuerat, adeóque in quo colligeretur maternus amor, qui aliàs in plures dividi ſolet. Et cùm unicus eſſet, erat amor & deliciæ bonæ matris, ſpes unica poſteritatis, baculus ſenectutis, & veluti lumen oculorum, quod unà ferè extingui debebat.

Et hæc vidua erat, orba marito, orba & filio, adeóque & omni ſolatio, quod ſcilicet peti poterat & à viro, & à filio.

Et turba Civitatis multa cum illa; *Cui* ſcilicet *gravitatis meritum, exequiarum*
Ambroſius. *turba conciliabat*, ut diſertè D. Ambroſius. Quod factum eſt, non ſine Numine,
Beda. *ut viſo tanto miraculo multi teſtes, multi fierent Dei laudatores*, ut ait Beda.

Quam cùm vidiſſet IESVS, *miſericordia motus ſuper eam, dixit: Noli flere.* quaſi diceret Servator optimus: *Deſiſte quaſi mortuum flere, quem mox vivum reſurgere videbis.* Ita *flere prohibet eum, cui reſurrectio, & quidem proxima debebatur.*

Et acceſſit & tetigit loculum: Nempè *tangit*, *ut oſtendat efficax eſſe ſuum corpus ad humanam ſalutem*, ut rectè D. Cyrillus. Et verò quidni efficax eſſet, cùm *Caro Verbo unita vivificet.*

Et verò vivificavit; non orando, ſed imperando: Ait enim, *Adoleſcens, tibi dico ſurge.* quod imperantis fuit. Et certè quidni imperaret Dominus vitæ & necis.

Ad ejus imperium *reſedit, qui erat mortuus, & cœpit loqui, & dedit illum matri ſuæ.* Duo vitæ ſigna ſunt, ſedere & loqui, poſt quæ deſcendentem è feretro dextera excepit CHRISTUS, in pedes erexit, atque ad matrem duxit, eumque redivivum tradidit.

Hîc omnes invaſit ſtupor, & ſacer quidam horror, timorque præ reverentia; matrem autem gaudium, atque admirantis exultantiſque animi ſenſus occupavit, mœrorémque omnem deterſit & luctum; ſpectantéſque in has voces excivit:
verſ 16. *Quia Propheta magnus ſurrexit in nobis, & quia Deus viſitavit plebem ſuam.*

Et hæc illius hiſtoriæ ſeries, à qua ad pauculas Quæſtiones deſcendamus.

QUÆSTIO PRIMA
LITTERALIS ET MORALIS.
Ad illa verba: *Cùm appropinquaret portæ Civitatis, ecce defunctus efferebatur.* Lucæ cap. 7. v. 12.

CASVNE ID FACTVM, AN DESTINATO COELI CONSILIO?

PUSILLIS mortalibus, quibus parum, aut nihil eſt ſapientiæ ac providentiæ, multa occurrunt, multa accidunt caſu & fortuitò, adeóque inopinatò, & præter, imò & contra expectationem ac voluntatem.

Mortuus erat *Eliſæus*, à Vaticiniis nominatus, & *Eliæ* ſpiritu dives, & de more ſepultus extra urbem, cùm ecce *latrunculi de Moab venerunt in terram in ipſo anno*; in terram utique, in qua ſepultus Eliſæus.

4 Reg c. 13. v. 20. 21. *Quidam autem ſepelientes hominem, viderunt latrunculos, & projecerunt cadaver in ſepulchrum Eliſæi, quod cùm tetigiſſet oſſa Eliſæi, revixit homo, & ſtetit ſuper pedes ſuos.*

Hæc eſt hiſtoriæ ſeries graphicè deſcripta in Regum Annalibus, atque Faſtis, in qua multa ſunt quæ faciunt ad meum inſtitutum. Eliſæi oſſa mortuum reſuſcitant.

Primò latrunculorum adventus in terram Moab, qui videtur fortuitus: deinde occurſus eorum, qui fortè eò loci, ac temporis ſepeliebant hominem: tum etiam horum timor, & horror à latrunculis, qui etiam fortuitus: tum vicinitas Sepulchri ipſius *Eliſæi*, in quod properè injecerunt cadaver hominis illius demortui, ſumpto conſilio in arena; imò ſine conſilio, præcipiti tantùm metu atque horrore, qui & ipſe fortuitus: in alios enim non cecidiſſet iſte timor; viros illi ſe præbuiſſent, & hominem ſepeliviſſent, ſepulchro jam propè parato, Deo nihil fortuitum.

erutaque

erutaque terrâ; denique quòd revixerit homo cùm tetigiſſet oſſa Eliſæi, quódque ſteterit in pedes ſuos.

Hæc omnia mortalibus fortuita, minimè præviſa, minimè meditata: at immortali Deo, at Summo Nomini, nullo modo fortuita. Ea quippe cœleſti conſilio, prævidentiâ certâ, providentiaque admirabili diſpoſita, eo rerum geſtarum ordine, eoque modo, ut Deus ſervi ſui Eliſæi ſanctitatem atque apud Superos æſtimationem, poteſtatemque probaret etiam miraculo, quo reviXit qui erat mortuus, quo ſtetit in pedes qui exanimis jacebat.

Ita quæ hominibus caſu accidunt etiam ſæpiſſimè, Deo nunquam ſic accidunt: nihil enim illi caſuale, fortuitum nihil, quia nihil niſi deſtinato conſilio, fineque, nihil ſine certa atque amabili providentia, ac ratione ſumma.

Cap. 2. Quod & oſtenditur in *Tobia*, cui caſu, ut videtur, obvenit cœcitas.

Tobiæ cæcitas an fortunata? Dies erat Domini feſtus, prandiumque paratum, cùm ſic ad filium: *Vade, & adduc aliquos de tribu noſtra timentes Deum, ut epulentur nobiſcum.* Cumque ille utpote in paucis obediens abiiſſet, rediiſſetque, patrique nuntiaſſet *unum ex filiis Iſraël jugulatum* jacere in platea, exiit ille de accubitu ſuo, prandium reliquit, pervenit ad corpus, in humeros ſuſtulit, comportavit in domum, ut dum Sol occubuiſſet, cautè ſepeliret: & verò ſepelivit, & hunc, & alios quàm plurimos.

Contigit autem ut quadam die fatigatus à ſepultura,
verſ. 10. *jactaſſet ſe juxta parietem, & obdormiſſet, & ex nido*
verſ. 11. *hirundinum dormienti illi calida ſtercora inciderent ſuper oculos ejus, fieretq; cæcus.*

Quid inde? Dies feſtivæ ſolemnitas, paratæ epulæ, contribulium invitatio, nuntia de jugulato Iſraelita in plateis jacente, ex cœco quodam cauſarum ſecundarum inter ſe nexu videri poſſent exorta.

Inſuper charitas & ardor *Tobiæ* in ſepeliendis mortuis nocte intempeſta, labor in eo aſſiduus, & nata inde corpuſculi defatigatio, ac dein ad parietem obdormitio: tum nidus hirundinis, & illi inſidens hirundo, calida & decidua ſtercora in ipſos *Tobiæ* ſenioris oculos, ortaque inde cœcitas: quid hæc omnia, niſi concatenata quædam ſeries rerum geſtarum caſu aliquo, & cœco quodam naturæ impetu.

Ita eſt, ſi cauſas ſecundas ſpectes, ſi mundi curſum & ordinem, fortuita videri poſſunt iſta & caſualia; at non ita ſi cauſam primam attendas: huic enim omnia volvuntur ordine certo, deſtinato conſilio, & fine quàm optimo, in quem ejus providentia collimat, & quem aſſequitur ſemper.

Ita porrò in *Tobia* cœcitas fuit, quam *ei evenire permiſit Dominus, ut poſteris daretur exemplum patientiæ ejus.*

Hanc vidit, hanc amavit Deus, & hanc tranſmiſit ad ætates longè conſequentes.

Quod *Eliſæo*, quod & Tobiæ permiſit indulgens Numen: hoc deinde poſt longa ſæcula, Filio ſuo Deo-Homini, permiſit Æternus Pater.

Poſt ſeros & mœſtos ſoles, decreverat redimendo homini concedere Filium ſuum Unigenitum, carne induere in Virginis utero, ac deinde mundo naſci: At quo modo? Quâ viâ? Quo rerum ordine?

Exit edictum ab Auguſto Cæſare, ut deſcriberetur univerſus illius orbis, & quiſque ſcribebatur in ea orbe, in qua ſibi natalia.

Paret Virgo, paret Joſephus, tranſit in Bethleem, fit eò loci ingens concurſus populi, quem dum non capit exiguum oppidulum, non capit & Virginem; ſed dimittit, ſed excludit.

Quid inde? Occurrit ſtabulum è vicino, in illud ſe recipit Virgo, recipit & Joſephus: ubi enim tutiùs adverſus aëris injurias, & frigoris inclementiam?

Adeſt interea hora Virginei Partûs, Filium emittit in auras, nullâ naturæ injuriâ, nullâ Virginitatis contumeliâ, deponit in præſepio, reclinat in fœno, bovem inter & aſinum.

Qui hæc audis, & ſpectas, incuſabis Auguſti vel avaritiam, vel ambitionem, damnabis Bethleemitarum inhoſpitalitatem, dolebis de aëris & hyemis acerbitate, lugebis & Filio & Matri puerperæ deeſſe omnia, vel naturæ commoda, vel fortunæ melioris præſidia, credesque ita caſu factum: at non ſic eſt.

Decreverat ab æterno Deus Filium ſuum, Deum-Hominem, Univerſi Reparatorem naſci in ſumma pauperie: & hic illi finis, hic ſcopus, in quem collimârunt omnia, & Auguſti edictum, & Virginis ſubmiſſio, & Bethleemitici Oppidi anguſtiæ, & incolarum inurbanitas, & ſtabuli ſordes, in quibus omnibus apud Deum nihil caſuale fuit, fortuitum nihil: utique neque Chriſto. Ibat hic in civitatem, quæ vocatur *Naim*, & ecce cùm appropinquaret portæ, occurrit defunctus, qui efferebatur: occurſus ille puſillis mortalibus potuit videri fortuitus; at Chriſto non fuit, quia & illius præſcius fuit, & eò dirigebat iter, ut mortuum excitaret, matrique redderet, eoque Meſſiam probaret & Reparatorem Univerſi.

Et hoc bonæ menti debet eſſe ſolatio, cùm incidit aliquid adverſi, cùm ingruit aliqua calamitas, ceu turbo, quod ea non caſu obveniat; ſed deſtinato Cœli conſilio: quod adeò verum eſt, ut ne arbuſculæ folium, ne gutta pluviæ decidat ſine Numinis providentia, quam ut agnovit, ſic & prædicavit Vates Regius, cùm ita cecinit. Dei providentia in omnibus.

Ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus. Pſal. 148. v. 8.

Faciunt, inquit, ut intelligas ea omnia, non tam opus eſſe naturæ, quàm Dei, in quem unum dirigi debet mentis acies, nec ad creaturas perperam detorqueri.

Ita dixit *Iobus*, patientiæ miraculum, cùm in omnibus, quæ illi accidiſſe vidit, nihil extulit, niſi unum illud: *Sicut Domino placuit, ita factum eſt.* Reſignatio in Dei manibus.

Non aſpexit ille irruentes Sabæos & Chaldæos, non ventorum turbinem, qui latera domûs concuſſit, & filios convivantes obruit; non malum dæmonem, qui in carnem ſuam immane quantum deſævit: ſed in his omnibus unam ſpectavit Dei manum, unum Dei beneplacitum, quod & attendere debent omnes, vel ad præſidium in malis, vel ad ſolatium in adverſis: Et hoc eſt, ut D. Ambroſii verbis utar, *Devoranda contumelia grande juvamentum.*

Hoc eſt aſylum, quò confugias; hic eſt portus, in quem te recipias, & jactari deſinas.

QUÆSTIO SECUNDA
MORALIS.

Ad illa verba: *Ecce defunctus efferebatur.* verſ. 12.

CUR SACER HISTORICUS NON DIXIT NUDE Defunctus efferebatur? *Cur præmiſit particulam illam demonſtrativam*: Ecce.

VT ſæpius dixiſſe me probè memini, in ſacra Scriptura, ne *apex*, ne *iota* unum vacuum eſt à myſterio, adeoque neque hîc ea particula, *Ecce*? Quodnam igitur illud?

Hanc ipſam quæſtionem movi Quæſt. II. in Dom. XV. poſt Pentecoſtem, in hoc ipſum Evangelium: movebo tamen rurſus & hîc, & reſpondebo uti prius: ut ea particula *Ecce*, monſtraret in hoc Adoleſcente defuncto ſpeculum mortalitatis, in quod omnes ſeſe quodammodo intueantur, & ſiſtant pedem fugientes animæ, fugientes dico à ſalute, à Cœlo, Deoque, atque ita capiantur non ad perniciem, ſed ad ſalutem, imò & futuram aliquando beatitatem, quam ut aſſequantur, exponit hîc Evangeliſta, Adoleſcentem defunctum veluti Speculum: in quo facit quod faciunt ingenioſi venatores, ut Tigrides capiant.

Mortuus.

I. Speculum humanæ mortalitatis.

Tigris quomodo capitur?

Eſt *Tigris* animal curſu velox, & innato genio ferociſſimum, ut hoc ſiſtant, atque intercipiant venatores, ea ſemita, quam decurrere debet, exponunt alia atque alia ſpecula, ut dum in iis ſe videt ac ſtupet *Tygris*, curſum ſiſtat, moretur, & venatori ſpatium concedat, quo capi poſſit.

Et verò capitur dum ſe, aut ſui ſimilitudinem videt in ſpeculo.

Inter mortales multi ſunt *Tigridi* non abſimiles, moribus efferi, & curſu veloces; ſed veloces ad ſuum interitum: ut ii capiantur, Viri Apoſtolici, ceu periti animarum venatores, in via hujus ævi mortalis, locant alios atque alios mortuos; maximè verò adoleſcentes in primo ætatis flore; ſed à morte marcidos, ut in iis ſeſe tanquam in ſpeculis intueantur, ſeſe contemplentur, dicantque ſibi: quod *hodie illi, cras mihi*; ſicque in mortuo, ceu Speculo, retineantur, ne velociùs decurrant, abeantque in viam perditionis.

II. Muta quædam oratio ad viventes.

Retineantur, inquam, non ſolùm in eo tanquam in ſpeculo, quod oculos trahit, ac diſtinet, ſed & muta quadam oratione, quæ aures feriat, & percellat animos.

Hanc certè orationem ad nos habent defuncti, longè efficaciorem ad perſuadendum, quàm eſſe poſſet, aut Demoſthenis, aut Ciceronis; cujus ea ratio eſt, quod facta magis moveant quàm dicta.

Quæ porrò ea ſit oratio, audiamus ex D. Auguſtino, quo interprete ſic ad viventem mortuus.

Serm. 66 ad Fratres in Eremo.

Vere, inquit, *ſi ipſa oſſa arida audire volueris, tibi prædicare poterunt, & dicere.*

O miſer, quantum pro cupiditate hujus ſæculi diſcurris? aut quid ſuperbis? vel luxuria infelicia oſſa ſubmittis? attende ad me, & intellige, & conſidera me. Hoc quod tu es, ego fui, & quod ego ſum modò, tu eris poſtea.

Ecce oratio mortui ad viventes, ecce demonſtratio efficaciſſima.

Inter demonſtrationes, mathematicæ ſunt aliis efficaciores, quia non, ut cæteræ, immittuntur tantùm in aures; ſed & ſupponuntur oculis: & homines ſic à natura facti ſunt, ut plus credant oculis, quàm auribus. v. g. cùm demonſtratur ſuper ipſas figuras, quod lineæ ductæ à centro circuli ad circumferentiam, ſint equales, quod latera trianguli ſint æqualia, etſi ratione nuda pateat, magis tamen oculis, & his plus creditur, quàm rationibus: ſic & mortuus magis perſuadet, quod eſt mortalitatis humanæ, quàm aut natura, aut ratiocinatio, aut etiam multorum ſæculorum experientia faciat: v. g.

Sit Adoleſcens mortuus: in eo audis, in eo vides quæ ſit vitæ brevitas, ſæculi fugacitas, adoleſcentiæ robur, dignitatum vanitas, opum fumus, nominis umbra, deliciarum & voluptatum inanitas: vides, inquam, & hæc, & illa omnia, quia non à ratione monſtrantur, ſed ab oculo. Si voles.

Sit puella, ſit Regina mortua: ubi in ea majeſtas frontis? ubi lux & nitor oculorum? ubi genarum rubor? ubi venuſtas oris? ubi ſparſa toto corpore formæ gratia? Diſperſa ſunt hæc omnia ut ventus & aura levis; exaruerunt hæc omnia, ut floſculus ab æſtu, ut herbæ viriditas ab intempeſtivo gelu: & hoc oculo melius diſcis, quàm auribus, quàm eruditis diſcurſibus. Ita nimirum, mortuus eſt etiam pro Doctore atque Prædicatore, & quidem diſerto.

III. Eximius Doctor & Prædicator facundus.

Actor. c. 10. v. 9.

D. Paulus, Doctor ille Gentium, Evangelii tuba & os Divini Spiritûs, Troadem ingreſſus, ad multam noctem dixerat frequenti concioni, in qua & auditor erat *Eutychus* adoleſcens, qui gravi ſopore correptus, cecidit de tertio cœnaculo, vel ut Syrus vertit, *de tertia contignatione deorſum, & ſublatus eſt mortuus.*

Hîc illicò turbati animi, & ſoluta concio, conticeſcente Apoſtolo: cætera quippe dixit inopinata mors adoleſcentis, atque ut appoſitè D. Chryſoſtomus, *pro Doctore caſus fuit*, fuit & juvenis illius repentinus interitus: quod enim de vitæ incertitudine, deque ultima die, hora, momento, docere potuit Paulus, docuit mors ſubita, & caſus miſerabilis unius Eutychi.

An verò hujus caſûs & violentæ mortis author fuerit diabolus, uti opinatur D. Chryſoſtomus, an profundus ſopor, à quo ligati ſenſus, hîc non diſputo: potuit ea aſcribi dæmoni invido, qui & turbare concionem venerat, & gaudium in luctum vertere; potuit & dari illud profundo ſomno, à quo facilis eſt lapſus.

Verùm ut ut ſit, ſit illud in lite, at extra cõtroverſiam iſtud, eum adoleſcentis caſum *pro Doctore* fuiſſe: docuit enim Fideles omni loco, omnique horâ expectandam eſſe mortem. Itaque *mortuus Doctor* fuit, fuit & Prædicator, qui mutâ voce perſuaſit, quod vix perſuaderet diſerta lingua.

Maneat ergo indubitatum iſtud, quod *mortuus ſit Doctor*, adjice quod ſit & *Medicus*.

IV. Medicus animorum.

Oſtendit illud *B. Petrus Damianus*, qui per capitalia vitia, ceu lethales animi morbos, excurrit, docetque iis à mortuo, ceu *Medico*, præberi medicinam, atque ex ea conferri ſanitatem: eum audiamus.

Superbia

Digitized by Google

Opuſc. 15. c. 23. *Superbia ſpiritus inflat*, inquit: *ponatur ſub oculos mortuus, ſepulchrum ad mentem redeat, neceſſariò illic rigida cervicè tumorem premimus, ubi cinerem nos, pulveremq́; penſamus.* Ubi hæc de ſuperbiæ tumore, faſtuque, tum iſta de iræ impotentioris æſtu.

Ira fortaſſis efferat animum; dirige protinus oculos ad mortuum, ad ſepulchrum: mox enim omnis amaritudo deponitur, dum quò furor humanus vergat, mens provida contemplatur. Ubi illa de Iræ impetu ac furore dixit: (eſt enim *Ira brevis furor*) tum elabitur ad avaritiam, quæ *idolorum eſt ſervitus*: Avaro enim idola ſunt pecuniæ, quibus ſeſe immolat.

Avaritia ſtimulus incitat? Vade ad mortuum, ad ſepulchrum præſtò recurre, ibi condiſce, quia mortalitatis hujus incaſſùm ſtipendia plura congerimus, qui iter ipſum quod pergimus, brevi ſpatio terminamus.

Quod Superbiæ, Iræ, Avaritiæ, totidem animi morbis uſu venit; hoc & aliis depravatis affectionibus: reprimuntur enim & hæ, & illi; imò & extinguuntur modico cinere.

Argentum vivum quomodo extinguitur. Galenus medicorum facilè Princeps, argentum vivum extingui cinere docebat: & vivam argenti cupiditatem, eodem cinere, ſeu aſpectu mortui, ſeu ſepulchri nocte ſuffocari poſſe aſtruimus: qui enim exurgeret inſana illa cupiditas? cùm & aurum, & argentum, & ſupellex omnis, & bona cætera deſeri videbit in mortuo: *Homo enim cùm interierit, non ſumet omnia*; imò nihil efferet, niſi mortuale ſudarium.

V. Præſens peccati remedium. Quod ubi viderit, certè & habendi cupiditatem deponet; imò & cum hac, peccata omnia, quibus à conſpectu mortis & mortui præſens eſt remedium.

Deus ter Opt. ter Max. ut inſolentes *Pharaonis* animos frangeret, inſolentes & auſus, in univerſam Ægyptum immiſit locuſtas, à quibus & viror omnis agrorum, & arborum fructus exeſi atque corroſi.

Senſit plagam illam Ægyptus, ſenſit & Pharao, atque ad Moyſen venit, & per illum ſupplex ad Deum, qui à Moyſe, ſervo utique ſuo, exorari ſe atque placari paſſus eſt, & hoc attulit remedii.

Exod. c. 10. v. 13. *Flare fecit ventum ab Occidente vehementiſſimum, & arreptam locuſtam projecit in mare rubrum, & non remanſit, ne una quidem.*

Locuſta ſymbolum peccati. Eſt locuſta ſymbolum peccati: ut enim locuſta gignitur ex nimio Solis ardore; ſic & peccatum ex concupiſcentiæ æſtu: utque illa omnem pratorum viriditatem, omnemq́ue terræ fructum exedit; ſic & hæc omnem virorem gratiæ, fructum omnem charitatis abſumit, & animam damnat malignâ ſterilitate. Quid adverſus illam remedii?

Flare faciat Deus ventum ab Occidente: ab Occidente, inquam, vitia, & locuſtas illas omnes arripiet, & projiciet in mare rubrum, hoc eſt in mare pœnitentiæ, & ne una quidem remanebit: qui enim remaneret afflante vento vehementiſſimo, qualis eſt mors ejuſque memoria? quam Deus miſericors eſſe voluerat in Adamo, primo generis noſtri parente, ne peccaret unquam: ſic enim ad illum de fructu à ſe vetito.

Geneſ. c. 2. v. 17. *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris.*

Ut porro comederet intrepidus, diabolus ab eo abſtulit mortis memoriam: ait enim & Ævæ & Adamo: *Nequaquam morte moriemini.* Quid inde? ubi ſuaſit illud, ubi & perſuaſit, comedit, peccavit, & morte mortuus eſt, non futurus unquam mortuus, ſi mors ſemper in oculis, ſemper in animo fuiſſet: ſed quid facias? fuit illa mali dæmonis aſtutia, quam expoſuit Dominus de eo locutus in figura Elephantis, quem appellavit *Behemoth*.

Dicitur ille umbram appetere, atque in locis umbroſis ſibi quietem eligere, ambulareq́ue per loca denſis arboribus conſita, ut earum tegatur umbris; imò ut umbram quoque ſuam earum umbris obtegat, cujus rationem hanc aliqui petunt ex illius natura, ejuſque inſtinctu ſecretiore, quo ſentit umbram ſuam animalibus cæteris eſſe formidabilem: at quænam, inquies, eſt umbra Behemoth, umbra dæmonis? Eſt mors: ut enim umbra corpus ſequitur, ſic & mors diabolum; & quò intrâris hic, intrabit & mors: & quia hæc umbra terribilis eſt homini, ideò illam tegit: ita texit Ævæ & Adamo, primùm umbra immortalitatis, cùm dixit: *Nequaquam morte moriemini*; tum umbra cœleſtis gloriæ: *Eritis ſicut Dii*; denique umbra ſcientiæ boni & mali, *ſcientes bonum & malum.*

Quod primo parenti, hoc & poſteris.

Juvenis es? proponit tibi quod ſirma & integra ſis valetudine, quod in primo ætatis flore, quod in robore melioris ævi, abeſſe à te mortem quàm longiſſimè, nec improviſam adventare poſſe. Quid ſunt hæc niſi inanes umbræ, quibus mortem, quæ fors imminet, obtegit.

Senex es? perſuadet quod adhuc tibi cruda ſit viridiſque ſenecta, quod ſis integer ævi, quod cautus & benè providus, adhuc longiùs diſtare mortem, quæ tamen fortè eſt in januis. Quid ſunt hæc, niſi inanes umbræ, quibus mortem viciniam obvelat?

Dives es? tibi dicit in aurem, ſi fors obveniat febricula, ſi morbus ingruat, habes ad manum remedia, habes Galeni & Hippocratis officinas, quia habes opes. Ne time, extinguetur febricula; pelletur morbus, & mors ipſa quàm longiſſimè: en quæ tibi ſpes, quæ & ſecuritas? ſed hæc, & illa, inanes ſunt umbræ, quibus mortem, quæ in vicino eſt, celat malus genius.

Et hæ ſunt umbræ, quibus ſibi mortem tegi patiuntur plerique mortalium: crederes eſſe ex eorum numero, qui ſic apud Iſaiam, *Percuſſimus fœdus cum morte, pactum inivimus, inducias fecimus.* *Cap. 28. v. 15.*

Ubi Rex, aut princeps unus aliquis percuſſit fœdus cum hoſte, ubi de induciis pactum iniit, ad tot, vel tot annos, ſecurus eſt in pace, eſt & in tranquillitate, quamdiu durat induciarum tempus, nec timere novit, donec illud expletum, quia tuta videtur etiam in hoſte fides: at non ſic in morte, illa tibi hoſtis eſt, quocum nullum fœdus pactum omninò nullum, induciæ etiam nullæ. Chryſaorii exitus infælix.

Teſtem volo, teſtem appello Chryſaorium, infælicis ævi adoleſcentem: huic cùm derepente ingruiſſet mors, horrendum inclamare cœpit; *Inducias vel uſque mane, inducias vel uſque mane.*

Petiit, nec impetravit: hoſtis nimirum mors aderat, hoſtis inexorabilis, qui nulli novit dare inducias: eam proinde expecta omniloco, omniq́ue tempore, nec inducias ſpera, vel anno uno, vel die, vel hora, vel momento: quò vocat, quando, & quomodo, eundum eſt.

QUÆSTIO TERTIA
MORALIS.

Ad illa verba : *Defunctus efferebatur filius unicus matris ſuæ, & hæc erat vidua, & turba Civitatis multa cum illa.* Lucæ c. 7. ℣. 12.

AN HINC PETI POSSINT MORTIS LEGES, Et quæ?

IN hoc defuncto tris conſiderari poſſunt.

Primò, quòd *Adoleſcens* eſſet, in ipſo quaſi vere ætatis, & primo flore juventæ, quem tamen demeſſuit inimica mortis manus, & falce immiti ſuccidit, ſoloque inſtravit.

Secundò, quòd illuſtris à natalibus, abundans divitiis, & inter concives ſuos primæ notæ, quod inſinuant ea verba : *Et turba copioſa cum illa*, pompa funebris, qualis non eſt pauperum.

Tertiò, quòd filius unicus bonæ matris viduæ, adeóque ſpes unica familiæ, columen Domus, & baculus ſenectutis. Et hinc matris dolor, & lacrymæ, à quibus dum abeo, venio ad mortis legem & inexorabilem neceſſitatem, à qua hæc ſit

A Deo nulla vitæ ſecuritas. Lex unica, quod à morte nulla ſecuritas, nulla à Deo, nulla ab ætate quantumvis firma, nulla à valetudine quantumvis bona : nulla à regnis, nulla ab opibus. A Deo quidē nulla, etſi in ejus manu ſit vita;

Cap 42, v. 5. Ut enim Iſaias *Dominus Deus dans flatum populo, qui eſt ſuper terram, & ſpiritum calcantibus eam.*

Dat *flatum*, vita enim eſt inſufflatus, ideoque in ſacris paginis ſæpius repetitur iſtud. *Inſufflavit ſpiraculum vitæ.* Eſt & *ſpiritus*, eo quippe reſpiramus, & vivimus, aliàs non victuri.

At quomodo dat & flatum illum, & ſpiritum vitæ? non ita dat, ut illius ſis dominus; ſed tantùm cuſtos: manet ipſe Dominus, & quidem in ſolidum: dat quidem, ſed commodato tantum, ſic ut repetere poſſit, ubi, quando, & quomodo voluerit, ſine ulla tui injuria.

Vita quaſi flatus. Si quis tibi commodato dederit catenam auream, aut monile pretioſum, aut ducatos mille, ut fruereris quanto tempore illi libuerit, tibique dixerit,

Hanc catenam, hoc monile, hanc ducatorum ſummam tibi commodato tribuo, non dico ad annos decem, nec ad duos, nec ad unum, nec ad diem, nec ad horam; ſed tantùm quantùm mihi placuerit. Si ille à te repetat, non habes quod queraris; accepiſti commodato, reddere debes ſimul atque exegerit is qui ſic donavit.

Quod illi, hoc & Deo : vitam hic tibi dedit, ſed commodato, eam repetit cùm vult : Dominus eſt, & vitæ tuæ Dominus.

Neque illi dixeris. Domine necdum pœnitentiam egi, necdum excuſſi conſcientiam, necdum diſpoſui mea pro æternitate, necdum ad hanc me præparavi. Vita me fefellit. Minimè, vita non te fefellit; ſed tu te ipſum fefelliſti : ſciebas eam tibi conceſſam commodato, repetendam ubi, quando, & quomodo voluerit is, qui eam tibi commodavit : ea quippe commodati lex eſt.

Datur commodato. Sit opulentus aliquis, qui uni commodarit aureos mille, alteri etiam mille, ea lege ut repetere poſſit, cùm placuerit. Hodie repetit à primo, cras à ſecundo; ab hoc poſt annum, ab illo poſt annos decem : nec huic, nec illi facit injuriam : ſic neque tibi Deus, cùm vitam à te repetit, ſive in juventute, ſive in ſenectute & ſenio. Ad legem commodati parum intereſt : facit de eo, quod lubet.

Mors antiquis pro Deo, dicta Libitina à Libitu dicta. Hæc porro veritas inevitabilis, & fati lex, non latuit Gentiles, apud quos inter Deos mortis, primus locus dabatur Deæ cui nomen *Libitina*, ſic dicta quaſi à *libitu*, ut ait Varro, quòd ea pro ſuo libitu vitam his contraheret, illis protraheret; mortem iſtis citiùs afferret, aliis ſeriùs. Quid facias? Eſt *Libitina*, agit pro libitu, ſenes juveneſque rapit, nullo ætatis diſcrimine : diceres eſſe cœcam, & verò cœca pingitur, quia tollit mortales omnes promiſcuè, & cœcum in morem, nec aſpicit an ſit Irus, an Crœſus; an ſenex, an juvenis; an debilis, an robuſtus : morti certè quis ſit, nihil intereſt.

Ab ætate & valetudine nulla ſecuritas. Et hoc ipſum eſt, quod Deus inſinuatum voluit, ſervo ſuo Prophetæ Amos, cùm ſic ad illum :

Cap. 8. v. 9. *Et erit dicit Dominus : occidet Sol in meridie, & tenebreſcere faciam terram in die luminis.* Hoc eſt interprete D. Gregorio, occidet eis Sol vitæ in ipſo meridie, & mortis tenebræ obvolvent eos in ipſo die luminis, id eſt cùm minimè expectabunt. Lib. 5. Moral. c. 3.

Quis enim eſt mortalium, qui credat occidere poſſe Solem in meridie? Nemo certè, nemo unus omnium : ſic quis putet occidere poſſe Solem vitæ, quaſi adulto jam illius die? Nemo profectò; expectabunt omnes ætatis occaſum, id eſt ſenectam & ſenium : & hoc ſpondere videtur ipſa naturæ lex; at non lex mortis, ſine lege eſt illa, nec diſcrimen ponit inter Solis ortum, meridiem & occaſum : clariùs eloquor, inter infantiam, quæ eſt velut ortus vitæ; & virilem ætatem, quæ eſt meridies; & ſenectutem, quæ eſt quaſi vitæ occaſus.

Quid dicas? quid agas? Eſt *Libitina*, facit pro libitu, educit te è theatro vitæ in primo illius actu, nec ſecundum expectat, & ſi fortè ſecundum, non expectat tertium.

Veneri vacas & libidini, ſcena eſt inviſa Deo, inviſa & Superis, in ea te mors occupat : menſæ aſſides & liberaliùs te vino ingurgitas, ſcena eſt; ſed qualis porcis, & in ea te ſuſtollit è vivis.

Nulla à Regnis. Voluptati indulges, ſaltas ad numeros, choreas ducis : ſcena eſt; ſed qualis Heliogabalo, & ex hac mors te eripit.

Balthaſaris Regis mors. Sic eripuit Balthaſarem, Regem ſacrilegum : Fecerat ille grande convivium, in quo bibebat ipſe *vinum*, bibebant & Optimates illius, & *laudabant Deos ſuos*, & ecce in eadem hora *apparuerunt digiti*, & fatalis mortis manus, & eâ nocte ſublatus eſt, nec Regi, nec Regno parcitum.

Quod Balthaſari, hoc & aliis obveniet, adeò etiam nulla ab ætate, aut valetudine ſecuritas, nulla & à Regno, nulla etiam à Regibus & hujus terræ Monarchis.

Nulla à Regibus aut Cæſaribus. Dicitur Carolus V. Imperator Auguſtus aliquando ex aulicis ægrum (qui ſibi fuerat in primis amoribus) inviſiſſe, raro benevolentiæ ac demiſſionis exemplo, quod demiratus æger, ab eodem Auguſto gratiam ſibi concedi petiit, annuit Cæſar atque adpromiſit. Tum ille : Auguſte Cæſar, inquit,

Inquit, *Da mihi vel unicam vitæ horam, & lucis hujus uſuram vel tantillum protrahe.*

Obſtupuit Cæſar & indoluit, nec eſſe illud in ſua poteſtate, ac ne ad momentum quidem.

Tum æger altùm ſuſpirans atque ingemiſcens, in hæc pauca, ut potuit, vocem explicuit.

Quàm mihi modò meliùs fuiſſet ſervìſſe ei Domino, qui non ad horam, ſed ad annos vitam dare potuiſſet: dixit, & ſiluit, cætera diſcêre profundi gemitus, ac ſuſpiria. Sic exceſſit Auguſtus, non ſine ſtupore, & hominem ſibi, Deoque, ſupremo vitæ mortiſque Domino reliquit: Et ita relinquent Auguſti omnes, quibus in vitam mortemque nullum jus eſt, nulla & à morte ſecuritas: uti & nulla

Nulla ab opibus & poſſeſſionibus. diviti ab opibus, & poſſeſſionibus: his enim neque dies una, neque nox emi poteſt; imò nec vitæ momentum, quod in aperto ponet ea parabola hominis prædivitis, cui ager ſupra ſolitum fertilis ingentes attulerat frugum acervos, quos non videbat ubi reconderet, idenque & cogitabat intra ſe dicens:

Luc. c. 12, v. 17. *Quid faciam? quia non habeo, quò congregem fructus meos.*

En anxiæ curæ, en anguſtiæ divitis. Eget locu, qui abundat opibus & loculis. *Haret*, inquit, Euthymius, & angitur tanquam admodum pauper: *quia nimirum locuples nondum collegit fructum, & jam avaritiæ vitium incurrit*, ut rectè notat D. Baſilius: ſed quid inde? ubi ex ſe quæſivit frigidum illud, atque inops: *Quid faciam?* tum iſta ſibi dixit.

verſ. 18. *Hoc faciam, deſtruam horrea mea, & majora faciam, & illuc congregabo omnia, quæ nata ſunt mihi hoc anno.*

Conſilium capit à cupiditate, non à charitate, quæ indubiè dixiſſet illi: Eroga in pauperes. *Quæris horrea? habes horrea, ſcilicet ventres pauperum*, dixiſſet illi S. Baſilius.

Lib. de Naboth. c. 7. *Habes apothecas, inopum ſinus, viduarum domos & infantium ora*, intuliſſet D. Ambroſius: ſed neque hunc, neque illum audiſſet fructuum plus æquo avidus & rapax: audio enim & hæc dicentem ſibi.

verſ. 19. *Et dicam animæ meæ: Anima habes multa bona poſita in annos plurimos, requieſce, comede, bibe, epulare*, quaſi Epicureus, *quia poſt mortem nulla voluptas.*

Si porcinam habuiſſet animam, inquit S. Baſilius, quid aliud ipſi inſinuare potuiſſet? certè omninò nihil.

Audiſti quid ille ſibi? Excipe quid ei vitæ & mortis arbiter Deus.

Stulte, hâc nocte animam tuam repetunt à te, quæ autem paraſti cujus erunt? verſ. 20.

Stultum appellat, quia in conſilio ſuo, in quo ſibi ſapiens videbatur, ſtultum fuiſſe eventus oſtendit & probat.

Hac nocte, nimirum *in nocte ei ablata eſt anima, quæ lucem conſiderationis habere noluit*, inquiebat D. Gregorius: in nocte, quæ ſcilicet tendebat in noctem gehennæ, noctem æternam. Lib. 15. Mor.

Repetunt, quod eſt præſentis temporis, non autem quod erat futuri. *Repetunt*, inquit, Deus, & Angeli, ſeveri utique exactores, *repetunt* veluti depoſitum. Vita depoſitum eſt.

Denique *quæ paraſti cujus erunt? non ſolùm tibi non cedent*, ait Euthymius, *non ſolùm tua non erunt; ſed nec manifeſtum tibi eſt, cujus erunt*; utrum hæredis, an peregrini; amici, an inimici?

Ita nimirum (ut ſcitè D. Auguſtinus) *Tollit fiſcus, quod non accipit Chriſtus: quod mutuavit natura, repetit, quod paraverit virtus, retinebit.* Homil. 48. inter 50.

Et verò retinuiſſet in hoc divite, ſi virtus paraſſet: ſed quia non paravit, nec retinebit, quod fuiſſet virtutis, nec quod fuit cupiditatis atque avaritiæ, etiam retinebit: ut enim concludam Chriſti oraculo.

Sic eſt qui ſibi theſaurizat, & non eſt in Deum dives: ſic eſt, tolletur è vita cùm minimè putabit, nec quicquam ex iis, quæ paravit, ſecum efferet, quia theſauriſavit ſibi, non Deo; terræ, non Cœlo; tempori, non æternitati; & quia non fuit *in Deum dives.*

At quis in Deum dives eſt? Primùm ille, qui in pauperes dives eſt: ut enim Beda: *Qui vult in Deum dives eſſe, non ſibi theſauriſet, ſed pauperibus*, qui Dei loco ſunt. Qui vult in Deum dives eſſe, conſcientiam ſtudeat habere bonam, & erit in Deum & apud Deum dives: quod quia non capiunt hujus ævi divites ſic ad illos D. Auguſtinus:

Tu fortè putas quod ille ſit dives, cujus arca plena eſt auro: & ille non ſit dives, cujus conſcientia plena eſt Deo? id ſi putas, falleris: enimverò falleris, & reipſum alióſque fallis: ut enim ille ipſe S. Doctor: *Ille verò dives eſſe videtur, in quo Deus habitare dignatur.* Habitare dico, non ſolùm per eſſentiam, & præſentiam, & operationem, quod omnibus eſt commune; ſed per gratiam, quod illi ſingulare.

QUÆSTIO QUARTA
LITTERALIS · ET · MORALIS.

Ad illa verba: *Adoleſcens tibi dico ſurge.* Lucæ c. 7. v. 14.

QUÆ, ET QUANTA VIS, IN HOC CHRISTI VERBO, Tibi dico?

VIs ſanè altior, vis planè divina, & qualis in Deo, jam inde à mundi cunis; imò & ante mundi cunas:

Gen. c. 1. v. 9. *Dixit enim Deus, & factum eſt.*

Brevis ſermo, inquit D. Ambroſius; *ſed vehementer & latè patens.* Profectò tam latè, quàm ipſa mundi fabrica.

Dixit Deus, fiat lux, & facta eſt.

verſ. 3. v. 6. 7. *Fiat firmamentum, & factum eſt.*

Fiant luminaria in firmamento Cœli, & facta ſunt.

Dicere Dei quàm potens. *Dixit Deus: Producant aquæ reptile animæ viventis, & volatile ſuper terram, & produxerunt.*

Dixit Deus producat terra animam viventem in genere ſuo, & jumenta, & reptilia, & producta ſunt.

Denique veluti pro coronide ſui operis. *Dixit Deus, faciamus hominem*, & factus eſt homo: ita Deo dicere fuit feciſſe: nec diſcrimen ullum, inter ejus opera, inter Cœlorum vaſtitatem & terræ punctum; inter elephantum, & muſcam: Ut enim D. Ambroſius, *Communem minimis & maximis naturam infudit Deus.* Lib. 5. Hexam. c. 2.

Eodem momento producitur balena, quo rana; ejuſdem vi operationis naſcitur balena, quo rana.

Non faſtidit in minimis, nec doluit natura parturiens delphinos, ſicut non doluit, cùm exiguos murices *produceret*: nec mirum, quia & hos, & illos verbo uno produxit: *Dixit, & facta ſunt.*

Quod Deo, hoc & Chriſto: dixit quoque his, & factum eſt; & ſicut dicere in Deo fuit & facere; ita & in Chriſto dixiſſe, fuit & feciſſe.

Et hoc ipſum eſt, quod tot ante ſæculis adpromiſerat Deus populo ſuo, cùm ſic ad illum.

Deuter. c. 18. v. 18. *Prophetam ſuſcitabo eis de medio fratrum ſuorum ſimilem tui, & ponam verba mea in ore ejus.*

Verba mea, quæ ſcilicet non alia ſunt quàm Dei; ſicque Chriſtus, ut Dei Filius, ut Deus, non alio loqueretur atque operaretur idiomate, quàm divino; imperando videlicet, & mandando.

Iis Leproſo dixit: *Mundare*. Paralytico: *Surge, Tolle grabatum tuum*. Adoleſcenti defuncto: *Tibi dico ſurge*. Lazaro mortuo & ſepulto: *Veni foras*. quæ omnia ſunt imperantis.

Prophetæ alii dixêre ſolitum illud ac vulgare: *Hæc dicit Dominus*, quia ut ſervi: At ipſe Chriſtus, ut Dominus, pro patria, proque divina dignitate,

Marc. c. 4. v. 39. dicebat Leproſo: *Volo, mundus eſto*. Mortuo, *tibi dico ſurge*.

Quod ægris, quod mortuis, hoc & ipſis elementis. Furit mare, increpat illud: flant venti, & pro ſua in hos poteſtate, ait: *Tace, obmuteſce*.

Denique (ne omnia conſecter) vel ipſis inferis, & inferni poteſtatibus, ſic imperat: Obſidebat miſellum hominem, totumque occupabat malus dæmon, ei primò comminatur, dein ſic imperat:

Marc. c. 1. v. 25. *Obmuteſce, & exi de homine. Obmuteſcit, & exit.*

Ita Chriſto hoc eſt Deo-Homini parent omnia, morbi omnes, mors ipſa, elementa, ipſique inferi.

Et ne abeam ab argumento mihi propoſito, paret Adoleſcens, qui defunctus efferebatur: at qua ratione? Acceſſit Chriſtus, non tam greſſu corporis, quàm miſerationis.

Tetigit loculum tactu, qui medicus ſit, qui ſanitatem, qui vitam afferre poſſit; tum ait: *Adoleſcens, tibi dico ſurge*.

Dicenti ſibi, hoc eſt imperanti, paret adoleſcens, paret & qui jacebat mortuus, paret etiam mors ipſa: ſurrexit itaque, reſedit, & cœpit loqui, & reddidit illum matri ſuæ. Et hæc eſt ſumma hiſtoriæ, quæ cùm in aperto ſit, & clara luce, ab ea deflectam ad mores, & à morte corporis gradum faciam ad eam, quæ eſt animi: ad hanc certè tranſivit Seraphicus Doctor, D. Bonaventura.

Dom. XV. poſt Pentec. Serm. 2. Huic, *defunctus* ille eſt peccator. *Effertur hic in trangreſſione mortali de gratia in culpam.*

Quod enim corpori eſt mors, hoc animæ eſt peccatum; quodque corpori eſt anima, hoc animæ eſt gratia: anima corpori dat vitam, ſed corporalem illam: gratia dat animæ vitam, ſed ſpiritalem. Moritur corpus dum privatur anima, moritur anima dum privatur gratia. Simili ratione, reſuſcitatur corpus, cùm ei redditur anima; reſuſcitatur anima cùm ei reſtituitur gratia.

Expendi poſſunt hæc omnia in tribus mortuis, puella, Adoleſcente, & Lazaro, quos à mortuis excitavit Salvator: & ita quidem, *ut puella in ſua ſuſcitatione dicatur, ſurrexiſſe. Adoleſcens ille, reſediſſe.* Serm. 4. *Lazarus verò, ligatus manus & pedes, prodiiſſe*: quod non vacat myſterio. In eo enim notantur tria genera hominum qui à letali peccato mortui ſunt, & qui deinde vitæ, id eſt gratiæ, redduntur, ſed aliter, atque aliter.

Serm. 1. Puella, quam *mortuam ſuſcitavit in domo*, refert peccatorem, qui ſola voluntate peccavit, eſtque mortuus ſpiritualiter, ſed in domo: adhuc enim latet interius, quia peccatum non prodiit exterius.

Serm. 4. Et hic *vivificatus continuò ſurgit*: tenuit enim manum ejus, & ſurrexit puella, nec opus fuit imperio, uti deinde in adoleſcente, nec clamore valido, uti poſtea in Lazaro.

Mortui tres à Chriſto reſuſcitati.

Ratio eſt, quia in ejuſmodi ſpiritali mortuo, *Parva remanet difficultas*: faciliùs enim à peccati morte excitatur peccator, qui intrinſecus, & ſola voluntate deliquit, & quidem recenter, & mora perexiqua in peccato, quàm is qui & extrinſecus offendit, & in eo moram fecit longiorem. Et hic, ut dixi, primus eſt mortuus.

Serm. 2. Alter eſt *Adoleſcens*, qui jam *venit extra portam*: Et hic exhibet hominem, qui opere peccavit, & ille *vivificatus ſedet*, quia etſi excitatus ſit à morte peccati, *adhuc* tamen in eo remanet quædam pronitas, atque inclinatio ad peccandum, à quo non exit, niſi dicto, atque imperio.

Serm. 4. Tertius eſt Lazarus, qui vocatur è ſepulchro, & hic oſtendit peccatorem, qui è mala conſuetudine, ceu *ſepulchro*, Dei voce, imò & clamore evocatus prodit: & hic licet vivificatus, adhuc tamen *ligatus* eſt, quia habet magnam pronitatem ad malum, & difficultatem ad bonum. Et iſta hactenus S. Bonaventura, cui non multum abſimilia edidit S. Gregorius Pont. Max. Juvat illum audire adhuc ſpirantem in ſcriptis: ſic inquit:

Moral. l. 4. c. 25. *Redemptor noſter puellam in domo, juvenem extra portam, in ſepulchro autem Lazarum ſuſcitavit.*

Hæc ubi extulit, ex ipſius hiſtoriæ fide, rebuſque geſtis: tum more ſuo, id eſt piè & doctè delabitur ad occultiora in iis myſteria, eaque ſic aperit, ut oſtendat in illis tria peccantium, id eſt mortuorum, genera.

Primum eſt in *Puella*, velut ſymbolo quodam primi à peccato mortui: de quo etiam ſic: *Adhuc quippe quaſi mortuus jacet in domo, qui latet in peccato.*

Secundum eſt in *Adoleſcente*, in quo velut in imagine depingitur ſecundus à peccato mortuus; de quo ſic: *Iam quaſi extra portam adducitur, cujus iniquitas uſque ad inverecundiam publicæ operationis aperitur.*

Tertium eſt in *Lazaro*, in quo velut in ſcena quadam muta exhibetur à peccato mortuus, & in eo longa conſuetudine quaſi ſepultus; de quo ita S. Pontif. *Sepultura verò aggere premitur, qui in perpetratione nequitiæ, etiam uſu conſuetudinis, preſſus gravatur.* Tract. 49.

Et ſic non redditur gratiæ, id eſt vitæ, niſi magna voce clamando, id eſt magna gratia vocando, ut annotat D. Auguſtinus, à quo redeo ad D. Bonaventuram, qui, ut aſſolet, à litterali abit ad myſticum ſenſum, aperitque qua ratione in tribus illis mortuis probata ſit vera ſuſcitatio; ſic enim de illa:

Suſcitatio puellæ probatur manducatione, Adoleſcentis locutione, Lazari ambulatione. In quibus IESVS, utpote Deus-Homo, oſtendit ſe omnis vitæ fuiſſe datorem.

Eſt enim in homine vita triplex: *Vegetativa, Senſitiva & Rationalis.* Vita triplex. Sive ea emanet ab anima vegetativa, ſenſitiva, & rationali, inter ſe diſtinctis, uti è Philoſophis nonnulli voluere; ſive (quod veroſimilius cenſeo) ab una, eademque anima, quæ virtute tribus illis æquivalet, & præſtat homini vegetationem, ſenſationem, & rationem.

Et hæ tres vitæ monſtrantur in ſuſcitatione trium illorum mortuorum, eorumque actibus.

In puella quidem in ipſa *manducatione*, quæ reſpicit actum vegetabilis, oſtendit ſe Chriſtus vitæ vegetativæ Dominum ac largitorem.

In Lazari *manducatione*, quæ eſt *actus ſenſibilis*, vitæ ſenſitivæ donatorem.

Denique in Adoleſcente, ipſa *locutio*, quæ eſt actus rationalis, vitæ quoque rationalis authorem ſe facit, & probat.

Et hæc ſunt arcana myſteria, quæ interprete D. Bonaventura in lucem educere voluit Incarnata Divini Verbi Sapientia, & quæ breviùs & clariùs Scripturæ Sacræ Interpretes ſic exponunt.

In Puella quaſi digito ſignantur ii, qui ex fragilitate aut infirmitate labuntur in peccatum: & hi vel minimo Chriſti quaſi contactu reſurgunt, uti & reſurrexit puella, ſimul atque Chriſtus *tenuit manus ejus*. Matth. c. 9. v. 25.

In Adoleſcente, notantur illi, qui ex pura putaque malitia peccant; & his ut reſurgant, opus eſt

quaſi

quaſi Chriſti imperio, & remedio validiore: hoc ſcilicet: *Tibi dico ſurge.*

In Lazaro denique demonſtrantur alii, quibus inolita atque inveterata peccandi conſuetudo callum quaſi obduxit, & divinorum ſenſum propè omnem abſtulit: & hi efficaciſſimâ Dei gratiâ & vocatione indigent, ut à peccati morte & tumulo excitentur: ut patet in Lazaro, ceu ſymbolo quodam, quem Chriſtus non revocavit ad vitam, non eduxit è ſepulchro, niſi in ſeipſo fremens, illacrymans, & clamans voce magnâ: *Lazare veni foras.*

Et hæc quaſi verbulo notaſſe ſatis erit, fuſa oratione meliùs explicabit ea, quæ erit in Eccleſiaſte, facundia, quam in eo dum ſuſpicio, & amo; ſimul etiam indicatum volo, & monitum, ut conſulat eas Quæſtiones, in quas calamum fuſiùs duxi Dominicâ XV. poſt Pentecoſten; cùm hoc ipſum Evangelium tractavi.

FERIA SEXTA
HEBDOMADÆ QUARTÆ QUADRAGESIMÆ.

DIvus Chryſologus, ſermone ut aſſolet aureo, diſcrimen ponit inter tres mortuos à Christo vitæ redditos: è quibus primus eſt puella, genere nobilis, ætate tenellula; utpote tantùm duodennis. Alter, eſt Adoleſcens, viduæ matris amor ac deliciæ. Poſtremus, eſt Lazarus, Marthæ ac Magdalenæ frater germanus. De hoc & illis ita S. Præſul Ravennas.

Suſcitaverat Dominus filiam Iairi Principis Synagogæ; ſed adhuc funere calente, Serm. 36.
corpore adhuc præſente, adhuc inter homines, homine morante, adhuc viante ſpiritu, adhuc anima clauſtra tartari neſciente. Ubi hæc de puella, tum iſta de Adoleſcente.

Suſcitavit & unicum matris; ſed ſic ut retineret feretrum; ut anticiparet ſepulchrum, ut corruptionem ſuſpenderet, & præveniret fœtorem: ut ante mortuo vitam redderet, quàm tota mortuus jura mortis intraret. Poſtquam iſta de Adoleſcente reſuſcitato, tum alia de Lazaro.

Circa Lazarum, inquit, *quod geritur, totum ſingulare eſt, cujus mors, cujus reſurrectio commune nil habet cum prædictis, quem circa & vis tota mortis impleta eſt, & forma reſurrectionis plena reſplendet.* Et quia ita reſplendet, ut nuſquam magis; ſic de illa altiore aſſurgens cothurno.

Hoc ſignum videmus eſſe ſignorum, virtutum cernimus eſſe virtutem, mirabilium eſſe mirificentiam pervidemus.

Et quia ex verò ejuſmodi eſt, illius ſeriem modumque per alias atque alias Quæſtiones evolvemus.

QVÆSTIO PRIMA
LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Erat quidam languens Lazarus à Bethania, de Caſtello Mariæ & Marthæ ſororis ejus.* Joan. cap. 11. ℣. 1.

CVR SACER HISTORIOGRAPHVS CIRCVMSTANTIAS OMNES adeo accuratè notaverit?

Circumſtantiæ.

FActum illud eſt, non ſine Numine, ut illuſtrior evaderet totius Hiſtoriæ ſeries, & miraculi ſacra dignitas, ac majeſtas: in qua,

I. Nominis.

Prima circumſtantia eſt ipſius Nominis, nempe *Lazarus*, in quo bonum erat omen: *Lazarus* enim hebraïcè dicitur *Lazar*, hoc eſt ad adjuvandum, vel ad adjutorium, Dei ſcilicet, cujus unius fuit à morte jam ereptum è vivis, imò & ſepulchro reconditum, ad vitam, & lucis hujus uſuram revocare, quod longè maximum eſt *adjutorium*, & cui præſtando nulla creatura par eſſe poteſt; Creator ſit oportet. Et hæc de prima circumſtantia, quæ nominis fuit.

Secunda eſt Loci, videlicet à *Bethania*, Hebraicè ex *Beth Anio*, id eſt ex domo afflictionis, uti vertit Syrus, II. Loci.

Digitized by Google

Syrus: quæ enim alia eſſet domus, in qua infirmus jacebat, & jam morti proximus, adeóque Marthæ & Mariæ ſororibus ſummæ afflictioni: & hoc in oomme fuerat veluti malum omen.

Sermo. ad milites Templi, c. 13. Bonum illud, quod alii ſic vertunt, quaſi *Bethania* fueris idem ac *domus obedientia*: & ita intellexit D. Beroardus, cui nec *ſtudium bona actionis* in Martha, nec otium ſanctæ contemplationis in Magdaloa extra *Bethaniam*, hoc eſt extra *domum obedientia*, grata eſſe Chriſto potuerunt.

Denique Pagninus hanc vocem, *Bethania*, ſic explicat, ut idem fuerit ac *domus exauditionis*, quod præſagio fuit in ea exaudiendas ſorores, Martham, & Mariam, pro fratre Lazaro deprecantes, quam explicationem probavit eventus: Ad hanc circumſtantiam loci, qui fuit *Bethania*, ſive pagus, aut oppidum, accedit etiam hæc de *Caſtello*, quod ſanè innuit *Lazarum* fuiſſe divitem & nobilē, & primæ notæ illius oppidi, ut ſic diſtingueretur ab alio *Lazaro*, qui fuit médicus atque ulceroſus, & jacens ad exteroas Epulonis fores; pauper quidem mundo, ſed dives Deo.

III. Sororum. Tertia circumſtantia fuit à ſororibus, ut genere illuſtribus, ſic & virtute divitibus: *Martha* ſcilicet & *Magdalena*; Martha quidem, Chriſti hoſpita & *Magdalena* ejuſdem diſcipula, atque in Magiſtrum ſingulariter pia, ut quæ illius unxerit pedes, & capillis exterſerit, quod notat Evangeliſta veluti miraculum amoris, prodigium charitatis.

IV. Harum litterarum ad Chriſtum. Quarta circumſtantia fuit miſſio ſororum, & literæ tranſmiſſæ ad Chriſtum, hoc ſolo argumento: *Domine, ecce quem amas, infirmatur*, in quo ſanè panduntur inſignia quædam magnarum virtutum argumenta.

Primùm Amoris: ut enim aureè D. Chryſologus: *Sic dicentes, affectum pulſant, interpellant amorem, conveniunt charitatem, neceſſitudinem neceſſitudine geſtiunt ſubmonere.*

Alterum argumentum fuit modeſtiæ, & fiduciæ in Chriſtum ſingularis: ut enim D. Auguſtinus, atque ex eo Beda:

Non dixerunt, Veni: amanti enim tantùm nuntiandum fuit. Non auſa ſunt dicere, Veni & ſana: non auſa dicere, Ibi jube, & hic fiet: cur enim non & iſta?

Si fides Centurionis illius inde laudatur: ait enim, Domine non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum; ſed tantùm dic verbo, & ſanabitur puer meus.

Nihil horum iſta, ſed tantùm: Domine, ecce quem amas infirmatur; ſufficit ut noveris: non enim amas, & deſeris.

Hæ piæ ſorores ad Chriſtum, tacita quidem poſtulatione ſanitatis, ſed quæ juncta eſt cum inſigni modeſtia, atque in eum fiducia; imò & perfectiſſimæ reſignationis, ut quæ fratris incolumitatem, & vitam ſoli committant amori, nihil addentes ultra, quod oret, exoretque: ratæ amanti plus ſatis, quòd noverit.

V. Mora in Chriſto. Et hæc de quarta Circumſtantia: accedit quinta, quæ poſita eſt in ea Chriſti mora: ut enim audivit infirmari *Lazarum*, manſit in eodem loco duobus diebus, cujus rationem hanc affert D. Chryſologus.

Sed Chriſtus, cui plus eſt mortem vincere, quàm removere languorem: cujus amare illud eſt, noruit dilectum alieret; ſed ab inferis ut educat, dilecto non languoris medicinam, ſed reſurrectionis gloriam mox paravit.

Prius tamen dat locum morti: licentiam dat ſepulchro, corruptioni poſſe permittit, negat nil putredini, nil fœtori, atque ut tartarus rapiat, trahat, habeat, admittit.

VI. Chriſti gaudium. Sexta circumſtantia hæc fuit, quod tantùm in loco, expectatione mortis reſidet, ut & mortuum ipſe nuntiet, ſimul & enatum inde ſibi gaudium: ſic enim ad Diſcipulos: *Lazarus mortuus eſt, & gaudeo.*

Et hoc eſt amaſſe, inquit Chryſologus: *gaudebat enim Chriſtus, quia mortor mortis vertendus mox erat reſurrectionis in gaudium.*

Porro gaudium illud, non propter Chriſtum dumtaxat fuit; ſed etiam propter Diſcipulos: quia ſcilicet *in morte, & reſurrectione Lazari, figura tota mortis & reſurrectionis Dominica pingebatur: & quod erat ſecuturum mox in Domino, jam præcedebat in ſervo; firmabatq; in Diſcipulis fidem, poſſe Dominum poſt triduum adhuc recentem ſurgere, cùm ſervum vidiſſent poſt quadriduanum ſurgere jam fœtentem, & crederent illum facilè poſſe ſibi vitam reddere, qui alium taliter revocárat ad vitam.*

Et hinc dictum illud à Chriſto: gaudeo propter vos, ut credatis.

Hæc ubi extulit S. Præſul, tum infert iſtud.

Neceſſe ergo erat, ut & mors Lazari cum Lazaro, & Diſcipulorum fides conſurgeret cum ſepulto.

Chriſtus enim pro ea, qua pollebat ſcientia, & infuſa, & beatifica, & divina, noverat diſcipulos ſuos ita opprimendos eſſe ipſo pondere paſſionis, ut nihil in eis ex vita, nihil in eis ex fide, nihil in eis remanere poſſet ex luce, ſed tota pœnè perfidiæ nocte fuſcandos: & ideo mortem Lazari, uſque ad quadriduanum tempus protendis, & uſque ad fœtorem prævalere permittit, ut diſcipuli dubium non haberent, poſſe ſe ab inferis excitare, qui alium prius excitaſſet.

Septima circumſtantia fuit ipſa Chriſti abſentia, de qua & gaudere ſe aſſeruit Chriſtus: Quoniam, inquit, *non eram ibi. Hoc eſt in morte, in ſepulchro, in inferno, ubi per me, & meam mortem poteſtas mortis tota eſt ſubruenda.* Non eram ibi ut homo, eram tamen ut Deus: ut homo locum dedi morti, ut Deus dabo vitæ lucem, & reſurrectionem. Et verò perrexit, ut daret: quod ut audivit Martha, occurrit illi, & ſic ad eum: VII. Abſentia Chriſti.

Domine ſi fuiſſes hic frater meus non fuiſſet mortuus. VIII. Marthæ oratio.

O mulier, inquit Chryſologus, *& Deum confiteris, & dicis. Si hic fuiſſet? Deum nec abſentant loca, nec tempora repræſentant. Credulitatem tuam incredulitas confundit.* Addit tamen, *ſed & nunc ſcio, quia quæcumque popoſceris à Deo, dabit tibi Deus.*

O mulier hoc credere, non eſt credere, hoc ſcire, neſcire eſt. Deus enim ex ſe dat, non à ſe petit. *In hoc dandi poteſtas eſt, non neceſſitas eſt rogantis; & quia poteſtas, hac illi Dominus.*

Reſurget frater tuus: tum iſta mulier: *Scio quia reſurget in reſurrectione in noviſſimo die.*

Martha iterum ſcis quod neſcis, ſcis quia in noviſſimo die poſſit reſurgere frater tuus; ſed quod & hic poſſit, neſcis: an fortè Deus qui tunc poteſt ſuſcitare omnes, unum modò mortuum non poteſt ſuſcitare? Poteſt, poteſt Deus ſuſcitare, ad temporale ſignum, mortuum unum, qui tunc omnes mortuos ad vitam perpetem ſuſcitabit.

Martha ante te eſt reſurrectio quam tam longè mittis.

Ego ſum, inquit, *reſurrectio. Quid eſt ego ſum reſurrectio? & non ego reſuſcito? Quid eſt? hoc nimirum, quia ſuſcepit hominem, ſuſcepit & mortem, ut qui reſuſcitat jubendò unum, reſurgendo in ſe, reſuſcitat omnes.* IX. Chriſti reſponſio.

Sed quid eſt, inquit D. Chryſologus, qui ad Lazarum venerat, quid ſic occupatur in Martha? quid? Ratio in oculis eſt, *ut ante iſta in fide ſurgeret, quàm ille reſuſcitaretur in carne.* Tantus erat ſalutis ardor, tanta & cura: *Non divertit ad ſepulchrum, non feſtinat ad Lazarum, ſed mulierem ſuſtinet: mulierem primam ſuſcipit, quam primam ſuaſor infecit; à muliere perfidiam fugat, ad mulierem revocat fidem, ut quæ fuit perditionis obſequium, ſalutis eadem ſit miniſtra, & ſit tandem per Deum viventium mater, quæ per diabolum diu mater extitit mortuorum.* Hactenus de Domini zelo Præſul Ravennas. Sed redeamus ad circumſtantias: in his erit Decima.

Quærit Salvator: *Ubi poſuiſtis eum?* Aiunt illi, *veni & vide.* Venit, & vidit, & lacrymatus eſt: X. Lacrymæ Chriſti.

ſed

ſed cur lacrymatus, quid eſt, qood *qui de mortuo gaudet*, ipſum cùm reſuſcitat tunc lamentatur, qui cùm amittit non flet, cùm recipit tunc deplorat: tunc fundit mortales lacrymas, vitæ ſpiritum cùm refundit: Cur ita?

Hsbet hoc *natura* corporis humani, ut producat lacrymas vis gaudii, vis mœroris: quoties enim viſcera aut lætitiæ aut triſtitiæ nimio jactantur impulſu, oculi in lacrymas mox erumpunt, & ita erupetunt in Chriſto; triſtitiæ quidem, ob *Lazari mortem*; lætitiæ verò ob ejus à morte ad vitam ſuſcitationem.

Quod autem etiam tunc ſpiritu fremit, & tota ſe viſcerum commotione conturbat, eſt, quia adhuc ſolum Lazarum, & non jam omnes mortuos ſuſcitabat.

XI Chriſti turbatio. Et hinc lacrymæ, hinc & turbatio, cujus cauſas alias atque alias ſubjicit, ſermone, ut ſolet, aureo.

Fremit Chriſtus, inquit, *ut caro reviviſcat; fremit vita, ut mors fugetur; fremit Deus, ut reſurgat homo; fremit indulgentia, ne ſententia contradicat; fremit Chriſtus debellans mortem, quia non poteſt non fremere, qui ſingularem rapit de hoſte victoriam; fremit denique etiam rurſum, quia voce Chriſti, ſicut mortui corpore de ſepulchris ſuſcitantur ad vitam, perfidiâ mortui ad vitam fidei ſic reſurgunt.*

Tranſco ad alias circumſtantias, quas inter etiam hæc, quando ait JESUS: *Tollite lapidem.* Quid eſt quod inter divinas virtutes, humanum Chriſtus requirat auxilium? Non ſufficit amovere lapidem, qui mortem ſufficit effugare? Sepulchri clauſtra reſerare non valet, qui portas tartari prævalet aperire?

Hanc ſibi quæſtionem movet D. Chryſologus, & ſic reſpondet, *Tollite lapidem*, hoc eſt: *Tollite miſeræ humanitatis obſequium, ut Divinitatis beata opera nunc clareſcant. Tollite lapidem, quem poſuiſtis vos, & hominem quem ego poſui nunc reponam.*

Hæc Chriſtus Marthæ, quæ D. Chryſologus vult transferri ad Judæos, qui præſentes aderant, quaſi ad illos diceret Chriſtus: *Tollite lapidem*, & ſic præciperet, *ut ex ſe cor lapideum tollant, evolvant perfidiæ ſaxum, ſilicem duræ incredulitatis excludant, quatenus anima per infidelitatem mortua de ſepulchro pectoris proſiliret, & non tantum ſurrexiſſe Lazarum, quantum ſe Lazaro conſurrexiſſe gauderent.*

Quod ad Judæos olim tacitè Chriſtus, hoc ad peccatores in malo obduratos: *Tollite lapidem*, tollite cor lapideum, & aſſumite cor carneum, cor molle atque ſubactum ad divinas voces, ad occultas inſpirationes, ad Cœli minas & tonitrua. Tollite lapidem, ut in vos quoq; cadat illud Dei indolgentis:

Ezech. c. 11. *Auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum.* Sed inſtitutum proſequamur, veniamusque ad aliam circumſtantiam, quam explicat Martha,

XII. Fœtor à Lazaro. dum ſic ad JESUM: *Domine jam fœtet.* Quibus Marthæ verbis D. Chryſologo interprete, ſic ad *Ævam*, generis noſtri parentem, JESUS: *Modo ad te pertinet, quod à te venit: ad ſepulchrum non ſentires fœtorem, ſi in paradiſo noluiſſes audire ſuaſorem.*

Nimium pluſquam verum eſt. *Jam fœtet; ſed quod perditori fœtet, non fœtet creatori; & quod horret alieni operis everſor, amator ſui operis, non abhorret.*

Sed dicendo ſic, teſtaris mortem, quam tu mulier intuliſti, fœtorem clamas, ut plena mors audientibus innoteſcat; quatenus quod reſurget Lazarus, redeuntis ſit ſpiritus, non latentis; Divinæ virtutis ſit, non ſit artis humanæ: ſed deſcendo ad aliam quoque circumſtantiam, quæ eſt temporis, XIII. Quatriduano.
notaturque hac vocula, *Quadriduanus eſt.* dicit & tempus, ut ſciant, *quia auctor eſt temporum, cui tempora nulla præſcribunt.*

Dicit tempus, *ut exaggeret deſperationem, ut qui adſunt, videant, quia Deus eſt, qui ſic vitam mortuis, deſperatis ſalutem, fœtentibus dat vigorem.*

Quomodo autem dederit, videamus, atque excutiamus eas quæ adhuc ſuperſunt circumſtantias; ex eis erit numero decima quinta, videlicet ejus ad patrem oratio

De hac ita Sacer hiſtoriographus. Sublató jam ſepulchrali lapide, elevatis ſurſom oculis dixit.

Pater gratias ago tibi quoniam audiſti me. XIV. Oratio Chriſti ad Patrem.

Elevat oculos ſurſum, ut nobis formam ſupplicandi tribuat, non ſibi viam præparet impetrandi: nec enim illi ea opus erat via, cùm ipſe ſemper ſurſum eſſet cum patre. & ſemper pater in ipſo.

Igitur, *pater*, inquit, *gratias ago tibi, quia me audiſti.* De præſtito agit gratias, & quod pater audierit, dicitur; quod filius petierit, hoc tacetur: & benè.

Quia inter patrem & filium audiendi eſt affectio, non eſt neceſſitas ſupplicandi. Charitas aſſenſus eſt, non eſt auſteritas juſſionis: ibi amore geruntur omnia, ubi non indigetur obſequio, & qui de ſuo petit, quod petit, non neceſſitatis eſt, *ſed* amoris; amoris, inqnam, cui cedunt omnia, & ſuperi, & inferi.

Quid igitur, *cœpit inferi pulſare fores, portas tartari ſubmovere, januas aperire mortis, gehennæ ſolvere legem vetuſtam, deturbare antiquiſſimum jus pœnarum, repoſcere Lazari animam, ab inferis viam reditus innovare.*

At quo modo? quave lege? non alia quàm imperio: XV. Imperium.
audio enim inclamat: *Lazare veni foras.*

Deo dignum, & Regium imperium eſt, inquit Cyrillus; addo ego & divinum.

Quid hic tartarus? *ligatis manibus, & pedibus Lazarum retulit ad ſuperna, timens & tremens, ne dum ſolvit, ne dum moras facit, ne dum tardius refert unum, omnes cogeretur afferre.* Sic factus eſt vivorum relator, *qui raptor eſſe conſueverat mortuorum.* Hactenus D. Chryſologus, quo cum finio. Plura ſi voles, AMICE LECTOR: vide quæ fuſiùs Serm. 63. 64. 65.

QUÆSTIO SECUNDA
MORALIS.
Ad illa verba: *Miſerunt ſorores ejus ad eum, ſcilicet IESVM.* ℣. 3.
CVR MISERVNT, CVR NON IVERVNT?

DUPLEX hic mihi injicitur quæſtio: Una, cur ſorores illæ de fratris invaletudine, atque enato ex ea vitæ periculo, ſollicitæ miſerint ad JESUM? Cur miſerunt ad JESUM.
Altera, cur non iverint ipſæ?

Ad priorem, ratio petetur ex ipſo Sapientis effato, quod ad tria capita reducitur: Primum eſt, ut in infirmitate quacumqoe recurratur ad Deum, veluti ſoſpitatorem: Secundum, ut conſcientia expurgetur à delicto, quod ſubinde & ſæpius eſt cauſa atque origo morbi: Tertium & poſtremum, ut accerſatur medicus.

Sapientis oraculum eſt ejuſmodi: *Fili, in tua infirmitate ne deſpicias teipſum*, ex enim vitæ cuſtos, Eccli. c. 38. v. 9.

verſ. 10. eſi non Dominus. Tom, *Ora Dominum, & ipſe curabit te:* eſt enim author & ſanitatis & vitæ.
verſ. 11. Tum, *ab omni delicto munda cor tuum:* fit enim plerumque ut ſordes animi evadant in corpus, & ſi ſordeſcat animus à peccato, ſordeſcet & corpus à morbo. Denique, *da locum medico: etenim illum Dominus creavit.* Et hic eſt in curanda valetudine ſervandus ordo.

Et cum ſervavit Ezechias ſuo bono.

Iſay. c. 38. Inciderat in morbum, & quidem letalem; imò & audierat ab Iſaia Vate funeſtum iſtud ac fatale:
verſ. 4. *Hæc dicit Dominus: Diſpone domui tuæ, quia morieris tu, & non vives.* Quid inde? *& convertit faciem ſuam ad parietem, & oravit ad Dominum.*

Ezechiæ Regis morbus.

Hæc prima illi cura, convertit faciem ſuam ad Templi parietem, vel quia hic Palatio regio adjacebat, vel ne lacrymas ſibi aſſidentibus oſtentare videretur, uti opinatur D. Hieronymus:
verſ. 3. *Et flevit fletu magno,* & lacrymas vidit indulgens Numen, & ſupplicis orationem exaudivit, atque ad annos, quos illi deſcripſerat natura, adjecit etiam quindecim annos.

Morbi recurſus quis?

Tanti refert è primo quaſi morbi limine ad Deum recurriſſe, à quo & audit fortunatum iſtud:

verſ. 5. *Audivi orationem tuam, & vidi lacrymas tuas: Ecce ego adjiciam ſuper dies tuos quindecim annos;* & quidem in ſumma ſoſpitate.

Ochoziæ Regis morbus.

Non ſic *Ochozias* Rex impius: ceciderat ille per cancellos cœnaculi ſui, & ex illo lapſu ægrotarat, miſeratque nuntios, dicens ad eos:

4. Reg. c. 1. v. 2. *Ite, conſulite Beelzebub, Deum Accaron, utrum vivere poſſim de infirmitate mea hac?*

Nuntiis occurrit *Elias*; & ſic ad illos: *Ite & revertimini ad Regem qui miſit vos, & dicetis ei: Hæc dicit Dominus: Nunquid quia non erat Deus in Iſraël,*
verſ. 6. *mittis ut conſulatur Beelzebub, Deus Accaron. Idcirco de lectulo, ſuper quem aſcendiſti, non deſcendes; ſed morte morieris.* Et verò mortuus eſt, quia nec Deum conſuluit de ſua invaletudine, nec ad Deum recurrit pro remedio.

Aſa Regis morbus, & mors.

Quod *Ochozia*, hoc & *Aſa*, Regi aliàs pio & ſancto. *Ægrotavit ille anno trigeſimo-nono Regni ſui, dolore pedum vehementiſſimo, & nec in infirmitate ſua quæſivit Dominum; ſed magis in medicorum arte confiſus eſt.*

Lib. 2. Paralip. c. 16. v. 12. 13. Quid deinde? *Dormivitq́ue cum patribus ſuis, & mortuus eſt anno quadrageſimo-primo Regni ſui.*

De Rege *Ochozia*, quod Cœlo vindice mortuus ſit, vel ex eo, quod in morbo ſuo conſuluerit Beelzebub deum Accaron, non adeò mirum, quia in eo etiam ſacrilegii reus fuit, ut qui falſum deum & idolum conſuluerit, relicto vivo & vero Deo, qui erat in Iſraël.

Morbi recurſus quis eſſe debeat?

At de *Aſa* Rege, mirum fortaſſe cuiquam videbitur: Ecquid enim, an tantum ſcelus in eo fuit, in infirmitate ſua non quæſiviſſe Dominum? ſed in medicorum arte confiſum fuiſſe? Fuit enimverò in eo culpa, nec levis, quia & natura, & ratio, & fides ipſa docet, in morbis, primò ad Deum recurrendum eſſe, tanquam ad ſoſpitatorem noſtrum, ad ſanitatis authorem, ad Dominum vitæ & mortis: Et quia non ſic recurrit Rex *Aſa*, juſto Dei judicio, & obdormivit, & mortuus eſt, ſuſque morte poſteris & documento & exemplo fuit, quid primò in infirmitate quærendum, quid ſecundò. Primò Deum, ſecundò medicum: Primò in Deo ſpem reponendam, deinde in medico: quæ obſervatio ut iret ad poſteros, providit Rex *Ezechias*, facinore, ſuſuque non minus pio, quàm mirabili, & fors etiam dolendo, cujus mentio fit in Proverbiis, & cujus meminiſſe juvabit: facit enim ad inſtitutum noſtrum: Sic de illo Sacræ Paginæ.

Cap. 25. v. 1. Hæ quoque Parabolæ Salomonis, quas tranſtulerunt viri Ezechiæ Regis Juda editio Romana. *Hæ ſunt Proverbia Salomonis diſcreta, quæ ſcripſerunt amici Ezechiæ Regis.* *Ezechias*, utpote pietatis amans, & eorum ſacrarum ſtudioſus in paucis, viris ſuis, id eſt officialibus, & iis quidem vel maximè peritis ac prudentibus, illud dedit in mandatis, ut libros ſacros, ac præſertim Salomonis, integros, puroſque conquirerent, tranſcriberent, & ſuo quemque loco atque ordine dirigerent.

Salomonis libri à quo deſcripti.

Hos inter facilè Princeps fuit *Sobia*, qui *Ezechiæ* Regi ab epiſtolis erat & ſecretis, aliique ejuſdem genii, doctrinâ ac prudentiâ illuſtres, quibus ea demandata fuit cura.

Erant autem Salomonis ſcripta, ea ferè de quibus in faſtis Regum.

3. Reg. v. 32, 33. *Locutus eſt Salomon tria millia Parabolas, & fuerunt carmina ejus quinque & mille. Et diſputavit ſuper lignis, à Cedro, quæ eſt in Libano, uſque ad Hyſſopum, quæ egreditur de pariete, & diſſeruit de jumentis, & volucribus, & reptilibus, & piſcibus,* de quibus luculentiùs ipſemet: ſic enim de Deo Sapientiæ fonte atque origine:

Sap. c. 7. v. 17. & ſeq. *Ipſe dedit mihi eorum, quæ ſunt ſcientiam veram, ut ſciam diſpoſitionem orbis terrarum, & virtutes elementorum, initium & conſummationem, & medietatem temporum, viciſſitudinum permutationes, & commutationes temporum; anni curſus, & ſtellarum diſpoſitiones; naturas animalium, & iras beſtiarum; vim ventorum, differentias virgultorum, & virtutes radicum, & quæcumque ſunt abſconſa, & improviſa didici. Omnium enim artifex docuit me Sapientia.*

Hæc Sapiens, divinorum in ſe beneficiorum præco luculentus, de hauſta divinitus rerum omnium cognitione, quam fideliter excepêre illius Amanuenſes, & fideliſſimè reddidêre, quæ deinde tranſmiſſa ad poſteros, viſa ſunt & perlecta, ad uſque *Ezechiam* Regem.

Cur, & unde perierint plurimi.

Hic (ut veroſimile eſt) ſecretiore Dei inſtinctu, omnia Salomonis opera diligentiſſimè conquiri & colligi curavit; tum inter hæc & illa diſcerni, & quædam ex iis ſervari poſteris, quæ ſcilicet communi bono atque utilitati, & Eccleſiæ ædificationi ſervire poſſe videbantur; alia verò quæ ſecus, ſecerni, ac deinde comburi, ne poſteritas inde plus hauriret curioſitatis, quàm emolumenti ſpiritualis; plus ſcientiæ, quàm bonitatis; plus vitii, quàm virtutis. Ita S. Athanaſius Epiſcopus Nycænus in Libro Quæſtionum in Sacram Scripturam, Quæſtione 59 quæ habetur in Bibliotheca Patrum Tomo I. Qui pro eadem ſua ſententia citat Euſebium Pamphili in antiquitatis hiſtoria, quam publico dedit, in qua etiam habet hæc verba.

Libros autem Salomonis Proverbiorum, & Carminum nomine, in quibus de natura plantarum omniumq́ue generis animalium, quæ in terra, & aëre verſantur, de ipſis etiam adverſus morbos remediis, diſſeruerat, ea de cauſa ſuſtulit Ezechias, quod morborum ſanationem ad ea referret populus, & nihil faceret à Deo petere curationem.

D. Athanaſio conſentit B. Hippolitus, & huic etiam Abulenſis in Lib. 3. Regum, cap. 4. qu. 8. in qua hæc paucis.

Cornel. in c. 25. Prov. v. 1. *De Parabolis & Carminibus Salomonis fortè ſic ſe res habebat, ut magis eſſent curioſa, & oſtentantia ingenii, quàm utilia. Idem dicendum eſt de diſputationibus Salomonis, de arboribus, de volucribus, de piſcibus & jumentis, quæ non fuerunt tranſcripta in Canonem, quòd purè pertinerent ad Philoſophiam Naturalem, quæ directè ad mores non prodeſt.* Hactenus Abulenſis.

His ita conſtitutis ex Patrum authoritate, & Hiſtoriæ fide, quæri poteſt cur Rex *Ezechias*, Salomonis, ſui quondam in Regno prædeceſſoris, opera ſic juſſerit ſecerni, & quædam ex iis ſupprimi, ne tranſirent ad poſteros: eáque potiſſimùm quæ de naturis rerum propè omnium, de vi & occulta virtute ſingularum, de arte medica, de morborum remediis, aliiſque quæ naturæ author Deus illis indiderat, & Salomoni revelarat (privilegio prorſus ſingulari) & à ſæcu-

& à ſæculis inaudito, à quo & nomen ſapientis obtinuit.

Cur, inquam, Rex aliàs bonus, & Dei reverens, & Salomonis obſervans, ea aut deleri, aut flammis tradi voluerit, non ſine aliqua, ut videtur, poſteritatis injuria; imò & naturæ contumelia, cujus occulta in aperto poni, & proficuum erat mortalibus, erat & ipſis glorioſum. Quid enim prodeſt cujuſque naturæ indita virtus, ſi ea latet?

Accedit, quod eruı jam debeat, ſtudio multo, labore multo, aut longâ ſæculorum experientiâ, quæ ſubinde etiam fallit: non feſelliſſet in iis, quæ magiſtra Dei Sapientia Salomoni, ceu diſcipulo ſuo, tradiderat.

Cur ergo non ſervata ſunt illa, & fideliter ad poſteros tranſmiſſa?

Rationes non paucas jam attigi, è quibus hæc fuit potiſſima, & meo inſtituto conveniens, quòd ea naturæ ſecreta, arcanæque illius virtutes, jam publico donatæ ita raperent mortalium animos, ita eorum ſtudia detinerent, ut dum iis addiſcendis incumberent toti, nec oculos, nec animos, in authorem Deum tollerent, nec ejus auxilium, aut opem implorarent; sedum expectarent, maximè cùm eos aliqua corporis infirmitas occupaſſet.

Exemplum fuit in *Aſa* Rege, qui in ea nec Dominum quæſivit, nec in eo confiſus eſt, ſed in arte medica ſpem omnem repoſuit ſuam, non ſine Dei Authoris ſui & Sospitatoris injuria atque contemptu, cujus exemplum ſecutus deinde populus, qui ſui Regis eſt velut umbra, aut ſimia: ne porro in ætates longè conſequentes id faceret; Ezechiæ Regi viſum eſt opportunum, ea poſteritati ſubtrahere, ut ſubtraheretur nimia illa atque inſolens in medicis fiducia, ſicque & viri Principes, & plebs infima à terrenis ad cœleſtia, ab humanis ad divina transferretur, ſpemque ſuam in quavis infirmitate in Dei ſui auxilio collocaret.

Et ita collocarunt piæ illæ Lazari ſorores, *Maria* & *Martha*; quæ primùm ad Chriſtum *miſerunt*, amantis, & ſimul etiam reverentis iſtud:

II. Quæſt. Cur non iverunt?

Domine, ecce quem amas infirmabatur.

At cur non iverunt ipſæ? certè res ea, qua de agebatur, id exigere videbatur: agebatur enim de fratris valetudine, déque vita.

Deinde ut irent ipſæmet, & lex urbanitatis urgebat, & ipſa in Chriſtum obſervantia ac reverentia, tum etiam Reguli & Centurionis exemplum adhuc recens, in quibus hic pro famulo, ille pro filio remedium morbo quæſiturus, adivit, nec famulos emiſit, quibus abundabat, nec litteras etiam ſupplices, quas exarare poterat.

Cur igitur id non fecere etiam optimæ ſorores, & fratris amantes, & Chriſti reverentes? D. Chryſoſtomo hæc probata ratio, quòd probè noſſent Chriſto magis placere eas accedere animo potius, quàm corpore, fide magis, quàm pedibus, fiducia magis, quàm lingua: illa enim efficaciùs ſuadet perſuadetque, quàm hæc, etſi foret diſertiſſima.

Deinde gravior infirmitas fratris erat, quàm ut ab eo abire poſſent, quàm ut abeſſe etiam diebus aliquot: Chriſtus enim aberat itinere bidui: tantùm enim intererat ex *Bethſabara*, in qua tum erat, in *Bethaniam* uſque, in quam non advenit, niſi jam mortuo, ſepulto, & quatriduano Lazaro.

Tum etiam, quia fratri ægro aſſiſtere, & neceſſitatis erat, & charitatis, quam indubiè præferri volebat Chriſtus illi urbanitatis officio; neceſſaria quippe præferenda liberis, etiam natura, Deóque judice.

Lazaro mortuo, & ſepulto cur advenit Chriſtus?

Denique minus erat decorum, ut puellæ honeſtæ & nobiles excurrerent ad tantum ſpatii & temporis: domi ſeſe continere, & ſexui conſentaneum magis, & modeſtiæ pudorique magis conſonum erat, & quod feciſſent præſentes, hoc & abſentes per litteras exequi poterant, maximè apud eum, apud quem melius loquebatur animus, quàm lingua, affectus melius, quàm ſenſus.

Certè neque virgines, neque etiam matronas convenit huc & illuc excurrere, ac vagari, etiam pietatis divinique cultus ſpecie: ſatius eſt eas manere domi, familiæ rebuſque domeſticis intendere, marito que placere, quàm circumcurſare ad hanc & illam ædem ſacram, & templorum terere limina, & in iis diutius morari, quàm ferat ratio, & natura rerum domeſticarum, & familiæ cura.

Virgines ne curſitent.

Laudatur à Sapiente mulier fortis vel ex eo, quòd *quæſivit lanam & linum, & digiti ejus apprehenderunt fuſum, & operata eſt conſilio manuum ſuarum.*

Proverb. c. 31. v. 13.

At ubi ſic operata? ubi linificio vacavit, & lanificio? ubi digiti rotarunt fuſum? profectò non alibi, quàm domi, atque in intimis penetralibus.

At rurſum *quomodo operata eſt conſilio manuum ſuarum?* an fortè in manibus eſt conſilium? eſt enimverò, eſt in manibus, & in earum labore prudentia, & prudens electio, quæ eſt conſilii, quia dum ſic operatur, & ſibi benè conſulit, & familiæ; ſibi, quia vitat otium; familiæ, quia ex linificio & lanificio domeſticis veſtes parat.

Domi ſe contineant & laborent.

Et hinc omni ævo commendatus & probatus in virginibus & matronis honeſtus ille & parabilis manuum labor. Ne ad profanos appellem, è ſacris Hieronymum audi, ſic ille inſtituens *Demetriadem* virginem.

Habeto lanam ſemper in manibus, vel staminis pollice fila deducito: & alibi ad Lætam de inſtitutione filiolæ

Diſcat & lanam facere, tenere colum, ponere in gremio calathum, rotare fuſum, ſtamina pollice ducere.

Sed cur hæc S. Doctor? non alio fine, quàm ut Virgines doceat, domi ſe continere, nec vagari foris, nec amare videri, & videre: & hoc enim, & illud periculo non vacat. Unde ille ipſe Sapiens acriùs invehitur in eas, quibus ut liberior eſt animus, ſic & pes vagus, & vix ullo conſiſtens loco, qualis fuit illius, de quo in Proverbiis. *Mulier garrula, & vaga, quietis impatiens, nec valens in domo conſiſtere pedibus ſuis. Nunc foris, nunc in plateis* domi rarius, aut nunquam: ſed ne longius, hæc attigiſſe ſit ſatis.

Proverb. c. 7. v. 10.

QVÆSTIO TERTIA
MORALIS.

Ad illa verba : *Domine, ecce quem amas infirmatur.* Joan. c.11. v.3.

AN ILLVD SATIS EST AMANTI?

Epiſt. 61.

DIvus Hieronymus contra errores Joannis Hieroſolymitani, aiebat, ejuſdem eloquentiæ eſſe, & pauca multis, & multa paucis verbis poſſe dicere; imò & ſummæ eſſe eloquentiæ. Quod ſi ita eſt (uti & reipſa) dicendum pias illas ſorores ſummæ fuiſſe eloquentiæ, ut quæ pauculis verbis, *Domine ecce quem amas infirmatur*, & multa, & magna complexæ ſunt.

Explicatio thematis.

Primum in hac voce, *Domine*, & Dominum agnoſcunt Univerſi, ut qui antonomaſticè dicatur & ſit Dominus, quod in ſororibus illis altiſſimæ fidei fuit: Deinde in eo, *Ecce quem amas*, exponunt motivum longè potentiſſimum, ad obtinendam à Domino Lazari ſanitatem; motivum, inquam, amoris, quod eſt inſtar omnium. Denique in hac una vocula, *infirmatur*, aperiunt quod erat neceſſitatis, & quidem ſummæ, cùm infirmitas ea pelli non potuerit niſi à Domino. Ecce multa, ecce magna pauculis voculis expreſſa, quod ſummæ eloquentiæ fuit.

Sed, ô bonæ ſorores! ô *Maria!* ô *Martha!* Si Chriſtum Dominum creditis, ſi Deum agnoſcitis, ſi ſoſpitatorem ſcitis, ſcitis enimverò etiam illud, ſcire, quod Lazarus, quòd frater veſter infirmetur.

Ad quid ergo illi ſcribere, quod infirmetur?

Audio reſpondebunt illæ, ſcimus certè, ſcimus, quod ex ſe, & à ſe ſciat: ſed ſcimus etiam quod à nobis quoque ſcire deſideret, atque expectet: hinc illi ſcribimus,

Ejus Rationes.

Ecce quem amas infirmatur.

Amori quid ſatis? ſcire.

Ita eſt, Deus ipſe, etſi omnia ſciat, tamen à miſeris mortalibus ſcire vult, quid infirmitatis, quid ſit anguſtiarum, quibus arctamur, & premimur. Et hoc probè norunt excelſæ in terris animæ, quibus in Deum eſt fides, ac fiducia.

Sennacherib Hieroſolymam obſidet.

Rex *Sennacherib* Jeroſolymam arctè cinxerat, cinxerat & in ea *Ezechiam* Regem, imò litteras ad eum dederat, plenas minarũ, plenas & blaſphemiarum, quibus inſtabat, ut urbem & ſe dederet ejus poteſtati; ni faceret, ferrum intentabat & ignes.

Quid hic Rex pius? Litteras accipit, in templum ſe recipit, litteras aperit, Deoque legendas exhibet, & divinis ſubjicit oculis:

Aſcendit in Domum Domini, & expandit litteras coram Domino. atque ſic illi: *Aperi oculos tuos, & vide.*

Sed cur ita, Rex ſanctiſſime? An ergo Dei oculi clauſi ſunt? an non aperti ad omnia? Aperti profectò, atque etiam omnia illis aperta. Quid ergo illud? *Aperi oculos tuos, & vide.*

Verùm ut illud ſciret *Ezechias*, at ſciebat etiam hoc, quod Deus à ſe litteras exhiberi vellet, & à ſe legi poſtulari, & hoc neque inſolens, neque novum eſſe.

Pſal. 118. Sciebat & illud Davidis ad Deum: *Vide humilitatem meam, & eripe me.*

Quod ſciebat *Ezechias*, ſciebant & optimæ ſorores, ideoque & litteras ad eum miſerunt hujus argumenti: *Ecce, quem amas infirmatur*, non quòd crederent Chriſtum illud latere; ſed quòd noſſent gratum accidere, quod illud ipſum etiam per litteras nuntiarent, & gratius, quòd levari ab ea infirmitate tacitè poſtularent.

Sed cur addunt iſtud, *quem amas?* Cur non dicunt, qui te amat? qui totus tuus eſt? qui tuum ſi pateris mancipium? Nihil horum. Cur ita? Pudor vetat, modeſtia prohibet, reverentia non patitur. Unum illud, *Quem amas*, & hoc inſtar omnium: quæ ratio? Petetur illa ex amore Chriſti in *Lazarum*, cujus conſciæ illius ſorores, dum dicunt, dum ſcribunt, *Quem amas.*

Chryſol. ſuprà.

Pulſant illius *affectum*, ceu mendicus divitis fores; *interpellant amorem*, qui moras nectebat; *conveniunt Charitatem*, ad cujus veluti tribunal evocant vel ipſum Chriſtum. Quæ cauſa?

Opuſc. de Charit. c.1.

Hæc prima & potiſſima, quòd *amor* Chriſti eſſet *omnipotens.* D. Bernardus de amore pronuntiavit, quod *ipſam quodammodo omnipotentiam redderet omnipotentem.* Quod ſi verum eſt de amore hominum in Deum, multò magis Dei & Chriſti in homines: filioli ægrotantis lectulo aſſidet mater, eique & ſanitatem optat, & vitam longiorem, quia amat; at neque hanc, neque illam dare poteſt, etſi velit quàm maximè, quia ejus amor non eſt potens, multò minus omnipotens.

I. Amor Dei omnipotẽs.

Paupercula mater, paupercuIo filio opes vovet, & gazas regias, quibus paupertatis anguſtias laxet, quia amat: at neque has, neque illas donare poteſt; quia ultra votum nihil habet illius amor.

Abjecto filio vellet dignitates, Infulas, Sceptra, Coronas, quia amat; at neque has, neque illa concedere, quia præter jejunum velle, nihil habet illius amor.

Denique bona omnia filiolo ſuo ambit indulgens mater, ipſamque ſi voles Beatitatem, quia amat: at neque hanc, neque illa conferre poteſt, quia præter velle, nihil ei ſupereſt.

Uti & Chriſti.

Non ſic ut Chriſto, non ſic; quod cuipiam optat, hoc afferre poteſt, hoc & dare, & quidem hoc ſolo, quia amat: amare enim illius, eſt poſſe, eſt velle, eſt facere benè.

II. beneficiens

Et hinc altera ratio cur Lazari ſorores, & pro fratre ſollicitæ, & benè providæ, hoc unum ad Chriſtum: *Ecce quem amas*, quia amare, eſt amato benefacere: Amor enim *Pori & Peniæ*, hoc eſt *Abundantiæ & paupertatis filium*, & fecit, & dixit Plato: quem enim alium? A Matre habebat quod pauper eſſet, à Patre quod abundans. *Pauper*, quia in amati gratiam ſe bonis omnibus exuit: *Abundans*, quia potens & beneficus in amatum.

In Symp.

Fabella eſt, doctumque commentum, è quo tamen erui poteſt ea veritas. Chriſtus abundantiæ, & paupertatis filius fuit. A Matre, id eſt Virgine paupercula, habuit quod pauper eſſet in terris. A Patre, quod abundans in Cœlis; & quia abundans, etiam in amatum beneficus & liberalis, qualis etiam eſſe ſolet amor.

Act. c. 10. v. 38.

Et hæc fuit beneficentia, quam ab ejus morte altè deprædicavit D. Petrus, cùm ſic de illo.

Qui pertranſiit benefaciendo, & ſanando omnes.

Ptolomæus Ægypti Rex dictus beneficiens

Ptolomæus Ægypti Rex ordine tertius, dici voluit *Evergetes*, id eſt, *Benefactor*, quòd ſibi proprium duceret ac ſingulare, omnibus benefacere, in quo

in quo fortè plus vanitatis, quàm veritatis fuit.

Potiori jure *Evergetes*, & nominari, & eſſe potuit ac debuit Chriſtus, ut qui ad inſtar Solis ſurgeret omnibus, illuceſceret omnibus, omnes incenderet, omnes recrearet: hinc ſi quis Judæorum inter mœſtus, ſi quis afflictus eſſet, id ſibi, & aliis dicere.

Eamus ad Filium Mariæ, & ipſe conſolabitur nos.

Serm 9. Conſolabitur enimverò, vel ſolo aſpectu, uti & Sol aſſolet: ut enim *S. Maximi* verbis utar. *Sicut Sol non expectat preces ut exoriatur; ſed illicò ſurgit, ac ſalutatur ab omnibus: ſic & Chriſtus non expectabat ut rogaretur; ſed ſponte conſerebat beneficia, & aquè ac Sol ambiebat benefaciendo & ſanando omnes*: cujus beneficentiæ teſtes cùm eſſent Lazari ſorores, hoc tantùm illi ſcribere: *Ecce, quem amas infirmatur*; noverant enim illud ejus amori proprium eſſe, benefacere, ideoque ad amorem dumtaxat appellant.

Beneficentia felicitatis comes. De beneficentia etiam hominum pronuntiavit iſtud D. Greg. Nyſſenus: *Hæc eſt felicitatis comes: Hæc aſſidet Deo, & magna eſt cum ipſo neceſſitudine conjuncta*: quæ de Chriſto etiam dicta velim: hæc enim illi aſſidebat, hæc cum illo magna neceſſitudine cōjuncta erat. Et hæc altera ratio, cui accedit tertia, ea ſcilicet, quòd in Chriſto eſſet amor, non ſolùm benefaciens, ſed & compatiens: cujus compaſſionis, aut indices, aut teſtes luculenti ſunt, gemitus, ſuſpiria & lacrymæ, quas ex oculis elicit, extruditque cor mœrens, & alteri alicui compatiens.

Mahometes Deum flere dixit, & ejus lacrymas ſtellas. Finxit Mahometes in ſuo Alcorano Deum quòtidie ſemel flere, ejuſque lacrymas eſſe eas ſtellas, quæ de Cœlo labuntur, aut labi videntur.

Commentum eſt ridiculum, quod non poteſt cadere niſi in Mahometem: Quis enim ignoret (qui modò Deum norit) lacrymari non poſſe, cùm ſit actus puriſſimus, ſejunctus ab omni materia: verùm ut Deus lacrymari non poſſit, at poteſt

III. Compatiēs *Deus-Homo*; & verò lacrymatus eſt non ſemel, & in hoc ipſo argumento, quod eſt in manibus, lacrymatus in morte Lazari, & quidem ex tenero quodam affectu, qualis ſolet eſſe in matre aut nutrice, in illius morte, quem aut genuit, aut lactavit.

Refert Rabbi Eliezer *Saram* audito ex Samsèle, malo utique dæmone, Patris manu unigenitum filium ſuum *Iſaacum* eſſe immolatum, & capite minutum, ex mœrore & compaſſione, ſubitò mortuam concidiſſe; ſed deinde vitæ redditam, de quo hîc non diſputo: ſit penes authorem fides. Aliud illi ſimile aſtruo, quod eſt extra litem, quia teſtem habuit, etiam oculatum, Reverendiſſimum Patrem Lanuza. — Sara an audita Iſaaci morte ſit mortua? — *Homil. 47. §. 4.*

Memorat ille mulierem Hiſpanam, cujus filius capite fuerat plexus, ubi ejuſdem caput per Judices diſſuaviari potuit, ſuper extinctos filii ſui oculos ſuos item morte clauſiſſe; tantùm potuit in matre, qui filio ſuo fuit compatiens amor. — Mater natione Hiſpana filio cōmortua.

Quod ſi in hominibus, quibus plerumque cor durum, & ſaxeum eſt, tantùm potuit amor: quid non potuit in Chriſto erga Lazarum, quem ſibi amicum dixit, & habuit, dum ita ad Diſcipulos: *Lazarus amicus noſter dormit*. Amicum vocat, quod fuit amantis, & mirum quantum amantis. — *Joan. c. 11. v. 11.*

Et quia hoc perſpectum erat *Mariæ & Marthæ*, hinc litteris ad eum, non alio argumento uſæ ſunt, quàm illo: *Domine, ecce quem amas infirmatur*: rebantur enim hoc amanti ſatis; infirmitas enim compatienti amori ſatis erat.

Dixit olim ex antiquis nonnemo: *Amor & neceſſitas omnibus imperant*: & ita imperaſſe quodammodo potuerunt ipſi Chriſto, qui in ſuos totus erat *Amor*; & in *Lazaro* ſumma *neceſſitas*, quæ mortis erat, à qua à nemine excitari potuit niſi à Chriſto.

QUÆSTIO QUARTA
MORALIS.
Ad illa verba: *Et lacrymatus eſt IESVS.* verſ. 35.
CVR LACRYMATVS?

EX Medicorum ſenſu in humano corde duo ſunt præcipui motus: Unus dicitur, & eſt *dilatatio* cordis, & hic gaudium parit ac lætitiam. Alter eſt *compreſſio* ejuſdem, & hic mœrorem ac triſtitiam generat: & hic & ille motus in Chriſti corde fuit, maximè verò *compreſſio*, & hinc ſæpius fleviſſe viſus in vita ſua, riſiſſe nunquam.

In cap. 1. Matth. Hom 6. *Flentem frequenter quidem illum invenias, nunquam verò ridentem, ſed ne leviter ſubridentem*, inquiebat D. Chryſoſtomus.

Cordi humano duo inſunt motus. Quod ſi verum eſt, fatendum in Chriſto ſæpiſſimè fuiſſe *compreſſionem* cordis, à qua lacrymæ; rarius verò, aut nunquam ejuſdem *dilatationem*, à qua & riſus: dum enim comprimitur cor, plerumque exprimuntur & lacrymæ; cùm autem dilatatur, effunditur riſus.

Mortuo Lazaro ac ſepulto, cùm Mariam plorantem vidiſſet Chriſtus & Judæos, qui cum ea venerant plorantes, *infremuit ſpiritu, & turbavit ſeipſum.*

Infremuit, indignatus ſcilicet, tum in mortem, ac diabolum, cujus invidia mors intravit in orbem terrarum, tantique luctus in Lazari funere occaſionem dederat, tum verò contra Judaïcam perfidiam infremuit & indignationis ſigna dedit, utpote propter quam Lazarum morti dederat, continuò ſuſcitandum.

Et turbavit ſeipſum: indignationis indicium fuit fremitus, commiſerationis ac triſtitiæ turbatio, quam ipſe liberè, & ſpontè elicuit ob lacrymas *Mariæ & Marthæ. Vnde & lacrymatus eſt*, non ſine amoris dolorisque miraculo.

Refert D. Auguſtinus mirabile & inſolens portentum, apud Comenſes in Italia cùm ſcilicet Apollinis ſtatua, lacrymari viſa eſt: nec immeritò. Apollo quippe idem eſt quod Sol: hunc autem, qui terræ ac cœli gaudium eſt, qui rebus omnibus nitorem, ſtellis etiam ipſis & lucem affert ac hilaritatem, & lugere quodammodo, & mœrore ſolvi, & in lacrymas effundi, næ profectò portentum eſt. — *Lib. 3. de Civit. c. 11.* — Apollinis ſtatua lacrymari viſa.

Riſit aliquando D. Irenæus, riſit & Tertullianus, quorumdam hæreticorum (qui tamen ſibi ſapere videbantur) opiniones ſanè abſurdas, & ridiculas, quas etiam inter, ea erat de ipſa mundi creatione, in qua & Deus ſuo operi illacrymatus eſt, hujuſque lacrymam, pro ipſa Dei magnitudine adeo magnam, adeo propè immenſam fuiſſe, ut ex ea formatum mare ſit, quantum quantum eſt, & quidem ſalſum, ex natura ſcilicet, & ſalſedine lacrymarum. — *Lib. 1. contr. Hæreſ. c. 1. Lib. 1. contra Valent.*

Deum orbi jam creato illacrymatum fabella eſt.

Figmenta ſunt illa, & deliria hæreticorum: at verum illud, & amoris prodigium: Deum Hominem lacrymatum eſſe, nec unam lacrymam dediſſe; ſed longè plurimas, è quibus longè lateque duci potuit oceanus, ſed oceanus Amoris, oceanus & doloris, cui neque littus dari poteſt, neque terminus: eſt enim immenſus, quà latitudine, quà profunditate, qualis ſcilicet & amor & dolor.

Ex ejus lacryma oceanus.

Huic porrò Oceano, ſeu doloris eſſe voles, ſeu amoris, bolidem adhibe tui intellectus, & ſcrutare illius profunditatem, ſcrutare & altitudinem. Deprehendetur & hæc, & illa in cauſis ſuis, quas è SS Patribus haurire mihi eſt animus: ſi tamen prius videro, quando, & quoties Chriſtus ſit lacrymatus.

Chriſtus ſæpè lacrymatus & quando.

Primò lacrymatus eſt cùm è vivis abiiſſet Lazarus, eſſetque ab illo revocandus ad vitam.

Flevit deinde, cùm in oculos veniſſet Jeroſolyma, ingens illa urbis moles, ac majeſtas, ſolo poſtea æquanda & cineri.

Flevit etiam in cœna, quæ illi cum Diſcipulis ſuis fuit ultima, cùm detegenda infamis Judæ proditio, tum enim illius atrocitate commotus, *turbatus eſt ſpiritu*, hoc eſt interprete D. Chryſoſtomo *lacrymatus eſt*.

Flevit in horto Gethſemani, & in atroci illa luctâ, in qua ſudori commixtæ lacrymæ.

Flevit denique altè confixus in Cruce, cùm ad Æternum Patrem & poſtremas ferè voces, & natantes in morte oculos erexit, & in hæc erupit: *Deus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me?*

Et qua lacrymarum copia.

Ecce ut in lacrymas exceſſit virorum fortiſſimus, mundi Servator, Deus-Homo; lacrymas dico, & quidem uberimas; credit enim Petrus Calentinus in ultima vitæ ac Paſſionis ſuæ ſcena, effudiſſe lacrymas ducentas ſupra ſexaginta duo millia: tanta à dolore in eo fuit compreſſio cordis, à qua & lacrymæ, de quibus illud Apoſtoli. *Preces, ſupplicationesq́; cum clamore valido, & lacrymis offerens.*

Heb. c. 5. v. 7.

Sed longius excedo in amarum illud lacrymarum mare: cedeo ad illas, quas mortuo, & ſepulto *Lazaro* dedit, & harum cauſas inquiro.

Prima fuit, eaque communis, ut teſtaretur humanæ naturæ quam aſſumpſerat veritatē; pro ea enim qua valebat ſcientia, tum infuſa, tum beata, præſciebat futurum, ut hæretici complures, quales *Marcioniſtæ*, & *Manichæi*, qui hinc attendentes naturæ divinæ præſtantiam ac beatitatem, & inde naturæ abjectioris, id eſt humanæ abjectionem, atque miſerias, dicturi erant dedecuiſſe, ut eam naturam aſſumeret, jungeretque ſibi in uno perſonæ nexu, ideoque ejus carnem, etſi oculis uſurparetur, non fuiſſe veram; ſed phantaſticam, ex aëre, aut cœleſti aliqua parte compactam: contra quod dogma, falſum & impium, detonavit D. Joannes, cùm extulit illud: *Et verbum Caro factum eſt.*

Manichæorum hæreſis.

Et in hanc de Chriſti lacrymis ſententiam venêre SS. Irenæus, Chryſoſtomus, Auguſtinus, Bernardus, cujus hæc verba: *Fuerunt lacrymæ illæ teſtes profectò naturæ, non diffidentiæ.* Irenæi verò ſunt iſta contra Marcionem hæreſiarcham. *Quid dicis cœleſtem carnem? quam? unde cœleſtem intelligas non habes? Eſurit ſub diabolo, ſitit ſub Samaritana, lacrymatus ſuper Lazarum, trepidat ad mortem, ſanguinem fundit*

Lib. 3. cont Hæreſ. c. 32.

Hom 62 in Ioan ſerm. 209.

Serm. 26. in Cant.

Secunda, quam etiam extulit D. Auguſtinus, eſt iſta, ut oſtenderet Deum non fuiſſe authorem mortis, nec ad illam cooperatum, nec in illa delectatum: non enim *de eo fleret, quod ipſe feciſſet.*

Lib contra Pelagium.

Tertia ſecundæ affinis eſt etiam D. Chryſoſtomi, probatque Chriſtum Lazaro mortuo illacrymatum, quòd in illius defuncti perſona, totam naturam humanam ſibi repræſentaret, & quidem ejuſmodi, quam liberam à morte creàrat, & jam videret à peccato morti ſubjectam, miſerabili ſanè, pudenda, & digna lacrymis cataſtrophe, cui indoluiſſe viſus eſt author ipſius naturæ Deus, vel in ipſis mundi cunis, cùm ſic ad Protoplaſten.

Homil de Lazaro.

Quartà cauſa.

Adam ubi es? Adam ubi es? quæ vox non ignorantiæ fuit ubi eſſet, ſed compaſſionis quò deveniſſet: quaſi diceret illi Deus: *Adam, Adam*, ubi illa ſpecies? illa pulchritudo, quam tibi indidam volui? ubi gratia, quâ te ornavi? ubi immortalitas, in qua te creavi?

Adam ubi es? Quò perveniſti? quò tua te culpa dejecit? quò te diaboli invidia pertraxit? ubi manuum mearum artificium? ubi Regni mei imago nuper depicta? Hæc tum illi Deus, quæ deinde Lazaro Chriſtus non tam voce, quàm lacrymis (quæ oculorum ſunt veluti tacitæ voces) quanquam & etiam voce: ſic enim ad mœſtas ſorores: *Ubi poſuiſtis eum?* quæ interrogatio non fuit ignorantiæ; ſed compaſſionis: quaſi diceret: *Ubi poſuiſtis eum?* Nimirum de vivis cum mortuis, de lumine in tenebris, de die in ſepulchri nocte, de libertate in vinculis mortis.

Ibi, ibi poſuiſtis eum, quanquam non tam ipſæ poſuiſtis, quàm culpa primi Parentis poſuit: illa eſt calamitas, illa miſeria, illa infelicitas peccati, à qua eò venit Lazarus. *Ubi, ubi poſuiſtis eum?* Hæc ad *Mariam* & *Martham* Chriſtus, condolens & illacrymans in Lazaro commune humani generis excidium.

Sed iſtæ rationes omnibus communes ſunt: Demus alias, quæ ſint propriæ; has inter fuit amor erga Lazarum: hanc extulerunt Judæi, cùm Chriſtum ejus funeri illacrymantem viderunt. *Ecce*, inquiebant, *quomodo amabat eum?* Sed quem eum? homulum, vermiculum, atomum. Et quomodo? ſine modo: infinitus enim fuit in eum amor, qui has lacrymas elicuit, & infinitum malum, cui condoluit, & cujus objectu Sol Juſtitiæ expalluit, gaudium univerſi orbis triſtatum eſt, & ſtellarum lux & gloria Eclipſim quodammodo paſſa eſt, verbo uno, cui Deus-Homo illacrymatus eſt.

Amor Chriſti in Lazarum.

Et hæc ratio *Lazarum* ſpectavit: uti & iſta, quam ſubjicio: lacrymatus eſt vel ex eo, quòd illum rurſus evocaret ad vitam, atque è tumulo in mortales auras.

Doluit Lazarum, non morientem, ſed potius reſurgentem. & flebat dum cogebatur, propter alios ſalvandos eum ad ſæculum revocare, aiebat D. Hieronymus: cui conſenſit D. Chryſologus, cujus hæ de Chriſto & Lazaro voces: *Cum amittit non flet, cùm recipit tunc deplorat, tunc fundit mortales lacrymas vitæ ſpiritum cùm refundit.*

Ep. ad Tyraſ. ſuper morte filii.

Suprà.

Cur ita? quia Lazarum vocabat è Limbo Patrum, hoc eſt è portu & quietis ſtatu, & rurſum quaſi projiciebat in procellas, in ærumnas, in miſerias hujus ævi mortalis, uti interpretatur Rupertus.

Vita ærumnoſa.

Et verò in hoc non eſſe niſi miſerias, teſtis eſt vel ipſa natura, de qua ſic ſapiens Romanus:

Nonne vides, inquiebat, *qualem vitam nobis natura promiſerit, quæ primum naſcētium omen fletum eſſe voluit.*

Lib de conſolat. ad Polyb.

Teſtis eſt ipſe infans, qui *primævo vagitu laborioſæ vitæ teſtatur indicia*, ut annotat D. Hieronymus, quo judice reſuſcitando Lazarum, lacrymatus eſt Chriſtus, quia reſuſcitabat ad vitam mortalem, cujus turbines & jactationes probè nôrat.

In c. 26. Ezechiel.

Et hæc ratio Lazarum ſpectavit, ea, quam ſubdo, ejus ſorores, *Mariam* & *Martham*, quas ut lacrymantes vidit, & ipſe collacrymatus eſt.

Nimirum, ut rectè D. Ambroſius: *Chriſtus omnibus omnia factus eſt, pauper pauperibus, dives divitibus, flens flentibus, eſuriens eſurientibus, ſitiens ſitientibus, profluus abundantibus. In carcere cum paupere eſt, cum Maria flet, cum Apoſtolis epulatur, cum Samaritana ſitit.* Ita Chriſtus omnibus omnia fit, ut nos exemplo ſuo doceret, omnibus omnia fieri.

Lib 4 in Luc.

Deſcendo ad poſtremam cauſam, quæ Chriſto lacrymas ex oculis expreſſit, ea fuit Judæorum incredulitas, qui viſo miraculo ſuſcitationis Lazari, non eſſent tamen in Chriſtum credituri, & inde ob immanem illam perfidiam, æternis addicendi incendiis: & hæc in Chriſto cauſa lacrymarum non minima.

Xerxes cur lacrymatus. Dicitur olim *Xerxes*, cùm ex edito loco deſpexiſſet ingentem exercitum, in quo recenſebat undecies centena hominum millia, illacrymatus quòd brevi tantæ multitudinis unus immineret occaſus.

Dignæ veniâ regiæ illæ lacrymæ, quas expreſſit fatalis neceſſitas, cui cedendum eſt velis nolis: At longè potiores Chriſti lacrymæ: hæ enim non effuſæ corporibus, ſed animis; non huic morti temporali, ſed æternæ, in quam incurrere debebant innumera propè Judæorum capita, propter incredulitatem, à qua factum, ut Meſſiam tot votis expetitum, totque ſæculis expectatum, cùm jam in oculis eſſet, cùm miraculis clareſceret, nec agnoſcere vellent, nec amare, nec venerari, ſtupore atque infidelitate prorſus deteſtanda.

Quanquam quid in Judæos hîc calamum acuo? acuere debui etiam in Chriſtianos, ingrata capita, quibus etſi Fidei lux affulgeat aurea, lux propè divina, nec tamen ſuæ vocationi reſpondent, nec gratiæ ſuæ donatis ſed in alia atque alia ſcelera præcipites eunt, nec ullo doloris, ullo pudoris ſenſu tanguntur. quorum ingratitudini, quidni dicam & Chriſtum eò loci ac temporis illacrymatum? Dicam enimverò, & ex vero dicam, niſi fortè eos emolliant Chriſti lacrymæ, & in lacrymas etiam ſolvant: & certè quidni ſolvent, vel unico Chriſti exemplo atque documento?

Flevit Chriſtus, fleat ſe homo: Quare enim flevit Chriſtus, niſi quia flere hominem docait? Quare fremuit & turbavit ſemetipſum? niſi quia fides hominis ſibi meritò diſplicentis. Premere quodammodò debet in accuſatione malorum operum, ut violentia pœnitendi cedat conſuetudo peccandi, inquiebat D. Auguſtinus, hoc ipſo, quo de agimus loco. Pœnitentia & ejus comites. Tract. 49.

Ut porro cedat, dicamus & voce, & magis animo, cum D. Bernardo: *Lacryma Chriſti, mihi & pudorem pariunt, & dolorem*; imò & timorem. Serm. 3 de Nativit.

Pudorem, ex eo quòd *propriam negligenter diſſimulo paſſionem, cui tantam à majeſtate tanta exhiberi video compaſſionem. Compatitur Filius Dei, & plorat; homo patietur, & ridebit?* Certè non ridebit; ſed & cum Chriſto plorabit, ſicque ploranti Chriſto dabit *pudorem*.

Dabit & *dolorem*, cùm adverterit Chriſtum & ſui cauſâ dolere, & lacrymari: Dabit & *timorem*, cùm æquis oculis, & æquâ rationis lance expenderit periculum ſuum, cui & Chriſtus illacrymatus eſt: ut enim ille ipſe S. Præſul: *Medicina æſtimatio, & doloris & timoris eſt exaggeratio.*

At quæ, inquies, medicina? unde & æſtimatio? & doloris ac timoris exaggeratio?

Certè non alia, quàm Chriſti lacrymæ, è quibus animæ à peccato jam mortuæ, fiat potio, quæ illam ſanitati, imò & vitæ reſtituat, & gratiæ: potio quidem amara Chriſto, at dulcis animæ.

QUÆSTIO QVINTA
MORALIS.

Ad illa verba: *Domine jam fœtet quatriduanus eſt enim.* verſ. 39.

ECQVIS ILLE FOETOR?

CUM veniſſet JESUS ad monumentum, in quo conditus erat Lazarus, dixit ad ſorores, & Judæos, qui frequentes aſtabant: *Tollite lapidem.*

Lapidem tolli juſſit, ut eo ſublato Judæi ipſi uſurparent oculis Lazari corpus emortuum, ac ſepultum; imò & illius fœtorem, ac graveolentiam olfactu perciperent, itaque clarius atque evidentius in ſuſcitato appareret miraculum.

Sed quis ille lapis? ne quære, dicet aliquis, quod in aperto eſt, eſt lapis ſepulchralis: ita eſt, ſi ad rem attendas: at ſi ad mores traducas, eſt *moles illa impoſita ſepulchro, ipſa eſt vis dura conſuetudinis, qua premitur anima, nec reſurgere, nec reſpirare permittitur*, ita Divus Auguſtinus. Serm. 44. de verbis Domini.

Consuetudo noxia. Ut porrò permittatur, tolli debet lapis, tolli debet ipſa peccandi conſuetudo, quæ gravior eſt omni lapide ſepulchrali.

Tollatur lapis, inquit D. Bernardus, *ſed maneat pœnitentia, non jam premens & onerans; ſed vividam & robuſtam mentem roborans.*

Vix dixerat JESUS, *Tollite lapidem*, cùm hæc ei Martha Lazari ſoror: *Domine jam fœtet, quatriduanus eſt enim.* verebatur enim ne Chriſtus, & deformitate, & graveolentia ac fœtore cadaveris offenderetur, uti cenſet Origenes, Cyrillus, Rupertus; vel certè diffidebat quatriduanum jam ac fœtentem reſuſcitari poſſe, uti exiſtimat Chryſoſtomus, Theophilactus, Euthymius: & hoc innuere videtur ipſa reprehenſio, quam mox intulit JESUS: *Nonne dixi tibi, quoniam ſi credideris, videbis gloriam Dei.*

Verùm ut ut ſit, hîc non aſtruo. Unum quæro; ecquis ille fœtor? Cadaveris, inquies, jam ſoluti & putridi. Non abnuo: ſed alium inquiro fœtorem, qui eſt ab anima per peccatum mortua, & ſepulta per longam conſuetudinem in malo. De illo quæſtionem inſtituo. Quis ſit? & quantus?

Is certè, quem nec terra ferat, nec Cœlum patiatur, nec bonæ mentes, nec Angeli ſuſtineant, nec Deus ipſe. Peccati fœtor.

De ranis Ægyptiis dictum olim: *Congregaveruntque eas in immenſos aggeres, & computruit terra.* Legunt alii, *& fœtuit terra.* Hebræorum traditio eſt: *Ex ranis mortuis fœtorem intolerabilem exhalaſſe.*

At quæ ranæ illæ? D. Gregorius Nyſſenus, aiebat eſſe peccata, à quibus mirum quantum fœtet anima.

Interroga conſcientiam peccatoris: *Nonne gravius fœtet omnibus ſepulchris?* inquiebat D. Ambroſius. Lib. 1 Offic. c. 12.

Profectò gravius: major eſt enim animæ fœtor, quàm corporis, conſcientiæ malæ, quàm ſepulchri.

Et ne verbis meis ſola ſit fides, ad experientiam appello, tuamque imprimis O. D. *Catharina Senenſis*, Civitatis illius amor, & deliciæ, cùm tecum ageret mulier peccato letali infecta, ſenſiſti ex ejus anima emanantem fœtorem, cujus impatiens, nares illicò obturaſti,

Digitized by Google

obturaſti, & vultum avertiſti: cauſam rogata à P. Raymundo, qui tibi erat à confeſſionibus, ingenuè, & candidè reſpondiſti, niſi id feciſſes, futurum fuiſſe, ut ex nauſea, & fœtore in vomitum ires; ſubſiliebat enim ſtomachus, & pectus totum: tanta ſcilicet à culpa mortali eſt graveolentia, quam neque ferunt ipſæ cœlorum Intelligentiæ, alioqui ſenſus omnis expertes.

S. Catharina Senenſis eum ſentit.

Eremicolæ cuipiam comes erat Angelus, aſſumpto (ut ſubinde fit) ad eam ſcenam corpore, cùm ecce occurrit Adoleſcens, hilari vultu, amœnaque ſpecie, & comptulus totus, à quo mox faciem avertit Angelus, nauſeabundus, atque impatiens, cauſamque ab eremita dicere juſſus, adjecit non potuiſſe ſe tolerare fœtorem letalis noxæ, etiam vel unius tantùm: quomodo tuliſſet Cloacam multorum vitiorum? profectò nec tuliſſet. Ita refert D. Antoninus, & ex eo D'Oultremannus noſter in ſuo Pædagogo.

Angelus peccati fœtorem ſentit.

Simile quippiam de ſe memoravit S. Euthymius, à viro aliquo, ſibi fortè obvio, qui ſola cogitatione turpi, quam verſarat animo, peccarat, tanto ſe afflatum fœtore, ut à dæmone afflatum ſe crederet. Nempe peccati odor, odor eſt inferni, quem nec Deus ipſe ſuſtinet.

S. Euthymius peccati fœtorem ſentit.

Quæri ſolet à Theologis, cur in antiqua Lege *Hircum pro peccato* offerri voluerit ſummus Legiſlator Deus, & reſponderi, quod hircus, utpote animal fœtidum, ideo offerretur *pro peccato, quòd fœteret coram Domino*. Maneat ergò indubitatum iſtud, quod noxæ lethalis fœtor, nec hominibus, nec Angelis, nec Deo ſit tolerabilis.

Num. c. 7. v. 16.

Lyran.

Nempe inter alia peccati, & peccatoris flagella, eſt iſtud, fœtor animæ à peccato proveniens, quem & prævidit, & dixit Iſayas Vates, cùm illud extulit: *Erit pro ſuavi odore fœtor*, non corporis modò, cui blandiri voluiſti, per ſuaves odores, per aromata, per ſuffitus; ſed & animæ, ut jam experientia docuimus in mentibus à virtute & gratia illuſtribus, & in ipſis cœlorum Intelligentiis. ſed abeamus ab illo fœtore, qui manat à ſcelere lethali, & redeamus ad *Lazarum*, quem & mortuum, & ſepultum, imo & tabidum ac fœtentem ſuſcitat Chriſtus: ſed nonniſi clamore valido, & potenti vocis imperio, cujus cauſam hîc inquirit D. Ambroſius:

Cap. 3. v. 23.

Quid eſt, inquit, *quod clamavit voce magnâ? Imo cur voce grandi clamavit, quaſi ſpiritu non ſoleat operari, quaſi tacitus non ſoleat imperare?*

Orat. de fide Reſur.

Solet enimverò, & ſpiritu ſolo, & tacitus Imperare; hîc tamen clamat, ut clamor ad omnium aures perveniat, ut attentos reddat, ut percellat & animos, inquit, Theophilactus, cui adjicit & illud D. Ambroſius. Quia Dominus, *non unum Lazarum, ſed fidem omnium ſuſcitabat.*

Animæ an errent circa corpus.

Et hæc ſecunda ratio, cui accedit & tertia, ut refelleret Judæorum opinionem, qui credebant defunctorum animas, aliquot diebus, obambulare circa corpus, adeoque facilius in illud revocari poſſe, cùm non longè abeſt, quàm cum longiſſimè apud inferos. Quo in errore viſus eſt fuiſſe princeps ille Synagogæ, qui ut à Chriſto filiæ reſuſcitationem impetraret, ait illi; *filia mea modò defuncta eſt*, quaſi facilius fuiſſet modò, quàm poſtea.

Error fuit, & malè ſanus error, à quo dum deflectit D. Auguſtinus, tranſit ad myſticam rationem, qua ſcilicet eo clamore voluerit Dominus indicare, quàm ſit operoſum, Lazarum quatriduanum jam, & fœtentem, hoc eſt peccatorem (qui & à peccato mortuus eſt, & ſepultus, imò jam & fœtens) ad vitam revocare, vitam dico gratiæ, & charitatis.

Denique ut ex eo inclareſceret magis Chriſti Divinitas, ut qui mortuis loqueretur, atque imperaret: *Ne fortuita magis reſurrectio videretur quàm imperata*, inquit Ambroſius, quo cum finio.

FERIA SECVNDA
QVINTÆ HEBDOMADÆ
QUADRAGESIMÆ.

DIXERAT IESUS ad frequentem turbam, ex qua multi crediderunt in eum, nempè verum CHRISTUM & Meſſiam, à Deo miſſum, alii non crediderunt: quod illi crediderint, & converſi ſint, vel virtus fuit verbi: quod hi non crediderint, & obdurati ſint, vitium eorum fuit: ſicut enim eodem lumine, & ſani vident, & lippi cæcutiunt: ſic & eodem cœleſti verbo, quod illi videant, virtus eſt luminis; quod hi cæcutiant, vitium eſt oculorum.

Audierunt iſta Phariſæi, *& turbam murmurantem de illo*: ne porrò murmur invaleſceret, néve in eum turba crederet, *Miſerunt Principes, & Phariſæi miniſtros ut apprehenderent IESVM*; ad quos ita IESUS: *Adhuc modicum tempus vobiſcum ſum*; quaſi dicat, ad modicum tempus vobiſcum permaneo, *& vado ad eum qui miſit me*; vado, inquit, per mortem, & pono animam meam, quando & quia volo, quia Dei Filius ſum, & ſic moriar, ut citò reſurgam, & Humanitatem meam ad dexteram Patris mei collocem: vobiſcum autem ſum hoc modico tempore, ut doceam vos, quæ ſalutis veſtræ ſunt, & quidem ad modicum tempus, quod

Digitized by Google

quod ſcilicet intercedebat inter tempus illud, quo veniebant eum comprehendere, & Paſcha, quo paſſurus erat, non vi, aut neceſſitate, ſed liberè & ſuâ voluntate.

Quæretis me, & non invenietis. *Quæretis*, inquit, *me*, id eſt verum CHRISTUM, vobis promiſſum inquiretis, non tamen invenietis, id eſt ad ipſius agnitionem nôn pervenietis: me enim rejecto, qui verus ſum CHRISTUS; omnis, qui alium quærit, non invenit: fiet ergo ut loco veri CHRISTI, in pſeudo-chriſtos incidatis; quod & accidit: ut enim annotat hîc S. Hieronymus tempore captivitatis Hieroſolymitanæ, tres ſibi falsò Meſſiæ nomen uſurparunt. Pergit Servator optimus:

Et ubi ego ſum, vos non poteſtis venire, id eſt ad Cœlum; ubi & ut Deus ſemper ſum, & ubi deinde ut homo etiam ero. Vos non poteſtis venire: illuc enim ſine fide in me, nullus intrare poteſt. Hoc loco ſe IESUS & Deum & hominem probavit.

Tum ubi hæc dixit ad miniſtros illos injuſtitiæ atque impietatis, tum iſta ad populum abiturientem ad propria, & hoc quidem:

In noviſſimo die, magno feſtivitatis, hoc eſt die ultimo feſti Tabernaculorum, qui erat octavus; adeòque magnus feſtivitatis, ut ſolet apud nos octavus alicujus ſolemnioris feſti, *Stabat IESVS, & clamabat*: clamabat enimverò, ut auditorum auribus, & cordibus poſtrema verba profundiùs infigeret. *Clamabat*; iſque clamor & veritatis & libertatis erat argumentum. *Clamabat*, ut Iudæorum duritiem ac ſurditatem in credendo argueret. *Clamabat*, quia hoc erat ultimum feſtum, quod in hoc ſæculo, cum illis celebrare debebat, utique paſſurus Paſchate proximo. *Clamabat* denique, quia auditores ſuos, ad magna, nempe Cœlorum Regnum vocabat, ut annotat D. Ambroſius, & is clamor fuit in CHRISTO zeli divinioris. *Clamabat* autem, dicens: *Serm. 19. in Pſal. 18.*

Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat; hoc eſt, ſi quis ſuam perfectionem, ſuumque bonum, & quidem ſummum, ſitit ac deſiderat: Ecquis enim hoc non ſitit, non deſiderat? *veniat ad me*, per fidem vivam, & bibat aquas doctrinæ ſalutaris, quas ego dabo, bibat aquas gratiæ, & ſpiritualis boni; imò & beatitudinis, quas propinabo, quæ ſolæ ſitim extinguunt, & appetitum ſatiant.

Quid deinde? *Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ*; hoc eſt, qui credit in me, eam habebit abundantiam aquarum ſpiritualium, quaſi flumina aquæ vivæ de ventre ejus effluerent: at quæ flumina? non alia quam Spiritus Sancti dona, quæ flumina ſunt, & cujus rivuli ſunt virtutes.

Rivulus enim iſtius fluminis eſt Fides, rivulus eſt Spes, rivulus eſt Charitas: ab his ſitis extinguitur: nec enim in aquis illis ſpiritualibus uſu-venit quod in materialibus: has qui bibit, ſitit iterum; illas qui haurit, expletur nec ampliùs ſitit.

De hoc flumine, deque his aquis, præſago ſpiritu cecinit Regius Vates: *Fluminis impetus lætificat Civitatem Dei*; hoc eſt Eccleſiam, & fidelium mentes. *Pſal. 45.*

Et hæc ſumma doctrinæ Evangelicæ, à quâ, favente divini Spiritûs aura, deſcendam ad Quæſtiones.

QUÆSTIO PRIMA MORALIS.

Ad illa verba: *Miſerunt Principes, & Phariſæi miniſtros, ut apprehenderent IESVM.* Joan. cap. 7. v. 32.

CVR MISERVNT, ET CVR APPREHENDERE VOLVERVNT?

FUIT illud injuſtitiæ ſummæ, fuit & ſummæ immanitatis ; Ecquod enim in Chriſto crimen? cui malè fecit? quem verbo, quem facto læſit? Sanitatem multis, vitam pluribus dedit, omnibus beneficium contulit, omnibus fecit benè, malè verò nemini: *Pertranſiit enim benefaciendo, & ſanando omnes.* Pertranſiit etiam & dæmones ejiciendo ex corporibus, velut hoſpitiis malè uſurpatis.

Actor. c. 10. v. 33.

Cur igitur principes, cur & Phariſæi miniſtros mittunt? & qua de cauſa? in aperto eſt, *ut apprehenderent JESVM.* Sed cur ita? in promptu eſt reſponſio, quia *pertranſiit benefaciendo.* Ne aliud quære, unum illud eſt, quod in perſona Chriſti ſtylo notavit David, & de quo ipſe queſtus, *Retribuebant mihi mala pro bonis ſterilitatem animæ meæ.*

Chriſto redduntur mala pro bonis.

Pſal. 34. v. 12.

Iſraëlem, ceu ſolum mihi commiſſum, à Patre excolui, multo labore, ſudore multo: expectavi ut mihi mollæ accideret, & ſubactum, & fertile, & fœcundum; ſed è contrario, & durum fuit, & ſaxeum, & ſterile, & infœcundum; imò vel ipſa ſterilitas, Hebraïcè *Schechol*, orbitas animæ meæ: eò veneram è Cœlis in mortales auras, ut mihi ſpirituales filios generarem; ſed orbum me filiis fecerunt, imò & ipſam *orbitatem*, ne ſpes ulla ſupereſſet ſpiritalis in Deo generationis.

Ingratitudo

Vertunt alii *dolorem*, eumque ſummum, qualis eſſet in parente orbo filiis. Ambroſius explicat *ingratitudinem*, qualis eſſe ſolet in eo, qui multis atque ingentibus cumulatus beneficiis, nihil rependeret niſi ſummam ingratitudinem, & perennem beneficiorum acceptorum oblivionem. Symmachus pro ea vocula *ſterilitatem*, caponit *inverſa omnia reddiderunt*, mala ſcilicet pro bonis.

Bona certè rependere debuerant pro bonis: hæc enim exigebat natura, hæc & ratio poſtulabat; at contraria dederunt omnia, mala pro bonis, quod ingratitudinis ſummum eſt erga eum, qui pertranſiit *benefaciendo*: pertranſiit, inquam, per viam hujus vitæ mortalis, quanta, quanta fuit.

Venit è Cœlis in terras, è ſinu Patris in ſinum Virginis, ad Bethleemitas, quorum cauſa venerat, divertit, & rejicitur, ſeſe in ſtabulum recipit, & ecce naſcens incipit benefacere, Angelos mittit ad Paſtores Judæorum primitias, ſtellam oſtentat Magis, qui fuerunt primitiæ Gentium, omnibus benefacit Infans, & ecce ab impio Herode immanem patitur perſecutionem, & quæritur ad necem.

Adoleſcit, & omnibus eſt ſolatio, etiam afflictis quàm maximè, adeò ut mœrentibus vulgatum eſſet illud, *Eamus ad Mariæ Filium, & ipſe conſolabitur nos:* & quibus ſolatio fuerat, fuerunt illi afflictioni.

Chriſti præſentia eſt ſolatio.

Ad ætatem pervenit virilem, & ecce prædicat in Synagogis, docetque omnes inire Cœli viam, tendereque ad Beatitatem, & ecce carpitur ejus Doctrina ſugillaturque.

Cœcis viſum, claudis greſſum, morbidis ſanitatem, mortuis vitam, obſeſſis à dæmone libertatem reſtituit, & ecce à Principibus & Phariſæis ad vincula, ad carceres rapitur, ecce à Judæis communi populi voce poſtulatur ad Crucem, Barrabæ poſtponitur, concilium adverſus illum cogitur, falſi teſtes convocantur, & damnatur ad mortem, & mortem Crucis. *Ecce ut retribuunt mala pro bonis, & ſterilitatem animæ ejus*; imò & dolorem, & tædium. Et hinc cœpit tædere, id eſt vehementer angi, afflictari, anguſtiis affici, angoribus plurimis obſideri, & quaſi convolvi: hæc enim omnia importat vox Syriaca *Kamar*, ut poſſet ea vero dicere cum Jobo, qui typus illius & velut umbra fuit: *Tædet animam meam vitæ meæ.* Hebraïcè *Quots*, id eſt *ſpina, punctum eſt cor meum.*

Afflictio eſt ſpina.

Cap. 1.

De hac porrò ſpina ſuaviter conqueſtus ore calamoque Regii Vatis, *Converſus ſum in ærumna mea, dum configitur ſpina*, vel ut alii legunt, *verſatus ſum in vaſtitate mea, in confixionibus ſpinæ.* Ecquid enim, an non ſpina fuit?

Pſal. 31. v. 5.

Omnibus facit benè, & audit durum illud atque acerbum, *Samaritanus es, & dæmonium habes*: expellit dæmones ab obſeſſorum corporibus, & excipit iſtud: *In Principe dæmoniorum ejicit dæmonia.* Annon hoc & illud ſpina, quâ pungatur Cor JESU?

Paralyticum ſanat in Sabbatho, & dicitur illi, *Non eſt hic homo à Deo, qui ſabbathum non cuſtodit:* Peccata remittit, quæ morbi quidam animi ſunt, & objicitur ei, *blaſphemat.*

Moritur in Cruce, & pro perſecutoribus ſuis Deum Patrem orat, & nihil audit è cruce, niſi convitia, dicteria, immaneſque blaſphemias.

Cur ita? non alia ratio, quàm ea, quia benefacit in ipſa morte, uti & in omni vita. Quid facias? Is eſt mundi genius, id vitium eſt ingratitudinis, *ut reddat mala pro bonis.* Quod uti in Chriſto videre licuit, ſic & licet in ipſo Deo ter Opt. ter Max. Quibus hic beneficiis non afficit mortales?

Ingratitudo erga Deum.

Iis animam immittit, & quidem immortalem, vitam donat, Solem qui interdiu eis luceat, Lunam & ſtellas, quæ niteant intempeſta nocte, Ignem à quo incaleſcant, Aërem quem reſpirent, aquam qua refrigerentur, terram qua ſuſtineantur, Angelos cuſtodes, qui adverſus omnes malorum incurſus defendant ac tueantur. Et hæc naturæ, vel potius ejus Authoris beneficia ſunt, quibus ea addit, quæ gratiæ Sacramenta, ceu illius vaſa: Denique parat ea, quæ gloriæ ſunt, & quidem interminabilis: verbo uno, ut cum vate Regio omnia comprehendam, *Coronat te in miſericordia, & miſerationibus.*

Pſal. 102. verſ. 4.

Et poſt hæc omnia. Quid meditaris tu? quid moliris? quid rerum agis? cogitas, quomodo bona proximi ſuffureris, qua ratione eum malo dolo, malis artibus illaqueea, & capias, quo modo virgine fruaris, atque ad libidinem inducas tuam, qua vi etiam conjugatam violes; quibus mediis illatas tibi injurias vindices, ubi, & quando te ingurgites, & ventrem malè farcias: & hæc omnia in dedecus, atque ignominiam Dei tui, benefactoris tui, cui pro ſummis bonis, ſumma reddis mala, id eſt peccata.

Sed à Deo boni omnis authore, redeo ad Chriſtum, & rurſus inquiro, cur ad eum ſubmiſerint Principes,

Erga Chriſtum.

Digitized by Google

Principes, & Phariſæi miniſtros, ut eum apprehenderent.

Rationem reddent ipſimet, qui ſic ad invicem: *Quid facimus? hic Homo multa ſigna facit, totus mundus currit poſt eum, ſi dimittimus, venient Romani & tollent locum noſtrum, & gentem.*

Hæc accuſationum capita. Primum, hic Homo multa ſigna facit, multaque miracula, ſupra morem, ſupra naturam; ne faciat, comprehendi debet, vinciri debet, perdi debet: Hæc Principum & Phariſæorum ratiocinatio, hæc concluſio in diaboli Logica, ad primum illud accuſationis caput.

Ad ſecundum quod eſt ejuſmodi: *Totus mundus poſt eum currit*, & quia currit, ne currere pergat, tollatur eſt neceſſe.

Ad tertium, *Venient Romani, & tollent locum noſtrum, & gentem.* Ne porro tollant, eliminetur ipſe. Timent ne Romani tollant locum ſuum & gentem, & non timent ne diaboli tollant.

Erga proximum. Quod olim Chriſto, hoc in præſentia præcipuis Chriſti membris, ſive illa ſibi faciant benè, ſivè proximo.

Sit Virgo in paucis pudica, in paucis pia, traduci debet, irrideri debet, & *Bigotta* vocitari.

Sit Conſiliarius recti juſtique tenax, qui recta omnia, juſta omnia ſuggerat, nec Principi blandiatur ſuo, nec veritatem diſſimulet: in illum jactabitur iſtud: *Non eſt politicus*, non intelligit, non capit negotia Status, cucullo gerendo aptior eſt, quàm togâ atque epomide.

Sit Miles, ſit militiæ Dux, qui rixas omnes evitet, qui injurias diſſimulet, & alto involvat ſilentio, qui non irruat in ferrum, qui enſem non nudet, qui non provocet ad duellum: dicetur imbellis, ignavus, timidus, cui nihil animi ſit, nihil generoſitatis, tonderi debet, & Monaſterio includi.

Sit Mercator, qui ex æquo bonoque merces ſuas vendat, qui neminem decipiat, & qui juſto lucro contentus ſit: appellabitur *Scrupuloſus.*

Sit Concionator unus aliquis, qui eloquentiâ ſuâ, zelo ſuo omnes rapiat, ſtatim auditur illud: *Quid facimus? Hic Homo multa ſigna facit, Totus mundus currit poſt eum*, & nos deſerimur, denigrari debet, dejici debet ſua de ſtatione. Cur ita? quia multa ſigna facit, quia totus mundus currit poſt eum, aliam cauſam ne quære, niſi hanc, quia benefacit.

Sit Religioſus Ordo, qui doctrinâ cæteris emineat, qui morum innocentiâ luceat, qui miniſteriis ſacratioribus ad ſe omnes evocet, & mox obtrudetur iſtud: *Quid facimus*, hic Ordo multa ſigna facit, *totus mundus currit poſt eum*, traduci debet, conviciis, calumniis impeti atque obrui: Quæ cauſa? non alia quàm hæc, quia benefacit.

Ita benefacere occaſio eſt perſecutionis; imò & apud Judaiſantes etiam cauſa. Quid facias? is invidiæ genius eſt, id vitium ingratitudinis & malevolentiæ.

QUÆSTIO SECVNDA
MORALIS.

Ad illa verba: *Miſerunt Principes & Phariſæi miniſtros, ut apprehenderent IESVM.* Joan. c. 7. ℣. 32.

QVÆ IN HOC PRINCIPVM INIQVITAS, QVÆ MALITIA?

Unde ea iniquitas. PRINCIPES Synagogæ & Pontifices dicebantur, & erant veluti *Capita populorum*, ceu membrorum magni corporis: ſic eos Antiquiores appellârunt.

Sic & deinde jam à naſcente Eccleſia Apoſtolicæ Conſtitutiones, & Canones. Can 55. 1 cor c. 1.

Sic & D. Ambroſius, qui eos nominavit velut *Caput cæterorum membrorum.*

I. Quia capita populorum. Eſt caput cerebri receptaculum, intelligentiæ ſedes, rationis officina, & altiſſimarum cogitationum fœcunda parens, cujus proinde erat, & docere veritatem, & fallacias oſtendere, & amabiles virtutum illecebras aperire: quod ſi ſecus fecerit, ſi ſubjectum ſibi populum ab iis averterit, ut & fecêre & Principes Sacerdotum, & Phariſæi, næ vel iniquitatis rei ſunt, & malitiæ penitus execrandæ, ut qui alios à Chriſto, & verbo, & exemplo abduxerunt: à Chriſto, qui & norma ſanctitatis erat, & prima veritas, quæ idcircò in eos ſeverè aliquando animadverteret, qui & ſibi & aliis ita nocuissent: veræ & enim juſtæ in illos Iſayæ minæ.

Diſperdet Dominus ab Iſrael caput & caudam: hoc eſt interprete D. Cyrillo Alexand. & Sacerdotem, qui totius populi caput eſt & *caudam*, qui populus: ut enim hominem, cui caput amputatur, neceſſe eſt emori; ſic & extingui populum, qui ejus veluti cauda eſt: & hinc juſta in eum animadverſio, hinc eum *diſperdet Dominus*, quia caput eſt, & quia cauſa cur diſperdatur & cauda, hoc eſt populus.

II. Eorundem oculi. Erant Sacerdotum Principes, erant & Phariſæi, veluti oculi populorum, à Deo conſtituti ad *inſpectionem*, & hinc *videntes* appellati, etiam jam inde à veteri Lege, uti & Prophetæ: quod ſi caligent illi, Gregor. Nyſſ. Homil. 7. in Cantica. ſi cœcutiant, ſi ducatum non præſtent cœcæ plebeculæ, ſi & ipſi cœci, cœcos in foveam errorum doceant, & ſummæ iniquitatis, & malitiæ etiam ſummæ damnandi erunt.

Erant Principes Sacerdotum veluti corda Jeruſalem: ſic enim eos appellabant Sacræ Paginæ. III. Quia eorum corda.

Eſt cor fons caloris & vitæ, à quo ſpiritus vitales & crebræ illæ arteriarum micationes, indices benè aut malè affectæ valetudinis: eſt & fons, imò & fornax amoris; & quiſquis erat Sacerdotum Princeps, is vocante Numine erat principium illius, quæ in Synagoga, ceu magno corpore, debebat eſſe caritatis, illius & in Chriſtum, ceu Salvatorem amoris: at contra & odii incentivum fuit, & fomes.

Erant Principes veluti populi duces, qui eos ducerent ad Fidem, ad ſalutem, ad beatitatem, quæ IV. Quia eorū duces. erat in Chriſto: atque deinde, ut in ſimili D. Gregorius Nazianzenus: *Purgari eos prius oportebat, deinde purgare; ſapientia inſtrui, deinde alios inſtruere;* Orat. 1. *lucem fieri, & alios illuminare; ad Deum appropinquare, & ita alios adducere; ſanctificari, & poſtea ſanctificare.*

At contraria fecerunt omnia; cùm ipſi ſordeſcerent, alios ſordeſcere volebant; cùm ipſi ſeipſos deſtruerent, alios deſtruebant; cùm ipſi tenebræ eſſent & errorum caligo denſa, aliis noctem affundebant, & ignorantiæ, & errorum.

Denique ne per omnia eorum ſcelera vagetur oratio, cùm ipſi populi Tutores eſſe deberent ac

V. Quia eorũ defenſores.

Defenſores, fuerunt ejus & deſtructores, & homicidæ.

Inter varia ſcelera, quibus ſeipſe polluit *Pharao*, quibus & ſeipſum, & terris, & Cœlo odibilem reddidit: fuit iſtud, quòd obſtetricibus Ægyptiis præceperit, ut puſiones editos illicò ſuffocarent, ne quæ deinceps Iſraëli ſupereſſet maſcula proles.

Spectabat ad illas puerulis vitam ſervare, faceréque ut innoxii è materno exirent utero, ad illudque eniti atque adlaborare, ut parturientes fœtum ſuum & faciliùs ederent, & ſecuriùs.

Quod obſtetricibus officium fuit, hoc fuit & Sacerdotum Principibus, & Phariſæis, ut populi animæ, ceu matres gravidæ, darent fœtus ſuos, fœtus Cœlo Deoque dignos: fœtus, inquam, & Fidei in Chriſtum, & amoris in Deum, qui eis Chriſtum, ceu mediatorem, ceu Meſſiam emiſerat.

At repugnantia procurârunt omnia, ut ſi quos jam in animo concepiſſent fœtus, ſeu eos eſſe voluiſſes Fidei, ſeu in Chriſtum fiduciæ, ſeu pietatis, ſeu amoris, eos omnes in ipſo quaſi partu extinguerent. Et hinc ſumma apud eos iniquitas, ſumma & malitia.

QUÆSTIO TERTIA

MORALIS.

Ad illa verba: *Quæretis me, & non invenietis.* Joan. c. 7. ℣. 36.

IN QVOS CADAT ILLVD CHRISTI FVLMEN?

I. Claſſis, eſt Judæorum.

PRIMÙM cadit in Principes Sacerdotum, tum in Phariſæos, tum in univerſum Iſraëlem, rebellia Deo capita, ad quæ ita Chriſtus.

Quæretis me, & non invenietis: hoc eſt, quem modò præſentem reſpuitis, nec Meſſiam veſtrum agnoſcitis, abſentem poſtea quæretis, nec invenietis: futurum enim, ut quem deinceps Meſſiam quæretis, non ſit ille Meſſias; ſed potius Pſeudomeſſias, quia à me alius nec fuit unquam, nec eſt modò, nec erit in tota æternitate, ideóque quantumvis quæratis, non invenietis. Et hæc prima Claſſis eorum, in quos vibratur à Chriſto fulmen illud divinæ vocis.

II. Obſurdeſcentium vocationi divinæ.

Altera eſt illorum, qui Deo ad meliora vocanti ſurdas præbent aures: imò & claudunt, ſive ea vocatio ducat ad perfectiorem vitæ ſtatum, qualis eſſet è ſæculo ad vitam religioſam, ſive ad ſaniorem mentem, à vitiis ad virtutum ſtudia, ſive per occultas, & ſecretas inſpirationes, quas reſpuere periculoſæ plenum aleæ: Solet enim ejuſmodi homines deſerere iratum atque offenſum Numen, ſolet & ipſe Chriſtus Salvator optimus, quia ab illo abeunt, dum abeunt à ſalute, in quos idcirco jacietur etiam iſtud: *Quæretis me, & non invenietis.* Et hoc:

Proverb. c. 1. v. 24.

Vocavi, & renuiſtis: vocavi, inquit: at quomodo vocavit? quomodo & vocat etiamnum peccatores, ut ſibi acquieſcant, & divinæ voci? audi quomodo D. Auguſtinum, & in illo etiam peccatores. Sic ille ad Deum vocationis ſuæ memor, & gratus.

In Soliloq. c. 13.

Quando erravi, ad viam reduxiſti me; quando ignoravi, docuiſti me; quando peccavi, corripuiſti me: quando triſtis fui, conſolatus es me: quando deſperavi confortaſti me: quando cecidi, erexiſti me; quando ſteti, tenuiſti me; quando ivi, deduxiſti me: quando dormivi, cuſtodiſti me: quando clamavi, exaudiſti me.

Hæc ubi dixit Auguſtinus, de aliis, atque aliis modis divinæ vocationis, tum ad illius effectus delabitur, & varias ejuſdẽ beneficentiæ vias, & ſic ait:

Si pœniteo, parcis; ſi revertor ſuſcipis; dum differo, præſtolaris: revocas errantem, invitas repugnantem, expectas torpentem, amplexaris redeuntem; doces ignorantem, mœrentem mulces? à ruina ſuſcitas, poſt lapſũ reparas, petenti largiris, quærenti inveniris, pulſanti aperis.

Hactenus S. Auguſtinus, ſua doctus experientia, qua gaudebunt & illi, qui Deum audient, qui ſalvatorem, qui ſalutem ſuam quærent, & utique invenient, ſi modò tempori quærant: ſin minus, quærent, nec invenient.

Et ita non invenerunt ii, in quos illud Dei vindicis. *Vocavi & renuiſtis, extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret. Deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis. Ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo.* Proverb. c. 1. v. 24. 25. 26.

Quid deinde? *Tunc invocabunt me, & non exaudiam: manè conſurgent, & non invenient me.* v. 28.

Et hoc ſummum malorum, invocare Deum, nec exaudiri; conſurgere & quærere, nec tamen invenire.

Sic nec invenit ille de quo S. Antoninus: fuerat 3 P. tit. 24. cap. 9. § 7.
is candidatus Ordinis Franciſcani; imò & concepti voti reus: ſed, ô! grande malum inconſtantia! mutato deinde conſilio, factus cùm eſſet Canonicus, & poſt aliquot menſes in morbum incidiſſet, monitus de adeundo Deo per exomologeſim, & ſalutarem pœnitentiam, reſpondit fruſtra illud omne: ſibi enim irati Numinis injectum fulmen iſtud: *Damnandus es.* Quare deſinerent moleſti ſibi eſſe, non poſſe ſe confiteri, adfuit enim, inquit, Dominus, & hæc mihi. *Vocavi, & renuiſti, ideo vade ad portas inferni.* Dixit, & infelicem animam expuit.

Tantum in totam æternitatem nocuit, non obediſſe Deo vocanti.

III. Emendationi reſiſtentium.

Accipe quantum nocuerit vitam in melius non immutaſſe, cùm cœleſtis aſpiraret aura, cùm ad ſeria & æterna impelleret inſpiratio divina, juberetque abire à mundi ludo.

Udonis Archiep. lapſus

Exemplum dabit, & quidem ferale, Udo Archiepiſcopus Marpurgenſis. Hic in Inſula Pedoque ludos habebat quales in mundi circulis, in gurguſtiis & popinis: Non tulit Cœlum inter ſacra, profana tractari, & impia piis miſceri, non ſine nota tantæ dignitatis, & ordinis illius contumelia.

Divina ultio, quæ lento, & quaſi plumbeo pede ſontes ſequitur & premit, ſic aliquando ad Præſulis aures allapſa, etiam hac voce articulata, ut feriret magis.

Fulgoſius lib. 4. c. 12. Caniſius l. 5. oper. Marat. c. 20.

Vdo, Vdo, ceſſa à ludo, luſum ſatis Vdo. Luſum enimverò ſatis in hujus vitæ ſcena, ventum erat ad ultimum actum, in quo & ludere perrexit inſanus; ſed malo ſuo: mox enim clauſâ ſcenâ evocatus è theatro hujus ævi mortalis, & vocatus ad Dei vindicis Tribunal, in quo apparuit corpus exanime, & capite etiam truncum, animâ ſcilicet ad inferos jam detruſâ.

I modò quiſquis ludis in hoc mundi ludo, vide ne tibi illudas improbè in tota quanta quanta eſt æternitate.

Venio

IV Differentium pœnitentium. Venio ad tertiam Claſſem, eorum videlicet, qui in ultimam vitæ metam differunt pœnitere contra Cœli leges, contra rationis placita; & hæc enim, & illæ ſuadent, mandantque ne ulla injiciatur pœnitentiæ mora.

Pœnitentiæ dilatio quâ noxia. In veteri lege cautum ſeverè illud, ut ſi quis viſo mortuo pollueretur, illicò in *eadem die expiaretur.*

Quod ſi expiatio adeò ſubita, adeò celer in pollutione illa legali: quæ danda fuit in morali illa deformitate, quæ eſt à mortali peccato, & quæ animæ peſtis eſt, pollutioque ejus longè graviſſima?

Beatum prædicavit Regius Vates eum, qui in

Pſal. 1. v. 1. *Cathedra peſtilentiæ non ſedit*, hoc eſt, qui in ea piger & deſidioſus non manſit; ſed ab ea feſtinus exiliit, hoc eſt, qui in peccato lethali (quod peſtilentiæ ſedes) non hæſit, non eſt immoratus; ſed illicò exiit, erupit, evaſit: uti ſolet is, qui ſe vidit, ſenſitque in cathedra peſtilenti, nulla ibi mora, tergiverſatio nulla, quia ſat conſtat abeundum eſſe ea illa.

Ecquid enim amabò te, MI LECTOR: Quis lapſus in ignem ea eo ſtatim non evolet? Quis præceps in lutum mox non exiliat? & peccatum ignis eſt, lutum eſt, ex hoc igitur atque illo proſili & provola, ne comburaris, ne fordeſcas.

Poſuiſti veſtigium ſuper voraginem culpæ, inquiebat D. Ambroſius, *citò aufer pedem, ne ſupra plantam tibi aſcendat pollutio, & lapſu faciliore deceptus ſupra lutum reſideas.*

Quod ſi tibi fortè obveniat cogitatio de differenda pœnitentia, dic tibi in aurem cordis, quod ſenior ille inter Ægypti Monachos.

Quoties illi dicebat cogitatio: *Dimitte hodie, &*

Vit. Patrum lib. 3 n. 165. *cras pœnitebis*, ipſe iterum reſpondebat: *Non ita; ſed hodie debemus pœnitere, & cras voluntas Dei fiet in nobis.*

Fiet enimverò, & quidem in bonum, ſalutemque tuam: ſin minus, tuo vitio fiet voluntas tua: ſed in perniciem tuam.

Num. 18. Ita factum illi, de quo hæc in libello vitæ ſpiritualis. Fortè in orbem venerat ſenex eremita, & cum ſportis, quas venales attulerat tantiſper diverterat ad ædes hominis prædivitis, ſed moribundi, cùm ecce ad eas accurrunt citati equites duo, truci vultu, ardentibuſque oculis, armata etiam manu, non ferro, ſed ignito titione.

Ubi deſcendere ex equis, primùm ædes, dein &

Exemplo probatur. cubiculum ægrotantis ſubeunt, & lectulo propiores facti, graves intentant minas; vix incurrerant in jacentis oculos monſtra illa tartarea, cùm ingens illum invaſit horror, auditique gemitus, lamenta, & miſerabiles ejulatus, inter quos & hæ voces, O Deus. O *Deus adjuva me*.

Ecce ut Deum quærit, nec tamen invenit; ut inclamat nec exauditur: hic enim hominem irridere, atque explodere emiſſi de ſtyge equites, & tum hæc etiam illi.

Næ te amentem, atque inſanum, qui Dei tui memor tandem es in ultima pereuntis ævi periodo, qui toto vitæ ſpatio illius vixiſti immemor; næ te perditum, qui ſub occaſum ſolis hujus, cœlum ſuſpicis, atque imploras, qui Deum in ipſo mortis limine quæritas, nec ſuſpexiſti, nec imploraſti, nec quæſiſti, cùm tibi ſurgeret, luceretque amœna vitæ dies, cùm pœnitendi daretur ſpatium, cùm ſtaret ad fores JESUS, Salvator tuus, cùm pulſaret ad oſtium cordis, cùm intromitti peteret per pœnitentiam, perque gratiam: nec audiſti, nec admiſiſti: jam ſurdo clamitas, jam abſentem quæris, qui præſentem reſpuiſti, jam Salvatorem petis, quem judicem habes, jam miſericordem, qui vindicem experiris, & experieris in ipſis inferorum incendiis, æternaque nocte.

Vix hæc moribundo mali dæmones, cùm nequaquam reluctantem exhalavit animam, atque (ut ita loquar) citatis equis ad inferos deſcendit. Dæmones moribundo impœnitenti adſunt.

Ne te in extremis ea occupet obruatque calamitas, age, ô peccator, quiſquis es, Auguſtinum audi: proponit hic in duplici veluti ſymbolo *corvi*, & *columbæ*, duas animas, quæ in arca Noë, hoc eſt in hujus vitæ jactantur oceano: emittitur *Corvus*, emittitur & *Columba* à Noëmo, emittitur & hæc & illa anima à Deo, donaturque libertate: errat tam hæc, quàm illa, aberratque à Deo per peccatum.

Columba, cùm non inveniret ubi quieſceret pes ejus, ad Noëmum redit revolatque: *Corvus* autem nec redit, nec revolat: hæret enim, inſidetque cadaveribus fluitantibus in mari, iiſque paſcitur.

Similiter anima pœnitens, ceu columba, pertæſa inanæ ſuæ libertatis, ad ſalutis arcam atque ad Deum regredi feſtinat, ab eoque miſerante admittitur.

Corvus verò, id eſt impœnitens animus, dum Corvus jactat corvinam illam vocem *Cras, Cras, Cras*, nec ſymbolum redit ad Deum, nec ut redire etiam paret, admitti- impœnitentis. tur, Cœli vindicis judicio. Ita nimirum, ut rectè ille ipſe S. Præſul.

Res eſt quæ multos occidit, cùm dicunt Cras, Cras, & ſubitò oſtium clauditur. Remanſit foris cum voce corvina, quia non habuit gemitum columbinum: Cras, cras corvi vox: Geme ut columbus, & tunde pectus. Serm. 16. de verbis Domini.

Ad duo nos excitat S. Auguſtinus. Primum eſt, ut exuamus corvi, id eſt impœnitentis, nigredinem, & ſupprimamus illius vocem malè ominatam: alterum, ut columbæ, hoc eſt pœnitentis candorem induamus, & colombæ gemitum demus, dum vita & tempus ſinit.

Quod ut impetret, ſic ólim ad Fratres ſuos, & ſic modò etiam ad nos.

Non tarderis converti ad Dominum: ſunt enim qui In Pſal. 101. *præparant converſionem & differunt, & fit in illis vox corvina: Cras, Cras. Corvus de arca miſſus eſt, non eſt reverſus: non quærit Deus dilationem in voce corvina; ſed confeſſionem in gemitu columbino. Miſſa columba, reverſa eſt.* Hæc ubi extulit de corvo, deque columba, hoc eſt de impœnitente, & pœnitente anima, tum ſic inſtat, & urget.

Quamdiu Cras, Cras? obſerva ultimum cras, quia Serm. 164. de Temp. *ignoras quod ſit ultimum cras*: & quia ignoras, time ne tibi, cùm minimè teris, ſit ultimum; ne tibi *cùm factus es corvus*, cùm dicis Cras, Cras, *cùm facis vocem corvinam, occurrat ruina, atque ut ille corvus, quem imitaris, exiit ex arca, & non redit*: ſic & tu, ex arca, hoc eſt è gratia, è qua exiſti, non redeas; ſed in peccato & impœnitentia tua moriaris, & pereas, merſus oceano æternæ damnationis.

QUÆ-

QUÆSTIO QUARTA MORALIS.

Ad illa verba: *Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat.* Joan. c. 7. ℣. 37.

QUÆ SIT ILLA SITIS, ET UNDE EXTINGUENDA?

Duplex ſitis.

DUPLEX omnino ſitis, una *corporis*, altera mentis. Corporis etiam duplex, una *naturalis*, altera *animalis*.

Naturalis, fit in quavis corporis parte, quando ſcilicet deficit in ea humidum: dicitur ea naturalis, quia naturale eſt, ut unaquæque pars, etiam plantarum, humorem appetat, quo reficiatur & recreetur. *Animalis*, fit in ore ventriculi, & ea dicitur, quia ventriculus eſt pars, in qua cunctis animalibus celebratur ſitis.

I. Corporis.

Et hæc, & illa grave malum eſt, & fortè è graviſſimis, quæ natura intrinſecus pati poteſt.

Certè dives Epulo conſtitutus in loco tormentorum, hoc eſt in centro, quo tormenta omnia confluxerant, unicam ſitim infelix Abrahæ Patri exponit, & de illa una queritur, eique uni remedium quærit, vel ab unica aquæ ſtilla, quæ flueret è digito Lazari.

Tract. 119. in Joan.

Et D. Auguſtinus Chriſti ſitim in Cruce, cenſet & ultimum, & graviſſimum illi fuiſſe ſupplicium, quod inde conficit, quòd de illa ſola ſit queſtus, cùm extulit illud, *Sitio*.

Non eſt conqueſtus de lacera ſibi cute & corpore, de perfoſſis membris, de capite ſpinis confixo; ſed de unica ſiti: crederes illam unam præ aliis perſentiſcere.

Et verò perſentiſcunt etiam omnes, cùm à ſiti penitus exareſcunt, indeque etiam ſedare omni niſu, omnique modo atque impenſa laborant.

Lyſimachi Regis ſitis.

Nota & celebris Lyſimachi Regis fuit ſitis, quam ut reſtingueret, non putavit minoris pretio, quàm regno toto aquæ cyathum ſibi eſſe redimendam.

Petr. d'Oultremani l. 1. c. 1. ſoll. 8.

In ſuo Itinerario.

Narrat Radzivillius, cùm apud quemdam Mahumetanum in Ægypto de Europæ commodis, atque imprimis de fontium in ea ubertate ac frequentia diſſereret, ſubjunxiſſe illum. *Et vos igitur immortales eſtis*: ſignificans ſiti plurimum iſtic mortales cruciari, quæ & morbos procrearet, & mortem

Sitis cauſæ quænam?

Hujus porro ſitis, quinque à medicis aſſignantur cauſæ: 1. eſt repletio ciborum nimia. 2. Evacuatio. 3. Labor. 4. Ardor. 5. Infectio: qui enim à Dipſade ſerpente mordentur in ſitim lethalem incidunt.

Sed hæc de ſiti corporea, ac naturali, verbo attigiſſe ſit ſatis, quia ea non facit ad meum inſtitutum, neque ad ipſam Chriſti mentem, atque intentionem, cùm mortales ad ſitim ſedandam, atque ad bibendum invitat.

II. Mentis.

Aliam ſpectat, aliam in nobis amat, & quærit Salvator Optimus eam ſcilicet, quæ eſt mentis. At quænam illa?

Eſt ſitis ſalutis noſtræ, felicitatis, beatitatis: hæc enim ſummè cuilibet ſitienda, ac deſideranda, veluti ſummum & ultimum bonum noſtrum, quod, *qui ſitit*, inquit, *veniat ad me*, per fidem, per charitatem, *& bibat*, id eſt hauriat à me, ceu fonte vivo, & ſatiabitur.

Liberum iſtud, verum tamen Tertulliani. *Nunquam IESUS ſine aqua*, non illa elementari, atque naturali (ſine hac enim fuit cùm ſitiit) ſed aqua cœleſti, aqua ſupernaturali, quæ eſt gratiæ, & quæ in Chriſto eſt ceu fonte perenni; & cujus ſitim in nobis excitari voluit indulgens JESUS: cujus enim potius?

Aquæ & gratiæ conſenſio.

Gratiam in aquâ, veluti Symbolo quodam, adumbrari atque exprimi voluit Chriſtus ob aliam atque aliam cum aqua conſenſionem.

Prima.

Prima eſt, quòd aqua omnes ſordes eluat, & terræ inquinamenta detergat: hinc antiquior ille verſus, *Humanâ Tethys cuncta detergit aquâ.*

Quod corpori elementaris aqua; hoc & animo, gratia, cujus ſcilicet maculas, id eſt peccata diluit: & verò diluere voluit JESUS, cùm ad ſalutem humani generis, maxima quæque ſacramenta in aquarum ſubſtantia condidit, ut canit Eccleſia.

Secunda.

Secunda, *Aqua* uti mater eſt, ſic & nutrix rerum creatarum: *Initium vitæ hominis, aqua, & panis*, inquiebat Siracides.

Ecclef. c. 29. v. 28.

Initium, hoc eſt caput, & ſumma ad vitam hanc mortalem ſuſtinendam, eſt aqua & panis: his contenta natura, annos producit, eoſque ſalubres, & vegetos.

Myſticè, ut ait Hugo: *Initium* vitæ ſpiritualis eſt aqua Baptiſmi, & collata per eum gratia, & panis Euchariſticus. His ſuſtentatur, his alitur, atque extenditur ſpiritalis animæ vita, ſeros, imò æternos in annos.

Per aquam, vitam produci, ac propterea Syrios ter centum annos vixiſſe, tradidit Lucianus.

Brachmanas quoque diu vixiſſe, cùm nihil præter aquam biberent teſtatur Suidas: quod ſi verum eſt, verius de aqua gratiæ, beatos in annos, imò etiam æternos.

Tertia.

Tertia, *Aqua* non modò in ſe fœcunda; ſed & mater fœcunditatis. Quæſivit aliquando Plutarchus, quid cauſæ fuerit, cur ſponſa in nuptiis illius ævi, juberetur aquam & ignem tangere, & hanc attulit, quòd in rerum generationibus ſe haberent veluti *mas & fœmina*. Et ignis ut principium motionis, aqua verò ut ſubjectum & materia; unde nec ignis ſine humore, nec aqua ſine igne fœcunditatem haberet. Nota deinde aquarum, & maris fœcunditas, quæ terram ſuperat.

Et gratia mirè fœcunda; ex ea enim & virtutes propè omnes manant, ceu incluti, & nobiles illius partus: ex ea etiam actus ſupernaturales, ceu principio fluunt: etſi enim habitus virtutum ſingularum ad earum actus concurrant: at Gratia ad omnes, ceu generale earum principium & cauſa. Et inde admiranda Gratiæ fœcunditas.

Quarta.

Quarta, *Aquam* ſitim ſedat, & febrium ardores, & ignis æſtus atque incendia extinguit, quantumvis luculenta. Inde ab Æſchilo, dicta eſt *Aqua, Ignis ſupplicium*: & aquam inter & ignem ſua eſt lis, eaque continua: pugnat enim aqua igni, & ignis aquæ.

Et gratia quoque aqua eſt, quæ omnes libidinis ignes ardoreſque edomat ac vincit.

Zamiæ fons, ejuſque effectus.

Nominatus fuit *Zamia* fons, de quo Athenæus, qui potantes abſtemios reddebat, & gulam frænabat; uti & *Cyzici* fons, qui epotus amorem Veneris tollebat: ita illius aquæ fomitem auferre libidinis, & hujus etiam libidinem ipſam penitus expellere, quod & facit *Gratia*, quæ ubi animam vel tantùm imbuerit,

Digitized by Google

imbuerit, ſopit in ea, & Veneris ardores, & Gulæ incendia, quibus aliàs arſiſſet.

Quinta,

Quinta, *Aqua* eſt medica, morbiſque prope omnibus medelam affert. Teſtes erunt Hieroſolymis aquæ *Piſcina Probatica*, quæ Hebraicè dicta *Bethſaida*, hoc eſt domus effuſionis, quòd in ea, atque ex ea effunderetur aqua, eaque medica illi, qui primus poſt motionem aquæ intraſſet: ſanabatur enim is, à quacumque detineretur infirmitate, tanta nimirum illi vis inerat ad diluendos morbos omnes, quam etſi miraculo aſcribi voles, non naturæ, non equidem negabo: affirmabo tamen illam & gratiæ typum fuiſſe, & illius velut expreſſam imaginem, quam & natura quoque impreſſit in aliis fontium aquis, uti in agro Leodienſi in Spadanis aquis, & Aquiſgrani in Thermis: atque etiam in aliis orbis partibus non abſimilis virtutis viſæ ſunt aquæ, quarum effectus ſanè prodigioſus mirari licet, ſcire cauſas viſ licet, uti eſt illius in *Vltonia*, Hiberniæ regione, in qua fons, quo qui abluitur, nunquam caneſcit, putares ab eo quaſi perennem fore juventutem, ſenium autem aut ſerò, aut nunquam.

Aqua Spadana.

Sylveſter Giraldus

Quod ab illis aquis corporibus affulget boni, quod & medicæ virtutis, quod & ſanitatis, id animo affunditur ab aquis gratiæ; imò vel ab unica illius ſtilla, à qua eluuntur omnes animi morbi lethales, hoc eſt omnia peccata mortalia purgantur, fitque homo perfectè ſanus, vegetus, & valens, & à vitiorum ſenio redditur ſpiritali veluti juventuti, & quamdiu eam aquam, id eſt gratiam, ſervat, caneſcit nunquam, nunquam ſeneſcit à vitiis.

Sexta.

Sexta *Aqua*, ut mollis ſit, ſuavis & tractabilis, ipſa tamen vel unica, plura ſuſtinet quàm tria alia elementa, ingentes navium moles dorſo portat, evehitque ab uno orbe in alium; imò & navium claſſes, ac velut urbes ligneas exportat, & fulminantes in iis machinas bellicas, crederes Jovem alterum, eumque tonantem.

Et Gratia leve reddit quidquid eſt grave, & facile omne quod eſt oneroſum; & quod putes impar eſſe viris etiam validis & robuſtis, imò & ipſis cœlorum Intelligentiis, etiam tenellis virginibus facit eſſe non difficile; imò & jucundum. Teſtes erunt illæ, mediæ inter equuleos, cataſtas, rotas, ferrum, & ignes, quibus omnibus ab una gratia ſuperiores evadunt, & inter Tyrannorum iras atque furias ſemper victrices.

Septima.

Septima *Aqua*, eaque potiſſimùm, quæ fontium eſt, ea copia, eóque impetu aquas continuò effundit, ut poſteriores ſemper priores propellant, & licet per valles deducantur, cogunt tamen eas per tubos exilire, etiam ad tantam altitudinem, quanta eſt ipſius ſcaturigo.

Et Gratia divini ſpiritus è cœlo in mentem humanam, ceu vallem, demiſſa, velut è primo illius omnis boni fonte, rivulus, proſilit tamen, atque ad ſui originem uſque, hoc eſt, aſcendit ad Deum, & in ipſam Empyrei ſedem, ac vitam æternam effunditur.

Teſtes erunt de hac aqua illæ Chriſti ad Samaritanam voces. *Aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ vivæ ſalientis in vitam æternam.*

Joan. c. 4. v. 14.

Arabicus vertit, ſcaturientis in vitam æternam. Hæc nimirum eſt Scaturigo, ad quam aſcendit Aqua gratiæ, quæ licet ad aquam gloriæ ſit veluti gutta ad Oceanum, eſt tamen quaſi derivatus ex ea rivulus, qui ad eam ducit & portat.

Verùm ut ea ſit conſenſio inter aquam hanc elementarem, & Gratiam, ſua tamen eſt diſſenſio; eáque expreſſa hoc ipſo Chriſti oraculo.

Qui biberit ex aqua hac, ſitiet iterum: qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum.

Diſſenſio inter aquam & Gratiam.

Hæc aqua, id eſt hujus mundi, eſt voluptas omnis, felicitas omnis, quæ hauriri poteſt ex illius bonis, ſeu ea fortunæ fuerint, uti ſunt divitiæ, honores, & magni nominis umbræ; ſeu naturæ, ut bona corporis, valetudo, bona ſenſuum, ſeu voluptas, quæ ſenſibus percipi poteſt: ea omnia ſunt aquæ mundanæ & terrenæ felicitatis, ex quibus qui biberit, ſitiet iterum, nec unquam ſatiabitur; quod liquidò patebit ex tribus qualitatibus & proprietatibus mundanæ & terrenæ felicitatis, quæcumque demum illa ſit.

Tres qualitates terrenæ felicitatis.

Ex his duas expreſſit Samaritana in colloquio, quod habuit cùm Chriſto; tertiam ipſe Chriſtus.

Prima.

Prima eſt, quòd bonorum hujus ſæculi felicitas, ægrè & magno cum labore acquiratur, nec poſſideatur ſine cura, ſine amittendi diſcrimine. Hanc extulit Samaritana, cùm ſic ad Chriſtum.

Domine neque in quo haurias habes, & puteus altus eſt.

Luc. c. 4. v. 11.

Ut hauriatur aqua, effodi debet puteus, & profundùm quidem, tum educi per fiſtulas aqua, fune aut catena longiore: en labor catenatus, quem ubi adhibueris, eritque in putei margine ſitula, ex eâ effunditur ſæpiùs aqua, etiam antequam ſit epota. Quod in aqua, hoc & in bonis omnibus hujus ſæculi: quàm multis vix guſtata multo labore humanæ felicitatis aqua derepentè effuſa! nimirum etiam in hac verum illud Poëtæ:

Multa cadunt inter calicem ſupremáque labra.
Quam multis, medio de fonte leporis,
Surgit amari aliquid, quod in ipſis faucibus angit.

Nempe evenit illis quod Iſaaco, cui invidentes Palæſtini, puteos omnes, quos effoderat, obſtruxerunt. Ecce *invidiam*, primum illius malum.

In Gerars fodit alios puteos, ſed & ibi jurgium fuit Paſtorum Geraræ adverſus Paſtores Iſaac; *dicentium noſtra eſt aqua.*

Et en jurgia, en contentio, en lites, malum utique alterum pejore prius, propter quod Nomen *putei, ex eo quod acciderat vocavit calumniam.*

Geneſ. c. 26.

Foderunt autem & alium, *& pro illo quoque rixati ſunt, appellavitq; inimicitias.*

En effectus harum aquarum, enatus ſcilicet ex iis labor, hoc eſt invidia, jurgia, calumniæ, inimicitiæ, quibus omnibus, quid laborioſius eſſe poteſt? quid toleratu difficilius? cùm non ſit niſi labor & dolor.

Secunda.

Secunda qualitas hujus aquæ, eſt quod ſit communia beſtiis ac pecoribus æquè ac hominibus: quod oſtenditur ex illis ipſis Samaritanæ vocibus:

Iacob dedit nobis puteum iſtum, & ipſe ex eo bibit, & filii ejus, & pecora ejus.

Ecce ut aquæ potus communis eſt & hominibus & jumentis; imò his magis proprius, uti & voluptas. *Voluptas enim proprium pecoris bonum*, quod nec pudor, nec timor à delectatione extrahit, nec ejus ſeorſum conſcientiæ remorſus avocat, aut impedit, nec interturbant negotiorum curæ, & inde toto corpore & ſenſu in voluptates incumbit.

Voluptas pecoris bonum.

Contra quam fit in homine: etſi enim hic ſeſe abjiciat ad illas corporis & ſenſuum voluptates, ad inſtar pecoris; tamen hoc non facit ſine timore, pudore, & conſcientiæ reluctantis morſu atque lanienа, quod ingens profectò malum eſt, & bonum, quodcumque fuerit, perturbat.

Qui ejuſmodi ſunt, dicuntur à Juda Apoſtolo *Animales, ſpiritum non habentes*: & comparantur à Davide *jumentis inſipientibus*. Quibus enim potius? Certè pejores brutis ſunt: hæc enim ſolo ducuntur ſenſu, illi etiam ratione, quæ ſenſum vincere debuit.

Epiſt. v. 19.

Pſal. 48. v. 13.

Sardanapalus.

Ex iis fuit *Sardanapalus*, monſtrum hominis, & mancipium voluptatis, cujus mens expreſſa in ejus Epitaphio, quod eſt ejuſmodi.

Ejus Epitaphium.

Hæc habeo, quæ comedi, & luſi, & cum amore voluptates hauſi; cætera felicitas omnis effluxit: dignius bove quàm homine Epitaphium: ſed abeamus ab

illo,

Digitized by Google

illo, veniamuſque ad tertiam qualitatem hujus aquæ, id eſt terrenæ voluptatis.

Tertia.

Eam extulit ipſe Chriſtus, cùm ſic ad Samaritanam. *Qui biberit ex aqua hac, ſitiet iterum.* En totum omne quod ab hac aqua reliquum eſt, videlicet ſitis, & quidem rabida atque inſatiabilis, quam indicatam voluit D. Joannes Evangeliſta, cùm aſtruit illud:

1. *Joan. c. v. 16.*

Omne quod eſt in mundo concupiſcentia eſt: quod ſi *concupiſcentia*, ſanè & ſitis ipſa: concupiſcentia quippe non eſt niſi ſitis: nec enim concupiſcitur, niſi quod ſititur; & quò plus concupiſcitur, hoc & plus ſititur: nec mirum, quia concupiſcentia, dum in ſtomachum, dum in animum demittitur, demittitur & ſimul ipſa ſitis, adeóque & rabidus quidam ab illa ardor.

Uxor Loth cur verſa in ſtatuam ſalis.

Quæri ſolet ab Interpretibus, cur uxor *Loth*, verſa ſit in ſtatuam ſalis? certè ſi memoria illius, & monumentum divinæ ultionis à Deo ſtatui debuit, debuit potius aut marmorea, aut ærea ſtatui, ut eſſet perennior, quàm ſalis, qui aqua diſſolvitur. Cur igitur verſa in ſtatuam ſalis?

In Gen.

Reſpondet Origenes, *Loth* fuiſſe veluti Symbolum aliquod *Spiritus*, uxorem verò *Carnis*, ut pote quæ obnoxia, & prona in concupiſcentias carnis, oculos ad illas continuò reflectebat: & hinc mutata in ſtatuam ſalis, ut concupiſcentiam carnis exprimeret, quæ uti ſal, magis, ac magis ſitim excitat, atque auget.

Si ſalis fruſtulum ore excipis, ſi in ſtomachum demittis, quò plus ſumpſeris, hoc plus ſitim accendis: & en tibi concupiſcentiæ Symbolum, cui quò plus indulges, plus vis indulgere; quò plus bibis ea ea, plus vis bibere, quò plus & ſitis, plus & pergis ſitire.

Demus exempla in triplici concupiſcentia, quæ in mundo eſt, videlicet, *carnis*, *oculorum*, & *ſuperbia vita.*

Proverb. c. 30. c. 15.

Sapientis calculo tria ſunt inſaturabilia; *Infernus*, *et vulva*, & *terra qua non ſatiatur aqua.*

Concupiſcentia eſt Sanguiſuga.

Hebraïcè *Alutha*, id eſt ſanguiſuga, cui (ut aiunt Rabbini) *tres erant filia admodum dilecta, & tres illa, non explebant illam.*

En tibi ſymbolum concupiſcentiæ: ut enim ſanguiſuga, *ubi uſpiam adheſerit, ſanguinem haurit, & cùm nimio cruore maduerit, id evomit quod hauſit, ut recentiorem denuò ſugat; nec tamen etiam hoc ſatiatur*: ſic & concupiſcentia, ubi adepta fuerit, quod concupivit, id quaſi nauſeando reſpuit, & novas delitias quærit, quas ut hauſerit, non tamen iis expletur, ſed alias ambit atque alias.

Quod concupiſcentia, ceu peſſima atque inſatiabilis mater, hoc & tres ejus filiæ, & ipſæ quoque peſſimæ atque inſatiabiles.

I. Concupiſcētia carnis.

Prima eſt *concupiſcentia carnis*, ſignificata per *et vulva*, quia in eo maximè viget libidinis ſenſus, qui non ſatiatur uſu; ſed potiùs magis ac magis accenditur.

Contra Jovinianum.

De hac ita D. Hieronymus, qui ex Septuaginta vertit: *Amor mulieris*, de quo ſic ait, *ſemper inſatiabilis eſt, qui extinctus accenditur, & poſt copiam, rurſum inopi eſt; nec ipſo uſu extinguitur, ſed immoderatiùs ac vehementiùs inflammatur.*

Amor mulieris.

Exemplo erit ille ipſe Salomon, qui ut cæteros vinceret ſapientiâ, victus tamen, ſi ullos, ab amore mulierum, cujus præſcia videtur fuiſſe mater ejus *Bethſabeë*, vel divina revelatione quam inſinuat: *Viſio quâ erudivit eum mater ſua*, vel Nathan Propheta, qui eam edocuit, quo amore in mulieres etiam externas eſſet aliquando exarſurus, ad quem proinde ſic illa:

verſ. 2. *Quid dilecte mi, quid dilecte uteri mei, quid dilecte*

verſ. 3. *votorum meorum. Ne dederis mulieribus ſubſtantiam tuam.*

Chaldæi vertunt, *quale va fili mi? va fili uteri mei, va fili votorum meorum.*

Tertiò repetit eam voculam, *fili*, ut oſtendat vim amoris; tertiò etiam iſtam, *va*, ut explicet vehementiam doloris concepti, ex eo quòd præſciret quàm multas accepturus eſſet, tum uxores, tum concubinas, præſertim alienigenas, & quanta inde animo lues, quantum omni populo ſcandalum, & quàm noxium toti poſteritati exemplum: quæ mala ut averteret à filio, hæc ad illum in primis monitis:

Ne dederis mulieribus ſubſtantiam tuam. Hebraicè *verſ. 3.*
robur tuum. Chaldaicè *fortudinem tuam.* Septuaginta *ſubſtantiam tuam, & mentem tuam.* Hoc eſt animum, utique potiorem tui partem, & corpus, ejus vires exhauriendo, robur enervando, & ſanguinem exhauriendo: hæc enim omnia tollit & perdit nimius mulierum amor, & vaga libido: Et en tibi illius exemplum. Accipe aliud ex concupiſcentia oculorum, quæ eſt ſecunda concupiſcentiæ, ſeu ſanguiſugæ filia, & notatur ex *terra*, *qua non ſatiatur aqua*, cui ſimilis eſt avarus, & cui evenit quod terræ aridæ & ſabuloſæ, quæ non ſatiatur aqua: ſed pluviam etiam copioſam haurit, & ſorbet illicò, neque tamen ea expletur; ſed ſtatim exareſcit.

II. Concupiſcentia oculorum.

Avari ſitis.

Sic & avarus omnis, eſto ingentes opes acquirat velut arens terra, eas haurit atque abſorbet, & majores ac majores ſitit, auri quippe cupiditas, & ardor habendi nunquam ſatiatur: ſed quò plura habet, plura deſiderat, & in eum quoque cadit illud Poëtæ in Hydropicos.

Quò plus ſunt pota, plus ſitiuntur aqua.

Rectè, inquit D. Chryſoſtomus, *Avaros* dixeris hydropicos: quomodò enim *ſi multam aquam ferentes in corpore, magis urentur; ſic & avari multas circumferentes pecunias, plures concupiſcunt.*

Hom. 15. Epiſt. 1. ad Corinthios.

Cauſa autem eſt, quia neque illi in quibus convenit locà aquam habent, neque iſti divitias in quibus convenit affectionibus & cogitationibus.

Clariùs eloquor, hydropicus aquâ uritur, quia ſcilicet in eo aqua, quæ ſtomachum & vitalia refrigerare deberet, trahitur ad extima, ut reſideat inter carnem & cutem, quo fit ut & ſtomachus, & vitalia, aquæ refrigerio deſtituta, calore ardeant, & aſſiduè ſitiant.

Sic & avarus omnis, quia divitias, ceu aquam, non effundit in egenos & pauperes, uti neque cogitationes ſuas, neque affectiones; fit ut ſemper ardeat, ſemper & ſitiat: quia aqua, id eſt illius opes, & bona, non reponuntur loco ſuo naturali, hoc eſt in egenorum & pauperum ſinu; ſed planè alieno, & quaſi extimo, hoc eſt in voluptatibus, & ſeorſum externorum inſanis cupiditatibus: & hinc fit, ut quò abundantiores habet divitias (ceu hujus mundi aquas) hoc plus ardeat, plus & ſitiat.

Dives Epulo.

Exemplo erit Evangelicus ille Dives, qui ſic olim ad ſeipſum, & in ſeipſo.

Luc. c. 12. v. 15.

Cogitabat enim intra ſe, & dicebat: Quid faciam? quia non habeo, quò congregem fructus meos.

O anguſtiæ, exclamat S. Gregorius, ex ſatietate natæ! O paupertas, inquit Euthymius: eget loco qui abundat opibus & loculis: *Haret enim & angitur tanquam admodum pauper, quia nimirum locuples, qui cùm ſatiatus fuerit, arctabitur*, ut inquiebat Jobus.

Job c. 20. v. 27.

At cur, inquies, *arctabitur*, cùm ſit locuples? cùm ampliſſimos habeat proventus? Rationem reddit D. Baſilius, quia ei *non redditus fert ipſa terra; ſed gemitus producit*: en cauſa inſatiabilis illius ſitis.

Homil. in hac Chriſti verba.

III. Superbia vitæ.

Venio ad *ſuperbiam vita*, quæ eſt tertia filia concupiſcentiæ, ſeu ſanguiſugæ noſtræ; ea componitur cum igne, qui *nunquam dicit ſufficit*, vel ut Hebræa vox *Hau* ſatis eſt.

Et hæc ſuperbia vitæ, hæc & ambitio, ignis eſt ob multas cum eo analogias.

Prima

Prima, ut ignis natura ſua ſorſum ſemper enititur: ſic & ambitio, ut alta, id eſt honorum culmina conſcendat. Secunda, quo plures honores, & magiſtratus adepta fuerit, eò acrius inflammatur, ut ad altiora gradum faciat.

Superbia ignis eſt.

Tertia, ut ignis terræ inclusus, eam quatit, & terræ motum concitat; ſic & ambitioſus, qui humi jacet, omnia movet, omnia turbat, omnia concutit, ut tandem evadat ex humili fortuna, graduque, ad ſublimiorem, atque *ex Iro Crœſus* fiat.

Eos porrò motus videmus, utique in cuniculis, ubi accenditur, atque igneſcit pulvis nitrius, qui & mœnia, & propugnacula validiora evertit, ingenteſque murorum minas; imò & caſtella diruit impatiens abſcondi, & teneri ſub terra: ſic & ambitioſus, ut ſibi, cùm latet, viam faciat ad elatiora, & ſibi adverſantes excutit, & ſubinde etiam urbium moles, imò & Regnorum pacem interturbat, & ſubinde perdit. Quid facias? ignis eſt, facit ſuo vitio quod ignis natura ſua.

Quarta analogia hæc eſt, ut ignis ſubtilitate ſua, atque efficacia, omnibus propè rebus ſeſe inſinuans eas depaſcitur: ſic & ambitio, ſic & vitæ ſuperbia, omnibus ſeſe inſerens, ea ſibi quodammodo incorporat, unit, & ignit: denique ubi ea omnia ſibi incorporarit, ubi unierit, ubi abſumpſerit, ac perdiderit, deficiente tandem pabulo, & ipſe deficit. Sic & ſuperbus, atque ambitioſus, ubi per omnes propè dignitatum gradus aſcenderit, & ſe ipſe quodammodo exhauſerit, ad nihilum ſubinde redit: cujus probè conſcius *Theopompus*, à Pyliis oblatos ſibi ſummos in Republica honores dum reſpuit, extulit illud dignum cedro, dignum & melioribus ceris.

Mediocres honores ipſum tempus auget, immodicos abolet.

Ut omittam antiquiora ſæcula, unum producam, quod vicina nobis vidit ætas, hoc eſt ſuperius ſæculum.

Erit ille *Wolſæus* Anglus, qui ex abjectiore fortuna evaſit ad primas in Eccleſia, & in Regia dignitates.

Wolſæl Anglicanus.

Primò enim ex ſacerdote plebeio, factus eſt Sacellanus Epiſcopi Vinceſtriæ, tum Regi ab eleemoſynis: neque hic quievit, ſitivit iterum. Inde Epiſcopus *Lincolniæ*, tum etiam Archiepiſcopus Eboracenſis: & ecce ſitivit iterum. Quid inde? Cancellarius fit Angliæ, en profana dignitas juncta ſacræ: neque ab illa extincta ſitis; ſitivit enim iterum: Tum fit legatus à latere, nec ſibi tantum conſulit, ſed & aliis; omnes Regni infulas pro ſuo arbitrio diſtribuit, omnia deglutit ſacerdotia, Rex etiam eum colit loco patris. Carolus V. Imperator ad eum ſcribens, ſe ejus cognatum & filium nominat: neque tamen & his titulis ſedata cupiditas: ſitit enim iterum: at quid ultra ſitit? Papatum ſcilicet, & quia *Hadrianum* Belgam ſibi prælatum videt, totum Regnum ſuſque déque vertit; Schiſma inducit, & cùm pejora meditaretur, pejora ſitiret, atque inanis, in carcerem conjicitur; ibique vitam, non ſitim extinguit, adeo de ambitioſo verum illud Chriſti oraculum:

Qui biberit ex aqua hac, ſitiet iterum.

Et certè quidni ſitiret, cùm ambitio ignis ſit, & *Ignis dicat nunquam ſufficit.*

FERIA TERTIA

HEBDOMADÆ QUINTÆ QUADRAGESIMÆ.

Hujus Evangelicæ hiſtoriæ ſeries in tria puncta contrahitur: In primo deſcribitur IESUS veluti profugus, atque exul à Iudæa, hærere in Galilæa, & hoc timore mortis, quam meditabantur Iudæi, non alia de cauſa, quàm odio veritatis, quam illis ponebat ob oculos. In ſecundo declarat ex lege paternæ, id eſt Divinæ Providentiæ, necdum adveniſſe tempus ſuæ Paſſionis ac Mortis. In tertio oſtenditur quis fuerit de CHRISTO populi ſenſus, quis ſermo, & quàm varius, dum hi ut bonum, & ſanctum laudant, & virtutibus ac miraculis clarum venerantur: illi verò habent pro ſeductore popelli, eóque vitio notant.

Sic in varia ſtudia abire ſolet ignarum vulgus, maximè cùm id trahitur à ſuis Principibus. Et hæc Evangelii ſummula, pro qua ſit

QVÆSTIO PRIMA

LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Non volebat in Iudæam ambulare.* Joan. c. 7. ℣. 1.

CVR NON VOLEBAT?

Rationem ſubjicit Evangeliſta, *quia quærebant Judæi eum interficere*, per ſummum nefas & ſummam immanitatem: Sed hinc movetur quæſtio, cur in Judæam aſcendere noluit, & hoc quidem timore mortis, quam tamen amabat ardentiùs, quam & quærebat ſtudioſiùs.

Certè & tacitus naturæ ſenſus, & ratio docet; imò & experientia probat, eum, qui aliquid amat non timere, & qui quærit non fugere. Cur igitur JESUS & mortem quam amabat timuit, & quam quærebat fugit? In hoc vertitur cardo quæſtionis.

Ratio dubii.

Amaſſe verò & quæſiſſe mortem, vel ex hoc liquet quod ipſe eatulit aliquando cùm dixit.

Luc c. 12. v. 50.

Baptiſma babeo baptiſari, & quomodo coarctor uſque dum perficiatur.

At-quia ille Baptiſmus? non aquæ fuit; ſed ſanguinis, ſed Paſſionis & mortis, effuſo propè toto Sanguine: nec alio opus interprete, cùm & ipſe ſui fuerit interpres, cùm ſic ad Diſcipulos.

Marc. c. 10. v. 38.

Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? & baptiſmo, quo ego baptizor baptizari? Ut enim calix Paſſionem indicat; ſic & Baptiſmus hic Paſſionem & mortem, quia ſanguinis, quo & tingi & propè mergi debuit.

In Epiſt. ad Lubaia.

Et verò debuiſſe advertit D. Cyprianus cùm ait: *Non alia fuit Dei Filio cauſa naſcendi, quàm ut Cruci poſſet affigi.*

Non alius etiam in omni vita labor, quàm ut pateretur, ut moreretur Chriſtus: *Ita amavit Crucem & Paſſionem ſuam, ut ad eam conſequendam omnes vitæ labores & ærumnas adiverit, ſicut vani amatores omnia ſua ordinant ad obtinenda ea, quæ intendunt*, inquiebat S. Leo.

Serm. 10. Quadrag.

Denique in ipſis vitæ mortiſque cõfiniis, non alia cura fuit, quàm ut citiſſimè, & pati, & mori poſſet.

Hinc ſurgens, ſic etiam ad Diſcipulos: *Surgite, eamus hinc, ecce appropinquat qui me tradet.* Non ſe ſubſtrahit adventantis Judæ oculis, non militum turbæ, non vim vi repellere parat; ſed ultrò eis fuit obvius; imò & his compellat.

Quem quæritis? cumque ſubjunxiſſent JESUM *Nazarenum*, ſic ad illos: *Ego ſum.*

Ita nimirum coarctabatur uſque dum perficeretur baptiſmus ille ſanguinis, eratque inſtar torrentis, qui inter aggeres contineri neſcius erumpit impete valido. Ita Chriſto & animus, & ardor moriendi intumeſcebat, ad inſtar torrentis ſeſe effundebat.

Cur ita? quia amabat: ſi igitur ita amabat, cur timebat; ſi ita quærebat, cur fugiebat?

Rationes illius timoris

Aliæ atque aliæ produci poſſunt rationes. Prima eſt, ut vel eo probaret aſſumpſiſſe ſe naturam humanam, eamque veram & realem; non autem apparentem & phantaſticam, qualem ſolent Angeli, & cœleſtes Intelligentiæ, cùm ad aliquam, eamque brevem ſcenam, aſciſcunt ſibi corpus, & illud efformant ex aëre, aliáve materia, uti deinde dicturus erat Marcion, aliique hæretici, quod perfidiæ erat: ut enim S. Leo Pont. Max. *Æqualis erat periculi, æqualis & ſceleris Dominum IESUM Chriſtum, aut Deum tantummodò ſine homine, aut ſine Deo, ſolum hominem credidiſſe.*

Prima.

Serm 7. in 2. ad Philip.

Secunda, eaque manans è priore, hæc fuit, ut oſtenderet ſe, unà cum humanitate, & anima juncta carni illius aſciviſſe ſibi paſſiones, quas inter fuit timor mali impendentis: timor dico mortis, quanquam & timor, & aliæ paſſiones in Chriſto, non tam fuêre paſſiones, quàm propaſſiones: erant enim omninò ſubjectæ & rationis imperio, & Dei, nec movebantur ſine hujus & illius nutu, uti ſecus fit in nobis, in quibus ſubinde, & ſæpiùs paſſiones & rationem præveniunt, & perturbant; nec ſequuntur, ſed fugiunt; nec amant, ſed averſantur.

Secunda.

Tertia, ut Chriſtus tentaretur per omnia, abſque peccato. Aurum probatur igne, verumne ſit, an adulterinum; juſtus, an Cœlo, Deoque fidelis etiam tentatur: & Chriſtus tentari voluit quaſi *Vir dolorum, & ſciens infirmitatem noſtram*, qualis infirmitas eſt timor, dolor, triſtitia, anxietas, aliæque ejuſmodi infirmitates, quas in Chriſto admittere divini conſilii fuit, fuit & divinæ bonitatis, atque in nos indulgentiæ, exemplique divinioris: ut & nos tentari, hoc eſt per omnia probari, diſceremus, & amaremus.

Tertia.

Iſay. c. 53. v. 3.

Quarta, timet Chriſtus periculum, & Paſſionis, & mortis, ut & nos pericula timere doceat, nec temerè in ea nos conjicere: hinc modò latet, & abſcondit ſe, modò fugit. *Quando latuit, ut homo, quando fugit ut homo, non potentiam perdidiſſe putandus eſt; ſed exemplum infirmitatis tribuiſſe*, inquiebat D. Auguſtinus: infirmitates dico noſtræ, qui nec eo robore, nec eâ potentiâ ſimus quâ Chriſtus, qui tamen & latuit, & fugit.

Quarta.

Tract. 28. in Ioan.

Tibi periculum imminet aut fortunarum, aut etiam vitæ, ſecede, & illi te ſubſtrahe, etiam fugâ non indecorâ, nec expecta donec te Deus eo liberet etiam miraculo: hoc enim non tam eſſet fiduciæ in Deum, quàm impudentiæ, quàm præſumptionis, quàm temeritatis, quæ miracula expectat atque ambit, cùm ea nec neceſſitas exigat, nec ratio poſtulet.

Ita Paulus Doctor Gentium, cùm à Præpoſito Damaſci impenderet periculum captivitatis & vinculorum, eo ſe ſubduxit, & ſe per murum in ſporta demitti paſſus eſt, ut ſeſe periculo eximeret, & ſervaret rebus ſecundis; quod non fuit timiditatis, ſed prudentiæ ſingularis; non vitii, ſed virtutis.

Non deſperaverat Apoſtolus Paulus adjutorium, protectionemq́; divinam, fidemq́; perdiderat, quando per murum in ſporta ſubmiſſus eſt, ut inimicorum manus effugeret: non enim in Deum non credendo ſic fugit; ſed Deum tentando fugere noluiſſet, ſic fugere potuiſſet, inquiebat D. Auguſtinus.

Quanquam quid ad Apoſtolum appello, cùm in oculis ſit vel ipſum Chriſti exemplum, qui diabolo præcipitium ſuadenti, atque adpromittenti Angelorum præſidium, reſponderit, *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Suggerebat malus genius importunum illud Davidis: *Angelis ſuis mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis.* Perperam erat iſtud: *In viis mandavit Deus, ut cuſtodiant*: ſed nunquid in præcipitiis, *qualis via hæc, de pinnaculo templi mittere ſe deorſum?* Quærit D. Bernardus: *Non eſt hæc via, & ſi via, tua eſt, non illius.*

Matth. c. 4. verſ. 7.

In Pſal. Qui habitat.

Et quia illius erat, non Chriſti, hinc opponit iſtud: *Non tentabis Dominum Deum tuum.*

Sed cur opponit? certè non tam ſibi pro clypeo atque umbone, quàm nobis: ut enim D. Auguſtinus: *Qui palam docenda & arguenda, & tamen inimicorum rabiem in ſe aliquid valere non ſinendo, hominis inſtruebat infirmitatem, ne Deum tentare audeat, quando habet quod faciat, ut quod cavere oportet, evadat.*

Et hinc mihi datur in manus quinta ratio de fuga honorata in perſecutionibus, contra quam declamavit olim Tertullianus libro integro ad Fabium, à quo rogatus fugiendúmne eſſet in perſecutione? reſpondit nequaquam, docuitque aliis atque aliis argumentis.

Quinta.

Primum petebatur à Dei voluntate, de qua eſt iſtud effatum: *Nihil fieri ſine Dei voluntate, qui eam, nempe perſecutionem, reſpicit imprimis dignam Deo eſſe, & (ut ita dixerim) neceſſariam ad probationem ſervorum ejus, ſive reprobationem. Quis eſt enim exitus perſecutionis, quis effectus alius niſi probatio, & reprobatio fidei, qua ſuos utique Deus examinavit?*

Cap. 1.

Perſecutio probatio eſt.

Hæc palea illa, qua & nunc Dominicam aream purgat, Eccleſiam ſcilicet, confuſum acervum fidelium eventilans, & diſcernens frumentum Martyrum, & paleas negatorum.

Hæc ſcala quas ſomniat Iacob, aliis aſcenſum in ſuperiora, aliis deſcenſum ad inferiora demonſtrantes.

Secundum erat à Dei gloria: *Totum enim quod agitur in perſecutione, gloria Dei eſt probantis, & reprobantis.*

Tertium quòd à *Deo corona, & præmia proponantur, à quo ſcilicet certamen edicitur.*

Quartum, quod in perſecutione excitantur fideles ad ardua virtutum: in hac enim elucet Fides, Spes eminet, accenditur Charitas, vis animi magna, & fortitudo, ſeſe exerit in adverſis, quæ aliàs & lateret & jaceret.

Quando,

Quando, inquit, *Deus magis creditur, niſi cùm magis timetur, niſi in tempore perſecutionis, cùm Eccleſia in attonito eſt: tunc enim & fides in expeditione ſollicitior, & diſciplinatior in jejuniis, & orationibus, in humilitate, diligentia, dilectione, ſanctitate, non enim vacatur niſi timori, & ſpei.*

Quintum argumentum trahitur à longa ſerie locorum Scripturæ ſacræ, quam ad ſuam mentem & ſenſum detorquet.

Verùm cùm ea Tertulliani opinio, & numeretur inter illius errores & hæreſes, & paſſim ab omnibus catholicis repudietur, ſitque contraria praxi Sanctorum, & ipſi præcepto Chriſti, eam omninò rejiciendam cenſemus.

Matth. c.10. v. 23. Certè fuit illud Chriſti mandatum. *Cùm perſequentur vos in civitate iſta, fugite in aliam: non timendò paſſionem*, ait Beda, *ſed declinando, ut tribulationis occaſio ſeminarium fieret Evangelii*, quod ſcilicet aliis atque aliis in locis promulgaretur occaſione

Fuga in perſecutionibus. perſecutionis, ſicque illius fuga, non tam ex timore quàm ex amore Dei, & animarum proventu inſtitueretur: imò & ex ipſius fugientis bono: ut enim aureè D. Chryſoſtomus. *Chriſtum fugiendo non negat, qui ideò fugit ne neget.*

Fugere ergo licet in perſecutione, cùm aut Eccleſiæ & Fidei neceſſitas exegerit, aut lapſus proprii periculum.

Ratione primæ cauſæ fugit S. Athanaſius rabiem Arianorum, ne in Oriente triumpharent, ſublato è vivis Athanaſio, in quo ferè uno ſtabat Homouſii Fides.

Ratione ſecundæ cauſæ fugêre ſubinde alii, nec

Cap. 5. malè. Neque obſtat illud Tertulliani: *Hoc potius noſtrum eſt, ſtare ſub Dei arbitrio, quàm fugere ſub noſtro*: dum enim ſic fugimus, non fugimus ſub arbitrio noſtro; ſed fugimus etiam ſub arbitrio Dei, aut præcipientis, aut permittentis.

Neque etiam iſti fugæ obeſt, quod perſecutio fiat ex Dei voluntate, hæc quippe non eſt volentis; ſed tantùm permittentis. Neque rurſum quòd perſecutio ſit ex Dei gloria, quia ſubinde etiam fuga eſt ex eadem gloria. Nec denique quòd in perſecutione ponantur in publico magnarum virtutum exempla: & hæc enim ſuo loco & tempore explicabuntur poſt fugam, cùm Dei gloria, & animarum bonum, ſuaſerit ad certamen aut eſſe redeundum, aut in eo ſtandum ad coronam, ad præmia. *Ad eundem quippe Agonothetam pertinet certaminis arbitrium, qui invitat ad præmium*, ut elatè ille ipſe Tertullianus, qui deinde elatiùs invehitur in eos qui in perſecutione fugiunt, ne pereant, aut timidi plus æquo, aut de ſe minus præfidentes, & qui, inquit, verſiculum illum græcum ſæcularis ſententiæ ſibi adhibent.

Qui fugiebat, rurſus præliabitur.

Cui reſpondebo, ait, *& ego de ſæculo aliquid.*

Uſque ne adeo mori miſerum eſt.

Moriatur quoquomodo, aut victus, aut victor: nam etſi negando ceciderit, cùm tormentis tamen præliatus: Malo miſericordiam quàm erubeſcentiam.

Pulchrior eſt miles in pugna, prælio amiſſus, quàm in fuga ſalvus.

Hæc Tertullianus, ex voto ſuo, & quadã oratoriæ artis licẽtia, cum qua tamen etiam ſtare poteſt iſtud: licitum eſſe fugere, ne pereas, quia hîc periiſſe ſemel æternum eſt: neque par ratio ſæcularis pugnæ, & prælii: in hoc enim, victum eſſe eſt viciſſe; cecidiſſe eſt ſtetiſſe; amiſſum eſſe, & eſſe ſalvum, & in terris hominum judicio, & in Cœlis Dei calculo: at non ſic in pugna pro Fide, pro Religione, pro Deo: in hac enim vel ſemel tantùm cecidiſſe, æternũ eſt, ideoque ſi nec tibi ſenſeris eos eſſe animos, qui tormentis omnibus & pares ſint, imò & ſuperiores; nec eam in Deo cõfidentiam nanciſci poſſe te, ut tibi polliceri audeas victorem te evaſurum, è pugna ſubducere te potes, ne in ea inglorius cadas, & pereas: in hac enim (ut dixi) cecidiſſe, eſt æternùm periiſſe.

Sed urget inſtatque acriùs de Paſtore, & iis, qui *Gregi præſunt, quos fugere cùm lupi irruunt, nec decet, imo nec licet.* Non abnuo, ſi per eorum fugam deſtituatur grex ipſe, deſtituatur & Eccleſia; ſecus autem, ſi per illam fugam & grex ſervetur, & Eccleſia muniatur, uti factum vidimus in Athanaſio, qui dum Epiſcoporum Arianorum, imò & Imperatorum iras fugit & rabiem impotentiorem, & ſeipſe ſervatum voluit, & Eccleſiam, eo quippe ſalvo atque ſuperſtite, Fides Homooſii & ſalva fuit in Eccleſia, & avita Religio ſuperſtes, aliàs profectò (ſi minus in tota Eccleſia) at ſaltem in multis ejus membris caſura.

Maneat ergo his in caſibus licitam eſſe in perſecutione fugam.

QUÆSTIO SECUNDA

MORALIS.

Ad eadem verba: *Non volebat in Iudæam ambulare.*

RURSUS QUÆRO, CUR NON VOLEBAT?

IAM reſpondi, quia ſciebat ſibi in Judæa parari inſidias, parari & necem; & hoc ante tempus à Patre præfinitum: ſciebat in Judæa ſibi imminere mille probra, pericula mille; ſed qui hæc, & illa declinare poterat pro ea qua valebat potẽtia, cur declinat? Non alia ferè de cauſa, quàm ut nos exemplo ſuo doceret etiam pericula, quà licet, evitare, atque imprimis, ea quæ ſunt animæ, & vitæ ſpiritualia, cujus jactura te manet in Judæa, hoc eſt in perfida mente, in mediis occaſionibus, & periculis amittendæ vitæ, id eſt gratiæ, quæ eſt animæ vita.

Tibi ſcribo, tibi loquor Adoleſcens, noſti etiam tuo malo doctus, doctus & experientiã tuã, eaque longiore, in hac domo impendere animæ periculum, periculum & vitæ ſpiritalis, noli *ambulare in Iudæa*, in regione, in domo illa malè ominata. Occaſiones fugiendæ.

Scis cum hac & illa muliercula, caſtitati tuæ, pudori tuo periculum eſſe: *Noli ambulare in Iudæa*, noli ad illam divertere, noli cum illa verſari. Non ignoras, cum his, & aliis ſociis, aut colloquiis impudicis, aut effræni quidlibet agendi licentia, aut etiam inſana libidine, exempliſque peſſimis ad ea te trahi, & rapi ad inſtar victimæ nil miſerantis orci. *Noli in Iudæa ambulare*, noli & cum illis familiariùs agere.

Probè calles in hac taberna vinaria, à vino,

monſtóve potentiore, & rationis naufragium te pati poſſe, imò & paſſum non ſemel. *Noli in Iudæa ambulare*, noli in eam ingredi, ne in primo quidem ſtare limine.

Tenes apprimè in hac taberna luſoria inter chartas, & aleas, inter jurgia mille, juramenta mille, te & fortunarum, & gratiæ cœleſtis, quæ theſauris omnibus eſt potior, jacturam tamen feciſſe, *noli in Iudæa ambulare*, noli in ea pedem figere. Verbo uno (ut complectar omnia) ſcis in hoc & illo loco, hac & illa occaſione adire te periculum animæ. *Noli in Iudæa ambulare*, noli in illud dare te præcipitem, memor iſtius effati (propè dixi oraculi) Doctoris maximi D. Hieronymi. *Securius eſt perire non poſſe, quàm juxta periculum non periiſſe.*

Tom. 1. Epiſt. 17.

At quando juxta periculum? profectò quando in occaſione.

Occaſio malè agendi, verbum eſt malè ominatū; dicitur enim vel ab occaſu, & ab occido, vel à cado, quia in ea peccatori ſol occidit Juſtitiæ, ſol æquitatis, ſol rationis, ſol gratiæ: quia in ea homo cadit, & turpiter quidem.

Occaſio unde dicta?

Occaſio veluti quædam eſt via, in qua peſſimus dæmon, ceu auceps laqueum tendit. De hac olim David multâ doctus experientiâ dicebat. *In via qua ambulabam, abſconderunt laqueum mihi.* via eſt, ſed obſeſſa, ſed infeſta latronibus, qui theſaurum gratiæ, quem portas in animæ ſinu, diripient, qui & jugulum petent. Via eſt, & quidē lubrica, imò glacialis tota: ſi in ſolido via ſtas, qui ſtabis in lubrico?

Quid ea ſit? Eſt Via.

Occaſio *Porta* eſt, & quidem *ſtercorea*, qualis erat una Hieroſolymis ſic appellata, quod per eam non efferrentur, nec exportarentur niſi ſtercora: ſic & occaſiones peccandi, ſtercoreæ portæ ſunt, per quas non efferuntur, non exportantur niſi ſordes vitiorum, niſi lutum platearum.

Porta.

Occaſio radix eſt, è qua & rami pullulant, & Sylva vitiorum: hæc vitare ſi velis, neceſſum eſt, ut ſecurim ponas non ad ramos, ſed ad radices, id eſt non ad vitia, ſed occaſiones vitiorum.

Radix.

Vitia quippe ſunt rami, & occaſio radix, quæ dum manet in terra hoc eſt in anima tua, germinabit, & pullulabit in vitia: ceu peſſimas propagines.

Occaſiones ſunt velut *irritamenta*, velut *illecebræ peccatorum*: ut hæc tollas, tollere debes & illa, tollere dico malo dæmoni: Si enim illa ei reliqueris, hæc ad te reducet.

Pharao rebelle cœlo caput, cùm aliis atque aliis plagis à Deo urgeretur, ut Hebræos dimitteret è miſerabili illa ſervitute in libertatem, ſic ad illos: *Quomodo ego dimittam vos, & parvulos veſtros? ite tantùm viri, & ſacrificate Domino.* Sed cùm inſtaret Moyſes, ut etiam parvulos dimitteret, & hos plagis novis victus conceſſit. ſed addidit: *Ite, ſacrificate Domino. Oves tantùm veſtræ, & armenta remaneant.*

Exod. c. 10. v. 10.

verſ. 24.

Hîc quærunt Interpretes cur aut filiis, aut gregibus relictis liberam dat abeundi facultatem? & reſpondent, quia exiſtimabat Hebræos ſine filiis, aut gregibus, & armentis egreſſos, facilè redituros in Ægyptum, invitatos vel charitate in filios, vel gregum atque armentorum (hoc eſt pecuniarum illius ævi) cupiditate; quod Moyſes ſubodoratus, pactionem recuſavit: ſic enim ad Pharaonem: *Cum parvulis noſtris & ſenioribus, pergemus cum filiis & filiabus, cum ovibus & armentis, non remanebit ex eis ungula.*

Quod Hebræis Pharao, hoc dæmon peccatoribus, quos per peccatum habet in ſua ſervitute: ex hac egredi illos facilius patitur, dummodo illi juxta ſe aliquam occaſionem ad ruinam ſupereſſe patiantur, & aliquam in malum propenſionem retineant, certus ab hac & illa facilè redituros in Ægyptum, hoc eſt in priſtinam à peccato ſervitutem: nec mirum, quia

Occaſiones illæ ſunt veluti *vincula*, ſunt veluti *compedes*, quibus ita vincti tenentur atque compediti, ut nullo ferè negotio in priſtina vitia retrahantur: ideoque neceſſum eſt, ut non ſolùm vitia reſcindas atque caveas; ſed etiam & vincula atque compedes (hoc eſt eorum occaſiones) quibus traheris, & retraheris: caveas, inquam, eas omnes, ut ne ex iis maneat vel *ungula*, hoc eſt vel pars minima occaſionis, vel minima malo dæmini anſa, qua te prehendat, atque in crimina priora retrahat.

Quò etiam, Lyrano interprete, collimavit antiquus ille ritus, quo victima pro peccato immolanda, jubebatur immolari extra caſtra.

Quia, inquit, *peccator debet eſſe elongatus de caſtero, non ſolum à peccato, ſed etiam ab occaſionibus ejus.* Levit. c. 4. v. 12.

Totus Iſraël in tria caſtra dividebatur: Unum erat quod appellabatur *Divinitatis*, nempe ipſum Tabernaculum. Alterum *Levitarum*, Tabernaculo proximè circumfuſum. Tertium totius *populi*. Extra hæc omnia, præcipiebatur offerri victima pro peccato, ut non ſolùm elongaretur peccatum; ſed & peccati occaſio, quæ erat in Caſtris populi: in frequenti enim populo ſolet eſſe frequens peccati occaſio, quæ peccati *fomes* eſt. Ignem times, times & incendium: tolle hujus & illius fomitem, & ignem & incendium timere deſines: eſt enim occaſio peccati fomes: abire via à Gula, quæ vitium eſt, abi à popina vinaria, in qua te ingurgitare ſoles, & quæ tibi gulæ fomes eſt. Fomes peccati.

Vis eſſe longius à Luxuria, quæ ignis eſt, eſto longius ab hac vel illa domo, in qua tibi impudens atque effrons meretricula, in qua ſcortum quod deperis: eſto longius ab occaſione, & fomitem libidini ſuſtuleris, ſuſtuleris & materiam. *Detracta autem materia, qua ignis augetur, & creſcit, & ignis opprimetur, atque extinguetur*, inquiebat Iſidorus Peluſiota. Lib. 3. Epiſt. c. 210.

Sed audio *occurres hoc loco mihi, illa publica contra Stoïcos voce. Nimis dura præcipitis, nos homunciones ſumus, omnia nobis negare non poſſumus: dolebimus, ſed parum concupiſcemus, ſed temperatè: iraſcemur, ſed placabimur. Scis quare non poſſumus illa, quia nos non poſſe credimus. Imò me hercles, aliud eſt in re, vitia noſtra quia amamus, defendimus, & malumus excuſare illa, quàm excutere. Satis natura homini dedit roboris, ſi illo utamur, ſi vires noſtras colligamus, ac totas pro nobis, non contra nos concitemus.*

Hactenus Sapiens Romanus, quo cum ſapere ſi velis, & adverſus peccandi occaſiones uteris robore, quod tibi natura dedit, & vires tuas colliges, & teipſum totum pro te, non contra te concitabis. Epiſt. 116.

Concitabis autem, & concitando, hoſtem vinces, ſi pedibus pro armis utaris: ſi, ut monet Apoſtolus, *calceatus ſis pedes*: In præparatione Evangelii pacis militem Chriſtianum armat Apoſtolus contra malignos ſpiritus, & poteſtates tenebrarum, quibuſcum eſt illi pugna. Et quidem primò pro armis dat cingulum militare, quo præcingātur lumbi, tum loricam Juſtitiæ, dein ſcutum Fidei, tum galeam ſalutis, tum gladium ſpiritus, denique calceos qui pedibus aptentur ad fugam adverſus inſurgentes carnis tentationes: his enim reſiſtitur, non ſtando in acie; ſed ex ea fugiendo. Ad Epheſ. c. 6. v. 16.

Appello SS. Patrum fidem atque oracula, appello & Antiquitatem etiam profanam, appello & experientiam, quæ docuit in ea fuga, ſpem totam eſſe atque momentum victoriæ.

D. Ambroſium audi, & ſequere: *Cum aliis vitiis*, inquit, *poteſt expectari conflictus, cum fornicatione minimè: hac enim non poteſt aliter meliùs vinci, quàm fuga.*

D. Ambroſio conſentit D. Auguſtinus, cujus effatum illud: *Cùm alia vitia pugnando vinci ſoleant, ſola libido eſt, quæ fugiendo potius, quàm pugnando ſuperatur.* De honeſt. mulier. c. 1.

Quod

Quod ipſum confirmavit è pulpito, dum ſic ad ſubjectam concionem.

Serm 250. de Temp. *Contra libidinis impetum apprehende fugam, ſi vis obtinere victoriam, nec tibi verecundum ſit fugere, ſi caſtitatis palmam deſideras obtinere.*

Fugâ occaſionum. Cum D. Auguſtino conſpirat D. Hieronymus, qui hæc ingenuè de ſeipſo: *Fateor imbecillitatem meam, nolo ſpe pugnare victoriæ, ne perdam aliquando victoriam.* *Lib. contra Vigilantium.* *Tu qui pugnas ſuperari potes, & vincere. Ego cùm fugero, non vincar, in eo quod fugero, & idea fugio, ne vincar.*

Hæc ubi de ſeipſo dixit, tum rationem adjicit cur fugiat, eamque confirmat duplici ſimilitudine: una ſerpentis aut viperæ, altera lupi, quos ut vincas fugis.

Nulla ſecuritas, inquit, *eſt cum vicino ſerpente dormire* Cur ita? quia poteſt fieri; ut non mordeat, *tamen poteſt fieri, ut me aliquando mordeat.*

Quod de ſerpente, hoc & de Vipera, hoc & de lupo. *Quis enim*, inquit, *juxta Viperam ſecurus dormit? Nunquam cum lupo tutus eſt agnus.*

Quod de ſerpente, vipera, lupo, hoc & de hoſtibus Caſtitatis dictum puta: cum his nunquam tutum, ſecurum nunquam: hos fugiſſe, ſemper eſt viciſſe; cum his pugnaſſe, ſæpiùs eſt victum eſſe: & hoc teſtantur Ambroſius, Auguſtinus, Hieronymus, aliàs innoxii pugiles, heroës inclyti quibus compoſitus ipſe, vix es quod gutta ad Oceanum; quod ſcintilla ad Solem, quod Pygmæus ad Gigantem.

Sed ne illorum authoritate ſolùm pugnemus, pugnemus & profanâ, huic tibi plus fors erit fidei, quia hæc natura duce, communi ratione ducitur; non altiore Dei gratia, & præſidio firmatur, uti illa.

En illa erit Poëta Anacreon, Gentilis ipſe, qui in ea quam habuit cum cupidine pugna, ei fugâ ſeſe ſubduxit; canentem eum audiamus: hoſtis ille ſui primò producit arma, tum ſua expedit, atque imprimis fugam, & ſic victoriæ ſuæ accinit.

Mox ergo ſumpſit arma,
Et auream pharetram,
Me prælio laceſſens,
Ego verò ut olim Achilles
Loricâ amictus, atque
Scuto minax, & haſtâ,
Cum amore præliabar,
Iaciebat ille tela,
Vertebam & ipſe terga.

Et vertendo vicit glorioſè, aliàs turpiter vincendus, ſi ſtetiſſet: ſed authoritati jungamus experientiam, hæc quippe rerum eſt magiſtra, magiſtra & veritatis.

Petetur illa à Joſepho, juvene caſtiſſimo, qui ut advertit D. Baſilius Seleuciæ Epiſcopus: *Fugâ uſus eſt pro armis.*

Hic dominæ ſuæ injicienti pudendum illud: *Dormi mecum*, & jam veſtem prenſanti, veſtem tradit, veſtem relinquit, ut continentiam teneat. *Orat. 8.* *Nudatur veſte, ne nudetur caſtitate.*

Et hoc piorum eſt ſtratagema atque fortium, quos Deus ad vincendum, atque triumphandum erudivit, in quos cadit iſtud D. Chryſologi. *Bellicoſus quòd in bello fugit, artis eſt, non timoris:* dum enim fugiendo declinat hoſtem, & illius impetus omnes declinat, & ſeipſe ſervat illæſum, ſervat & Cœlo, Deoque.

Si declinaſſent etiam in Chriſtiana palæſtra olim eruditi pugiles, non cecidiſſent, uti vidimus cecidiſſe, & luximus.

S. Jacobus Eremita. Hos inter fuit *S. Iacobus* inter Eremicolas nominatus, de quo Simon Metaphraſtes apud Surium. *Tom. I. 28. Ianu.* Ut mundum fugeret, effugerat in aviam ſolitudinem, atque in arctiore ſpelunca ſeſe abdiderat, ut ſibi, & uni Deo vacaret ſine arbitris: fuerat illi cella Cœlum, & Eremus paradiſus, & hoc annis omninò triginta, in quibus etiam miraculis inclaruerat, maximè verò potenti in dæmones imperio: quod expertus dæmunculus aliquis, qui puellæ corpus inſederat, cùm exorciſmis Eccleſiæ urgeretur, ut hoſpitium illud malè uſurpatum deſereret, negavit omninò deſerturum ſe, niſi adactum *Iacobi* Eremitæ imperio, cujus conſcii parentes filiam ad eum adducunt, inſtantque potentiùs ut pro ea, quæ valet in diabolos poteſtate, eam à malo illo hoſpite liberet.

Annuit vir Dei, pro illa Deum orat, manus ei imponit, jubetque ſeveriùs ut abeat quàm citiſſimè. Dæmonem ejicit è puella. Mirum dictu viſuque, paret dæmon, exceditque è corpore puellæ, pluſque verbulo facit, quàm alii exorciſmis mille.

Parentes ut filiolam liberam vidêre, ſibique redditam, veriti ne fortè ſi mox abiret à Viro Sancto Eam triduo in cella retinet. in eam rediret improbus hoſpes, rogant ut biduo, triduòve maneret cum illo in cellula, ſecurior ibi futura, quàm extra.

Hic primò ſecum quærere, ſecum agitare Vir Dei, quid hîc opus facto, dubitare non ſemel, non ſemel recuſare, tandemque & precibus & lacrymis cedere; ſed ſuo malo.

Vix enim ſolus cum ſola fuerat, cùm dæmon, qui à puella abierat, rediit in cellulam; imò & ſuis ſuggeſtionibus in Eremicolam, animumque *Iacobi*, quem primò malis cogitationibus agitavit, tum etiam concupiſcentiæ igne ſic accendit, ut ſui immemor & Dei, in ſtuprum puellæ conſenſerit, ut eam oppreſſerit.

Et hoc primum fuit, & ingens malum, cui deinde alterum, & quidem gravius adjecit, videlicet In ſtuprum incidit. puellæcidium; cùm enim incidiſſet in ſtuprum, adfuit dæmon, & homicidium ſuaſit ut ſibi conſuleret, & ſuæ famæ, ut unum ſcelus altero tegeret; & verò tegere ſe poſſe credidit; nam & puellam occidit, & ſepelivit, ratus ita parentibus illudere ſe poſſe, cùm filiam obiiſſe dixiſſet.

Sed neque ſic ſtetit malum, neque mali dæmonis artes, adiuit hic lætus de parta victoria, deque Eam occidit. proſtrato duplici ſcelere monacho, cui adjectum voluit & tertiũ, nempe deſperationem: obtulit enim illi laqueum, ut eum indueret, ut eo ſeſe præfocaret, & vitam futuram deinceps infamem ac miſerabilem ſic finiret, & verò finiiſſet, niſi miſerente Cœlo occurriſſet Monachus unus aliquis, qui ſaniora illi injecit conſilia, atque ad pœnitentiam, ceu ſalutis portum, adduxit, in quem ingreſſus, ſeu tutam Pœnitentiam agit. periclitanti animæ ſtationem, reliquum exegit vitæ, in cellula, ceu ſepulchro, inter oſſa mortuorum, Inter perennes luctus, & lacrymas incluſus.

Tantum miſello Anachoretæ nocuit pugna ſtataria: quod ſi puellam à ſe procul amandaſſet, aut fuga celeri ſibi conſuluiſſet, non eò ſcelerum veniſſet, uti nec S. Martinianus.

Ut mundi fallaciam, & fucum, ut carnis illecebras declinaret, in montem Cæſareæ Palæſtinæ vicinum ſeceſſerat, in eoque medio inter nemora, cellulam fixerat, ut ſibi Deoque vacaret; & ſanè ita vacavit totus, ut omnibus Eremicolis admirationi eſſet, & ſtupori.

Invidit malus dæmon & ſanctiſſimum juvenem miris modis & ſpectris agitavit: modò enim horrida ſerpentis ſpecie ei ſe objecit, modo Leonis rugitu timendus ſeſe obtulit, modò ſpectris aliis, modò horrendo ſtrepitu, & fragore quaſi trementis terræ, & ruentis Cœli, quibus eùm nihil promoviſſet, pro extrema machina, fœminam procacem, atque S. Martinianus à dæmone tentatur. impudentem, adhibere ſtatuit: hæc ut ex communi fama, audivit *Martinianum* exemplar eſſe ſanctitatis, exemplar & caſtitatis, nec tam hominem, quàm Angelum videri, iſta apud ſe, iſta & apud alios.

Digitized by Google

Scitis omnes, quòd ſi non ſit ignis, fœnum non incenditur, non uritur: ut fœno, ut paleæ vicinus ſit ignis neceſſum eſt. Quid igitur mirum, ſi nec incendatur, nec uratur *Martinianus*, etſi fœnum ſit, etſi palea, quia ei nec admotus ignis, nec vicina flamma; hoc eſt, nec vicina mulier.

Hæc illa apud ſe, hæc & apud alios, quam ut vidit, ut audiit invidus Dæmon, ea uſus eſt veluti igne, ut *Martiniano* quaſi paleæ propiùs applicaret. Et verò applicuit.

A procace muliercula.

Exivit enim illa, & pro ſcena, quam parabat, veſtes induit pannoſas, & laceras, caput cilicio texit, & fune rudi ſeſe cinxit, peramque manu extulit, ſed gravidam cultiore ornatu, & monilibus, omnique mundo muliebri, venitque per avia, atque invia ad *Martiniani* cellulam, & hoc quidem, intempeſtæ noctè, commoda ſcilicet inſidiis, & ſceleri, quod meditabatur: Laſciviæ quippe noctis opus, & tenebrarum eſt. Fortè pluvium erat cœlum & imber denſus, à quo dum madere mulier, & horror eſſet noctis, & à feris periculum in denſo nemore, captata ex his omnibus occaſione, ſic ad cellulæ fores: *Miſerere mei vir ſancte, & errabundam ſaltem ad primam lucem excipe, & ſerva: ne fortè urſo, leoni, & feris aliis præda ſim, & pabulum.*

Quid hic *Martinianus*? primùm exhorruit, tum dubius & anxius hæſit, velut inops conſilii, deinde ita ſecum: Quid faciam? ſi fores recluſero, ſi admiſero in cellulam, ab ea periculum eſt non leve caſtitati: ſi recuſavero, & illi periculum à feris, inclemens videbor, & durus, & reus mortis, certè reus læſæ charitatis. Ubi hæc aliáve ſecum ipſe, tum (ut dici ſolet) in arena conſilium. Fores reſerabo, admittamque ſaltem ad crepuſculum uſque, Deoque me committam. Reſerat ergo, aperitque, tum ignem extruit, paucaſque ficus præbet, quibus & ab itinere, erroréque viæ reficiat ac recreet: tum & ſic illi:

Age ſoror cariſſima, tantiſper hic ſubſiſte, ego interim me ſubduco ad interiora cellulæ. dixit & abiit etiam probè clauſâ januâ, inducto inſuper peſſulo.

Videri poterat extra teli jactum, cùm extra fœminæ conſpectum; at non fuit extra dæmonis, extraque tela veneria: imò nec extra mulierculæ inſidias: hæc enim poſita vili lacerna, è pera eduxit ornatum omnem mulierem, eoque ſe probè improbéque induit, nec partibus ſuis defuit malus dæmon: ingeſſit enim, & quaſi oculis ſubjecit mulierculæ ſpeciem, tum illius videndæ cupiditatem, tum & obſequia, loco & tempori opportuna, juraque hoſpitalitatis, quibus dum credit, januam aperit, datque ſe in illius conſpectum, conſpicitur & conſpicit: & hæc prima tela oculorum.

Secunda formæ, tertia verborum: cœpit enim illa ab oculis, tum ab illice formæ, tum à verbis mollioribus atque adulatoriis, quæ dum aure & animo excipit, excipit & amatoria verba, & cum illis etiam concupiſcentiæ flammas, quibus dum incaleſcit, atque ardet, ſic ad illam:

Age, morare hic tantiſper, dum exeo è cellula, notoq; ne quis adveniat, qui amores noſtros interturbet. Dixit & exceſſit: ſed, ô miſerantia Dei donum! ô indulgentiam divini in *Martinianum* amoris! illi cogitationem piam injicit, peccati gravitatem ſub oculos ponit, terret, minatur, ſi pergat; tum etiam ſuggerit iſtud, ut è ſylvæ cædat ſarmenta, non pauca colligat, atque in manipulos formet, eoſque coram muliercula incendat, tum in carbones redactos, poſitis calceis, pedibuſque nudis, calcet & terat, deinde & ſic ad ſeipſum:

Ut eam vincat.

Agedum *Martiniane*, experire hoc in igne, an ignem æternum pati te poſſe credas: ſi concupiſcentiæ ignibus arſeris, ardebis & æternis, hæc quippe fora hujus & illius ignis, hæc & amoris impuri meta mercéſque, hæc & pœna cœlo vindice.

Ut ignem igne domet.

Ubi iſta ſibi, tum hæc ad mulierem: Flammæ illæ quæ pectus meum jam incenderant, non extinguuntur faciliùs, non urunt mitius, quàm eæ quæ plantas meas ac pedes jam exuſſerunt, & ſi minus te incendent (quia non ejus animi, ut in eas te immittas) at incendent acrius, ubi cum æternis incendiis eas commutaris.

Vix ea uſurparat oculis, vix & auribus mulier, cùm exceſſit è cellula, & ſibi cœloque patrio reddita, Aſceterium virginum ingreſſa, reliquos vitæ dies in acerba pœnitentiæ & lacrymis exegit, benè docta pœnitere, vel uno *Martiniani* exemplo, qui & ipſe abiit, & in rupem mari adjacentem ſeſe recepit, ratus in ea fœminam nullam aut eſſe, aut conſpici poſſe.

Rupem conſcendit.

Verùm quæ dæmonia artes, qui doli, quæ inſidiæ, fortè fortuna, navis Oceano fœdè jactata, alliſa ad ſaxum & naufragium paſſa, ſubmerſis reliquis, Virginem unam, quæ ſupererat, è tabula ejecit in rupem, in qua Vir Dei; ad quem ſic illa:

Miſerere mei ſerve Altiſſimi, dexteram porrige, eripe fluctibus, nec iterum abſorberi patere, pereuntem ſerva, & ſalva: hoc naturæ debes, hoc & humanitati.

Quid hic *Martinianus*? Agnoſcit peſſimi dæmonis fraudem, & periculum ſibi veretur, non multum abſimile alteri, ex quo evaſit. Quid igitur conſili? quid impendenti malo remedii? hoc adinvenit ingenioſus ſervandæ caſtitatis amor, qui & ſic ad puellam.

Vir ignis eſt, mulier palea.

O mihi dilectiſſima in Chriſto ſoror, ignis cum palea minimè convenit, uti nec ego tecum: tu enim ignis, & ego palea.

Tu igitur in rupem aſcende, & in cellulæ mea morare, en pauculi panes, qui mihi ſuperſunt, tibi erunt pro cibo, pro annona, dum ad rupem appellat navis alia, quæ te recipiat, ego interim mihi conſulo.

Ut ſe abjicit in mare.

Dixit, & Crucis ſigno munitus ſeſe injecit in mare, eique elemento quamvis turbido & infido ſe credidit, non dubius minus in aquis ſibi periculi, quàm in igne; igne dico venereo: & verò minus fuit; quæ enim fuit amabilis Dei providentia, mox ex imo oceani, in ſummas aquas evasêre Delphini duo, qui *Martinianum* humeris exceptum in alterum maris littus exportârunt ac depoſuerunt: peractáque illa veluti ſcenæ divinæ providentiæ, rurſum ſe aquis, profundoque oceano reddiderunt.

Habuiſti, BENEVOLE LECTOR, ſpectaculum, & ſtupri, & caſti amoris, atque in Deum fiduciæ. Habuiſti & exemplum periculi imminentis à pugna ſtataria in Caſtitatis certamine, & ſimul etiam exemplum opportunæ fugæ in eadem lucta: Illud time, & exhorreſce; & hoc etiam imitare & ſequere, certus in ſola fuga ſalutem eſſe.

Rationem reddit D. Hieronymus, in ea, quam ante citavi, comparatione fœminæ mollioris, cum Vipera; ut enim, inquit, *Nemo mortalium juxta Viperam ſecuros ſomnos capit, quæ etſi non percutiat, certè ſollicitat.*

Sic neque vir cum fœmina, neque fœmina cum viro, tutò verſatur; quia etſi hæc, aut ille non percutiat, non mordeat, certè ſollicitat, & ipſa vel ſolæ ſollicitatio, *periculoſæ plenum opus aleæ*: quæ etiam jaci potuit, imò & reipſa jacta eſt in duobus illis Eremicolis, quorum exemplo cavere diſcea, & fugere, MI LECTOR: Si enim Heroës illi, qui in Dei obſequio etiam incanuerant, tot extenuati jejuniis, tot confecti vigiliis, tot laboribus attriti, tot orationibus & contemplationibus in ſublime erecti: dejecti tamen, & fracti ab unius mulierculæ forma, à paucis verborum illiciis. Quid te, ô Adoleſcens! leviuſcula arundo, qui jactari ſoles

ſoles vel leviore tentationis aura, quid te, inquam, fiet? Profectò fiet quod illis; imò & amplius quippiam, & pernicioſius: illis enim Cœlo propitio, datum eſt ſurgere; at tibi non dabitur, ideoque cave fuge, nec te in eos laqueos indue, nec in ea incendia te ſciens & volens injice.

QVÆSTIO TERTIA
LITTERALIS ET MORALIS.
Ad illa verba: *Tempus meum nondum advenit, tempus autem veſtrum, ſemper eſt paratum.* Joan. c. 7. v. 7.

ECQVOD ILLVD TEMPVS, QVOD ET CHRISTI, quod & veſtrum?

Chriſti tẽpus duplex.

EX Interpretum ſenſu, Chriſti tempus duplex, de quo ſic: *Tempus meum nondum advenit*: hoc eſt tempus aſcendendi in Hieruſalem, ad Feſtum Scenopægiæ, nondum advenit, quia nondum ſtatutum &

I. Aſcenſus in Jeruſalem.

definitum à Patre, cujus nutum expecto. Ita Cornelius.

Vel *Tempus* meum, id eſt moriendi in Hieruſalem, necdum advenit. Ita S. Chryſoſtomus, Theophilactus, Euthymius, atque ex iis Maldonatus. Ubi advenerit, mox eò pergam, & me morti ſiſtam, velut obedientiæ victimam, velut hoſtiam pro ſalu-

II. Mors.

te humani generis, velut Legatus Æterni Patris, à quo & accepit quid audiret, quid diceret, quid faceret, & aliud omninò nihil.

Legatus quiſquis is eſt, etiam in terris, nihil audit, niſi quod audit à Rege, à quo mittitur; nihil dicit, niſi quæ dicenda accepit, cætera tacet; imò ſcire ſe neſcit: nihil etiam agit, niſi quæ agenda admiſerit, nec alia vel manu tangit.

Quod è terris Legatus, hoc & Chriſtus è Cœlis: *Auris* illi patens ad Patris voces; hinc & iſta ad eum in primo vitæ limine: *Aures autem perfeciſti mihi.* (Pſal. 39. v. 7.)

Vox etiam ex Patris voce, ait enim: *Ipſe Pater, mihi dixit quid dicam* (Joan. c. 8. v. 28.)

Manus etiam ex Patris manu, nutuque: ait enim *Mihi dixit quid faciam.*

Vita ejus ex nutu Patris, mora etiam ea ejus voluntate, & modo, & tempore ab eo determinato: nec alio, adeò numeris omnibus perfecta in Chriſto obedientia.

Et ea quoque debet eſſe noſtra, ex Dei nutu ac beneplacito dependens: ut in nos quoque cadat iſtud Iſayæ: *Non vocaberis ultra derelicta; ſed vocaberis voluntas mea in ea.* (Cap. 62. v. 4.) Ea porro voluntas pro ſecuritate, pro ſolatio, pro præmio.

B. Suſonis patientia.

Beatus Henricus Suſo, cùm paſſim non modò à ſodalibus verùm etiam à Præſidibus agitaretur, eò quòd obtruſam ſibi à meretricula prolem ſuſcepiſſet alendam (ne fortè necaretur) ſimulque cum illa impactum ſibi ſtupri crimen adiviſſet, & inde mœrore conficeretur totus, in extaſim raptus eſt, in (Cap. 4. ejus vitæ) qua velut in animæ centro, ſibi audire viſus eſt Dominum inclamantem:

Audi, audi conſolatoria verba, ad quæ dum aures arrigit, excepit illa ipſa Iſayæ verba:

Non vocaberis ultra derelicta; ſed vocaberis voluntas mea in ea. Audiit, inquam, & queri, & gemere deſiit: adeò cuicumque animæ volupe eſt, quod vocetur, imò & ſit illa ipſa Dei voluntas.

Et ea quoque Chriſti fuit, tam in vita, quàm in morte: & ea etiam tua ſit, AMICE LECTOR, ſi is eſſe voles, qui es à Chriſto Chriſtianus.

Venio ad alterum caput propoſitæ initio quæſtionis, paucisque inveſtigo quod ſit illud noſtrum tempus, quod ſemper eſt *paratum*, tum Apoſtolis, tum etiam nobis.

Apoſtolis certè fuit tempus aſcendendi Hieroſolymam, quod illis ſemper erat *paratum*, hoc eſt commodum atque opportunum: & hoc in aperto videtur: magis in occulto illud, quod noſtrum? ad quod ſic ad mores, ſic ad virtutem, ſic ad beatitatem reſpondeo.

Eſt tempus illud omne quod impenditur ut via paretur, ut aſcenſus molliatur ac cœleſtem Hieroſolymam, ad feſtum, non dico *Scenopegia*, hoc eſt *Tabernaculorum*; ſed in æterna domicilia, in ſinum ipſius beatitatis, quod qualéve ſit, hîc quæro. (Quid & quod tempus noſtrũ?)

Si ex Philoſophiæ legibus atque dictamine definire velim quid ſit tempus? Dicam quod ſit: (Definitiones.)

Numerus motus ſuperioris & poſterioris. (In lib. Phyſ. c. 11.)

Quod ſi ex moribus & virtute, pronuntiabo quod ſit *Merx* omnium pretioſiſſima, cunctiſque deſideratiſſima, quæ ſit in terris, & qua velint nolint uti debent omnes, & ſine qua nullius alterius eſſe poſſit uſus. Ita Zeno Philoſophus. Nec enim (Tempus merx pretioſa.) aurum, nec argentum, nec honores, nec voluptates optant omnes; imò neque ipſa corporis bona: ſed tempus appetunt omnes, eoque indigent omnes, mali juxta & boni, docti atque indocti, divites, pauperes: boni quidem, ut Deo ſerviant, ut ſibi parent theſauros in æternitatem: mali, ut fruantur bonis hujus ævi pereuntis; docti, ut vacent litteris; indocti, ut mechanicis artibus; divites, ut partas pecunias augeant; pauperes, ut eas acquirant: adeò verum omnes egere tempore, veluti pretioſiſſima, & ſimul etiam neceſſaria merce, qua tibi nomen facias in terris, facias & in Cœlis Deum ipſum debitorem, ſi tamen tibi debitor eſſe poteſt.

Certè ex condignitate, ex æquitate non poteſt; poteſt tamen ex quadam indulgentia.

Digna hîc referri vox *Coſmi Medicæi*, cui virtus, & maximè liberalitas, nomen *Magni* fecit.

Hic ſupra aureorum milliones quatuordecim in (Coſmi Medicæi liberalitas.) ædificia, quà ſacra, quà profana, abſumpſit; & in pauperes ſupra millionem.

Cùm aliquando æris ſibi debiti nomina verſaret, (Hiſtor. virorum illuſt. Medicæorũ.) adeóque plura chartarum volumina evolveret, apud domeſticos & familiares queſtus eſt, quod eâ in loca ſacra, & pauperes profuſione, id obtinere non potuiſſet, ut ſuos inter debitores Deum numeraret.

Et rectè: *Si enim voluerit quis contendere cum eo, non poterit ei reſpondere unum pro mille.* (Jacob. c. 9. v. 3.)

Deus enim maximè attenditur ex omni retro æternitate, in qua & hominem amavit, & orbe jam condito benè ei fecit profuſione propè infinita, uti & infinita æternitatis duratione, cui compoſita quantulacumque vitæ noſtræ ad breve tempus extenſio, quid eſt niſi momentum? & tamen quantum quantum illud eſt, benè nobiſcum actum credimus,

credimus, ſi illnd impendamua in Dei obſequiia, in bonis operibua, in elcëmoſynis, uti pius ille Princeps, quiboa ut Cœlum emis, ſic & nos emimua meliore temporia uſura, veluti pretioſa merce: Eſt enim tempua, uti jam vidimus, *merx pretioſa;* & tamen, proh pudor, dolorque! apud mortales plerumque non eſt io pretio. Ut enim & verè, & eleganter Romanus Sapiens.

Epiſt 1.

Quem mihi dabis qui aliquod pretium tempori ponat, qui diem æſtimet? è centum. è mille, vix vel unicum: quod ex eo liquet, quod pletique tempus terant in otio & nugis, uti & dies, & annos.

Temporis pretium.

Peruani annū quomodo dividāt?

Apud Peruanos annus dividebatur in menſes octodecim, & bi in dies viginti, ſicque conficiebant numerum dierum anni trecentorum, ſexaginta, & dies quinque qui ſuperetant, vocabant dies *nihili*, eoſque in otio, fabulatione & nugis contercbant.

Venia illis danda, ut pote paganis, & barbaris, quibua multò ſtolidiores ſunt è Chriſtianis plerique, qui non quinque dumtaxat in anno dies, ſed & ipſos annos, & ipſam ferè totam ætatem in otio conſumunt, & quod deterius eſt, in peccato, quod ex vero *nihil*, & ſi quid nihilo pejus: de iſtuſmodi farinæ hominibus, dici poteſt quod in

Cap. 65. v. 20.

Iſaya de peccatore dicitur morali ſenſu: *Puer centum annorum morietur*: verè enim etſi longævus ſit, & annorum centum; puer tamen moritur ob mores pueriles, ob vitam exactam ſine cura ſalutis, ſine virtute, ſine bonis operibua, ſine lucro, quod tamen eſſe potuiſſet à tempore, ceu pretioſa merce: ceu

II. etiam *Piorum gaza*, ex qua ſcilicet nummoa eruunt hi emendis Cœli poſſeſſionibus, & palatiis: quam in deſcriptionem propè coincidit, ea quâ dicitur *Tempus ſumptuoſum impendium*, quod ſcilicet tantæ

III. eſt dignitatis, tanti & valoris, ut cùm in eo ſint momenta propè infinita, unoquoque æternæ gloriæ pondus comparari poſſit, unde & dicitur, *Pretium*

IV. *feliciſſimi gaudii*, quòd eo ematur feliciſſimum, hoc eſt æternum. Neque mirum, cùm ſit *Dei donum*: quod & excipi debet cum reverentia & timore, & ſervari cum ſollicitudine, ne quæ illius particula pereat. Hinc prudens illud monitum Sapientis:

Eccleſ c 14. verſ. 14.

Particula boni diei non te prætereat, vel ut alia lectio habet, *boni doni*

Tempus Dei donum

Tempus vitæ noſtræ tantū quantum eſt, eſt veluti dies unua, & is à Deo veluti pretioſum donum, quo Cœlum emas & beatitatem, ſi velis: & quia donum eſt, & ſummi valoris ac pretii, ideò diſpenſante ſic Deo, non totum ſimul datur, ſed paulatim, & per partes, ne fortè ut filius, iſque junior & prodigus, totam ſimul prodigat.

Solis ſtatua aurea.

Petr d'Oultremanl 4. ſect 4.

Paralip c 16. v. 27.

Ubi ab Hiſpanis inventa devictaque Peruvis, regio aurifeta, milites victorea ita ditati, ut quod de tempore Salomonis ait Scriptura, tanta eſſet auri argentique copia, & vilitas, quanta & lapidum. Solis ſtatua humanæ magnitudinis, tota ex auro ſolido, militi gregario ceſſit, qui eam una nocte, non tota, aleis luſitando amiſit, deditque locum Proverbio in prodigos jactari ſolito. *Hic Solem ludit, & amittit antequam oriatur.*

Ne ſic tempua amittat totum ſimul, & ſemel, natura providit ut fluxum ſit, non permanens, ut detur per partes, non autem ſimul, ne prodigo luſu totum ſimul pereat; imò nec illioa particula tota, quæ ne te prætereat, Prudens Lector, cave: eſt enim *Dei donum* quod omne ejus obſequiis impenſum voluerunt, & amarunt viri à ſanctitate illuſtres, doluetuntque ſummoperè, ſi illiua vel particula tantùm præteriiſſet, etſi nullo ſuo vitio; ſed potius aliqua naturæ culpa, qualis eſt in pueris, atque infantibus.

P. Ignatii Martines virtus.

P. Ignatius Martines è ſocietate noſtra, vir eximiæ virtutis, dolere ſe profitebatur, quod ab utero matris Deo dicari, & anno ætatis ſeptimo ſocietatem ingredi non potuiſſet. Optare ſe vehementer, ut in gratiarum actionem ſuæ vocationis, liceret ſibi deinceps reliquam vitam flexis genibus, brachiis io cœlum extenſis Deo laudes jugiter concinere, unà cum Angelorum & Beatorum choris.

Tabula illuſt. Societ.

Quod ille in votis habuit, hoc alii in re etiam ipſa à tenerioribus annis ſunt conſecuti, ſingulari Dei beneficio, atque indulgentia.

Heliodorus A.º ætatis 3. Monaſticen profeſſus.

Heliodorus anno ætatis ſuæ tertio monaſticen eſt profeſſus.

Achas Thoreltanus, anno ſeptimo vix expleto.

Venerabilis Beda Anno ætatis 7. Monaſticen profeſſus.

Item & *Venerabilis Beda*, notua à calamo, notior à morum innocentia & vitæ ſanctimonia, qui iſta de ſeipſo, & ingennè & verè: *Ego ſeptennis monaſterium ingreſſus, ibi tota vita omnem meditandis ſcripturis operam dedi, atque inter obſervantiam diſciplinæ regularis, & quotidianam cantandi in Eccleſia curam, ſemper aut diſcere, aut docere, aut ſcribere dulce habui.*

Uti vita, & ſtudia.

Moritur illis vocibus, *Gloria Patri & Filio*, &c. Anno Chriſti 731.

Et quidem adeo dulce, ut in extremo morbo pœnè animam agens, ut enarrationem in Evangelium S. Joannis abſolveret, accerſito ſcribæ mandarit ut calamum feſtinus expediret, & dictata exciperet: quod ut factum, addidit quaſi pro coronide.

Benè eſt, conſummatum eſt. & dein cygnea voce accinens iſtud: *Gloria Patri & Filio, & Spiritui Sancto*, animam Deo reddidit.

Itaque poſteris ſcribens, & fatis ſuis ateinens, diem ſuum obiit, & tempus etiam ultimum ſtudio dedit & labori; dedit & divino Officio atque cantui.

In Epiſt. ad Epheſ.

Id ſi facimus ipſi, facimus quod de ſeipſo Divus Hieronymus: *Quando*, inquit, *tempus in bono conſumimus, emimus illud, quod malitia hominum venditum fuerat, ſicq; dies malos in bonos vertimus, & facimus illos non præſentis ſæculi, ſed futuri.*

Quod ſi (quæ magna calamitas) prima vitæ tempora, quæ tua erant, nec amando Deo dediſti, nec lucrando Cœlo impendiſti, age facti pœnitens, dic cum Auguſtino.

Serò te amavi pulchritudo nova & antiqua, ſerò te amavi.

Fac & cum eodem Auguſtino: reliquos omnes vitæ dies Deo ſerva, Deoque dona etiam in ſenectam, & ſenium.

Cant. c. 7. verſ. 13.

Neque repulſam time, etiam eſt *Seris ſua gratia pomis*, & muſtum, & fæcem utriuſque ætatis Deo debemus. Felix ille & fortunatus, qui cum ſponſa dicere poteſt: *Omnia poma, dilecte mi, nova & vetera ſervavi tibi.*

Quod ſi fortè (quæ juventutis eſt macula) poma nova, primoſque vitæ fructus, Deo reddere non poſſumua; quia jam abſumpti ſunt in nugis, in quiſquiliis: ſaltem vetera ſervemus, & ſeros annos, ac veluti fæcem ætatis noſtræ, nec illa erit Superis ingrata, nec infœcunda.

Phryne meretrix: ejus dictum illuſtre.

Phryne meretrix, quæ incredibilis pulchritudinis forma floruerat, cùm jam defloruiſſet, à multis nihilominus procis frequentata, dicebat ſe fæcem pluris vendere, quàm vinum, propter ſuæ formæ opinionem.

Conſimus de Symbol.

Si à profanis, imò & impuris amoribus aliquid in rem præſentem duci poteſt, dicam & ex vero dicam.

Fornicata es ô peccatrix anima, cum amatoribua multis, iiſque dediſti ætatulæ tuæ muſtum, hoc eſt meliores vitæ annos: & ecce (quæ bonitas Dei eſt, quæve indulgentia) ſeros annos, & decrepitam ætatem Dei tui obſequiis donas, & pluris vendis fæcem illius, quàm muſtum: vendis enim hanc cœleſti gratia, cœleſti & gloria, quam tibi dat Deus pro ætate jam effœta, proque ſeris annis, quos ei reſervaſti. Bonum ſanè factum, quod probant atque amant etiam Cœlites, & quo te frui velim, Amice Lector, & ſapere in ſenectute etiam extrema, ſi fors in juventute deſipueris.

QUÆ-

QUÆSTIO QUARTA MORALIS.

Ad eadem verba : *Tempus veſtrum ſemper eſt paratum.*

QVOD ILLVD TEMPVS QVANTVM, ET QVALE?

HOMINES intèr alii ſunt *Viatores*, qui ſcilicet in terris velut in via : alii *Comprehenſores*, ii nimirum, qui in Cœlis, quaſi in termino.

Comprehenſoribus datur Æternitas, *quæ eſt tota ſimul, atque interminabilis duratio.*

Viatoribus datur tempus, & quidem uti prius inſinuavi per partes : dies enim truditur die, & novæ pergunt interire Lunæ, & hoc amabili Dei conſilio, qui nobiſcum facit, quod prudens Pater eum filio, quem novit eſſe prodigum, cum puero ; quem ſcit eſſe guloſum.

Illi enim ſi dandæ pecuniæ, eas concedit parca manu, ne ſi liberali, illas prodigat : huic autem famelico ſi porrigendus eſt panis, porrigit per fruſtula, ne ſi integer, fiat ſatur.

Sic & Deus agit cum mortalibus : in hac vita dat horas, & annos ; ſed per partes, imò & per momenta, ut ea benè diſpenſet, ut iis utatur probè, certus non longam fore temporis uſuram, quà tamen uti debet, ut ſibi in æternitatem mercea paret, paret & opes, conſcius hanc vitam eſſe ſibi, quod mercatori ſunt nundinæ. Tempus vitæ nundinæ.

Nundinas exiſtima eſſe hanc vitam, inquiebat D. Gregorius Nazianzenus.

Qui mercibus comparandis, qui congerendis opibus totus incubat mercator, cùm ſatis noverit, non diu duraturas eſſe nundinas, ad eas celer convolat, eas frequens adit : hinc & inde illa & illa coëmit, profutura etiam in annos, ne elapſo tempore ea fruſtra requirat : ſic & Chriſtianus, qui fidei luce didicit vitam hanc mortalem, eſſe veluti nundinas, in quibus ea ſibi comparet, quæ Cœlo digna, quæ congrua beatæ æternitati : totus in ea incumbit, probè conſcius peractis illis nundinis, eaque vita, nihil unquam ſibi ſuperfuturum ſpatii, quod ſimilibus impendatur.

Nihil dico certi, determinati nihil, neque annus, neque dies, neque hora, neque momentum, ſecus ac fit in nundinis : in his enim ſtatutus eſt dierum numerus, quibus eæ durent : in vita autem minimè.

Scripturæ ſacræ Interpretes, & Divi Patres, qui in illa vel apices omnes ad trutinam revocant, quærunt cur Eccleſiaſtes dum cuique rei ſua tempora definit, pronuntiarit illud :

Tempus naſcendi, tempus moriendi : Cur non etiam tempus vivendi? Certè nativitatem inter, & mortem intercedit vita, & inter tempus naſcendi, & moriendi, interjacet vivendi tempus. Cur igitur illud non adjecit? Ne crede id factum ſine Numine. In fronte capitis poſuerat illud : *Omnia tempus habent, & ſuis ſpatiis tranſeunt univerſa ſub Sole* ; verſ. 1. vel ut habet Syrus, *Omni rei eſt tempus, & tempus omni negotio ſub Sole* ; & ecce ſubdidit illicò : *Et tẽpus naſcendi, & tempus moriendi.* Cur non addidit, & tempus vivendi? eſt enim vivendi tempus ſicuti & naſcendi, ſicuti & moriendi : cur ergo non ſubjecit.

Duæ ſunt, eæque præcipuæ rationes : Una eſt, quia vivendi tempus, nullum certum, tutum omninò & ſecurum nullum : quo enim momento in utero materno formatur embrio, eodem extingui poteſt, eodémque quo naſcitur, emori.

Itaque vivendi tempus definitum nullum. Et en prima ratio : altera eſt, quam alio loco inſinuat ille ipſe Sapiens, quia *nos nati continuò deſinimus eſſe.* Et dum naſcimur, morimur ; ſicque inter naſcendi tempus, & tempus moriendi, nullum quaſi eſt medium vivendi, ideoque tacetur. Nullum ei definitum. Cap. 5. v. 13.

Hanc porrò & naſcendi, & vivendi, & moriendi ſortem eleganter, & graphicè ſic deſcribit Seneca.

Nihil ſatis eſt moriturn ; imò morientibus : quotidie enim propius ab ultimo ſtamus, & illo unde nobis cedendum hora nos omnis impellit. Epiſt. 121.

Et mox : *Ad mortem dies extremus pervenit, accedit omnis : carpit nos illa, non corripit : ideo magnus animus conſcius ſibi melioris naturæ, dat quidem operam, ut in hac ſtatione, qua poſitus eſt, honeſtè ſe atque induſtriè gerat, nihil tamen horum, qui circa ipſum ſunt, ſuum judicat. ſed ut cõmodatis utitur, peregrinus & properans.* Mors incerta.

Hæc Romanus Sapiens, Ethnicus licet, qui multos hujus ævi Chriſtianos rubore ſuffundet, qui non *intelligunt ſe quotidie mori.* Imo in horas, & momenta ſingula aliquid de vita decerpi, ideóque in ea ſtatione, nec honeſtè, nec induſtriè ſe gerunt, nec ſibi provident, nec futuro dum per tempus licet : quod quantæ ſit imprudentiæ docebit D. Cyrillus eleganti, & concinno Apologo, *Cicadæ, & Formicæ.* Lib. 4. Apol. Moral. c. 4.

In æſtu ſolis, & meſſis fervore cantans, & quieſcens *Cicada*, cùm deſpexiſſet *Formicam* labore multo, niſuque grana ſua attrahentem, atque convehentem ſua in latibula, ei compatiens ſic ad illam. Quale homini tempus?

O dilecta mihi ſoror *Formica*, ut quid in tanto Solis ardore granula colligis captaſque labore tanto, conamine tanto, cùm & umbram requirat, & quietem æſtiva aura, & impotens diei æſtus? viden ut ego in umbra, ſub viridi tecto, & quieſco placidè, & cantu jucundè me recreo. *Cui ſic Formica.* Apologus elegans Formicæ & Cicadæ.

O mihi amica ſoror *Cicada.* Omnia tempus habent, & ſuis ſpatiis univerſa tranſeunt ſub ſole. Quare & ſuo loco, & ſuo tempore uti agenda cuncta, ſic quærenda : adeóque niſi in meſſe atque æſtate etiam ardẽtiore hoc egero, & grana convexero, fruſtra id poſtea tentaro, fruſtra laboraro, exacta quippe æſtate, atque meſſe, nihil repereto. Itaque mihi vacua hyems, vacuus & annus ab omni annona, & inde dira fames, ipſeque interitus.

Hæc *Cicadæ* dixit *Formica*, & abiit ſibi benè provida. Apologus eſt, inventumque ingenioſum, quo docemur in omni vita, eo tempore noſtro, laborare, ſudare, æſtuare, nobiſque proſpicere de annona ſpiritali in æternos annos, fruſtra aliàs futuri in hoc mundo, fruſtrà & victuri, cùm ſic in vita dies omnes bono vacui, dies omnes mali, quia nos fallunt, & deludunt improbè.

De arte picturæ pronuntiavit illud ſapiens, quod eſſet *malæ artis excogitatio* : quia in errorem homines inducit, & decipit, ut pote fallax : variis enim coloribus, lineamentis, atque umbris viſui illudit.

Tabulam vides, oſtendit illa eum, qui in ea appingitur abeſſe quàm longiſſimè, depreſſum hunc ad ima, elatum iſtum ad ſuperna : digitum admoves, manum applicas, & contingis, & deprehendis omnia æqualia ; remotum nihil, elatum nihil, nihil Vita ſimilis picturæ.

depreſſum in reipſa; ſed cenſore tantum & indice oculo, quem fallúnt umbræ.

Quod in tabula hominum oculi, hoc & animus in vita: eam conſpicis, ceu tabulam, & credis, in ea tempus, tempus, inquam, tuum hîc eſſe tibi diuturnum; opinaris ſupereſſe menſes, & annos, forſ & ſæculum, & mortem abeſſe quàm longiſſimè, & fortè ne hora quidem reſtat, & mors eſt in januis. Quid inde niſi deceptio, niſi error longævi temporis, uti tibi perſuades, cùm tamen ſit breviſſimum, & cùm reipſa tale ſit, agenda eſſet in eo pœnitentia, colligendi virtutum & bonorum operum fructus, quibus fruaris & vivas æternos in annos.

Genеſ. c. 41.

Joſephi Patriarchæ ſapientia.

Laudatur Patriarchæ Joſephi Sapientis, atque prudentia, qui cùm in amœna unius ſomni imagine, audiſſet objectos Pharaoni ſeptem boves pingues & craſſos nimis, deinde & ſeptem alios fœdos & macie confectos: tum etiam ſeptem ſpicas pullulantes in culmo uno plenas atque formoſas, tum alias totidem tenues, & percuſſas uredine, ſimulque etiam Deo revelante intellexiſſet per boves illos pingues, & craſſos, perque ſpicas plenas & ſpecioſas exhiberi futuros annos ſeptem magnæ fertilitatis; perque boves macros, & ſpicas tenues deſignari, ſeptem alios ſteriles, atque infœcundos annos. Tempore fertilium fruges collegit, eâ copiâ, ut ſufficerent in ſteriles etiam Ægypto toti, etiam & vicinis latè regionibus.

Laudatur, inquam, & mirè commendatur Joſephi mens provida, provida & cura laborque in cogendis undequaque frugibus; ſic & tua laudabitur, atque apud omnes commendabitur ſapientia, atque prudentia, ſi quod Joſeph terris, quod corporibus fecit, tu feceris cœlis, atque animabus, Mi Lector: ni feceris, argueris & ſummæ imprudentiæ, & inſipientiæ.

At quinam, inquies, anni illi fertiles, qui & ſteriles? vitæ tuæ anni tibi erunt ſi velis fertiles, & fœcundi, & qui à morte fluant ſteriles atque infœcundi; ideoque in illis colligenda eſt annona, quæ duret in æternitatem, hoc eſt accumulanda merita, quibus fruaris æternos in annos.

QUÆSTIO QVINTA

LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Non poteſt mundus odiſſe vos, me autem odit.* ℣. 7.

CVR MVNDVS CHRISTVM ODIT?

Cur non & Diſcipulos Chriſti?

Chriſtus cur in odio?

PER Mundum hic intellige mundanos, id eſt Scribas & Phariſæos, qui Chriſtum odio habebant, Diſcipulos verò minimè: quæ cauſa? in promptu eſt, quia Diſcipulos hactenus non habuerant vitæ ſuæ ac morum cenſores: Chriſtum verò & cenſorem paſſi erant, & reprehenſorem, eos quippe, eorumque vitia notabat, caſtigabatque Parabolis ſuis, hinc ardebant, æſtuabantque in eum odio, hinc & morti deſtinabant, & Cruci. *Quia teſtimonium perhibebat de illis quod opera eorum mala eſſent*: nemo autem malus mala ſua opera carpi patitur, nemo publico dari & luci: *Qui enim malè agit, odit lucem.* Hæc igitur unica odii in Chriſtum ratio fuit, hæc eſt etiam modò, eritque in ævum omne, quia ut fert antiqua parœmia: *Veritas odium parit*, & quia odium parit, ideo jubetur abeſſe quàm longiſſimè.

Joan. c. 7. v. 7.

Aſtræa cur pulſa terris?

Mythologi doctas edocti fabulas, prodiderunt Aſtræam pulſam è terris Cœlum petiiſſe, non ſine incommodo mundi magno, & privata omnium calamitate.

Veritas cur pulſa terris?

Quod ipſum de veritate dici poteſt, videri ejectam de communi hominum ſocietate, ſupra ſtelliferos globos evolaſſe, quod non ſine ingenti animorum damno fieri potuit.

Epiſt. 4. De vit. Conſtant. l. 3. c. 20.

Commentum quidem illud: ſed ingenioſum; ſed doctum, ex quo & manavit effatum illud ſanè elegans D. Paulini. *Omnia ſub ſole vanitas, proinde ſuper ſolem veritas.* Et quia ſuper ſolem, ideo & infra ſolem inviſa, & odioſa, paucique illius amici, & inimici propè omnes, unde & apud Euſebium iſtud Cōſtantini magni. *Rarus jam eſt amicus veritatis:* inimicus autem & frequens, & multus. Ut enim vates Iſaias.

Cap. 59. v. 14.

Converſum eſt retrorſum judicium, id eſt ratio, quia dominatur paſſio, & juſtitia *longè ſtetit*, quia propè, & in oculis injuſtitia, & hoc quia *corruit in plateis veritas*, id eſt palam atque apertè abjecta, dejectaque eſt, & illius loco erecta falſitas, & mendacium. Cur ita? quia in odio veritas, & falſitas in amoribus, quod quàm indignum ſit, diſce in ſimili.

Cur in odio?

Sit in foro medio virgo regia, formaque etiam ſi voles regia ad ſtuporem & miraculum, jaceatque nihilominus in platea, & nemo ſit unus omniū, qui eam ad ſe invitet, qui eam excipiat, qui admittat in penetralia.

Et contra ex adverſo ſit Æthiopiſſa, nigra, lurida, deformis, fœda, etiam quæ vel ſpectanti tantùm nauſeam moveat, & ſtomachum: & tamen eam adeant, eam laudent, eam ament omnes, atque in ſuas ædes, ſuaque tecta inducant, & tractent quàm lautiſſimè: quod de civibus illis, deque iſto hominum genere judicium? indubiè ſi ſanum eſt, pronuntiabis cœcum eſſe, amens, atque inſanum.

Idem pronuntia de mortalibus pleriſque.

Lib. 6. Strom.

In plateis, hoc eſt in aperto, eſt veritas, ac *Regina veritas*, ut elatè Clemens Alexandrinus, Cœli fœtus, Dei filia ut alius, & tamen propè ab omnibus relinquitur, deſpicitur, imò & rejicitur. Et è contrario, in iiſdem plateis, & compitis eſt *falſitas* mali dæmonis filia, inferni partus, & nihilominus à pleriſque omnibus quæritur, admittitur, amatur, laudaturque.

An non mortalium is error eſt, is ſtupor? eſt enimverò & error, & ſtupor, eſt & dementia, atque inſania, quam damnare debeant omnes, atque averſari, & tamen vix damnat ullus, vix averſatur ullus: imò probant plerique, amantque, odioque habent & *veritatem*, & veritatis ſtudioſos, atque præcones.

Sit hiſtoricus veridicus in paucis, qui nec vera diſſimulet, nec falſa ſilentio tegat, nec bona celet, nec mala boni ſpecie velet, nec aliquid hiſtoriæ luce dignum prætereat, vel ea metu, vel ad gratiam: vapulabit ille multis, quà dicteriis, quà calamo, quà ſubinde etiam manu.

Ita

Duplexio Pariſienſi hiſtorico cur plagæ impoſitæ?

Ita noſtra hac ætate vapulavit Duplexius celebris Galliæ ſcriptor, cui Pariſiis ab ignotis tenebrionibus luculentæ plagæ impoſitæ, eum hoc elogio: *Munus id eſſe quarundam familiarum nobilium, quas nudata veritas exacerbarat.*

Surita hiſtoricus cur à morte vocatus in jus?

Quod illi ſuperſtiti, idem fermè mortuo Hiſpanicarum rerum hiſtorico *Surita* accidit: cùm enim qua par erat ſinceritate vitia Regum, Gentiſque perſtrinxiſſet, ſcriptis multorum, & dictis acerbè exceptus eſt, longéque poſt mortem in jus dicta die tractus eſt ad Regium conſilium, & cauſa laboraſſet, niſi Ambroſius Morales Apologia egregia ſuſcepiſſet patrocinium veritatis uti longè ante ſuſcepit Romanus Orator, cujus hoc effatum, dignum ceris melioribus.

Hiſtoria, & Hiſtoricus qualis eſſe debeat?

Quis neſcit primam hiſtoriæ legem, ne quid falſi dicere audeat, deinde ne quid veri non audeat: ne qua ſuſpicio gratiæ ſit in ſcribenda, neque ſimultatis.

Certè hiſtoria nuſquam pejori loco eſt, quàm in adulatoris aut timidi manu; ſed ne longius, tranſeamus ad alios, quibus *Veritas odium parit.*

Sit cauſidicus, ſit Juriſconſultus, qui non conſulat niſi juſta, niſi æqua, niſi antiqua, & ipſo jure, uſuque firmata, & illi odium impendet, & diſpendium non captatæ novando gratiæ.

Quod ſibi accidiſſe *Bulgarus* Bononienſis Juriſconſultus, non illepidè queſtus proditur ab *Ottone Morena* in Chronico Laudenſi:

Cùm enim aliquando inter ipſum *Bulgarum*, & Martinum illum (cujus curioſitas apud Juriſperitos locum parœmiæ fecit) medius æquitaret *Fridericus* Imperator, quæſiſſetque ab eis, utrum de jure mundi totius dominus eſſet, & quidem dominio proprietatis. Renuit *Bulgarus* ea novitate aſſerenda abblandiri Imperatori, quod cùm impigrè præſtitiſſet Martinus, eáque ex cauſa equo ab Imperatore donatus eſſet. Exclamavit *Bulgarus*:

Bulgarus adulatorem carpit.

Amiſi equum, quia dixi æquum, accepit equum qui non dixit æquum.

Adulatio.

Aſino melius compenſanda ea Martini aſinitas; quàm ut Imperatori aſſentiretur, & placentia loqueretur, una novitate effutienda, tot mortalium jura violando.

Sed quid facias? eſt illud pleriſque mortalibus vitium, *placita magis, quàm dicenda conquirere, & corrumpere ſanctitatem fidei (addo & Iurium) dum ſecundùm deſideria ſtudiorum potius, quàm ſecundùm Evangelicam fidem & jura, coacervant doctrinam,* uti deplorat S. Hilarius, à quo venio ad Eccleſiaſten, & Divini Verbi præconem.

Initio deci- mi de Trinit.

Eccleſiaſtes ſit veridicus.

Dicat hic è pulpito, detonet in vitia, eáque carpat Evangelica & Apoſtolica libertate, incurret in multorum odia, potiſſimum autem magnatum, & virorum Principum, ſi vel verbulo tantùm in iis aliquam vivendi licentiam, & morum pravitatem notaſſe atque inſinuaſſe videatur, etſi illa jam ſit in publico, & in oculis omnium.

Ut enim antiquum, ſic & verum illud Prophetæ Amos:

Cap. 5. v. 10.

Odio habuerunt corripientem in porta, & loquentem perfectè abominati ſunt: quod etſi cadat in Judices (qui olim jura dicebant in portis urbium, & diſſidia enata inter introeuntes ibi componebant; ne quid urbem intraret, quod pacem urbis interturbaret) cadit tamen etiam in Côcionatores, qui vel in compitis dicunt, ut olim antiquitus, vel in templis uti hodie, & ipſi odio habêtur, & fiunt abominabiles, vel eo tantum, quòd loquantur perfectè, quòd perfectè vitia ſugillent, & corripiant:

Judex ſit æquus.

Correptio qualis eſſe debeat.

Eſt enim correptio duplex: una imperfecta, perfecta altera. Imperfecta eſt ea, quæ fit in communi tantùm, & ea parum prodeſt. Perfecta alia, quæ fit in particulari, & ea proficit vel maximè, quod patebit in ſimili.

Doctrina medicinæ, & medici bona eſt, etiam prolata tantum in communi: ſed perfecta non eſt, quis aërem tantùm verberat, nec ægrum ſanat: perfecta erit ſi in particulari applicetur infirmo: tunc eum ſanitati reſtituet, puta, ſi hæc & iſta huic, aut illi.

Similitudo.

Domine mi neceſſum eſt ut brachium illud cancro jam putridum reſcindatur; & ſanguis ille, qui te præfocat ex corde extrahatur foras, illis quoque humeris cucurbitæ applicentur, & ſic de aliis infirmitatibus particulatim.

Quod medicus: hoc & Eccleſiaſtes: nam & hic medicus eſt animarum, in quibus tot morbi, quot vitia; in quibus curandis obſervari debet, quod in ſanandis corporibus.

Concionator eſt medicus.

Eius doctrina bona: ſed ea ſi ſiſtat in communi, imperfecta: ut perfecta ſit, deſcendat ad particularia v. g. dicat, & dicat huic, dicat & illi.

Mi Domine cor tibi affectum humore malitiæ, æſtu & calore nimio inveterati in proximum odii; ſanguis ex nimia luxuria computruit; Gazæ ex bonorum alienorum rapina plus æquo repletæ, ex nimio potu ſtomachus obrutus, madida & putreſcentia viſcera; aqua intercute ſeu ſuperbia, & tumore diſtenta cutis, & ita de cæteris animi morbis, quos ſi voce quaſi manu tangat, ſi eo, quo par eſt ſententiarum pondere premat, ſi eo, quo decet zelo feriat, indubiè ſanabit.

Morbos animi detegat.

At verò, inquies, veritas odium pariet? prorſus pariat, nil refert, dum ſanetur æger, dum curetur peccator.

Ut autem curetur, ſit is Eccleſiaſtes quem exigit tanti muneris ratio, & dignitas, quem exſpectet boni omnes, quem vereantur mali, quem cœlũ efflagitet.

Nulla illi ſit de verborum pompa ſollicitudo, nulla de applauſu, & laudibus: ut ſcitè D. Chryſoſtomus: ſed omnis de animarum bono, & ſalute, *nec ſit is, qui ſtrepat vocibus, & mutus ſit moribus,* quod vetabat Auguſtinus: ſed potius ſit ejus oratio *magnifica,* hoc eſt, *quæ & excelſa tonet,* & fulgeret, ut de Oratore Plinius Junior.

Lib. 5. de Sacerdot.

De Catechizandis c. 9.

Lib. 3 ad Tacitum.

Et ea Pauli fuit, quem dum legeret D. Hieronymus, *Videor mihi,* inquiebat, *non verba audire; ſed tonitrua:* & paulò pòſt, *quocumque reſpexeris,* etiã *fulmina.*

Epiſt. 50 ad Pammachium.

Ita nimirum Pauli verba omnia, & tonitrua erant & fulgura, & fulmina, & ea quoque eſſe debent ſacri Oratoris, ea & veritatis: ſed & hîc fortè curſum inquiet, ſi ea mea ſint, odium parient, afferent & fors etiam necem, aut ſaltem inimicum facient omnibus.

Tonet, & fulguret.

Pariant odium; mortem afferant, inimicum reddant omnibus, facient quod olim Prophetis, quod Apoſtolis, quod ipſi Chriſto, quod Deo-Homini.

Ab annuntiata veritate odio habiti Prophetæ; imò & ſublati de vivis. *Iſaias* ſerâ diſſectus eſt medius, *Hieremias* puteo merſus & obrutus lapidibus. *Ezechiel* conculcatus à multitudine, *Michæas* alapâ contuſus, *Amos* minis territus, *Elias* condemnatus, condemnati extremoque ſupplicio affecti Apoſtoli. Ipſe *Paulus* etiam in vivis inimicus factus eſt Galatis: ſic enim de iis aliquando queſtus: *Ergo inimicus vobis factus ſum verum dicens?* Denique & ipſe *Chriſtus* Scribis & Phariſæis exoſus, atque ad mortem quæſitus hoc ipſo quo videmus loco.

C. 4. v. 16.

Quid facias? ea eſt hominum malevolentia, ii & Veritatis, & Veridicorum proventus, de quibus & illud Hieremiæ: *Seminaverunt triticum, & ſpinas meſſuerunt* in terris; ſed in Cœlis roſas: & tu, ô quiſquis es Eccleſiaſtes, dum ſeminabis quod illi, & metes quod illi. Si pro *tritico,* hoc eſt Dei verbo, quod è pulpito ſeminaſti in Auditorum animis, metas in terris *ſpinas,* hoc eſt perſecutiones, dicteria verbera, imò & mortem, metes in Cœlis *roſas,* id eſt coronam beatitatis.

FERIA QVARTA

HEBDOMADÆ QUINTÆ QUADRAGESIMÆ.

CELEBRABANT Iudæi *Encænia*, ſeu feſtum Encæniorum, hoc eſt feſtum Dedicationis Templi, quod ædificatum & dedicatum primitus à Salomone, deinde reædificatum à *Zorobabele*, poſt reditum à captivitate Babylonica, tum etiam rurſus dedicatum à *Iuda Machabæo*.

Celebrabant autem in menſe *Caſleu*, qui nobis eſt *December*, & hoc quidem concurſu populi ſummo, ſumma & lætitia, ob reſtitutam à *Iuda*, Duce piiſſimo & fortiſſimo, unà cum Templo, religionem ac libertatem.

Vocabatur illud, *Feſtum Luminum*, hoc eſt dati cœlitus Luminis, ſive reſtituti ſacri Ignis, quo incendi, & cremari ſolebant victimæ.

Cumque eò loci ac temporis *ambularet* IESUS *in porticu Salomonis*, cir-
Ioan. c. 10. cumcinxerunt eum Iudæi, hoc eſt Iudæorum Scribæ & Principes, qui ſic ad
v. 24. IESUM: *Quouſque animam noſtram tollis*, Syrus *retines*, Arabicus *affligis*,
hoc eſt ſuſpenſos & dubios diſtines. *Si tu es Chriſtus, dic nobis palam*, id eſt
liberè & clarè, ſine ullis ambagibus, & verborum involucris: hoc autem dice-
bant non ſtudio addiſcendæ veritatis, ſed calumniandi prurigine, & conſilio
eum perdendi, ſi Chriſti, hoc eſt Meſſiæ nomen, officium, & dignitatem
ſibi arrogaſſet.

Pſal. 21. Hinc de illis David præſago ſpiritu, vocéque, ſeu potius IESUS Davidis ore,
v. 17. calamoque: *Circumdederunt me canes multi, concilium malignantium obſedit me.*
Pſal. 117. *Et circumdederunt me ſicut apes, & exarſerunt ſicut ignis in ſpinis.*
v. 12.

Quibus ita CHRISTUS: *Loquor vobis, & non creditis: opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc teſtimonium perhibent de me.* q. d.

Ego palam, & clarè dixi me eſſe Meſſiam, & non creditis; imò & obtrudítis
cap. 8. frigidum illud: *Tu de teipſo teſtimonium perhibes, teſtimonium tuum non eſt*
v. 13. *verum.*

Quid igitur facerem ultra? cùm verbis meis non crederetis, opera adhibui, quæ Meſſiæ erant, adhibui & miracula, *in nomine*, hoc eſt authoritate, voluntate juſſuque Patris mei, à quo & miſſum me dixi: ſed neque operibus, neque miraculis fidem habetis; imò, quod gravius eſt, diaboli opera & miracula eſſe calumniamini, ut ſic ea elevetis.

verſ. 26. Cur ita? *quia non eſtis ex ovibus meis*, mihique ut paſtori ſubjici non vultis,
verſ. 27. uti ſolent oves meæ, quæ quia meæ ſunt, *vocem meam audiunt.* Et quid inde ex
eo boni? hoc certè, quod ſummum eſt, *Et ego vitam æternam do eis, & non*
verſ. 28. *peribunt in æternum, & non rapiet eas quiſquam de manu mea.* Quis enim ra-
peret, cùm & in manu mea ſint, & ſimul etiam in manu Patris mei? quidni enim
verſ. 30. eſſent, cùm *& ego & Pater unum ſimus?*

verſ. 31. Ad hæc verba veluti blaſphema atque impia, *ſuſtulerunt lapides Iudæi, ut la-
pidarent eum:* ſed IESUS, pro ea, qua erat poteſtate, & eorum animos &
manus, quibus jam lapides prenſarant, ita ſuſtinuit, ut etſi vellent, & niterentur
quàm maximè, jacere non poſſent, quod in CHRISTO divinæ fuit poteſtatis, &
in Iudæis ſummæ malevolentiæ, quam ita redarguit CHRISTUS:
verſ. 32. *Multa bona opera oſtendi vobis ex Patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis?*

Opera vocat miracula, quæ edidit Æterni Patris nutu, atque authoritate, cæcos illuminando,

illuminando, mortuos ſuſcitando, energumenos ſanando, aliaque illis affinia; propter quod eorum me vultis lapidare: cui reſponderunt illi:

De bono opere non lapidamus te, ſed de blaſphemia, quia tu homo cùm ſis, facis verſ. 33. *teipſum Deum.* Hæc Iudæi pro ſe, próque meditato facinore, quod quàm frivolum ſit, oſtendit CHRISTUS: *Nonne*, inquit, *ſcriptum eſt in Lege veſtra, Quia* verſ. 34. *ego dixi Dii eſtis.* Dii enimverò non natura, non etiam Hypoſtatica *unione*; ſed participatione quadam eminentiæ, poteſtatiſque judiciariæ: Iudices enim antiqui dixere Deos, dixerunt & ſacri codices. Exodi: *Diis non maledices*, Diis id eſt *Iudicibus*: & *Deus ſtetit in Synagoga Deorum*, hoc eſt *Iudicum*. Cap. 22. v. 28. Pſ. 81.

Quod ſi Iudices Scripturæ calculo appellantur Dii; quî ego blaſphemus ſum? Iudices Dii ſunt. cum dico *Filius Dei ſum*, & quidem naturalis: quod ſi Dei Filius etiam natura, igitur & Deus: quod ſi mihi non creditis, operibus credite: hæc enim Deum probant, & loquuntur.

Et hæc Evangelii ſumma, à qua delabor ad Quæſtiones:

QUÆSTIO PRIMA
LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Oves meæ vocem meam audiunt.* Joan. c. 10. ℣. 27.

IN hoc capite, ſi unquam ullibi in Scripturis, aperit CHRISTUS præcipua & maximè recondita Fidei noſtræ myſteria, atque arcana, qualia ſunt Prædeſtinationis, & Reprobationis, Generationis æternæ, atque emanationis Divini Verbi, SS. Trinitatis, & in ea Unitatis eſſentiæ, & Diſtinctionis Perſonarum, Conſubſtantialitatis Filii cum Patre; Sanctificationis, aliaque, ut facilè patebit ei, qui ad ſingula Evangelicæ Lectionis verba oculum animumque figet. Ego iis prætermiſſis ſtylum figam in illis, quæ potiſſimùm conducunt ad mores, inter quæ primùm

Ad illa verba: *Oves meæ vocem meam audiunt.* Joan. c. 10. ℣. 27.

AN AVDIRE VOCEM CHRISTI, ET DEI VERBVM ſit ſignum Ovium Chriſti, ſit & ſignum Prædeſtinationis?

IN ſupremo illo ac decretorio Judicii die Chriſtus, ceu bonus Paſtor, ſegregabit Oves ab Hœdis, hoc eſt electos à reprobis: hoc enim nomine & hos & illos diſtingui voluit; electos quidem *Ovium* blandâ atque amabili voce, reprobos autem durâ atque inimicâ *Hædorum* appellatione, ceu ſtigmate notari.

Quod in ultima mundi ſcena, hoc & in vita: divìdit Servator Optimus *Oves* ab *Hædis*, id eſt Prædeſtinatos à Reprobis; & tam hos, quàm illas notâ quadam, ceu ſtigmate ſignat, ut ex eo dignoſcas, qui ſint *Oves*, & qui *hædi*; qui Prædeſtinati, & qui *Reprobi*. Prædeſtinati quia *Oves* Chriſti ſunt, ejus vocem audiunt, & hæc eſt illarum nota. Reprobi verò, qui *Hædi*, non audiunt, & hoc etiam eorum eſt ſignum.

Vox Chriſti tripliciter auditur. At quid illud audire Chriſti vocem? Duplici modo audiri, imò & triplici poteſt. Primùm aure, & hoc parum, & propè nihil: Deinde animo, & hoc aliquid, ſi nimirum audias, & credas quod eſt intellectus & fidei. Denique ſi voluntate, & illud eſt audire, hoc eſt obaudire atque exequi reipſa quod audieris, & hoc eſt *ovium*, id eſt prædeſtinatorum: alia ſunt *Hædorum*, atque *Reproborum*, qui audiunt auribus corporis quod eſt inane, & fortè etiam animi, hoc eſt Intellectus, tantum credendo iis, quæ audierint, non autem faciendo, & hoc & illud eſt *Reproborum*.

Et ita audivit *Saul*, ad quem ita Samuel. Audi vocem Domini. *Vade & percute Amalec, & demolire univerſa ejus, non parcas ei, neque concupiſcas ex* 1. Reg. c. 15. v. 1. 3. *rebus ipſius aliquid, ſed interfice à viro uſque ad mulierem, & parvulum, atque lactentem, bovem, & ovem, camelum, & aſinum.*

Audivit hanc Domini vocem Saul, audivit auribus, audivit & intellectu, & credidit Domini Saulis inobedientia. eſſo: ſed non audivit opere; vitam enim dedit Regi Amalec, & gregibus pepercit melioribus, & hinc ad illum Samuel.

Quare non audiſti vocem Domini? ſed verſus ad prædam es, & feciſti malum in oculis Domini? Pro eo quod verſ. 19. *abjeciſti ſermonem Domini, abjecit te Dominus ne ſis Rex.* verſ. 23. En fulmen Divinæ maledictionis, en ſignū reprobationis. Et hoc ex eo quòd non audiſſet opere, nec impleſſet ſermonem Domini, etiam pietatis, etiam Ejus pœna. religionis prætextu, ut immolaret ea Domino.

Quod Sauli: hoc & aliis, audiunt illi quidem Inobedientia punitur. vocem Domini, audiunt aure, ſed non corde, non voluntate, non opere, & ita in ſe trahunt fulmen Divinæ maledictionis.

Sic vocem magni Baptiſtæ audivit Herodes, audivit & illud, *Non licet tibi habere uxorem fratris tui*; imò & libenter audivit, & audito illo multa fecit; ſed quia huic uni voci non obedivit, non dimiſit uxorem fratris ſui, non eſt cenſendus audiſſe; quia ex vero is ſolus audit, qui obedit, & ipſo complet opere quod audit.

Sic audiunt è Chriſtianis etiam multi, confluunt ad conciones, audiunt vocem Eccleſiaſtes, & in ea vocē Domini & ad illā etiam pruriunt aures, prurit & animus, & fides voci datur, non tamen manua,

Digitized by Google

non opus,& hinc verò non audiunt vocem Domini, nec Chriſti ſunt oves, quia nec ejus vocem audiunt.

Inobediens ſimilis ægro. Similes infirmo, qui à medico excipit morbi remedia, & modum obtinendæ ſanitatis; ſed quia nec illa amplectitur, nec modum illum tenet, meritò audit ab eodem medico, ſi me audiſſes, jam perfectam conſecutus eſſes ſanitatem: ſed quia nec audiſti, nec à me præſcripta ſervaſti, nec hanc aſſecutus es, nec mortis periculum evaſiſti.

Sic nec evadunt perverſi illi auditores, qui audiunt vocem Domini, ſed non ovina ſimplicitate, ovina & obedientia.

Dicitur huic. Diligendus tibi eſt inimicus, injuriæ dimittendæ: ſed quomodo, inquit, illum diligam? quomodo & has dimittam?

Dicitur iſti. Malè parta reſtituenda ſunt, & Domino reddenda; ſed ecce rurſum frigidum illud. Quomodo reſtituam? *quomodo reddam?* reducar ad pauperiem, excidam è meo ſtatu, nec ut prius in luxu, in pompa ero, nec digito monſtrabor, nec potero dicier, *hic eſt*.

Dicitur alteri. Ejicienda è domo hæc ancillula, procax, petulans, impudorata, abeundum ab ea familiaritate cum hac aut illa puella pulchellula, atque ad venerem facili, ac prona. Sed en iterum frigidum illud, & dubiæ, imò & malæ fidei: Quomodo ejiciam illam? quomodo abibo ab hac; illa mihi commoda atque utilis, hæc in oculis, atque amoribus.

Sic audire, ſic ad audita objicere, non eſt ovinæ ſimplicitatis, quæ non patitur illud *Quomodo*. Multòque minus ovinæ obedientiæ, quæ moras neſcit; ſed hœdi procacitas, & perverſitas.

Ex ea fuit illius ad quem *vir quidam de filiis Prophetarum dixit in ſermone Domini. Percute me. At ille noluit percutere.*

3. Reg. c. 20. v. 35. 36. Cui, ait, *quia noluiſti audire vocem Domini, Ecce recedes à me, & percutiet te Leo.* Et quid inde? *Cùm paululum receſſiſſet ab eo, invenit eum Leo, atque percuſſit.*

Sed, inquiet unus aliquis, cur Deus & Prophetam percuti voluit, & alium quempiam percutere? An non potuit hic detrectare? & an detrectando peccaverit? Reſpondet Toſtatus hîc primò, Deum voluiſſe, imò & juſſiſſe & Prophetam percuti, & alium percutere, ut tam hujus, quàm illius probaretur obedientia, videlicet & percuſſi, & percutientis.

In 3. Reg. cap. 20. Qu. 20. 21. Reſpondet ſecundò eum qui noluit percutere, omninò peccaſſe, quia propheta ei iſtud nuntiarat in *ſermone Domini*, hoc eſt in Dei voluntate, juſſuque, cui & credere tenebatur, & obedire, quod cùm recuſaſſet, illicò ſecuta divina ultio, & inobedientiæ pœna: *invenit enim eum leo, atque percuſſit*: non percuſſit autem alterum, quem deinde *inveniens* Propheta, cùm dixiſſet: *Percute me*, & *percuſſit eum, & vulneravit*, etiam innoxiè, quia vocem *Domini*, quæ manarat à Propheta, & audiit, & obaudiit, & inde ſervatus à dente morſuque leonis.

Sed rurſus quæret aliquis. Cur Deus Prophetam ſibi dilectum, & carum in paucis, percuti voluit? & vulnerari ab eo, qui ſibi factus eſſet obvius? Reſpondet ille ipſe Toſtatus, ne agnoſceretur à Rege Achab, utpote cruentus, & pulvere aſperſus: atque ex eo mutatus totus *aſperſione pulveris*, in os, & oculos, quæ omnia ſpectabant ad cauſas divinæ juſſionis, atque ad Prophetæ obedientiam, quæ in eo erat & ovinæ ſimplicitatis, & ſubmiſſionis, tum Judicii, tum voluntatis, in quibus duobus conſiſtit obedientia perfecta, quæ eſt ovium Domini, quæ & Prædeſtinatorum: qui nec cauſas mandati examinant, nec moras illi exequendo injiciunt; ſed exequuntur illicò.

Et talis fuit magni illius Patriarchæ Abraham, cùm ad primam Dei vocem, qua jubebatur filium ſuum unigenitum Iſaac immolare, & ſeſe omnibus aliis expedivit, & iter ſuſcepit, & montem verſus ferro accinctus, ut filiolum ſuum buſto ferali imponeret, & manu propria feriret, capite minueret, & vita, nec dubius hæſit, quid ageret, quò ſe verteret, nec mandata diſcuſſit, nec Domini promiſſa, quibus ſpoponderat, futurum aliquando, ut *multiplicaret ſemen ejus, ſicut ſtellas cœli, & ſicut arenam, quæ eſt in littore maris.*

Hæc, inquam, nec examinavit, nec objecit; ſed ſimplici, cœca, prompta fortique obedientia victus, ferrum nudavit, manum extulit, ut ſub ea caderet Iſaacus innocens ſanè victima.

Non curioſus de mandato ſciſcitatur; ſed jubentis dignitate perpenſa, mandatum duntaxat admiſit, excluſit cætera, inquit, Chryſoſtomus.

Et hæc obedientia in Abrahamo, & ſignum prædeſtinationis fuit, & velut arrha futuræ aliquando beatitatis.

Et ea quoque erit in aliis, qui ad Dei ſui vocem nutumque obedientiſſimi, hoc eſt qui & abeunt à malo, & accedunt ad bonum; qui diſcedunt ab impiorum concilio, & Dei voluntati, legique, ſeſe adjungunt.

Ut enim Pſaltes Regius: *Beatus vir, qui non abiit in concilio impiorum: ſed in lege Domini voluntas ejus.*

Hebræa habent in plurali. *Beatitudinis viri*, Pſal. 1. v. 1. 2.
quaſi ex ipſa beatitudine compacti, & formati, & quaſi transfuſa in eos jam eſſet beatitudo, adeò certi de ſpe, deque poſſeſſione ipſius æternæ beatitudinis.

Nec mirum, quia in Concilio impiorum non abiit, vel ut habet alia verſio, *non ſtetit*, *non ſedit*, non ſedit otioſè, & pigrè, ſed nec *ſtetit* vel uno momento: ſed procul abiit, & fugit: Et quia *in lege Domini voluntas ejus.* Hebraicè Hapher, amor ejus, quaſi Divinæ Legi totus incumberet, eſſetque totus; imò quaſi Lex Domini ejus eſſet *amor*, nec aliud quippiam. Et quia nil aliud audiunt quàm Chriſti, id eſt Summi Paſtoris vocem, inde convincuntur eſſe de Chriſti peculio, de Chriſti grege, adeóque de numero Prædeſtinatorum atque electorum; eadem quippe nota eſt Ovium eadem & Prædeſtinatorum.

Inter arcana naturæ, quæ ſuſpicimus & amamus, in agnellis hoc ſingulare, quod ex balatu cognoſcant matres, ſinguli ſingulas, ſecretiore quodam naturæ inſtinctu impulſuque, quo duce aberrant nunquam.

Spectatu dignum illud, dignum & admiratione: Sit ovile agnorum, ſint & ii totâ die incluſi, dum interea matres vagantur per paſcua, tum ſub veſperam Inclinato jam Sole redeant, ovileque ingrediantur balantes, videre eſt agnellos, & quidem ſingulos ad ſingulas matres etiam per conſertum gregem accurrere, & penetrare, & convolare ad ubera, atque ex agnellis ne unus omnium aberrabit à matre.

Sed unde eam cognoſcit? unde diſcernit ab aliis? non ex vellere, non ex odore, non ex alio capite; ſed ex voce, ſed ex balatu: ſed, inquies, vox ovibus omnibus eſt communis, & communis balatus, quem non diſtinguet vel ipſe Paſtor: at diſtinguit agnellus, nimirum conſonat hic iſti agnello, conſonat alius alteri, & hic unum audit, unum ab alio diſcernit, & ſequitur; alios autem minimè. Quæ ratio? Non alia quàm ſecretus inſtinctus inditus agnello ab Authore naturæ.

Quod agnellis, hoc & electis, hoc & Prædeſtinatis: & hi, & illi Chriſti vocem audiunt: Chriſti, inquam, qui illius amore mater eſt, & ſollicitudine Paſtor; & quia ita eſt, ejus vocem audiunt: reprobi verò atque damnandi non audiunt, quia non ſunt ex illius ovibus.

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO SECUNDA MORALIS.

Ad illa verba: *Et ſequuntur me.* Joan. c. 10. verſ. 27.

AN CHRISTUM SEQUI SIT NOTA OVIUM CHRISTI? An ſit & ſignum Prædeſtinationis?

PRIMA qualitas ovium Chriſti, eſt audire vocem ejus, altera eum ſequi: Parum enim eſt ejus audire vocem, niſi etiam ſequaris.

Chriſti votum Sequere me. Et hoc eſt Chriſti votum, hoc & ovium bonum, & quidem ſummum, hoc & ſignum Prædeſtinationis.

Apoſtolis omnibus, Diſcipulis ſuis, & Chriſtianis nil ſolemnius injecit Chriſtus, nil frequentius, quàm hoc aut illud: *Venite poſt me, Sequere me*, & his affinis monita, ſeu oracula.

Nihil etiam ſolemnius, nihil & frequentius Apoſtoli in ſchola Chriſti probè docti, quàm illud *ut* 1. *Petri c.* 2. *v.* 21. *ſequamini veſtigia ejus.*

Petro inter Apoſtolos facilè Principi dixerat aliquando JESUS: *Sequere me.* Converſus inde *Joan c.* 21. Petrus, vidit illum Diſcipulum quem diligebat JESUS *ſequentem*, & dixit. Hic autem quid? Tum ei Dominus: *Quid ad te? tu me ſequere.* Quaſi unum illud ad eum attineret, Chriſtum ſequi, cætera minimè. Rabbi Benjaminus ait *Batgadi Caliſam* ſemel quotannis Feſto Paſchatis die ſecundùm ripam Tigris obambulare ſolum, cæteros omnes navibus vehi: Regis autem veſtigia ita religioſè adhibitis cuſtodibus obſervari, ut toto illo anno nemo illa premere ſub pœna capitis audeat.

Vanitas eſt, & in eo vanitatum vanitas. At non ſic Chriſtus ipſa Veritas, ipſa Bonitas; ſua ille mandat, ſua & amat veſtigia premi, & unicuique inculcat ſedulus illud: *Sequere me*; imò & malum intentat ni ſequaris, & graviter queritur ſe pati & nemi- *Iſay. c.* 63. *v.* 3. nem compati. *Torcular*, inquit, *calcavi ſolus*, & *de gentibus non eſt vir mecum.* Et quid inde? audi minas, & iratum excipe fulmina: *Calcavi eos in furore meo. Calcavi eos.* Cur ita? Quia mea non calcârunt veſtigia, quæ tamen ut calcarent, qui Deus eram, Homo fieri volui, quòd ſcirem mea non poſſe calcari veſtigia, qui Deus eram.

Ut enim avita illa Davidis verba de meipſo: *In* *Pſal.* 75. *verſ.* 20. *mari via tua, & ſemita tua in aquis multis, & veſtigia tua non cognoſcentur* Enimverò veſtigia in Divinitatis oceano nulla; ut porrò eſſent, aſſumi debuit humanitas, à qua & in qua ea imprimerentur atq; agnoſcerentur; & ita factum eſt à Chriſto, & quàm optimè, dum *Verbum Caro factum eſt*, ut caro quodammodò *Verbum* fieret, non naturâ, ſed imitatione; & S. Magdalena de Pazzi. ita fieri debent Chriſtiani, ſi modò ii ſunt, qui ſunt à Chriſto: & ita facta eſt *S. Magdalena de Pazzi.*

Anno Domini 1585. pridie Annuntiatæ Virginis extaſim paſſa, mente volutabat hæc verba: *Verbum* *In ejus vita.* *Caro factum eſt*, cùm ecce illi in eo raptu adfuit S. Auguſtinus, & Magdalenæ cordi hæc ipſa verba altiùs viſus eſt inſculpſiſſe: *Verbum Caro factum eſt.* Et *Verbum* quidem litteris aureis, *Caro* autem *factum*, litteris ſanguineis.

Sed cur, inquies, *Verbum* auro notat S. Doctor? Cur & *Caro factum* ſanguine? Non alio, ut opinor, fine, quàm ut Divini *Verbi* amabilitatem amore ardenti (qui per aurum exprimitur) deſignaret, ſignificaretque proſequendum: *Carnem* verò & humanitatem ſanguine, hoc eſt cruciatu ac tormentis, adeoque & imitatione in nobis exprimendum, quod ut inſinuavi, Chriſti votum eſt & gloria, bonumque noſtrum, ſi Chriſtianus imitatione ſit alter velut Chriſtus.

Epheſtionis laus magna fuit, quod Alexander ſe alterum Epheſtionem, & Epheſtio ſe alterum diceret Alexandrum: ſic & Chriſtiani ſumma quæ poteſt eſſe gloria, ſummumque bonum, hoc eſt ſi alterum veluti Chriſtum ſe dicere poſſit; non naturâ (hoc enim adynaton) ſed quadam imitatione virtutum. Epheſtionis laus. Summum bonum ſequi Chriſtum.

Certè, ut inquiebat Xiſtus Pontifex, *Quiſquis Chriſtianus dicitur, Chriſti ſe eſſe diſcipulum profitetur. Qui autem Chriſti diſcipulus eſt, debet Doctoris exempla per omnia ſectari, ut in diſcipuli habitu & converſatione, Magiſtri tam forma, quàm doctrina reſplendeat.* *De Div. ad Fla.*

Hæc ubi extulit pius Pontifex, tùm pro Epiphonemate adjicit illud Eccleſiaſtici: *Gloria magna eſt ſequi Dominum*, quia ſequi eſt ei ſervire, ſervire eſt regnare, & regnare eſt ſumma gloria & ſummum bonum, quia ea ſervitus ſimilem Deo facit, & quodammodò Deum facit, ut ſcitè Clemens Alexandrinus: *Ut enim*, inquit, *ſi quis Ciceroni operam dederit, & promoverit in ejus ſchola, orator dicitur, & alter Cicero; ſi quis Chryſippo, Dialecticus, & Chryſippus alter; ſi quis Ariſtoteli, Phyſicus, & alter Ariſtoteles; ſi quis Platoni, Philoſophus, & alter Plato; ſic etiam, qui in Chriſti ſchola eum imitando multùm profecerit, dicetur & alter Chriſtus.* Chriſtum ſequi... *c.* 23. *L.* 7. *Strom.*

Dixit aliquandò Apoſtolus: ſicut *qui adhæret meretrici unum cum ea corpus efficitur*; ſic & qui adhæret Domino per imitationem, unus eſt ſpiritus cum eo, quod ſi unus ſpiritus, profectò & unus veluti Dominus, quo quid excellentius, quid eſſe poteſt divinius? 1. *Corint. c.* 6. *v.* 16.

At quomodò, inquies, aſſequemur illud? excipe ea D. Cypriano: *Æterna & divina veſtigia ſectanda ſunt, & ambulandum cum Chriſto paribus veſtigiis, & æmulâ ingreſſione nitendum*; Et imago cœleſtis portanda, & ita quidem ut quomodò portavimus imaginem ejus, qui de limo eſt, portemus & imaginem ejus, qui de Cœlo eſt. *Tract. de habitu Virg.*

Sed quomodò portabimus, *niſi in eo quod eſſe cœpimus, Chriſti ſimilitudinem præbeamus: hoc enim eſt mutaſſe quod fueras, & cœpiſſe eſſe quod non eras, ut in te divina nativitas luceat, ut ad Patrem Deum deifica diſciplina reſplendeat.* Hactenus D. Cyprianus ex quo adverte iſtud, *Deifica Diſciplina*, hoc eſt quæ Deum veluti facit. *Tract. de zelo & livore.*

Et hæc eſt diſciplina, quæ innumeros, & innumeras è ſæculi libertate traxit in Dei ſervitutem, è mundi tumultu ſtrepituque in ſolitudinem, è palatiis in cellulas, ex aulis in Monaſteria, quod pro miraculo habuit D. Bernardus: Ut enim aliquando è pulpito in die Dedicationis Eccleſiæ ſacro: *Serm.* 1.

Quod majus miraculum, quando tot juvenes, tot adoleſcentes, tot nobiles, univerſi denique, quos hic video velut in carcere aperto tenentur in vinculis ſolo Dei timore confixi, quod in tanta perſeverant afflictione pænitentiæ, ultra virtutem humanam, ſupra naturam, contra conſuetudinem, & propè etiam ſupra numerum. Monachi quo numero. Virgines devotæ quo numero.

Certè

Digitized by Google

Confluxus ad Chriſtū ſequēdum.

Certè in Thebaïdia urbe Oxitincho viginti Monacharum, decem Monachorum millia recenſita ſunt.

Vita Patrum Hiſtor.

Palladius ſuo tempore in una civitate Græciæ non maxima, refert cenſa fuiſſe pluſquam triginta millia Virginum Deo dicatarum.

S. Benedicti Ordo.

Benedictinus Ordo numerat quindecim, eóque amplius Cœnobiorum millia, è quibus unicum Gemeticenſe mille Monachos recenſebat.

S. Franciſci Ordo & multitudo quæ?

Franciſcanos uno eodemque tempore Chriſtianos orbis aluit ad trecenta millia ſi Rapino fides, imò ad decies centena millia eos aſcendere tradit Cornelius noſter.

Præfatione Hiſtoriæ Recollect.

Nec mirùm, ſi verum illud quod Petrus Cavenſis Abbas unâ die tribus Monachorum millibus Inſtituti ſui veſtem impoſuerit: tantus erat Chriſtum ſequendi ardor, tantus & confluxus ad Chriſti veſtigia, atque ex iis etiam tantus ad Cœli regiam, ſeu beatitatem.

Martyres 900. una die, uno in monaſterio.

Sanè quantus fuerit ex uno collige, quod Bercorenſe Monaſterium (quod erat S. Auguſtini in Africa) nongentos unâ die Martyres in Cœlum tranſmiſerit.

Neque mihi dixeris eos ferè fuiſſe de vulgo, de trivio, nec ullius notæ: fallexis enimverò, falleris. Eſt certè eritque in ævum omne verum illud Prophetæ Abacuc: *Inclinati ſunt colles mundi ab itineribus æternitatis ejus.* Hoc eſt, interprete D. Hieronymo, Potentes, & Magnates hujus mundi veluti illius colles verticem inclinabunt, & faſtum deponent ad Chriſti cunas atque veſtigia, contemplantes ejus itinera à Cœlo in terram, ab æternitate ad tempus, à gloria ad Crucem, & inde ſeſe inclinabunt, ſeſeque demittent ad eadem itinera, quæ Chriſtus, & nudi nudum ſequentur, poſitâ purpurâ, atque diademate.

Cap. 3. v. 6.

Religioſi ex Regum progenie.

Sic in Italia ſe inclinârunt *Lotharii, Vgones, Rachiſii, Pipini.* In Germania *Carolomanni.* In Græcia *Anaſtaſii, Theodoſii, Michaëles.* In Hiſpania *Bambæ, Veremundi, Ramiri, Iacobi.* In Armenis *Ioannes, Hytoni.* In Bulgaria *Tribellii.* In India *Iaſaphati.* In Palæſtina *Brenæ.* In Cypro *Henrici.* In Anglis *Sigeberti, Ethelredi, Chenredi, Theodulphi, Egberti:* Qui omnes regiæ purpuræ cucullum prætulêre, abdicatoque Regno in Monaſteria ſeſe abdidêre, ut in iis verum eſſet illud Iſayæ: *Incurvabitur ſublimitas hominum, & humiliabitur altitudo virorum:* & hoc quidem *ab itineribus æternitatis ejus*, id eſt Chriſti, cujus exemplo *Non erubeſcet facere Chriſtianus, quod fecit Chriſtus*, ut piè dixit Auguſtinus. Et S. Leo, cujus hoc effatum, dignum Petri Sede.

Cap. 2. v. 17.

Chriſti humilitas nulli eſt erubeſcenda nobilium, nulli eſt aſpernenda divitum: non enim in tantam poteſt humana ſublimitas pervenire faſtigium ut ſibi æſtimet pudendum, quod Deus in forma ſervi non eſt arbitratus indignum.

Imo erubeſcat non agere, & pati, quæ egit, & paſſus eſt ille: & ſi fortè contigerit eadem & agere & pati, glorioſum ſibi ducat; gloria enim eſt, eaque ſumma ſi filius ad patrem, ſervus ad Dominum, diſcipulus ad magiſtrum, miles ad Ducem, propiùs acceſſerit: gloria ſi quæ egit ille, & paſſus, & ipſe quoque patiatur, & agat. *Tudippum*, quòd ſecum cicutam bibere damnatus eſſet, triſtiorem videns *Phocio*, eum ſolabatur dicens: *Nonne tibi ſatis eſt cum Phocione mori?*

Exempli vis quanta.

Plutarch. in Phocion.

Si hæc ille ex ſpiritu vanitatis dixit, atque egit, quid Chriſtianus, ex genio veritatis & dicet & aget? nunquid illud?

Bibendus eſt calix paſſionis, nonne ſatis eſt bibere cum Chriſto?

Patiendum eſt, & quidem quidquid acerbum eſt: nonne ſatis eſt cum Chriſto pati?

Moriendum eſt, & quidem in patibulo Crucis, & latrones inter ſi voles. Nonne ſatis eſt cum Chriſto mori? enimverò ſatis eſt, & plus ſatis.

Et ita pati, ita & mori *Paulo* plus ſatis fuit: fuit enim illi ſolatio, illi gloria, illi votum unicum, ita cum Chriſto mori, cujus voti ſunt teſtes illæ ad Galatas voces.

Mihi autem abſit gloriari niſi in Cruce Domini noſtri IESV Chriſti.

Ad Galat. c. 6. v. 14.

Quod Paulo, hoc & Chriſtiano, hoc & tibi paginam hanc quiſquis legis.

QVÆSTIO TERTIA

LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Vitam æternam do eis.* verſ. 28.

CVR ADDITVR ÆTERNAM, ET AN EA SOLA ſit Vita, quæ eſt æterna?

Vita triplex.

TRIPLEX vita. Una eſt, quæ eſt hujus temporis, altera quæ eſt gratiæ, poſtrema quæ eſt gloriæ.

I. Vita temporis.

Vita hujus temporis, & cujus menſura eſt tempus, non eſt vita, quia brevis, quia fluxa, quia nulla.

Brevis eſt, quia dies unus, etſi videatur longiſſima.

Vixit *Adam* nongentis & tribus annis, & mortuus eſt.

Vixit *Seth* nongentis & duodecim annis, & mortuus eſt.

Vixit *Mathuſalem* nongentis ſexaginta-novem annis, & mortuus eſt, eorumque vita; ut longiſſima fuerit, brevis fuit, quia nonniſi dies unus: *Mille anni*, aiebat Vates Regius, *ante oculos tuos tanquam dies heſterna, quæ præteriit.*

Pſal. 89. v. 4.

Nimirum ante oculos Dei mille anni, tanquam dies unus, itaque & Adæ, & Sethi, & Mathuſale vita, non fuit niſi dies unus, imò nec dies unus; ut verum eſſet iſtud Dei vaticinium, iſtæ in Adamum minæ: *In quacumque die comederis ex eo, morte morieris:* eodem enim die ex Dei computu mortuus eſt, quia intra millenarium mortuus, ideoque & intra diem unum à peccato. Quid brevius? imò certè brevius, quia nec dies unus; ſed punctum.

Quamdiu volvitur ſæculum, intelligas punctum eſſe: non eſt diu quod habet extremum, inquiebat Divus Auguſtinus. Diu igitur nullum niſi æternitas, quæ non habet extremum.

Conc. 1. in Pſal. 30.

S. Mocchæus D. Patricii diſcipulus, non credebat primævos illos homines nongentis eóque amplius vixiſſe annis, quòd iſta vita videretur longiſſima, in cujus incredulitatis pœnam, juſſus eſt à S. Patricio trecentos annos vivere; & ſanè vixit Cœlo vindice, & illis exactis, tria ſæcula didicit punctum eſſe, nec ſe diu vixiſſe, quia habuerat extremum. Et quia habuerat extremum, brevis fuerat, adeoque nec in voto, quia dies hujus temporis.

Deſiderent

Auguſt. in Pſal. 83. v. 11.

Deſiderent ergo homines diem alium, diem unum, *qui non habet ortum, nec occaſum, unum diem, unum ſempiternum cui non cedit heſternus, quem non urget craſtinus*. Sed ecquis ille dies? *Dies eſt æternitatis*, quem ut legebat *D. Thereſia* intimo jucunditatis ſenſu exultabat, quod cùm recoleret *Anna à* JESV, eademque voce delectata, exclamaret: O quàm ea arridebant Matri Thereſiæ, audit cœlitùs hanc vocem ad ſe miſſam: *ideo laudes ejus nunquam habebunt finem*; quem ut nec ipſe habeas, MI LECTOR, age, diem hujus temporis & fuge, & damna, quia brevis eſt; ſed & quia fluxa.

In ejus vita. l. 4. c. 8.

Cap. 5. v. 10.

Homo ſimilis navi.

Hominem compoſuit Sapiens cum navi, & vitam cum aqua præterfluente: *Sicut navis*, inquiebat; *quæ pertranſit fluctuantem aquam*, hoc eſt, quæ eſt in perpetuo fluctu, fluxuque, nec unquam ſiſtit: Ut cum D. Auguſtinus, *Dies ipſi properantes tranſeunt, quia hodiernus dies craſtinum excluſit, craſtinus dies naſcetur, ut excludat hodiernum, ipſi dies non ſtant.*

Serm. 30. de verbis Dom.

Quare cum illis vis ſtare? Certè ut velis, non poteris: Quî enim poſſes in eo, & cum eo ſtare, quod ſemper fluit; imò etiam non eſt, uti non eſt vita, quanta quanta demum illa ſit: ecquid enim quid poſſides ex ea? Non aliud, quàm quod ex tempore. Ex hoc quod *fuit* non eſt amplius. quod *erit* necdum eſt, quod *eſt*, hoc unum poſſides, præterea nihil. At quod illud? momentum. En quod ex vita poſſides, momentum, momentum. Dic illud vitam tuam; dic, inquam, atque ad aliam aſpita, quæ non eſt hujus temporis, hujuſque lucis, ſed altioris & propè divinæ, id eſt Gratiæ,

II.
Gratiæ vita.

verſ. 4.

Quam Apoſtolorum Princeps appellat *Vitam* à Deo nobis donatam, & per quam efficimur *Divinæ conſortes naturæ*. Quo in loco, utpote obſcuro atque difficili, ſudat Interpretum labor, in quo vera à falſis diſcernam.

Oſiandri error.

Oſiander exiſtimavit nos per Gratiam ſic uniri Divinitati, ut realiter juſtificemur per ipſammet Dei juſtitiam ac ſanctitatem: error eſt.

Michaelis Severi error.

Michael Severus hinc conficere voluit per Gratiam, ceu vitam, Deitatem reipſa in nos transfundi, eo ferè modo, quo transfunditur anima in corpus, cùm illud animatur.

Et hic error eſt: uti & ille quorumdam Contemplativorum, qui cenſuerunt per gratiam ita nos uniri Deo, ut reipſa ſubmergamur in abyſſali profundo Divinitatis. Et hæc qualis qualis unio, ficta eſt atque abhorrens à vera.

Quomodò ergo Divinæ ſimus conſortes naturæ, & hoc quidem per gratiam? Hic eſt nodus quæſtionis, quem ut facili ſolvamus manu, ſolvamus & ſecutâ mente, dicemus cum D. Ambroſio, & SS. Patribus atque Ortodoxa Fide.

Lib. de Incarnat. c. 8.

Primò, quod Natura Divina *ſubſtantialiter*, & *eſſentialiter* ſit ſolùm in Deo Patre, Filio, & Spiritu S.

Secundò, quod eadem Natura Divina, ſit in Chriſto, ſit in Deo-Homine etiam *ſubſtantialiter*, quia ei cõmunicatur per Hypoſtaticam unionem, à qua ſubſiſtit ſubſiſtentia Verbi; adeoque ſecundum Deum, Chriſtus ſolus Divinæ eſt conſors naturæ etiam *ſubſtantialiter*.

Tertiò, Juſti omnes divinæ quidem conſortes ſunt naturæ, ſed nec *eſſentialiter*, nec *perſonaliter*; ſed partim *accidentaliter*, partim etiam *ſubſtantialiter*.

Gratia quomodo facit conſortes divinæ naturæ.

Accidentaliter quidem per *Gratiam* ſanctificantem, quæ eſt qualitas ſupernaturalis à Deo animæ infuſa, per quam & proximè, & ſummè particeps ſit Divinæ naturæ.

Ejus excellentia.

Gratia enim res eſt adeò nobilis, adeò ſublimis, ut omnium creaturarum etiam poſſibilium, & hominum, & Angelorum naturam ſuperet, eiſque ſit ſupernaturalis, ſic ut nulla dari poſſit, cui ea dicatur, & ſit connaturalis, adeò limites illius omnes excedit, & in ſummo Divinitatem participat apice,

quod tamen ex alio aliquo capite, mirum quantum augetur.

Eſt autem illud ejuſmodi: quod Juſti per Gratiam Sanctificantem Divinæ fiant conſortes naturæ etiam *ſubſtantialiter*, per ipſam naturam Divinam eis communicatam, quâ adoptantur à Deo in filios, & hæredes, & quaſi deificantur.

Quod ut in aperto ponatur, & clara luce, ex ipſis Sacræ Theologiæ principiis id ſtatuo, quod in Juſtificatione non tantum detur homini *Gratia*, vel ipſe Spiritus S., quoad dona ſua, ſed etiam datur ipſiſſima perſona Spiritus Sancti, adeoque & ipſa Divinitas, totaque SS. Trinitas, ita ut ipſa non tantum objectivè, ſed & realiter, & perſonaliter, in anima juſti, cum ſuis donis, & per dona ſua, novo modo fiat præſens, in eaque, quaſi in templo ſuo, *ſubſtantialiter* inhabitet, eamque ſibi uniat; & quaſi deificet, itaque efficiatur *divinæ conſors naturæ*.

Quomodo per eam Spiritus S. in nobis inhabitet.

Ea nimirum fuit, atque ſtupenda Dei erga juſtum dignatio, ea divinæ illius bonitatis inclinatio: potuiſſet equidem (non abnuo) per gratiam facere ſibi gratos, & juſtos, non tamen adoptare in filios: potuiſſet & adoptare in filios, & hoc ſolum per gratiam nobis inhærentem; ſed his non contentus, ulterius voluit ſuam perſonam quaſi annectere ſuis donis, eamque cum iis donare, itaque per ſeipſum nos adoptare in filios & regni ſui hæredes, quod infinitæ indulgentiæ fuit, fuit & amoris, fuit & honoris.

Et ita docuit D. Bonaventura in 1. ſent. Diſt. 14. art. 2. Q. 1. qua tota oſtendit Spiritum Sanctum non tantum in effectu, ſed etiam in propria perſonâ quaſi donum increatum juſtis dari, ut ſit eorum perfectâ poſſeſſio, adeoque inchoata quædam beatitudo.

Idem & cenſuit D. Thomas P. 1. Q. 43. art. 3 quem & ſecuti è noſtris. Vaſquez, Valentia, Suarez hic lib. 12 de Deo trino, & uno Cap 5. num. 11 & 12, cujus rationem hanc adjicit.

Quia dona gratiæ vi ſua, & quaſi connaturali jure poſtulant realem, ac perſonalem præſentiam Dei in anima, per talia dona ſanctificata, quia ſi per impoſſibile fingamus, Spiritum Sanctum non eſſe alias realiter præſentem intra animam, eo ipſo quo anima talibus donis afficeretur, ipſemet Spiritus Sanctus veniret ad eam per præſentiam perſonalem; & maneret, quamdiu gratia in illa duraret. Hactenus Suarez, qui huic rationi phyſicæ addit moralem, eam videlicet, quod per *gratiam* fiat perfectiſſima amicitia Deum inter, & hominem: hæc autem poſtulat amici præſentiam, & hæc eſt quæ firmat, illa quæ commendat: firmat enim in bono intima Dei præſentia, & gratia mirum quantum commendat, atque ornat. Hanc porrò Amicitiam, cognationem vocavit S. Macarius.

Vides, inquiebat è pulpito, *cognationem Dei cum homine, & hominis cùm Deo.* *Homil. 45.*

Ab hac amicitia, & cognatione, quæ à gratia eſt Deum inter & hominem, manarunt illuſtria illa nomina, quibus eam expreſſerunt Chriſtiani Heroës.

Gratia quid ſit?

His gratia, eſt forma juſtificans, vel ut habet Tridentinum, *eſt unica formalis cauſa, qua juſti nominamur & ſumus.*

I.
Gratia cœleſte ſemen.

D. Joanni *Gratia* eſt veluti cœleſte quoddam & divinum ſemen, quod in animam, ceu molle ſubactumque ſolum, Deus immittit. *Omnis* inquiebat, *qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quoniam ſemen ipſius in eo manet.*

Joan. c. 3. v. 9.

Semen illud Lyrano, Hugoni Cajetano eſt *gratia*, è qua velut è ſemine pullulant cæteræ virtutes, tum etiam opera bona, & merita lucrando Cœlo.

D. Thomæ Angelico Doctori: *Gratia Semen eſt gloriæ*: ut enim in ſemine virtute continetur planta, atque arbor etiam procera, florida, fructuoſa: ſic & in *gratia*, ceu ſemine quodam, continetur, &

1. p. qq. 62. art. 3.

Digitized by Google

gloria, & gloriæ lumen, & beatitas omnis, enatumque inde gaudium.

Ad Rom. c. 6. v. 23.
II. Vita.

D. Paulo *Gratia Dei eſt vita æterna*, non quidem in ſe, ſed in radice; non formaliter, ſed finaliter, quia pro fine, & coronide, habet vitam æternam.

In Pſal. 118. v. 3
Serm. 18.

D. Ambroſio *Gratia eſt fons hortorum*, *Puteus aquæ vivæ*, *& impetus deſcendens à Libano: magnus impetus, qui nunquam deficit: bonus impetus, qui lædere neſciat, nortis implere.*

III. Pluvia.
Serm. 2. de verb. Domini

D. Auguſtino *Pluvia eſt*, non aëreo cœlo delapſa; ſed emiſſa ex empyreo, ut eam toto ſinu, tota mente capias, ac retineas: noli altum ſapere; *ſed time, ut implearis. noli altum ſapere, ne ſiccetis.*

IV. Cœli ros.

Ruperto *Gratia*, *Cœli ros eſt*, qui molliter, & ſine ſtrepitu, animam imbuit, ceu nobile vellus, & imbuendo fœcundat & recreat.

V. Medicina.

Eidem Auguſtino, ad quem redeo *Gratia medicina eſt: qui vult ſemper ægrotare, ingratus eſt medicinæ, ingratus eſt gratiæ.*

Comment. in Jeremiam, l. 8. c. 13.

D. Hieronymo, *Gratia, turris eſt, è qua pendent mille Clypei & omnis armatura fortium*

VI. Cibus animæ.
Serm. 3. in Annunt.

D. Bernardo *Gratia Dei*, *animæ cibus eſt*, *omnem in ſe habens ſanitatem, & delectamentum ſaporis.*

Et hi ſunt honoris tituli, hæc ſtemmata, hæc emblemata, quibus gratiam ornant, & ſubjiciunt ſenſibus Divi Patres, ut ex his evadat ad animum ejus vis, atque excellentia: ita nimirum fieri oportuit, quia cum philoſopho judice, *nihil fit in intellectu, quod prius non fuerit in ſenſu*, quod eſt decoris in *Gratia*, exprimi mortalibus debet per ea quæ ſub ſenſum cadunt, ut ex illis aſcendat ad animum, & altioris intelligentiæ arcana penetret.

Serm. 1. de Nativit.

Et hæc è multis pauca, de ſecunda vita, quæ eſt *Gratia*; à qua priuſquam diſcedam, eſt quod te alloquar, & compellem ipſis S. Leonis Papæ verbis: *Agnoſce, ô Chriſtiane, dignitatem tuam, & divinæ conſors naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri converſatione redire.*

III. Vita gloriæ.

Tranſeo ad tertiam *vitam*, quæ eſt *Gloria*: ejus natura, pretium, dignitas, penſatur, è duobus capitibus: primùm eſt quod ſit *vita*, alterum quod ſit *æterna*.

Vitæ pretium ex eo intelliges, quod ab ea vivens etiam viliſſimum (puta plantam, puta muſcam, & vermiculum) perfectius ſit & excellentius quovis non vivente.

Animata ut præſtant inanimis.

Suſpicit terra Cœleſtes orbes, & in illis fixa ſidera, ſolem, & lunam, veluti mundi oculos, & his antecellit etiam herbula, etiam muſca, formica, vermiculus.

Aſpicit terra, & magni æſtimat auri pretium, & fulgorem, argentique nitorem, & gemmarum lucem, unionumque candorem, & his omnibus pretioſior eſt muſca, & vermis, & illius hujuſque *vita*, quia *vita*, & quia *vita* cæteris formis omnibus antecelſt, quæ non ſunt *vita*.

Quod ſi ita eſt de omni *vita*, quid dicendum de hominis *vita*? hoc certè quod omnibus quæ ſub cœlo ſunt anteponenda, poſtponenda cætera.

Quod ſi vita etiam hæc, quæ mortalis eſt, talis ſit, ac tanta, quæ erit ea, quæ immortalis eſt? quæ eſt animæ? quæ eſt Gratiæ? quæ & Gloriæ? profectò ejuſmodi, cum qua nihil omninò componendum, quod ſub luna ſit. Ut enim Salvator optimus, *Quam dabit homo commutationem pro anima ſua?* ſanè nullam: ut proinde ſcitè dixerit Salvianus:

Matth. c. 16. v. 26.
Lib. 3. ad Eccleſ.

Damna animæ totum penitus ſecum auferunt: nec quicquam homo omninò habere poterit, qui ſeipſum damno animæ pereuntis amiſerit. Et ideo nihil dubites pro te dare, quia ſi te amiſeris, omnia in te perdis: ſi autem te lucrifeceris, tecum, & in te omnia poſſidebis.

Quod effatum magni Præſulis, verum eſt quàm maximè in *vita æterna*, de qua hîc agimus: hanc ſi amiſeris, in ea omnia amiſeris; ſin autem obtinueris, ſimul in ea obtinueris omnia.

Deus vita primæ.

At obtinebis, quia *Æterna*, & inde quia beata, & participatio quædam *Vitæ primæ*, quæ Deus eſt, & à quo uno beatus eris,

Beatitudinis eſſentia.

Porrò ad beatitudinis eſſentiam requiritur ut ſit perpetua, ut ſit æterna, & ea quidem, non ab extrinſeco Dei favore; ſed à ſua intrinſeca ratione, alioqui nec eſſet ultimatè ſatiativa appetitûs noſtri, qui æternus eſt, nec excluderet miſeriam omnem; imò nec ſummam: quia non ſolùm reipſa excidere à beatitudine, ſumma eſt miſeria; ſed etiam aut eſſe in periculo excidendi, aut poſſe excidere, pro miſeria ſummâ computari deberet: Ubi enim aut periculum tale eſſet, aut etiam ſola poteſtas, eſſet & objectum ſummi timoris, ſummi & mœroris, adeóque & ſummæ miſeriæ, & inde nec beatitudo, ad quam (ut dixi) requiritur perpetuitas, atque illius æternitas.

In quo ſita.

Cujus ratio petitur hîc ex particulari illius ratione, quæ poſita eſt in clara Dei viſione, quæ ex ſe eſt ejuſmodi, ut amitti non poſſit: ſi enim amitti poſſet, vel id proveniret ex parte Beati nolentis amplius videre Deum, vel ex parte Dei ſubtrahentis concurſum ſuum ad conſervationem viſionis, aut luminis gloriæ, vel ex parte cujuſquam alterius agentis creati, aut creabilis: at nihil horum contingere poteſt; non ex parte videntis Deum: tum quia nemo poteſt velle ſe non eſſe beatum, & ſpecialiter ſic beatum à ſummo bono, tum quia beati non liberè, ſed neceſſariò & vident, & amant Deum: ſic autem videndo, ſic & amando, excidere non poſſunt.

Lib. 13. de Civit. c. 15.

Non etiam ex parte Dei, tum quia Deus habitibus ſupernaturalibus (quale eſt lumen Gloriæ) nunquam negat concurſum neceſſarium ad operandum, nec habitus ipſos etiam ſubtrahit à ſubjectis ſuis, niſi in pœnam peccati: Ut enim D. Auguſtinus: *Nunquam Deus deſerit hominem, niſi prius ab ab homine deſeratur.*

Beati an, & unde impeccabiles?

Sed peccatum in Beatos nec cadit, nec cadere poteſt: ſunt enim impeccabiles, non tantùm ex Dei gratia, & beneplacito, quo ſtatuit perpetuò in illis conſervare amorem ſui ſuper omnia, nec unquam cum illis concurrere ad actum malum: ſed ex ipſa viſione Dei, tum *mediatè*, tum *immediatè*. Immediatè quidem ratione ſui; cùm enim infinitam, Dei bonitatem clarè repræſentet, nihil in illa non ſummè amabile, nihil extra illum præ illa videt amabile: *mediatè* verò ratione amoris beatifici, in quem neceſſariò ſeſe exerit atque explicat quantum poteſt.

Poſitis autem duobus illis in Beato; & viſione Dei clarâ, adeoque beatificâ, & amore etiam neceſſario atque beatifico, impoſſibile eſt ut peccet, adeóque ut excidat à beatitudine. Igitur *æterna* ſit oportet, & cùm etiam *Vita* ſit, ſit & *Vita æterna*, & *æterna Beatitudo*, *æternus* & *Amor*, uti & æterna Dei viſio, à quibus conſequens & illud in quod exclamat D. Auguſtinus: *O Amor, qui ſemper ardes, & nunquam extingueris.*

Neque hæc beatitatis æternitas impediri poteſt, aut interrumpi ab ullo agente creato, aut creabili. Quod enim illud eſſet, cui ea vis indita? cui potentia & ſubtrahendi luminis Gloriæ, & Viſionem beatificam interturbandi & Amorem etiam beatificum ſuffocandi? & hoc quidem contra naturam, & naturæ inclinationem, & ipſius etiam Authoris naturæ beneplacitum? Profectò nec ullum eſt ejuſmodi; imò nec eſſe poteſt.

Maneat igitur inconcuſſum illud, inviolatumque, jus beatitudinis, jus & vitæ beatæ, quod *Æterna* ſit, quod nec minui poſſit, nec tolli etiam ullâ potentiâ.

Maneat & hoc diſcrimen vitæ illius quæ nobis eſt in terris, & hujus quæ aliquando erit in Cœlis, quod

Digitized by Google

quod in illa, *Quantò quis plus vivit, tantò minus illi reſtat: vivendo enim hic decreſcit vita, non creſcit.* In hac autem, quò quis plus vivit, plus illi reſtat, quia ibi vivendo creſcit vita, non decreſcit.

Et hoc eſt quod acutè ſtylo notavit D. Auguſtinus in illa Eccleſiaſtes verba:

Deprime cor tuum, & ſuſtine, ut creſcat in noviſſimis vita tua ad quæ ſic ratiocinatur:

Quantum putamus creſcit, ut fiat æterna? Diſce, inquit, à contrario.

Modo enim vita humana, quamdiu videtur produci, decreſcit potius quam creſcit. Ecce de ſeptuaginta annis vixit aliquis, annos ſexaginta, remanſerunt decem: Diminutum eſt quod erat propoſitũ (nempe ſeptuaginta anni) hoc enim neceſſum eſt, quantò quis plus vivit, tantò minus illi reſtat; ideoq; hic vivendo, decreſcit vita, non creſcit.

Non ſic in Æternitate, non ſic. In hac vixit aliquis annos centum, vixit & mille, vixit & myriades ſi voles, plus illi reſtat, & infinities plus; non decreſcit ita vivendo, ſed creſcit: & quò plus *à parte poſt* (ut ita loquar) dimioutum eſt, plus & additum *à parte ante*: hoc enim poſtulat Æternitatis ratio, etiã, quò plus detraxeris, plus ſupereſt adjiciendũ, & infinities plus.

Et hoc eſt quod æternum facit, quod facit & beatum, quod facit & dies, & annos videre bonos, quod non ſine ingenti animi & voluptatis ſenſu quærebat Auguſtinus, & ſibi, & nobis reſpondebat.

Serm. 39. de verbis Dom. *Qui ſunt dies boni? dies ſine fine, requies ſine labore.*

In hac, ſic ad nos Deus Iſayæ verbis: *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta.* Cap. 32. v. 18.

Sedebit, is nempe ſitus eſt quietis, eſt & æternitatis.

Moneta Fauſtinæ Auguſtæ. Fauſtinæ Auguſtæ moneta olim cuſa eſt hâc formâ: Globus erat, cui inſidebat Imperatrix, manum unam protendens, ſceptrum tenens altera, cum inſcriptione *Æternitas*; quæ enim potius?

Et globus, & figura circularis, & ſella, ſeſſioque, ſymbola ſunt *Æternitatis*.

Naſamones Africæ populi. Naſamones Africæ populi, & magnâ vitæ parte ſedentes expirare, & hoc etiam ſitu humari voluêre, quaſi jam Æternitatem, & longiſſimam à laboribus ceſſationem adiiſſent.

Uti ſubinde, hodieque Reges, & Cæſares in ſubterraneis mauſolæis componuntur ſedentes.

Romanis etiam in more fuit mortuorum Imperatorum fuſiles ſtatuas, ſimilibus fulcire ſellis, ut qui jam ſcilicet & quiete fruerentur, & Æternitate.

Ipſe Chriſtus ſedere dicitur ad dexteram Patris, & Juſtos faciens *diſcumbere*: *ſedere* ad quietem ſpectat, *diſcumbere* ad voluptatem: & hâc, & illâ fruetur in Æternitate Dei *populus*, hoc eſt electi & prædeſtinati, & hoc quidem Luc. c. 12. v. 37.

In pulchritudine pacis. Quid enim pulchrius? quid amabilius pace? omninò nihil. *Pax Dei exuperat omnem ſenſum*, inquiebat Apoſtolus, ea maximè, quæ erit *in tabernaculis fiduciæ*. ſed quænam illa? cœleſtia utique; terrena quippe viatorum ſunt, ſunt & peregrinorum, quales ſumus omnes in hac vita: at cœleſtia comprehenſorum atque Beatorum, quales erimus in Cœlo, & ſede beatitatis, & tabernaculis illius fiduciæ. ad Philip. c. 4. v. 7.

In terris tabernacula quidem ſunt, ſed fiduciæ nulla: ex his enim emigrandũ velis nolis, quia in iis non es niſi ut *Viator*: at in Cœlis tabernacula omnia *fiduciæ* ſunt, quia in his non eris niſi ut *comprehenſor*, quod eſt Æternitatis: & *in requie opulenta*, quod erit beatitatis.

In hac pereuntis ævi ſede, ſi quæ requies eſt, in ea non tam dormis, quàm dormitas, & quidem paululum, & ſi quis obrepit ſomnus, is modicus eſt & turbidus; at in Cœli regia longiſſimus eſt, & æternus, & opulentus, cui ad quietem, ad ſatietatem deeſſe poſſit nihil.

Et hæc Æternitas magnis mentibus ſemper in oculis fuit, fuit & in amoribus. Cæſares olim pro pro Æternitate Imperii ludos faciebant, quibus non aliud conſequebantur, quàm ut Imperium ludus fieret, & ipſi illuderentur: at non ſic Oves Chriſti, non ſic Electi, non ſic. Æternitatem illi obtinebunt à Chriſti meritis & gratiis, obtinent & à bonis operibus, quæ Cœlis exhibent, & à quibus non ut olim Roma, quæ laureis, triumphiſque ſuis ſuperbiens *Æternam Vrbem* indigitavit; ſed incaſſum: *Roma* enim quam è lateritia marmoream ſe feciſſe gloriabantur Imperatores, è marmorea in lateritiam recidit, adeoque *Vrbs æterna* non fuit: ſed Ovium Chriſti, ſed Electorum regia, quæ Cœli erit, æterna erit, atque in ea quoque *Æterna Vita*, ad quam votis omnibus aſpirare, & conatu omni, viribuſque adniti debemus, & quidquid in mortali molimur vita, æternitati gerere. Et ita geſſerunt Chriſtiani Heroës, qui cum Davide, *Annos æternos ſemper in mente habuerunt*, eoque clypeo, & loricâ aureâ uſi ſunt, contra ignea tela voluptatis, & bellantium vitiorum.

Æternitatis ludi qui? Sueton. in Nero. c. 31. Roma cur urbs æterna? Pſal. 76. v. 6.

FERIA QVINTA

HEBDOMADÆ QUINTÆ QUADRAGESIMÆ.

HODIE ſacer Hiſtoriographus exhibet, & commendat primò unius è Phariſæis in CHRISTUM hoſpitalitatem: tum in convivii domum inducit mulierem peccatricem, & mali utique nominis, malæ & famæ: tum quæ CHRISTO officia detulerit, ſuo quæque ordine proponit: denique quantum ab illa, quæ fuit prius, ſit mutata: facta enim ex peccatrice pœnitens, ex ſentina vitiorum aula virtutum, ex receptaculo dæmonum depoſitarium gratiarum, & cœleſtium donorum, Angelorumque domicilium; ex meretrice virginum norma, ſpeculum caſtitatis, continentiæ forma; atque ex muliere ad omnem libidinem proſtituta, magiſterium omnis ſanctitatis; denique (ut verbo uno complectar omnia)

omnia) poſita à Deo toti orbi in *Miraculum*: quod præſenſiſſe, ac prædixiſſe viſus
Cap 21. v. 4. eſt Vates Iſaïas, qui hæc de illa: *Babylon dilecta mea, poſita eſt mihi in miraculum.*
Magdalena quippe ex verè *Babylon*, quia vitiorum propè omnium in ea colluvies atque confuſio; ſed quia CHRISTO dilecta, *poſita eſt in miraculum*, & amoris miraculum, quod per pauculas Quæſtiones favente Cœlo aperiemus. Sit ergo

QVÆSTIO PRIMA
MORALIS.

Ad illa verba: *Ecce mulier.* Lucæ cap. 7. verſ. 37.

QVID ILLA PARTICVLA DEMONSTRATIVA, ECCE? *Quid & iſta*, mulier?

NON caſu, non temerè tacet Evangeliſta quæ Phariſæus Chriſto, convivæ utique ſuo exhibuerit, quæ fercula appoſuerit, quæ ſub menſam intulerit, quæ ad delitias, quæve ad pompam: omnia iſta ſilentio involvit obſcuro, & quæ ad Magdalenam attinent latiùs explicat, exponit oculis, in aures injicit, & mirè prædicat.
verſ. 49. Silet etiam ecquinam eſſent, *qui ſimul accumbebant*: & ſolius mulieris disertè meminit.

Quæ cauſæ? Serm. 93. Quæ cauſa? Alia eſt atque alia audiamus ex D. Chryſologo. Una petitur à Phariſæo: *Hic veſte clarus, primus in ſigmate in ipſis oculis Chriſti, eumens epulis, homini, non Deo placiturus infunditur*, & quia
I. A Phariſæo. ſic infunditur, eum præterit Evangeliſta; non item mulierem, quia inſpicit & miratur, *quo fervore, quâ*
Serm. 94. *fide, quali auſu, quantâ obſequii novitate, peccatrix mulier ipſius veſtigia contigerit Salvatoris.*

Magdalena in cõvivium irrumpit. Alia petitur à Chriſto, atque à fine, quo Phariſæi domum intravit, ejuſque menſæ accubuit, *Non accepturus Iudaïcos cibos; ſed divinam miſericordiam*
II. A fine. Serm. 93. *largiturus: neque accubuit pocula ſaporata melle, floribus odorata ſumpturus; ſed pœnitentis lacrymas ex ipſis oculorum fontibus poraturus.* Quas enim potius?

Certè *Deus delinquentium gemitus eſurit, ſitit lacrymas peccatorum*, & ſi ad Phariſæi menſam *venit* Chriſtus, venit non ut carnalibus repleretur eſcis, ſed ut in carne negotium cœleſte monſtraret; neque ut probaret poſita humanitùs ante ſe, ſed poſt ſe geſta divinitùs approbaret: & quia ſic venit Chriſtus, hinc illius mentionem facit Evangeliſta, uti & mulieris, quæ Chriſti, ceu Medici ſui amans & reverens, urbanitatis leges omnes violare videtur: Ut enim annotat D. Chryſologus.

Serm 93. *Clauſtra domus non prorumpit extraneus, convivii ſecretum non præſumit non invitatus intrare, cibos paratos, relaxandis mentibus poſt laborem perturbare non audet arbiter luxurioſus.*

III A muliere. *Et quid eſt ergo quod hæc mulier ignota, imò male nota, onuſta luctibus, plena lacrymis, clamoſa planctu, neſcio janitore, nullo conſcio, ipſo ignorante Paſtore, domûs aditus percurrit omnes, tranſit totas miniſteriorum catervas, ipſum convivii pervolat ad ſecretum, & facit domum lætitiæ, domum lamentationis & planctûs?*

Hæc ubi quæſivit S. Præſul, tum reſpondet: *Non rogata venit illa, ſed juſſa. Sed à quo juſſa? utique à Chriſto, qui ſic fecit eam ſiſti ſibi, qui illam à cœleſti ſententia juſſit abſolvi.*

IV. A Circumſtantiis. Et quia fecit ſibi ſiſti, *hinc venit mulier, & venit retrò, quia reus animus poſt tergum ſtat ad veniam, quia per culpam novit ſe vultûs fiduciam perdidiſſe: venit ſatisfactura Deo, non homini placitura; venit pietatis illa, non voluptatis exhibitura convivium. Denique & pœnitentia ponit menſam, fercula compunctionis apponit, panem doloris infert, potum lacrymis temperat in menſura, & ad delitias Deitatis totas, totam pulſat cordis ſui, & corporis ſymphoniam, organi planctibus dat clamorem, cytharam per ſuſpiria longa modulatur, gemitus aptat in fiſtulam, & dum pectus ipſam conſcientiam arguens ſæpe percutit, facit placitura Deo cymbala perſonare, dumq; taliter apportat Divinis oculis cibos, totas miſericordiæ copias ſic reportat. Et hoc eſt, quod exaggerat Evangeliſta, videlicet mulieris facinus, ut accumulet indulgentiam Largitoris.*

Quod autem fuerit illud facinus, quod Chriſto paratum convivium, quæve in eo hilaritas & ſymphonia cordis, & animi, ubi generatim extulit, tum delabitur ad modum, rationemque, qua ſubingreſſa convivii locum.

Vt cognovit, inquit: Cognoviſſe amanti fuit ſatis, quia accumberet Dominus in domo Phariſæi, inclinem ad miſerandum ſupernam didicit Majeſtatem: Non enim *ad ſtantem auſa fuiſſet venire peccatrix, non etiam ad ſedentem.*

Non quidem ad ſtantem, quia *Deus cùm ſtat, corripit*; non etiam ad ſedentem, quia *cùm ſedet, judicat*; ſed ad diſcumbentem, quia *proſtratis conjacet, cùm decumbit.*

Hæc, inquit, omnia ubi cognovit, ſimul & *Credidit quod eſſet ad veniam ſibi promptus, qui Phariſæi venerat tam promptus ad menſam.*

Venit ergo: ſed quorum ferculorum apparatu? quóve ordine?

Hoc primum. *Attulit alabaſtrum unguenti.* Quod enim potius? Portavit oleum, quia medicinam lethali vulneri à ſupremo Medico perquirebat. At quo habitu? quo corporis ſitu portavit? *Stans retrò ſecus pedes ejus*, nimirum *ad pedes tendit ſemper, citam veniam qui requirit: Et benè ſtans, quia jam cadere non poteſt, qui ad pedes Chriſti meruit pervenire: & benè etiam retrò ſecus pedes, ut Chriſti veſtigiis innixa, percurreret per viam vitæ, quæ per viam cucurrerat mortis.*

Et hæc ſacer Hiſtoricus de primo ferculo. De ſecundo iſta non ſine ſtupore: *Lacrymis rigabat pedes ejus.* Nempe in eo *mutatur ordo rerum, pluviam terræ cœlum dat ſemper, ecce nunc rigat terra Cœlum; imò ſuper cœlos, & uſque ad ipſum Dominum imber humanarum proſilit lacrymarum*: & hoc primum ab illis lacrymis prodigium. Alterum accipe ejuſdem S. Præſulis exaratum calamo, ex eoque diſce, *quanta vis in lacrymis peccatorum, rigant Cœlum, terram diluunt, extinguunt gehennam, delent in omne facinus latam Divinâ promulgatione ſententiam.* Tanta nimirum in illis lacrymis vis fuit, neque impar in eo, quod *capillis capitis ſui tergebat*, ut ex eo demiſſionis & reveren-

& reverentiæ obſequio *in peccatricis caput purgandis criminibus rafflueret unda, ut ſuo fonte mulier in novum baptiſma ſuorum dilueret illuviem peccatorum, & verticem capilli ex quo ambulaverat in delictis ſuis, in ſanctitatem tali verteret ſervitute.*

Ubi poreò ſic vertit, infert & aliud ferculum, ſed amoris, ſed caritatis: *oſculatur* enim *pedes* ejus, & rectè *præceſſerant intervenientes lacrymæ, ut oſcula devota ſequerentur, quia lacrymæ ſatisfactionis ſunt documentum; oſcula ſunt reconciliationis indicia,* ſunt & amoris argumenta, à quibus adjicit & aliud quod poſtremo loco recenſuit Evangeliſta.

Et unguento ungebat, quod non fuit mollis & carnalia obſequii; ſed plenæ humanitatis ſacramentum: quod ſcilicet exhibere deinde debebat, & reſervare in ejuſdem Domini ſepulturam, quod pietatis obſequium fuit.

Er hæc de Magdalenæ convivio ipſius D. Chryſologi ſtylo, ſanè aureo, ex quo redeo ad eadem Evangeliſtæ verba: Chriſtus ingreſſus in domum Phariſæi diſcubuit. Et *ecce mulier quæ erat in civitate peccatrix*; & quæro, quæ Phariſæi domus? & quomodò in ea diſcubuit Chriſtus? & quæ mulier? Tum quæ civitas?

Ad hæc omnia (eâ quâ ſolet eloquentiâ) ſatisfaciet D. Chryſologus, & more ſuo ad myſticum ſenſum revocabit omnia.

Serm. 96. *Phariſæi domus eſt Synagoga, in Synagoga tunc accubuit quando accubuit Chriſtus.*

Mulier eſt Eccleſia. Civitas eſt illa de qua Iſaias. Cap. 1. *Quomodò facta eſt meretrix, Civitas fidelis Sion?*

Civitas eſt illa de qua Regius Vates: *Vidi iniquitatem & contradictionem in Civitate.* & iniquitas, & labor in medio ejus, & injuſtitia, & non defecit de plateis ejus uſura & dolus.

In civitate ergo perfidiæ ſepta muris, ſuperbiæ turribus communita, diſtincta iniquitatum plateis, obſerata contradictionum portis, depicta doli fucis indurata ſilicibus uſurarum, negotiorum doloribus aggravata, infamata lupanaribus: mulier hæc, id eſt Eccleſia, graviſſimum trahebat reatum ex tanta præcedentium colluvie peccatorum.

Sed ubi audivit veniſſe Chriſtum ad Judaicum paſcha, paſſionis ſuæ myſteria tradidiſſe, aperuiſſe ſui Corporis & Sanguinis Sacramẽtum, manifeſtaſſe noſtræ redemptionis arcanum, irruptis contradictionum foribus, contempto ipſo Chori Phariſaici principatu; ardens, anhelans, æſtuans, ad totum legalis convivii penetrale pervenit, ibique reperit Chriſtum inter amoris epulas, & dulcia pocula, traditum, Judaicam occubuiſſe per fraudem, paſſum, Crucifixum, & ſepultum: tamen à fervore fidei tanta iſta non retardatur injuria: ſed portat unguentum, portat Chriſtiani Chriſmatis oleum; & quia Chriſti faciem videre non meruit corporalem, ſtat retro, non loco, ſed tempore: inhæret veſtigiis ejus, ut ſequatur, & jam deſiderii plus quàm conſcientiæ lacrymas fundit, lacrymas, inquam, quas ad pedes Evangeliſantium profluo amore profundit, lavat lacrymis caritatis, confeſſionis labiis oſculatur, & totum miſericordiæ profundit unguentum, donec converſus ad eam, hoc eſt reverſus, dicat Simoni, dicat Phariſæis, dicat negantibus, dicat populo Judæorum, intravi in domum veſtram, aquam pedibus meis non dediſtis; hæc autem dum meorum pedes lavat, pedes ungit, pedes oſculatur, fecit ſervis, quod vos Domino non feciſtis, fecit pedibus, quod capiti vos negaſtis; impendit minimis, quod vos veſtro denegaſtis authori.

Sed quando ea dicet? quando venerit in majeſtate patris ſui, & ſegregabit juſtos ab injuſtis, oves ab hædis, quando dicet ad Eccleſiam; *Dimittuntur tibi peccata multa, quia dilexiſti multum.*

Quia tunc erit remiſſia peccatorum quando tolletur materia tota peccandi, quando corruptio induet incorruptionem, quando mortalitas immortalitatem conſequetur, quando peccati caro, caro totum efficietur ſanctitatis, quando terrena ſtatus cœleſti dominatione mutabitur, quando militia humana divinum promovebitur ad Regnum. Hactenus orator aureus.

QUÆSTIO SECUNDA

MORALIS.

Ad illa verba: *Mulier quæ erat in Civitate peccatrix.*

QVÆ FVERIT ILLA MVLIER?
Quæ & fuit in Civitate peccatrix?

DE hac ita D. Chryſologus: *In civitate peccaverat, quia fama ſua, famam totius tetigerat civitatis*; ſicque jam non peccatrix ſolùm, ſed totius civitatis facta fuerat ipſa peccatũ; ſed quæ fuerit illa non exprimit, non ſtylo notat, uti neque hîc Evangeliſta de proprio nomine, ſed appellativo, & quidem infami, hoc ſcilicet *peccatrix* Antonomaſticè. (Serm. 93.)

Magdalene unane an plures? Et hinc data occaſio Interpretibus inquirendi ecquænam eſſet illa? & an una Magdalena? an plures?

D. Chryſoſtomus opinatur fuiſſe duas. Origenes, Theophilactus & Euthymius tres. (Hom. 81. in Matth.)

Primam hîc: Secundam quæ biduo ante Paſſionem Chriſtum unxit. Tertiam, quæ ſex diebus ante Paſcha, & Paſſionem ſuper Chriſti caput alabaſtrum nardi effudit: & hæc authorum inter ſe pugna, in qua ex communi Interpretum ſenſu, dico unam, eandemque fuiſſe, Nempe *Miriam Magdalenam, Lazari ſororem*: cui ſententiæ favet D. Auguſtinus lib. 2. de conſenſu Evangeliſtarum c. 79. D. Cyprianus, Tractatu de duplici Martyrio. D. Gregorius Pont. Max. Homilia 33. in Evangelia. Toletus, Janſenius, aliique paſſim, quibus conſonat Traditio hauſta jam inde ab omni retrò Antiquitate, ipſaque monumenti illius inſcriptio, poſita à S. Maximino, qui fuit unus è 70 Chriſti diſcipulis, & illius comes Maſſiliam uſque. (Statuitur quòd una, eadémque cum ea, de qua hîc.)

Conſonat & Hymnus iſte ſolemnis in Eccleſia de illa cani ſolitus die ei feſto.

Quæ tot commiſit crimina
Ab ipſa fauce tartari,
Redit ad vitæ limina.
Poſt fluxa carnis ſcandala,
Fit ex lebete phiala
Ex vaſe contumeliæ
In vas tranſlata gloriæ.

At hæc omnia accedit alia atque alia ratio, quarum una cedit ad Dei ter Opt. ter Max. laudem, & commendationem infinitæ illius bonitatis, ac miſericordiæ: altera ad ejuſdem Divæ præconium: poſtrema ad encomium pœnitentiæ, & pretium illius apud Chriſtum & ſuperos. (Rationes afferantur.)

Prima ex parte Dei.

Prima ratio clariùs patebit in humanis, & io ſimili faciliùs explicabitur.

Sit debitor unus aliquis, qui vel maximè ſit in ære alieno, quale eſſet centum millium aureorum t ci debito quantum detrahis, tantum detrahis creditori, qui illud remiſit, maximè ſi etiam gratis. Sic & Deo, qui peccati debitum, (quod ingens eſt, quod propè infinitum) gratis dimiſit, detrahis certè, ſi illud eleves, & leve dixeris, & propè nullum, quod tamen graviſſimum eſt: quantum enim peccatoris, id eſt debitoris, famæ conſultum, tantum de creditoris, id eſt Dei, liberalitate, indulgeotia, ac miſericordia diminuis.

Sit alius æger, & quidem letali affectus morbo; imò ſit is, in quem etiam morbi propè omnea facto velut agmine irruerint: ſit & medicua, qualis Galenua, vel Hippocrates, qui arte ſua, potionibus ſuia, ſuia & pharmacis morbidum illum, & ferè ſpirans cadaver, ſanitati reſtituerit, & vitâ donarit: ſi morbum leviuſculum fuiſſe dixeris, & vix illius umbram: certè medico injuriam feceria, ejuſque arti, atque induſtriæ, contumeliam irrogaris.

Sit lapidicida, ſit ſtatuarius, qualis eſſet *Phydias* alter, aut *Protogenes*, qui è duro, & ſolido marmore (quale eſſet in Leodienſi ſolo *Dionantenſe*, aut in Italia Genuenſe) ſtatuam exciderit; ſi quis lapidi illi, atque petræ duritiam extulerit, mollemque voluerit, atque iocidi facilem: profectò & lapidicidæ, & ſtatuario, de ipſius labore, atque induſtria plurimum detraxeris.

Peccator quiſquis is eſt, æger eſt, & ſi in letali peccato, letaliter æger: & Deus illi medicua eſt, iſque unicus: ſi ægrotum oegaris, ſi ſanum affirmaris, profectò ſupremo Animarum medico, id eſt Deo, quod illi honori eſſe debuerat, quod nominis, atque apud homines famæ ſuſtuleris.

Peccator, aut peccatrix, potiſſimum ſi io vitiis enutrita, ſi longa conſuetudine in malo inveterata, omni ſaxo durior eſt: quod ſi mollem finxeris, ſi propè ceream, ipſius Dei (qui ſtatuarius eſt & qui è marmore eam formavit, & io ſuo templo, hoc eſt in Cœli regia veluti ſtatuam locavit, atqoe erexit) potentiæ plurimum derogaris.

Derogaris & fini, quem intendit Dei Sapientia, boonas, potentia, dum ex peccatrice pœnitentem facit, ex injuſto juſtum, ex vaſe contumeliæ vas io honorem, vult io eo ſervire gloriæ ſuæ, honori ſuo laudique ſuæ, quod apertè declarat Apoſtolus io ea, quam ad Epheſios miſit Epiſtola, in qua Deus ter Opt. ter Max. prædeſtinationem noſtram, &

Cap. 1. verſ. 6-7.

remiſſiooem peccatorum, vult cedere *in laudem gloria, gratia ſua*, ea quippe remiſſio datur liberaliter, *ſecundum divitias* gratiæ ejus, & quia ſic datur, amat eſſe ſibi laudi & gloriæ, cui ſanè detrahit is, qui ſanctorum peccata celare nititur, aut tegere: Quod non facit Deus ipſe, qui electorum ſuorum peccata, etiam graviſſima, poſuit & poni voluit in aperto, & Univerſi luce, non ad eorum igoominiam; ſed potius ad gloriam, ut qui peccatores audierint, audiant & pœnitentes, eoſque ſibi in exemplum proponant; quod in Davide oſtendit D. Chryſoſtomus, quem, inquit, *non delinquentem ſolum inſpicias, ſed etiam multo magis delictorum maculas abluentem*: ejus enim hiſtoria, & in ea adulterium atque homicidium, exquiſitè ſcripta ſunt, noo idcircò ut proſtratum tu illum videas; ſed ut ſurgentem, recipientemque ſe, admireris, diſcaſque, ſi quando decidas, quo pacto tibi ſurgendum ſit.

Secunda ex parte Sanctorum.

Hæc ubi protulit S. Præſul, tum iſta adjicit de ſeipſo. *Non verebor magna hac voce publicare*: & rationem haoc ſubjicit: *nam cùm Spiritus Sanctus, non in dedecus, ſed in laudem univerſam hanc hiſtoriam per ſcripturam expoſuit, cur me ſuboccultare oportebit? certè non oportebit: qui enim occultant, mihi videntur obſcuriorem illius virtutem reddere, hanc ſcilicet, quod ad nequitia profundum delapſus, non decidit animo, non deſperavit, non tantis vulneribus letaliter à Diabolo percuſſus, quaſi victus humi ſe reſupinum proſtravit: ſed velociter, imò certè continuò, magna cum vehementia, majora quàm accepit intulit vulnera.*

D. Chryſoſt. Hom. 27. in Matth. poſt medium.

Quod quanti roboris, quantæ & virtutis fuerit, exponit in ſimili.

Non aliter, inquit, *factum eſt à Davide, quàm cum à barbaro, quidam in acie fortis vir, dimiſſo telo periculosè percuſſus, neque id ſemel, ſed iterum atque gravius perpeſſus, non ceſſerit: ſed undique ſanguine perfuſus, magno in hoſtem impetu ruerit, confeſtimq; trucidarit.*

Sic etiam David quanto magis ſaucium dices, tantò majoris illum animi oſtendes, qui poſtquam ita miſerè depreſſus fuit, atque dejectus, velociter ſurgere, ac ante primam aciem ſtare, percuſſoremq; ipſum humi ſternere potuit: quod quale, quantumq; ſit, hi maximè non ignorant, qui in ſummas peccatorum ærumnas deciderunt.

Quod ut apertiùs pateat, alia ſimilitudine ante oculos ponit, & ſic ait.

Finge gubernatorem quendam per mille Maria incolumem navigiſſe, deinde poſteaquam magnas tempeſtates, & procellas horribiles, & fluctus inſanos arte ſagaci evaſerit, tùm in ipſo portus oſtio mergeretur, vix inde nudum effugiſſe: quem animum ad mare, & navigationes, hujuſmodiq; labores, ille habebit? putaſne quod unquam voluerit niſi animi ſit invicti, vel littus ipſum, aut navem aliquam, aut portum aſpicere? Non equidem arbitror, imò & ſeipſum occultans jacebit diem in noctem vertens, atque ſpe omni ad navigandum deſtitutus, mallet mendicus vitam agere, quam ad primos labores, periculaq; redire: ſed non fuit huic ſimilis ille; verùm magno naufragio poſt multos labores penè ſubmerſus, non deſperavit, nec perpetuis ſe tenebris occuluit: ſed navi rurſus in pelagus deductâ, dare vela ventis poſt naufragium auſus, & clavo rurſum uſus, & plures perpeſſus labores, majores iterum accumulavit pecunias.

Quod ſi ſemper ſtare, ac nunquam cecidiſſe divinum eſt atque mirabile, quibus eſt laudibus dignus, qui ſi & à caſu recipit, & multò majora perficit intrepidus: ſed à caſu ſe recepit David, & majora multò perfecit, & ſui victor, & mali dæmonis, ex eoque laude digniſſimus, & qui ejus lapſum memorat, illius etiam præco glorioſus, ut disertè conficit D. Chryſoſtomus.

Quod in Davide Sacræ Paginæ, hoc eædem & io Petro Apoſtolorum Principe, inſolentem ejus jactantiam, promiſſa ardua, & condiſcipulorum quaſi deſpectum referunt: dixerat enim *Etſi omnes ſcandaliſati fuerint*, ſed noo ego: bona verba, ſed verba, & rei nihil; imò contraria omnia: adeſt una petulans & procax ancillula, atque ad illius vocem, noſſe ſe Chriſtum affirmat, adeſt poſt puſillum altera, & iterum noſſe ſe aſſerit, etiam juratus, adeſt & tertiùm è famulis, è ſicariis unus, idemque Petro objicit, & ecce labitur in præceps, labitur in barathrum perfidiæ, & incipit jurare, & anathematizare, *quia non novi hominem*. Noverat enimverò hominem, noverat & Deum, liberè & ſanctè profeſſus illud: *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi.* Et ecce hîc & hominem negat, & multò magis Deum, & Dei Filium. O inconſtantiam! ô puſillanimitatem! ô perfidiam! ſed neque hanc, nec illam Evangeliſtæ tacent, neque ſupprimendam ducunt, ſed omnes omninò (quod io aliis non ſolent) diſertis verbis exprimunt, atque ad poſteros tranſmittunt, ut ſit in luce Univerſi, uſque ad mundi confinia, ut totus orbis loquatur, & audiat trinam illam Petri negationem.

Sed cur ita? an ut ea cedat in illius infamiam? an ut vertatur in probrum? Minimè: ſed ut poſteritati documento ſit humanæ fragilitatis, atque ejus pœnitentia omnibus exemplo, ut qui ceciderit,

ecciderit, illicò reſurgat, diſcatque cum Petro peccati maculas (ſi quas fortè contraxerit) profuſis lacrymis eluere, quod & Dei miſerentis beneficium erit, & arrha quædam omni peccatori divinæ in eum bonitatis atque indulgentiæ.

Ceſſit igitur tertenſita illa Petri negatio, etiam tertiò repetita, ceſſit deinde ſecuta illicò ejus pœnitentia in ejus laudem, encomiumque ſempiternum, & qui illam ſilentio involuiſſet, & hanc quoque involuiſſe cenſendus etiam eſſet, atque in eo illi quodammodo injurius.

Quod de D. Petro dictum, hoc & de S. Magdalena peccatrice pronunciatum velim, non eſſe illi ignominiæ, ejus evulgare peccata; ſed potius honori & gloriæ, & illa in lucem emitti, & ſimul etiam ſacratioris pœnitentiæ normam, modumque, qui poſteris omnibus admirationi erit, atque exemplo, ut quæ *inſtrumenta peccati*, *fecerit inſtrumenta virtutis*, ſtupenda ſanè atque amabili commutatione.

S. Euthymius.

Pœnitentiæ norma.

Peccârat oculis, qui ei fuerant in amore duces.

Peccârat capillis, eorumque luxurie, & ſibi, & aliis retia fecerat.

Peccârat ore, proco ac præcipitio oſcula, eaque Veneris oſcula.

Peccârat unguentis, affuſa cum illis mollitie atque odore, qui Deo Supernoque olebat quàm maximè. Ecce quot in uno capite *peccati inſtrumenta*, quæ deinde *fecit inſtrumenta virtutis*.

Tract. de ablutione pedum.

Audi quid de his S. Cyprianus: ſic ille de Magdalena pœnitente: *Vſa eſt capillis pro linteo, oculis pro catino, lacrymis pro baptiſmo. Cor contritum prærupit in lacrymas, fides lavit, charitas unxit; caput pro ſuppedaneo ſtravit, crinibus circumfuſis pedes ſacras involvit, & terſit: nihil ſibi de ſe retinens, totam ſe tibi devovit.*

Hæc S. Præſul de piis illis Magdalenæ in Chriſtum officiis: excipe quæ de Chriſti viciſſim in eam beneficiis.

S. Magdalenæ à Chriſto collata beneficia.

Et tu, inquit (ô Chriſte) *affectum potius, quàm factum attendens, ungebas ungentem, abluebas lavantem; tergebas intrinſecus pœnitentem.*

Et hæc invictus Chriſti Martyr, quibus ſimiliſſima ejuſdem Divæ laudem adjicit S. Gregorius Pont. Max.

Hom. 33.

Quod, inquit, *ſibi turpiter exhibuerat, hoc jam Deo laudabiliter afferebat: oculis terrena concupierat, ſed hoc jam per pœnitentiam conterens flebat: capillos ad compoſitionem vultûs exhibuerat, ſed jam capillis lacrymas tergebat: ore ſuperba dixerat, ſed pedes Domini oſculans, hoc in Redemptoris ſui veſtigia figebat. Quot ergo in ſe oblectamenta, tot de ſe invenit holocauſta: Convertit ad virtutum numerum, numerum criminum, ut totum ſerviret Deo in pœnitentia, quidquid ex ſe Deum contempſerat in culpa.*

Hactenus pius Pontifex, ex quo aliiſque conficitur iſtud quod mihi propoſui, plurimùm conducere ad ſacratiora Sanctorum encomia, etiam eorum olim crimina vulgaſſe, nec ſilentio preſſiſſe: ut enim Philoſopho judice, *Contraria juxta ſe poſita magis eluceſcunt*, ut album nigro compoſitum magis nitet, ut calor frigori junctus efferveſcit magis; ſic & virtus etiam peccato oppoſita humanis oculis affulget magis; imò & Divinis: Ut enim Sanctus Gregorius:

Pœnitentiæ gratia.

Plerumque gratior eſt Deo fervens poſt culpam vita, quàm ſecuritate torpens innocentia. Quod & patuit in eo ipſo quod in manibus eſt argumento, de quo ille ipſe S. Præſul:

Tertia ex parte pœnitentiæ & Gratiæ Dei.

Ad Phariſæi prandium Dominus diſcumbebat; ſed apud pœnitentem mulierem mentis epulis delectabatur: Apud Phariſæum paſcebatur foris, apud mulierem paſcebatur intus; plus mulier pœnitens paſcebat intus, quàm Phariſæus foris. meliora fercula intus offerebat, quam Phariſæus foris. Vis noſſe quæ fercula, quæve menſa? Menſa erat pœnitentiæ, panis dolor, condimenta cor contritum & humiliatum, potus ſuaviſſimus lacrymæ erant amariſſimæ: atque ex hic convivium Magdalenæ pœnitentis, de quo D. Chryſologus cujus ſuprà memini.

Pœnitentiæ menſa.

Pœnitentia ponit menſam: fercula compunctionis apponit, panem doloris affert, potumque lacrymis temperat.

Hom. 93.

QUÆSTIO TERTIA
MORALIS.
Ad ea verba: *In Civitate peccatrix.*
CVR DICITVR IN CIVITATE?
Cur, & unde peccatrix?

Peccatrix unde?

IN his duabus voculis, duo potiſſimùm notantur.

Primò, quod eſſet malæ famæ, ſecundò quod impudica, atque ab impudicitia malæ famæ, malique nominis: nihil enim famam, quæ veluti bonus odor eſt, magis inficit ac perdit, atque Luxuria, maximè in fœminis & virginibus.

Luxuriæ damna, & infamia.

Tenera res eſt in fœminis fama, pudicitia eſt quaſi flos pulcherrimus: citò ad levem marceſcit auram, levique flatu corrumpitur: maximè ubi ætas conſentit ad vitium, & maritalis deeſt authoritas, cujus umbra tutamen uxoris eſt, inquiebat olim D. Hieronymus.

Epiſt. 9. ad Salvin.

Exod. c. 5. verſ. 21.

Queſti aliquando Iſraëlitæ de Moyſe, ſed perperam & falsò, *Fœtere feciſti nomen noſtrum coram Pharaone, & ſervis ejus.* Nomen noſtrum, id eſt famam noſtram, quæ ſi bona ſit, & bonus eſt odor: ſin autem mala, peſſimus: & quia in Magdalena peccatrice mala fuit, & malus quoque illius fuit odor. At unde peſſimus? Utique à Luxuria, à qua & dicta peccatrix. At cur, inquies? & unde peccatrix?

I. A congerie vitiorum.

D. Gregorio Pont. Max à congerie, & colluvie omnium propè peccatorum, quorum fuit receptaculum: ſic enim inquit:

Parum erat dicere, vana, ſuperba, immunda: unum nomen eſt, quod exprimit omnia peccata, videlicet *peccatrix*: & quoties in Sacris Paginis adjicitur ea vocula *Peccatrix*, indicat non uno peccato eſſe obnoxiam, ſed propè omnibus, adeóque intentat ſatale illud ac funeſtum *Væ*. Sic Iſayæ voce intentavit Synagogæ: *Væ genti peccatrici.* Gentem appellat peccatricem, quia peccatis ferè omnibus infamem: ſic & Magdalena interprete D. Gregorio, à quo paululum abit S. Hieronymus, quo judice vocatur *Peccatrix*, ab inſolente impudicitia, cui tamen adnexa & propè adnata cenſet peccata omnia, nec immeritò. quæ enim ad omnem libidinem eſt proſtituta, ad alia quoque vitia & facilis eſt, & prona.

Cap. 1. v. 4.

II. A Luxuria.

Et hæc cauſa fuit cur à Clemente Alexandrino dicta ſit *Luxuria Metropolis vitiorum*, quòd in ea ſedem fixerint omnia propè vitia, ut in Metropoli

Lib. 2. Stromatum.

omnia

omnia ferè ditionis, aut Regni capita.

Primum vitium eſt *Gula*: quæ certè potius? cùm enim *Luxuria ſit primogenita Gulæ filia*; ubi filia eſt, neceſſum eſt, ut ſit & mater; adeoque ubi Luxuria, ibi & Gula.

Luxuriæ adnata vitia.

I. Gula.

Et hoc paſſim videre eſt in meretriculis, quæ corpora ſua proſtituunt ad omnem omninò libidinem, nunquam ubertùs, nunquam pleniùs, quàm benè potæ; & amaſius quiſquis is eſt, ut in virgine aliàs pudica & caſta Venerem inducat, intromittatque, intromitti prius & Bacchum, probè improbéque conſcius à Baccho, in Venerem facilem eſſe lapſum: atque ut deſinat eſſe virgo, deſinat & eſſe ſobria.

II. Avaritia.

Secundum vitium Luxuriæ, comes eſt *Avaritia*, & inſanus amor habendi, qui eò uſque procedit, ut etiam ditiorum cenſus abſumat, gazas exhauriat etiam potentiorum; imò & Regum: mulier enim impudica, quæ alienum thorum occupârit, eſt veluti ſanguiſuga, quæ adulteri ſanguinem exſugit, exhauritque: hoc eſt illius facultates propè omnes in ſe derivat, & in ſuas libidines: inde & familiæ divites atque opulentæ, ſenſim ſine ſenſu rediguntur ad magnas paupertatis anguſtias; imò & Regna ipſa ab unius Regis vaga libidine: quod cernere fuit in Henrico octavo Angliæ Rege, qui ubi legitimam uxorem repudiavit, atque adulteram aſſumpſit, abſumpſit & gazas regias; & licet populum gravaret obrueretque tributis, ſemper indigus, pauper ſemper: verum enim illud in avara atque impudica muliere, quod in Hydrope: *Quò plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ.*

Luxuria quaſi ſanguiſuga

Henrici 8. Regis Angliæ adulterium.

III. Ira & vindictæ Cupido.

Tertium vitium, quod è Luxuria, ceu fonte perenni ebullit, eſt *Ira*, & cupido vindictæ, maximè in eos, qui impotenti libidini obſtaculum & velut aggerem objecerint, in eos enim inſurgit *Ira*, torrentiſque adinſtar arietat, nec deſinit niſi perruperit, niſi perfregerit.

Hoc videre, hoc & ſentire fuit in Herodiade, quam per ſummum nefas, & contra maritalia thori leges ac ſanctitatem duxerat Herodes, quæ cùm non ferret interturbari amores ſuos: hæc ad filiam quærentem ex ea: *Quid petam? Caput*, inquit, *Joannis Baptiſtæ*: Hæc impotens adultera, quæ ut libidine plena, ſic & ira, ſic & furore in Joannem, qui Herodi liberius injecerat illud: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui*; & quia injecerat, ſimulque & obicem poſuerat adulteræ, illicitóque thoro, hinc ira, furorque & in matre adultera, & in filia ſaltatrice, indéque illæ ad Herodem voces, non tam petentis, quàm imperantis: *Volo, ut protinus des mihi in diſco caput Joannis Baptiſtæ.*

Marc. c. 6. v. 24.

verſ. 18.

verſ. 25.

Herodis immane facinus.

Volo, ait, en Imperium in Regem, en audaciam, impudentiamque inſolentem: puellula, leviuſcula, ſaltatrix, ſic Regi, *Volo*, & quidem *protinus*: nec enim moram patitur impotens ſui libido. *Des mihi*, dari vult ut eo utatur ut lubuerit. *In diſco* ut inferri poſſit, atque inter fercula reponi, inter menſas & pocula. *Caput* princeps hominis membrum, in quo ſenſuum omnium ſedes, & rationis officina, & quidem, *Caput Joannis Baptiſtæ*, qui & vox Verbi, & tuba Cœli, & *virginitatis ſpeculum, & pudicitiæ titulus, & caſtitatis exemplum*, ut aureè D. Chryſologus, verbo uno, qui *Joannes*, id eſt *ſpecie bona, & gratia Angelus*, ut loquitur Author Operis imperfecti.

Serm. 127.

S. Joannis Baptiſtæ encomia.

Hoc nimirum crudelitati, dicam ego (& ex vero dicam) *Luxuriæ ferculum debebatur*, quo inſatiata epulis ſeritas (addam ego) libido veſceretur. Quo enim potius? *Præmium ſaltatricis*. Præmium & adulteræ, *mors eſt Prophetæ*, cujus *lumina clauduntur, non tam mortis neceſſitate, quàm horrore luxuriæ*, quàm furore inſolentis *Iræ*.

Ecce quot & quæ in una Luxuria ſunt vitiorum monſtra, quæ ut vidit oditque Antiquitas, ſic & deinde poſtera ſæcula in *Alpaide* damnarunt.

Pipinus SS. Principum ſoboles nobiliſſima, & ipſe primò ſua virtute, rebuſque geſtis etiam nobilis, ſuæ gloriæ hanc notam inuſſit. Puellæ cujuſdam *Alpaidis* ſpecie captus, in ejus nefarios amplexus exarſit, utque libidinis ſuæ turpitudinem honeſto matrimonii nomine diſſimularet, domo ſua pepulit *Plectrudem*, nobiliſſimam matronam, lectiſſimam conjugem, & duorum magnæ ſpei Juvenum parentem.

Pipini Regis luxuria.

Omnem Auſtraſiam perculit inſignis illa *Plectrudis*, imò & ſacrorum Chriſtianorum injuria: quam dum non fert *S. Lambertus*, Tungrorum Epiſcopus, ad Pipinum adiit, intrepidè flagitii fœditatem oſtendit, rogavitque ne ſui nominis gloriam inhoneſta labe pollueret, neve exemplo tam noxio in totius Franciæ oculis poſitus, periculoſam libertatem multitudini laxaret: ſed hæc, aliaque incaſſum jactantur omnia. Quid hic igitur S. Præſul? à *Pipino* abit ad *Alpaïdem* Pipini ſcortum, eam aggreditur, & graviter arguit; ſed & fruſtra: ut libidine exardet *Alpaïs*, ſic & Ira impotentiore, utque ſcelera antiqua viam ſternunt ad nova, parricidium meditatur; imò & aggreditur, fratremque *Dodonem* in arma contra Præſulem evocat, militem è palatio ſubmittit, qui intempeſta nocte irruens, primò duos Lamberti nepotes è medio tollit, tum etiam patruum, Sanctiſſimum, utique Epiſcopum: ſic à Luxuria, ſic à ſcorto, ſic ab ira, Luxuriæ utique filia, cadunt tres illæ victimæ caſtitatis, & cœlo naſcuntur dum terris occidunt.

S. Lamberti Tungrenſis Epiſcopi ſacra libertas.

Alpaidis ſcelus.

Ecce quæ in uno ſcelere miſcentur ſcelera: Ira impotens, indomituſque furor, innocentium cædes, & immane parricidium: adeo in hoc etiam verum, quod *Luxuria metropolis ſit vitiorum*. Uti & in eo, quod ſit invidiæ parens, *mali corvi malum ovum*.

Duo ſunt, quæ conſortem non patiuntur, *Majeſtas*, & *Amor*, maximè verò impudicus, qui ſi conſortem viderit, ardet *invidia* ardet & *ira*, nec ceſſat dum everterit.

Amoris impudici quanta vis.

Ezechieli miranti tantam in Deo ſeveritatem, quod populum ſuum in captivitate Babylonica diutius detineret, oſtendit per viſum *Idolum zeli*, hoc eſt ſtatuam falſi cujuſdam Dei, tanquam adulterum thalamo ſuo incubantem, ideoque ſe ad zelotypiam, & furorem provocantem. & juſtè quidem: nec enim Deus conſortem ſuſtinet, nec divinus amor terrenum, nec caſtus inceſtum: & hæc eſt *zelotypia* in Deo, & ſanctis laudanda: ſed ea, quæ emanat ab illicito thoro, ab illegitimo concubitu, eſt in vitio, eſt in vituperio.

Cap. 8. v. 3.

IV. Invidia.

Sit adultera impuris implexa amoribus, aliam ſentiat involantem in thalamum, exardet *invidia* & furit, & quà licet, quà non licet, extrema quæque minatur & tentat, etiam per alia atque alia ſcelera, ut experientia ſæculis omnibus probavit: nec mirum; quid enim exeat niſi nefandum è *Luxuria vitiorum Metropoli*, è qua, & procedunt cætera vitia propè omnia, atque inprimis *Acedia*, pigritia, otium, & ſalutis propriæ divinorumque contemptus, aſſurgit & ſuperbia, quæ ſe prodit in veſtium luxu, & pompa, in criſpo volitantium cincinnorum apparatu, in genis rubentibus, in annulis, in bracteolis, in unionibus in torquibus, inauribus in balneis: in quibus ut ſingularis, ſic & infamis fuit *Poppea* Neronis conjux: ea quocumque pergeret deducere ſolebat quingentas aſinas, ut earum lacte ſemper haberet paratum ſibi balneum, quòd ſciret plurimum valere, tum ad detergendam cuticulam, tum ad conciliandum exquiſitum illius nitorem: quo ſanè quid mollius excogitari poteſt? quid & vanius? mitto alias impudici amoris illecebras, quæ petuntur ab odoribus, ab unguentis, quibus vel imbuuntur

V. Acedia.

Poppea Neronis uxor.

Plinius l. 11. c. 41.

tur

Digitized by Google

tur veſtes, vel ipſa eutis aſpergitur, quæ ab his, & illis dum benè olent, malè ſemper oleot, quia vitium olent, & libidinem, noo autem ſuavem virtutum fragrantiam. *Luxurioſi hominis, vel potius non hominis, eſt olere ungueneum*, inquiebat D. Ambroſius.

In cap 7. Luca.

Olere benè malum eſt.

Dicam ego mutata vocula, luxorioſæ virginis eſt, iuò potius noo virginis, olere onguentum: Virginis autem nihil olere, & hic optimus eſt odor. Appello Senecæ, profani homiois fidem, atque authoritatem ejus exemplo firmatam: ſic ille ad Lucilium quem ut diſcipulum habuit, formavitque.

In omnem vitam unguento abſtinemus, quoniam optimus odor in corpore, eſt nullus.

Et hæc paucis dicta ſint de. *Luxuria*, in qua & vitiorum propè omnium colluvies, & à qua Magdalenà audit in Civitate *peccatrix*.

QUÆSTIO QVARTA
LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Vt cognovit quod accubuiſſet in domo Phariſæi; attulit alabaſtrum unguenti, & ſtans retrò ſecus pedes ejus.* ỽ. 37.38.

QVOMODO COGNOVISSE FVIT SATIS VT VENIRET? Et quo apparatu venit, & qua de cauſa?

S. Magdalena Chriſtum ut audit?

AUDIERAT Magdalena Chriſtum in Synagoga, & publico dicentem, audierat cœleſtem & Divinum Oratorem, qui non influeret in aures ſolas (uti alii paſſim) ſed pervaderet ad animos, eosque mutaret in melius, io quibus eveniebat quod *Oſtrea.*

Oſtrea quomodo generetur?

Oſtrea dum altiore Solis radio, perfunditur, atque penetratur, humor aqueus, qui in ejus concha latitat, vertitur in Margaritam pretioſam, & hoc ſolis, boc & lucis beoeficio, propè dixerim miraculo.

Chriſtus quomodo Sol?

Quod Oſtreæ Sol: hoc & Magdalenæ Chriſtus, ſole lucidior, Sole potentior. Erat hæc inſtar Oſtreæ, ejus anima inſtar Conchæ plenæ humore aqueo, & fœtido: quis enim alius ſit à luxuria? io *Magdalenam* ceu *Oſtream* incidêre Chriſti, ceu altioris ſolis radii, eamque pervaſere, & mutavere in *Margaritam*, pretioſam illam & oobilem: quæ enim alia eſſet ab illis divini Solis radiis? quæ alia à cœleſti luce & calore? quo probè coctus atque excoctus omois ille humor aqueus ac libidinoſus, verſus eſt in *Margaritam*, terris mirabilem, & Cœlis ipſis amabilem.

S. Magdalena ſimilis oſtreæ.

Erat *Magdalena*, ſi noo corpore, at certè animo ægra, & lethaliter quidem. Chriſtus illi medicus, quem ot cognovit accubuiſſe in domo Phariſæi, in eam venit & propè irroit, & quæ prius fuerat *Sine fronte ad perditionem, facta eſt ſine fronte ad ſalutem*, ot pulchrè annotavit D. Auguſtinus; *Irruit*, inquam, *importuna convivio, ſed opportuna beneficio: Noverat enim quanto morbo laboraret, & illum ad ſanandum eſſe idoneum, ad quem venerat*, ſciebat: in qio fecit, quod aliàs nullus: ot enim ſcitè advertit D. Chryſoſtomus, Prima fuit (de qua legimus) quod ad Chriſtum venerit, gratiæ cauſa & veniæ: prima pro curando animo, & ſpirituali ſanitate impetranda: Prima pro depellendis animæ morbis; alii omnes valetudiois cauſa cauſa & corporum, io quo & damnanda cœcitas, & damnaodus hominum ſtupor, qui corpora curant, non animos.

Homil. 58. de Temp.

Homil. 11. in Matth

Amor ſagittarius eſt.

Non ſic *Magdalena*, non ſic: ægram ſe ſenſit, atque à peccato ſauciam, ſauciam etiam à ſagitta Divini amoris, altiùs animo infixâ, atque ad inſtar cervæ ſauciæ, mox ad fontem, qoi Chriſtus eſt, cucurrit, neque vel momento tardavit: urgebat enim à volnere dolor, urgebat & amor, qui poteos eſt telum: ut ergo cognovit accubuiſſe Chriſtum io Phariſæi domo, venit illicò, & propè advolavit, oeque deterrita Phariſaïco faſtu & ſupercilio, neque etiam pudore victa, quia ut rectè S. Gregorius Pont. Max. *Semetipſam graviter erubeſcebat intus, nihil eſſe credidit quod erubeſceretur foris.* Nec denique convivii atque convivarum ſcena, à qua ut repelli potuiſſet quævis alia, at non potuit Magdalena. Et hoc eſt quod non ſatis capit D. Chryſologus: *Et quid eſt*, inquit, *quod hæc mulier ignota; imò malè nota, onuſta luctibus, plena lacrymis, clamoſa planctu, neſcio janitore, nullo conſcio, ipſo ignorante Paſtore, domûs aditus percurrit omnes, tranſit totas miniſtrorum catervas, ipſum convivii pervolat ad ſecretum, & facit domum lætitiæ, domum lamentationis & luctûs?*

S. Magdalena [...] Cervæ [...]

Hom. 33.

Pudor ut noxius.

Hom. 93.

Hanc ubi quæſtionem iojecit, reſpondet Ipſe: *Sic fecit eam ſiſti ſibi, qui illam cœleſti ſententiâ juſſit abſolvi.*

S. Magdalena quomodo venit ad Chriſtum?

Venit ergo divino Impulſu: at qua de cauſa? quo apparatu? quâve ratiooe? *quo fervore? quâ fide? quali auſu? quantâ obſequii novitate?* inquiebat D. Chryſologus.

Serm. 94.

Venit ſatisfactura Deo, non homini placitura; venit pietatis illa, non voluptatis exhibitura convivium.

Serm. 93.

At qoo apparatu venit? *Attulit alabaſtrum unguenti, portavit oleum, quia medicinam lethali vulneri à ſuperno Medico perquirebat.*

Et ſtans retrò ſecus pedes ejus, quia *reus animus poſt tergum ſtat ad veniam, quia per culpam novit ſe vultus fiduciam perdidiſſe.*

Stans retrò ſecus pedes ejus. *Nempe ad pedes tendit ſemper, citam veniam qui requirit.* Et benè ſtans, *quia jam cadere non poteſt, quæ ad pedes Chriſti meruit pervenire.* Benè ad pedes, *ut Chriſti veſtigiis innixa, percurreret per viam vitæ, quæ per vitam cucurrerat mortis.*

Et hæc Chryſologus de apparatu, deque cauſa, cujus ergo venit. Tranſeo ad oovitatem obſequii, quam Chriſto, ceu Medico ſuo, ceu Salvatori ſuo, exhibuit.

QUÆSTIO QUINTA
MORALIS.

Ad illa verba: *Lacrymis cœpit rigare pedes ejus.* verſ. 37.

QUID MAGDALENÆ, QUID POENITENTI LACRYMÆ?

Petra Horeb.

Pſalo 77. v. 15.

INTER alis prodigia, quæ in Iſraële edidit omnipotens Dei manus, fuit iſtud non minimum, quod in *Petra Horeb* vidit & obſtupuit Antiquitas, de qua magnificè David: *Qui convertit Petram in ſtagna aquarum, & rupem in fontes aquarum.*

Petra erat, eaque exſucca, unde Hieronymus vertit *Silicem in fontes aquarum*: erat & duriſſima, &. quæ percuſſa potius ſcintillas ignis emitteret, quàm aquam effunderet, & tamen effudit, & quidem eâ copiâ atque ubertate, ut fontes jacere, imò & ſtagna facere videretur.

Et verò, Genebrardo interprete, non ſeſe fudit in ſtagna; ſed in fluvium adeo abundantem, ut per quatuor milliaria ſeſe diffunderet: hoc eſt à monte *Horeb* uſque ad *Rafidim*, id eſt à prima ſtatione ad ſecundam.

Et certè tantæ multitudini populi videbatur non ſatis eſſe ſtagnum, imò nec ſtagna; ſed flumen eſſe oportuit, ut ex eo præter ſexcenta millia virorum ad bella promptiſſimorum, biberent pueri, & puellæ, & ſenes, & mulieres; imò greges atque armenta.

Et hoc eſt quod auxit mirabilem dura è Petra fluvium eduxiſſe. An verò ea Petra ſecuta ſit Iſraëlem, atque ex èa etiam aquæ, hîc non diſputo: alio loco eam movi quæſtionem, à qua diſcedo, & venio ad miraculum aliud, quod patravit Chriſtus in *Magdalena.*

S. Magdalena fuit petra.

Erat hæc Petra; imò ſiccior & durior Petrâ, & tamen ex ea eduxit geminos lacrymarum fontes; imò & torrentes, quod pro miraculo haberi potuit, & debuit, ut in ea quoque verum eſſet illud Regii Vatis: *Dirupit Petram, & fluxerunt aquæ, abierunt in ſicco flumina.*

Dirupit Petram, id eſt Magdalenam à dolore, à contritione, *& abierunt in ſicco flumina*; flumina dico lacrymarum *in ſicco*: nihil enim erat ſiccius, nihil aridius *Magdalena* antequam Chriſtus eam tangeret; ubi verò tetigit virgâ oris ſui, nihil eâ mollius, nihil humidius: Verſa nimirum erat Petra in ſtagna aquarum, & rupes in fontes aquarum, hoc eſt lacrymarum.

Verſa in aquas, id eſt lacrymas. Quid illæ?

At quænam illæ lacrymæ? hæc eſt prima Quæſtio. Aliæ ſunt, atque aliæ, aliis etiam atque aliis nominibus expreſſæ.

Thren. c. 2. v. 18.

Voces oculorum.

Jeremiæ Vati, lacrymæ ſunt veluti voces oculorum: *Deduc*, inquiebat, *quaſi torrentem lacrymas, neque taceat pupilla oculi tui*: loquitur ergo pupilla oculi, & oculorum voces ſunt ipſæ lacrymæ, quæ *& pondera vocis habent*, & apud homines, & apud Deum. Et ita habuerunt eæ ipſæ Magdalenæ pœnitentis lacrymæ.

II. Fontes.

D. Chryſoſtomo lacrymæ ſunt veluti *fontes*, qui dum manant & fluunt ex oculis, animum irrigant. Eæ fuerunt olim D. Pauli, qui hæc de ſeipſo. *Per triennium non ceſſavi cum lacrymis monens unumquemque veſtrûm. Quemnam fontem iis comparare cum his lacrymis*, inquiebat D. Chryſoſtomus, qui cùm in terra hac non inveniret quibuſcum eas componeret, compoſuit cum paradiſi fonte; imò & prætulit.

Actor. c. 20. verſ. 31.

Hom. 12 in Epiſt. ad Coloſſ.

Quod ſi eæ fuerint aliorum peccatis affuſæ lacrymæ, quantò magis ſi quis affundat ſuis, uti hîc fecit Magdalena, cujus lacrymæ non irrigârunt terram; ſed Chriſti pedes.

D. Leoni Pont. Max. lacrymæ ſunt veluti alterum *Baptiſma*, quo purgantur & diluuntur peccata omnia, eorumque ſordes: tales fuerunt D. Petri à negatione Chriſti. *Deduxit* enim *quaſi torrentem lacrymas per diem, & noctem, non dedit requiem ſibi, neque tacuit pupilla oculi ejus.* III. Baptiſmus.

Hæc ubi de lacrymis illis extulit S. Præſul tum æſtu quodam ſeu ſtuporis, ſeu doloris exclamat: *Felices lacrymæ tuæ, Sancte Apoſtole, quæ ad diluendam culpam negationis, virtutem Sacri habuêre Baptiſmatis.* Serm. 9. de Paſſione.

Quod ſi in Apoſtolo ea vis fuit lacrymarum, ut virtutem habuerint Sacri Baptiſmatis: & in Magdalena quoque habuêre: ab illis deterſæ omnes peccatorum maculæ, ſordes omnes, & priſtinus animæ redditus candor, nitorque: neque is tantùm, ſed & ornatus omnis, qualis eſſet à gemmis atque unionibus.

Ne mireris, neve me damnes, AMICE LECTOR, quod Magdalenæ lacrymas, imò & pœnitentis, appellem ſpecioſo nomine, gemmas & margaritas: ſic eas vocandas eſſe cenſuit Orator aureus D. Chryſoſtomus in ea Davidis pœnitentis verba: IV. Uniones.

Lavabo per ſingulas noctes lectum meum, & lacrymis ſtratum meum rigabo, vel ut habet Hebræa verſio: *Natare faciam lectum meum, ſtratum meum liquefaciam*: *Audiant*, inquit, *qui lectos habent argenteos, qualis erat lectus Regis, non auro nitebat, non argento albeſcebat; ſed gemmis radiabat, ſed margaritis fulgebat.* Sed quænam illæ? Certè non aliæ, quàm lacrymæ. *Quidnam*, inquit, *aculis illis ſpecioſius? quidnam & lacrymis ex iis fuſis, & quaſi margaritarum decore ornatis?* Profectò quot & lacrymæ, tot & margaritæ: Quod de regiis illis Davidis lacrymis Chryſoſtomus, id ego de *Magdalena* pœnitentis: gemmæ fuerunt, margaritæ fuerunt, & ſi quid gemmis ditius, ſi quid margaritis pretioſius. Pſal. 6. v. 7.

V. Tacitæ preces.

Dicam amplius, fuerunt & tacitæ preces: *Lacrymæ*, loquebat D. Ambroſius, *verecundiæ conſulunt pariter & ſaluti, nec erubeſcunt in petendo, & impetrant in rogando. Lacrymæ tacitæ quodammodò preces.* Veniam non poſtulant, & merentur; cauſam non dicunt, & miſericordiam conſequuntur: & quia id probè noverat Petrus, maluit ſuam cauſam flere, quàm dicere; & quod voce negaverat, lacrymis confiteri: & quia ſic confeſſus eſt, quid inde illi fuerint illæ lacrymæ, paucis accipe: fuerunt ei *Cœli claves*, quibus & cœlum ſibi aperiret, & aliis. Serm. 46. de pœnitent. Petri.

VI. Claves.

Petrus amarulentis lacrymis unâ horâ perfuſis, non peccatum modò abnegationis promeruit ſibi condonari; ſed & in earum gratiam illi concreditæ ſunt claves Regni Cœlorum. D. Antioch. Homil. 107.

Quid amplius dici poteſt? in Cœlo beatitas, & bonum omne, gaudium omne, in quod ut intres, erunt tibi lacrymæ, Cœli claves, Beatitatis claves, omnia boni claves. Quid utilius? Quid deſiderabilius? Omninò nihil.

Quod Petro lacrymæ, hoc & *Magdalenæ* pœnitenti,

Digitized by Google

tenti, tacitæ illi *Preces*, quibus Chriſtum oravit, exoravitque, audivitque illud: *Dimittuntur tibi peccata tua.* Et quid inde ab illis? fuerunt & Cœli *Claves*, quibus ſibi Cœlum aperuit; & viam fecit ad gloriam & beatitatem.

Unam quoque tibi facias, ô peccatrix anima, age & fac ut petra cordis tui convertatur in ſtagna aquarum, & quæ hactenus rupes fuit, imò rupe durior, molleſcat à pœnitentia, diſrumpatur à dolore & contritione, effundatur in lacrymas, quæ tibi primò ſint *Voces oculorum*, nec taceat pupilla oculi tui, & ſi cætera ſileant, loquatur illa ad Deum; imò clamet diu, noctuque.

Fontes mirabiles.

Sint tibi pœnitudinis lacrymæ, veluti gemini fontes. At qui fontes? Mirabiles illi, & ſimiles ei, quem vidit amavitque *Palæſtina* in Laſa antiqua civitate. In hac videbatur rupes, è qua veluti gemina ubera prominebant paululum inter ſe diſtantia, quorum unum fontem calidiſſimum & dulcem effundebat, alterum frigidiſſimum atque amarum, & tam hic, quàm ille mixtus, potum dabat gratiſſimum, & ſalubrem atque medicum.

Nieremberg de miraculis Terræ ſanctæ.

Vis noſſe quæ rupes, qui fontes tibi? rupes & in ea gemina veluti ubera, erunt oculi tui hactenus aridi illi, ſicci & duri; ſolvantur illi in geminos fontes; ſit unus frigidus, ſit & amarus, à timore Divinorum Judiciorum & dolore peccatorum: ſit alter calidus & dulcis ab amore Dei, incenſo illo, & ſi potes etiam ſummo: miſceatur tam hic, quàm ille, & ex utroque tibi fiat potus, qui animæ tuæ ſit ſanitati, ſit & ſaluti, uti factum D. *Magdalenæ*, & benè.

Lacrymæ cum fontibus compoſitæ.

Sit etiam alius ſi placet, iſque geminus fons in oculis, atque ex oculis, qualis in Catrivenſi Hiſpaniæ agro fluit, teſte Plinio, quorum unus abſorbeat omnia, alter deſpuat omnia: clariùs eloquor, unus abſorbeat, arripiatque omnia quæ cœli ſint, quæ & ſalutis; alter reſpuat, atque rejiciat omnia, quæ mundi ſint, quæ & carnis, & concupiſcentiæ: ſic erunt tibi lacrymæ illæ quæ ex oculis fluent quaſi gemini fontes.

Lib. 2. cap. 103.

Erunt & illæ tibi velut alterum baptiſma, in quo eveniat in ſpiritu quod in priore illo baptiſmate expertus es in carne: in illo primùm carni affunditur aqua, ut indicetur expiatio animæ: tum oleo inungitur, quo ſignificetur unctio gratiæ, & charitatis infuſio: tum ſtola candida aſſumitur, ut in ea conſpiciatur candor animæ, & reddita illi Innocentia, quæ ut apud primævos chriſtianos ſarta, tecta haberetur, & eſſet, moris erat ut recens baptiſati toto poſt baptiſmum octiduo, quantum fieri poſſet, caverent ne terram pedibus attingerent.

D. Auguſt. Epiſt. 119.

Quod illi in baptiſmate: hoc tibi in pœnitentiæ lacrymis, quæ ſunt alterum baptiſma: in hoc dum effunduntur lacrymæ, abluatur, atque expietur animus, tum ungatur oleo S. Spiritus, hoc eſt gratia, deinde veſtiatur ſtola candida, inſigni ſcilicet puritate, atque innocentia vitæ, in qua ut ſibi, ut gratiæ, ut Deo conſtet animus, terram pedibus, id eſt affectibus terrenis, ne tangat quidem, non dico octiduo, ſed in reliquo vitæ ſpatio: ſic erunt tibi pro baptiſmate ex lacrymæ: nec tantum pro illo, ſed etiam pro Margaritis: quibus enim potius? certè ut harum effectus ſunt eximii, ſic & lacrymarum, quæ veluti oculorum *Margaritæ* ſunt.

Cum baptiſmate.

Cum margaritis.

Margaritæ cor ſpiritusque vitales roborant, venenis omnibus, peſti putredinique reſiſtunt. Valent inſuper contra ſanguinis fluxum, & cerebrũ, nervosque confortant, febreque ardente corruptis utiliſſimæ ſunt: Ita *Anſelmus Boodt* l. 2. de gẽmis c. 8.

Quod Margaritæ corpori: hoc & animo ſunt pœnitentis lacrymæ. Dant pios affectus cordi, dant & ſpiritus vitæ melioris, venenatas ſuggeſtiones afflatusque mali dæmonis repellunt, reſiſtunt putredini vitiorum, & ſanguinis id eſt concupiſcentiæ fluxum ſiſtunt, febremque ab impuro amore conceptam ardentemque extinguunt: inſuper & cerebrum, hoc eſt cogitationes bonas, & ſanas injiciunt, nervosque, id eſt robur, & conſtantiam donant ad perſeverandum in benè cœptis.

Ecce qui lacrymarum effectus ſi à pœnitentia profluxerint illæ. Vis & alius? accipe vel ex eo, quod apud Deum & ſuperos ſint veluti *tacitæ preces*, quæ in cœlos evadunt, pervaduntque ad uſque Dei tribunal, ut veniam impetrent, ut moveant etiam iratum Numen ad miſericordiam, & inde, quod ultimo à me loco ſervatum eſt, ſunt veluti *Cœli claves*, quæ oſtium aperiant ad ſuperna Beatorum atria ſedesque. Quid amplius dici, quid felicius obtineri poteſt? Sanè, omninò nihil: & tamen ut ex pœnitentibus ſint lacrymæ, ut ex Davidi fuerint, ut *Magdalenæ*, mirandum ſanè pleroſque mortalium, hoc quo vivimus ævo, adeo ad illas tardos, adeo aridos eſſe, ut cum flenda faciant, flere tamen ipſi neſciant: quod quia ſtupendum, quærit D. Auguſtinus, *Qui ſtupris deditus, flagitiis involutus, lavat per ſingulas noctes lectum ſuum: neſcit flere, qui flenda committit, & cùm ipſe ſit lacrymabilis, non habet pœnæ lacrymas ſuæ.*

Cum precibus.

Cum clavibus cœli.

Davidis lacrymæ.

Serm. 7. in Pſal. 108.

At cur non habet? dicet paucis verbis Regius Vates. *Quia ambulat in ſolitudine, in inaquoſo.* Hoc eſt, quia adinſtar beſtiæ errat in ſolitudine, errat in deſerto hujus vitæ, per avia & invia vitiorum; & hoc etiam in inaquoſo, ſummaque celeſtis aquæ inopia: & quid inde? aridus, exſuccus, & ſordidus totus.

Pſal. 116. v. 4.

Ut enim D. Bernardus ſermone de fallacia præſentis vitæ. *Aquæ inopia, non modò aridum, ſed & ſordidum facit, dum non eſt quo laveris. Et humanum cor lacrymas neſciens, non modò durum; ſed & impurum eſſe neceſſe eſt.*

Quî enim aliud ſit? *ubi nunquam Dominus pluit? ubi ros gratiæ, nunquam venit*, ut ſcitè Petrus Cellenſis.

Lib. de panibus c. 12.

Ut porro pluat Dominus, ut gratiæ ros veniat; agedum ſi fortè (quæ tua infirmitas eſt) lapſus es in peccati lutum, ſi inde impurus, & ſordidus, elue eas effuſis pœnitentiæ lacrymis, & fac tibi ex iis *diluvium*, quo terra cordis tui, quanta, quanta eſt, & expietur, & tegatur, & bono tuo etiam obruatur: ſic erit terra nova, & cœli novi.

Lacrymæ pro diluvio.

QUÆSTIO SEXTA MORALIS.

Ad illa verba: *Et capillis capitis ſui tergebat.* verſ. 38.

QVOD IN EO PIETATIS OFFICIVM?
Et quid in capillis nutriendis vitii?

Capilli quid ſunt?

CAPILLI ſuperflua ſunt naturæ, quæ ſervire poſſunt, aut virtuti, aut vitio: ſunt etiam & ornamenta, ſunt & veluti munimenta quædam, ad repellendas aëris injurias. Et hoc à natura capilli.

Qui vitio, qui virtuti?

Magdalenæ capilli primùm fuerunt inſtrumenta vitiorum & vanitatis victimæ, victimæ levitatis: poſtea tamen verſi ſunt in ſpecioſa virtutis, & pietatis inſtrumenta, cùm dicata pedibus domini tergendis.

Capillos Diis offerebant Gentiles.

Solebant olim Gentiles comam nutrire dein nutritam Diis offerre, ut annotat Tertullianus libro de anima: nec malè niſi quod Diis, benè ſi Deo vero: at peſſimè Chriſtianæ mulieres; imò & ſæpius viri: illæ veneri dicant, hi Idolo vanitatis, non ſine injuria, & probro ſui ſexus; imò & nominis Chriſtiani, ſi tamen Chriſtianos ex vero dixeris comatulos illos, & comptulos.

Eccleſiam Romæ regente Cayo Pont. Max cùm orta eſſet gravis in Chriſtianos perſecutio, ſacra celebrabant in cryptis, aut piorum ædibus, ad quas conveniebat & ipſe *Cayus*, atque inter alios *Tiburtius* ejus diſcipulus, & populus frequens, quos inter adfuit etiam unus aliquis nomine *Torquatus*, & hic quidem effuſa cæſarie fœmineum in morem, comptulus totus: quem ut vidit *Tiburtius*, graviter increpuit, & ſic illi.

Torquatus à capillorū luxu culpatur.

Amice non mihi placent curæ tuæ illæ de nutrienda coma, non cincinni, non circuli, non rejecti in frontem veluti capillorum globuli; fœminam olent illa, non virum, non Chriſtianum; vereor, ut ſincera ſint vota tua, quibus te dicis fieri velle Chriſtianum. Non tulit *Torquatus* illam Tiburtii reprehenſionem, diem illi dixit, vocavit in jus coram Fabiano præfecto, accuſavitque ut Chriſtianum.

Chriſtiani carpuntur à capillorum luxu.

Siſtitur igitur *Tiburtius*, ſiſtitur & *Torquatus*, rogaturque & hic, & ille, an Chriſtianus ſit? fatetur *Tiburtius*, rogatur & *Torquatus*: ſed hic appellat ad *Tiburtium*, præceptorem utique ſuum, reſpondebit, inquit, ille? ille me docuit. Ad hæc *Tiburtius* ſic ad *Fabianum* judicem. Credis, inquit, *Torquatum* eſſe Chriſtianum? enimverò non crediderim ego, qui cū tonſore plus negotii, quàm cum Chriſto, cum capillitio plus laboris quàm cum bonis operibus ſtudii: tum adjecit iſtud Epiphonema.

In vita Sebaſtiani apud Surium 20. Janua.

Nunquid tales peſtes Chriſtus dignatus eſt habere ſervos ſuos? minimè verò: & rationem addit, quia peſtes illi ſunt chriſtiani nominis, quos Chriſtus non habet ut ſervos, ſed ut hoſtes.

Hæc velim audiant, velim attendant comptuli illi, & calamiſtrati, comptulæ & calamiſtratæ mulieres, & virgines, in quas primò ſtylum converſam, vel potius DD. Patres & Doctores, quibus id primum curæ fuit, ut in Virginum habitu, veſtitu, & capillitio inſignis quædam eluceret modeſtia: quæ porrò eſſet illa, docet D. Hieronymus, epiſtola ad Lætam nobilem matronam, de inſtitutione filiæ, cui nomen Paula.

Lib 2. Ep 17.

Sit, inquit, *omnibus amabilis, & univerſa propinquitas roſam ex ſe natam gaudeat.* Ut porrò gaudeat, ſic inſtruit. *Ipſe habitus, & veſtitus doceat eam cui promiſſa ſit. Cave ut aures ejus perforres, nec ceruſſa, & purpuriſſo conſecrata Chriſto ora depingas, nec collum auro & margaritis premas, nec caput gemmis oneras, nec capillum irrufes, & ei aliquid de gehennæ ignibus auſpiceris.*

Hic oculum fige, AMICE LECTOR, atque illud apud te expende: *Nec capillum irrufes*, hoc eſt ne nativum illius colorem immutes aſcititio pulvere candicante, & quaſi ſubrufo: hoc enim ſi feceris, *ei aliquid de gehennæ ignibus auſpicaberis. De gehēnæ ignibus* ait. Quid ad timorem, quid ad dolorem amplius, quàm ex nunc auſpicari gehennæ infernalis ignes atque incendia, & hoc ex capillis rufo colore tinctis?

Ubi hæc ſubjunxit S. Doctor ad horrorem, ubi mundum illum muliebrem à virgine abeſſe juſſit, tum addit quod valebat plurimum ad conciliandum amorem, & caſti amoris illecebras, & ait:

Habeat alias margaritas, quibus poſtea venditis emptura eſt pretioſiſſimam margaritam.

Contra hanc in capillo mutando levitatem, aut veriùs inſaniam, non ſine aliqua naturæ injuria, declamavit olim *Tertullianus*, gravis morum cenſor.

Video, inquit, *quaſdam & capillos croco vertere. Pudet eas etiam nationis ſuæ, quod non Germanæ, aut Gallæ ſint procreatæ, ita patriam capillo transferunt, male, ac peſſimè ſibi auſpicantur flammeo capite, & decorum putant quod inquinant.*

Lib. 1. de cultu fœminarum c. 6.

Flammeo, inquit, *capite inferni flammas ſibi auſpicantur.* Quid ſtultius? quid horribilius? & tamen hæc faciunt, hæc moliuntur Juvenculæ virgines, cùm *crocum* capiti ingerūt, ut in aram. Aliud vetulæ, quæ capillum atrum ex albo conantur facere, quaſi pœniteat ad ſenectam uſque vixiſſe. Prò temeritatem! Erubeſcit ætas exoptata votis: prò ſtultitiam! *Abſit*, inquit, *à ſapientiæ filiabus ſtultitia tanta.* Et verò quidni ſtultitia? *Senectus enim cùm plus occultari ſtuduerit, plus detegetur.*

Hæc ubi dixit Tertullianus, tum ſic ad puellas illas: *Quid tanta ornandi capitis anxietas? quid crinibus veſtris quieſcere non licet? modò ſubſtrictis, modò relaxatis, modò ſuſcitatis, modò eliſis? Alia geſtiunt in cincinnis coercere, alia ut vagi & volucres elabantur. Affigitis præterea neſcio quas enormitates ſutilium, atque textilium capillamentorum; nunc in galeri modum, quaſi vaginam capitis, & operculum verticis, nunc in cervicem ultrò ſuggeſtum: nunc exuvias alieni capitis, forſitan immundi, forſan nocentis, & gehennæ deſtinati, Sancto & Chriſtiano capiti apponitis.*

Cap. 7.

Et hæc Tertullianus de fœminis illis, quæ laborant ornatæ videri, *infeliciſſimæ illæ, & publicarum libidinum victimæ*, inquit.

Cap. 12.

Sed abeo à Tertulliano, & venio ad Cyprianum, Sanctiſſimum Præſulem, invictumque Martyrem: is in libro quem inſcripſit de Diſciplina & habitu Virginum, eas hortatur, ut abſtineant ab omni cura inficiendi capillos, ne dum coccino eos intingunt, inferni flammas ſibi auſpicentur; ſic enim ad il

Audaci & ſacrilego contemptu crines tuos inficis malo præſagio futurorum, capillos jam tibi flammeos auſpicaris, & peccas: Proh nefas! capite, id eſt corporis parte meliore.

melio͏re. Hæc S. Præſul, quem utinam audirent eæ virgines, quibus improbus ille labor, & cura noxia ornandi capitis, ſi tamen ornatus eſt, & non potius *enormitas* quædam, atque *inquinamentum*, ut appellat Tertullianus.

Cap. 7.

Sed diſcedo à molliculo illo, fœmineoque ſexu, & venio ad virilem: nam & hic ſubinde (ut elatè Tertullianus) *Apertam in capillitio profitetur mulieritatem*: At in quo, inquies? & qui? maximè adoleſcentes, formæ & elegantiæ nimis curioſi, qui intortos habent crines, annulatos, calamiſtro inuſtos, & comam in circinnos implexam. *Qui ad collum demiſſas comas, & circa tempora pendulos hinc inde concinnos.* Ut notat, & carpit D. Gregorius Nyſſenus. Qui *capillitium* habent *criſpum*, non à natura, ſed à vaniſſimo quodam artificio, ut advertit Epictetus: quique, ut cecinit Ovidius, *Sub ponunt in ſtatione comas.*

Lib. de velan. Virg. cap. 12.

Orat. 1.

Quaſi veneri quidam milites ad victorem Cupidinem inducendum, quos omnes elegantiſſimè adumbravit Seneca in hunc modum.

Quis eſt iſtorum, qui non malit Rempublicam turbari quàm comam ſuam? Quis non ſollicitior ſit de capitis ſui decore, quàm de ſalute; qui non comptior eſſe malit, quàm honeſtior?

A juvenibus venio ad Eccleſiaſticos, atque Clericos, cirratos illos, & calamiſtratos, quos omni ratione fugiendos docet D. Hieronymus, vel ex eo quòd ipſo commercio auram impudicitiæ afflare poſſint, & ſordibus caſtas & verecundas animas commaculare: ſic enim de illis ad Euſtochiam virginem: *Crines calamiſtrati veſtigia notantur, digiti de annulis radiant. Tales cùm videris ſponſos magis exiſtimato, quàm Clericos.* Et alio in loco, qui ejuſmodi ſunt, vult eſſe de impuro Joviniani grege, & inter Epicuri ſues grunnire.

Epiſt. 22.

Lib. 1. contra Jovin.

Pluribus ſuperſedeo, teque moneo, AMICE LECTOR, ut ſi fortè crines tuos feceris eſſe mundi ludum, & vanitatis, facias illos accidere, effundique ad Chriſti pedes, ceu aram pietatis: ſic facies, quod Magdalena pœnitens, quod & alii pœnitentes plaudente terrâ, gaudenteque Cœlo.

QVÆSTIO SEPTIMA
MORALIS.
Ad illa verba: *Et oſculabatur pedes ejus.* verſ. 38.

QVID PEDES CHRISTI, QVID PEDVM OSCVLA, Quid manuum, Quid oris?

Chriſti pedes, quæ?

QUID Pedes Chriſti, ſi literam ſpectes, in aperto ſunt: corporis ſunt pars infima, quæ illius molem ſuſtinent atque ſuſtentant: Sin autem Myſterium, quod ſub illis latet, attendas, in occulto ſunt, quod ſic aperit atque explicat B. Petrus Damianus: ſic enim inquit:

Serm. de Magdalena.

Pedes duo Chriſti, ſunt Miſericordia & Iudicium, quorum alterum ſine altero oſculari, vel temeraria ſecuritas eſt, vel deſperatio fugienda.

Duo ſunt. Miſericordia & Judicium.

Ne in hoc, aut illa peccaret Magdalena, duos Chriſti Pedes eſt oſculata, & quidem in dextro *Miſericordiam*, in ſiniſtro *Iudicium*; & huic, & illi caſta fixit oſcula, nec uni ſine altero fixit: nec *Miſericordiæ* ſoli, nimium præſumendo; nec etiam ſoli *Iudicio*, plus æquo timendo, aut etiam deſperando: & hoc enim, & illud vitio datum fuiſſet: At utrumque ſimul, virtuti conceſſum eſt, tibique documento, quiſquis es pœnitens, ut huic, & illi des oſculum, & ſic à Miſericordia ſperes, ut tamen à Judicio non deſperes.

Oſcula tria.

Pedum, manuum, & oris.

Et hæc de oſculo Pedum, à quo tranſeo ad alia oſcula, quæ communiùs à SS. Patribus admittuntur oſcula tria; ſcilicet *Pedum*, *Manuum*, & *Oris*.

Hiſtor. Carol. 17.

Author eſt Juvenalis Urſinus, Carolum hujus nominis ſextum Gallorum Regem Anno 1389. Papam Avennione conveniſſe, ejuſque Pedi primùm, tum *Manus*, demum Ori oſculum dediſſe.

Ut Chriſtianus Pedibus, ut cliens Manui, ut amicus Ori, dedit oſculum.

Ut Chriſti in terris Vicario pedem, ut Patrono manum, ut amico os exoſculatus eſt, & benè: alia enim atque alia debentur, atque dantur oſcula, pro alio atque alio appulſu ejus, qui dat oſcula, atque illius qui recipit. Alia quippe quæ filius, alia quæ cliens, aut amicus, alia quæ ſervus; uti & alia quæ pari, alia quæ patrono, alia quæ domino traduntur oſcula.

Si plebeius aliquis Regis manum prenſet oſculandam, arguetur temeræ ruſticitatis: ſi oſculum labiis figendum attentet, non irreverentiæ modò atque contemptûs, ſed & conculcatæ propemodum Majeſtatis damnabitur, quia non diſtinxit quis, & cui dedit oſculum, & ubi.

S. Iſidorus Hiſpalenſis varia recenſet oſcula, eaque ſuis quæque nominibus appellat.

Pacem amicis dicit, filiis oſculum, uxoribus baſium, ſcorto ſuavium: Tum addit, *oſculum charitatis eſt, baſium blanditiei, ſuavium voluptatis.*

Oſcula varia.

Et hæc de oſculis, quæ officia ſunt urbanitatis, ſive cùm dantur, ſive cùm recipiuntur. Mitto alia quæ veſtibus infiguntur, ut *Ottomannici* tyranni, qui Legatis etiam Regum veſtis laciniam dumtaxat oſculandam præbet. Deſcendo ad alia oſcula, quæ myſterio ſerviant atque virtuti, tum elabor ad ea, quæ animum vitiis inficiunt.

Oſcula myſtica.

Serm. 3. & 4. in Cant.

D. Bernardus *Oſculum*, ait eſſe ſummæ dignationis, & miræ ſuavitatis, & quidem triplex, *ad pedes, ad manum, ad os, inter quæ hic via, hic ordo.*

Primò enim *ad pedes procidimus, & ploramus coram Domino, qui fecit nos, ea quæ fecimus nos.*

Secundò manum quærimus ſublevantis, & roborantis genua diſſoluta.

Poſtremò cùm iſta multis precibus, & lacrymis obtinemus, tum demum audemus fortitan ad ipſum gloriæ os caput attollere.

§. I. Incipientium.

Primum oſculum dicitur & eſt *Incipientium* quo ſcilicet pœnitentes cum *Magdalena* oſculantur duos Chriſti Pedes, miſericordiam ſcilicet & judicium: per judicium peccata condemnant, per miſericordiam veniam ſperant, & petunt.

II. Proficientium.

Secundum eſt *Proficientium*, quo ſcilicet juſti & proficientes, oſculantur Manus Chriſti, dum ei bona virtutum opera afferunt, & viciſſim ab eo dona gratiarum recipiunt.

III. Perfectorum.

Tertium eſt *perfectorum*, & illud eſt oris, quo nimirum anima perfecta unum Deum ſitiens, eique ſoli inhærens, dicit: *Oſculetur me oſculo oris ſui.*

Oſculum hoc non eſt ſtrepitus oris; ſed jubilus cordis,

non

non ſonus labiorum: ſed motus gaudiorum, idcircò non competit animæ infantili, ac nuper ad Chriſtum converſæ: ſed jam provectæ, & quæ jam ad ætatem perfectam, & nubiles perveniens annos (meritorum, non temporum) facta eſt idonea Cœleſtis ſponſi nuptiis.

Hæc ubi extulit S. Præſul, tum docet quomodò à pedum, & manuum oſculis, gradatim procedendum ſit ad oris oſculum, & ſic ait:

Proſterne te primò ad pedum oſcula, tuiſq; lacrymis illos riga, nec inde ſurgas priuſquam audias: Remittuntur tibi peccata tua. Et deinde *quantam profeceris in gratia, tantam in fiducia dilataberis. Inde proficere poteris ad oſculum Manuum, cùm cœperis jam ſtrenuè, ac perſeveranter agere in operibus omnium virtutum. Tum demum forſitan audebis ad ipſum Os gloriæ caput attollere*

Hæc ubi dixit, tum concludit:

Oſculum ergo Pedum incipientium eſt, Manuum proficientium, Oris perfectorum.

Lib. 2. Ep. 18. — Et hæc de Myſticis oſculis, quæ pacis ſunt, quæ virtutis, quæ & amoris. Hoc poſtremum à D. Ambroſio appellatur Pignus nuptiarum, & *Prærogativa conjugii* cœleſtis cum anima ſancta, ceu ſponſa.

Venio ad alia oſcula, quæ vitio dantur; ſi tamen prius de oſculi natura paucis.

Oſculum amoris ſymbolum. — *Oſculum,* inquit, *Clemens Alexandrinus eſt ſymbolum perſpicuum, eminenſq; nota benevolentiæ & caritatis.*

Nihil enim magis exprimit vim amoris, & ſingularem in alium benevolentiam, atque oſculum; nihil etiam magis beneficentiam; ab oſculo enim, & oſculo in alios effundimus bona noſtra, qualia ſunt *Dominatus, Authoritas, Potentia, Dignitas.*

Probat hoc factum *Iſaaci* in illo innocentiæ theatro, in quo naturæ vis, & gratiæ virtus ſe magnificè explicuit. Dum enim grande Myſterium

Gen. c. 27. v. 26. — meditabatur, ſic ad filium: *Accede ad me, & da mihi oſculum fili mi.* Acceſſit, & oſculatus eſt eum, & ab oſculo ſecuta benedictio, & inexplicabilia dona (hoc eſt interprete Abulenſi) *Primogenituræ communicatio, & delatio Principatûs* in caput Jacobi.

Et hinc Dionyſius Areopagita oſculum eſſe dixit *Salutationem perficientem, & ſacram ſignificationem, ſive conſecrationem,* quæ ab Epiſcopis poſtea dari ſolita initiatis etiam oſculo.

Pacis & concordiæ. — Eſt & oſculum ſymbolum pacis: ut enim Divus Cyprianus: *Oris oſculo concordia pacis cognoſcitur.* Eſt denique Oſculum Religionis, Adorationis & ſacri cultûs *Symbolum & ſignum.* Et hæc omnia ex natura

Religionis. — & virtute: ſed aliud prorſus ab hominum vitio, depravatoque naturæ ſenſu; ab hoc duo ſunt oſculorum genera, quæ ſine peſte, ſordibuſque animi vix

Impuritatis. — poſſunt adhiberi. Primum eſt pro omnibus, oſculum pulchrorum, alterum virorum pro fœminis, & contra fœminarum pro viris. De his, & illis, ita D. Ambroſius:

De fuga ſæcul. c. 1. — *Os libavit, & crimen retulit.* In utriſque enim flamma quædam eſt, quæ contactu ſubito excitatur, penetratque in pectus, & cupiditatem incendit, cujus cauſatio, quod in oſculo totus ſit animus, qui ſi ad libidinem adhæreſcat, ad amorem impudicum, accendit ardentiùs.

Incendium libidinis. — Socrates apud Antiquiores morum & ſapientiæ magiſter, ingenuè profitebatur, *Nullum incendium eſſe gravius, & potentius,* quàm ab oſculo, contactûve pulchrorum, quod & ipſe paſſus, & ſuâ experientiâ doctus. Fortè librum legebat cum adoleſcente pulchellulo *Critobulo,* collatis capitibus, utque erant ſedentes, evenit ut nudo humero formo-

Xenophon. in convid. — ſuli illius, nudum etiam humerum attingeret. Quid inde? per dies omninò quinque quaſi a bellua fuiſſet morſus, in humero & in corde pruritum quendam, & moroſæ libidinis titillationem perſenſit: quod ſi tantum ardorem fit expertus à contactu pulchelluli, quantum ab oſculo? Certè longè majus.

Quod ſi tantum ab oſculo, quod vir viro dederit, quantum ab eo, quod aut vir fœminæ, aut fœmina viro dederit: maximè verò, ſi ut ad os, uti faciunt hoc quo vivimus ævo, molles illi atque effœminati Amaſii, de quibus dici poteſt illud D. Auguſtini:

Lib. de amicit. c. 6. — *Ipſum oſculum tantâ turpitudine fœdant, ut ſic oſculari nihil aliud ſit, quàm adulterari:* ſi minus reipſa, certè voto & cupiditate, quæ ne te unquam occupet, Amice Lector, audi illud Poëtæ Moſchi de oſculo amatorio, fuge oſculum: *Labra enim venenum ſunt,* quod in animum certum virus immittat.

Audi & illud D. Paulini oraculum: Si cui figendum eſt oſculum; *illum oſculemur, quem oſculari*

Epiſt. 4. ad Sever. — *caſtitas eſt: illi copulemur, cui nupſiſſe virginitas eſt.*

QVÆSTIO OCTAVA

MORALIS.

Ad illa verba: *Et unguento ungebat.* verſ. 39.

QVID AD LITTERAM VNGVENTVM ILLVD? Quid ad myſterium?

Unguentorum uſus, & cauſæ. — VNGUENTIS odoratis utebantur Judæi ex Arabum, Perſarum, Syrorum, cæterorumque Orientalium more: & hoc etiam in conviviis, tum ad lautitiam, tum ad refrigerium, tum ad impediendam ebrietatem.

Porrò hæc unguenta non erant ſpiſſa; ſed liquida, confecta, expreſſaque ex herbis odoriferis, qualis *Nardus odorata,* de qua ſic Tibullus:

Iam dudum Syrio madefactus tempora nardo.

Athenæus. — Porrò hæc unguenta erant varii generis, & ſingulis corporis humani membris fere ſingula: quædam enim pedibus effundebantur, alia manibus, alia tibiis, alia collo, alia capiti, alia temporibus, ut ſic omnia membra unguento particulari lenirentur.

Cambyſis donum ex unguento. — Erant autem ea tanti valoris & pretii, ut Cambyſes Rex Perſarum, omnium avi ſui, ut fama tulit, ditiſſimus, exiſtimarit dignum eſſe munus, quod ad Regem Æthiopiæ tranſmitteret.

Ea autem unguenta plerumque ſervabantur in *Alabaſtro,* quod vas erat unguentarium factum ex *Alabaſtrite,* ſeu *Oniche* lapide, quod optimè ſervabat unguenta, eaque incorrupta.

Matth. c. 26. v. 7. — Et tale fuit vas quod *Magdalena* effudit *ſuper caput IESV recumbentis,* effracto etiam *Alabaſtro,* ut ait S. Marcus. Unguentum autem *Nardi ſpicati pretioſi.* Erat autem *nardus* frutex aromaticus atque odoratus, adeoque magno apud Antiquiores,

Nardus frutex Aromaticus. — & pharmacopæos in pretio, quod liquet ex importunis illis Judæ proditoris, & avari querelis, *ut quid perditio hæc? poterat enim unguentum iſtud venun-*

Verſ. 4. 5. — *dari*

dari pluſquam trecentis denariis, & dari pauperibus.

Denarius cujus valoris? — Erat autem denarius Julius Romanus, vel Regalis Hiſpanicus, unde trecenti denarii ſaciebant triginta aureos Romanos, qui 75 florenis belgicis æquivalent.

Ao autem unguentum idem fuerit qoo eadem pia pœnitens unxit pedes JESU, ſcriptura non explicat, nec ego aſtruo: aſtruo tameo pretioſum fuiſſe, nec tam unguentum, quàm aquam odoriferam expreſſam ex herbis odoratis, quales ferebaot regiones illæ calidiores.

Alabaſtrum quodnam? — Alabaſtrum autem non idem fuit cum eo quo Chriſti caput unxit (hoc enim effractum uti meminit Evangeliſta) alterum verò ſervatum integrum ad memoriam antiquitatis, & poſterorum venerationem.

Servatum dico à Conſtantino magno, & Conſtantinopoli publicè expoſitum, ac deinde alio loco repoſitum, à Theodoſio magno, & majore reverentia cuſtoditum, uti meminit Baronius in Annalibus. — *Ad annum* 32.

Et hæc paucis de unguento illo ad litteræ ſenſum: deſcendo ad myſteria, quæ ex eo copioſiùs emanant, atque effluunt. Ex iis aliqua Chriſtum ſpectant, alia Magdalenam pœnitentem.

Unguẽtum myſticum ecquod? — Ad Chriſtum hæc. Erat Chriſtus Deus & homo: ut Deo conveniens erat ſacrificium, & illud quidẽ odoratum, quod ſic diviniore ſtylo deſeribitur diciturque *odor ſuavitatis Domino*, vel ut à quibuſdam vertitur ex hebræo, *odor quietis domino*: quòd in eo quieſceret quodammodo mens divina, quòd in eo ſibi complaceret: Et ita quievit, ita ſibi complacuit Chriſtus, etiam ut Deus, in Magdalenæ ſacrificio, quod ei paratum eſt ex unguẽto odoriſero. — *Levit. c. 1.*

Erat Chriſtus etiam homo; atque ut homioi conveniens erat illud. *Oleum effuſum nomen tuum*; vel, ut alii vertunt, *Vnguentum effuſum nomen tuum*, & quia unguentum effuſum, ſacris ejus Pedibus unguentum affudit *Magdalena*, quod illi eſſet pro ſacrificio, *in odorem ſuavitatis*. — *Cant. c. 1.*

Chriſti nomen cur oleum? — Erat Antiquis altare *Thymiamatis*, in qoo bis in die adoleri debuit, atque in aurea acerra incendi pretioſum unguentum, odor & fumus inſignium aromatum, quod verſus oraculum ſive propitiatorium ferebatur, in quo ſanctum mundi Numen quieſcere aiebant, & veluti domicilium ſuum ponere. — *Exod. c. 30.*

Altare Thymiamatis. — Erant *Magdalenæ* Chriſti pedes pro *Altari*, & quidem *Thymiamatis*, debuit proinde illis affundi unguentum, & hoc in aurea cordis acerra, debuit & incendi igne divini amoris, ut inde & odor ſuaviſſimus expiraret, & fumus inſignium aromatum, hoc eſt inſignium virtutum aſcenderet, quod & ferretur verſus *Propitiatorium*, id eſt Chriſtum, quod peccatrici eſſet *Propitiatorium*, uti reipſa fuit *Magdalena*, audiit enim ex illo hoc Oraculum: *Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.*

Accedit & alia ratio, quam eò loci ac temporis extulit, commendavitque ipſe Chriſtus; cùm enim *Maria Magdalena* ſingulari devotione, & cupiditate honorandi Chriſtum, alabaſtrum unguenti pretioſi in ejus caput, & pedes effudiſſet, & indignaretur Judas, qui ſordibus avaritiæ maculoſus, jam pretium illius unguenti ſpe animoque devoraverat, Chriſtus eam Mariæ pietatem clariſſimâ laude proſecutus eſt, & vocavit *bonum opus*, cui perennem ad omnium ſæculorum prædicationem memoriam adpromiſit, addiditque illam præoccupaviſſe ungere corpus ſuum, jam quodammodò in diem ſepulturæ, qui propius abeſſe videbatur. — *Matth. c. 26*

Unguento tingi Sanctorum corpora. — Quod extremum Servatoris dictum, unguentorum pretioſorum uſum, atque effuſionem demonſtrat in corpora eorum, qui in vita aut dignitate, aut benè geſtis inclaruiſſent, qui mos & apud Judæos ſervatus eſt, & ab illis deinde ad Chriſtianos tranſiit, & ſanè jure meritiſſimo: hi enim mortuorum exuvias imbuebantur, ut animæ jam beatæ honoratum tabernaculum ſuo tempore gloriæ luce veſtirodum.

Et ita ex tunc Sacrum Chriſti Corpus ſpectabat *Magdalena*, honorabatque eâ unguenti pretioſi profuſione.

Et hæ rationes ad Chriſtum attinebant: eæ, quas ſubjicio, ad *Magdalenam*, cui evenit myſticè quod in Altari *Thymiamatis* re etiam ipſâ.

In hoc jugulabantur oves, aliaque animalia, unde ex profuſo eorum ſanguine, & gravis odor, & fœtor oriebatur, qui ne nares offenderet, aut Sacerdotum, aut etiam ſpectantium, juſſerat Deus in Altari *Thymiama* incendi, hoc eſt odoramentum ex odoramentiſſimis rebus confectum, & opere unguentario compoſitum.

Quod in Altari Thymiamatis olim faciebat Sacer Myſtes, hoc in Chriſti pedibus Magdalena.

In his, ceu altari novo, gratum Cœlo, Deoque Sacrificiom offerre decreverat, atque jugulare quidquid in ſe hactenus habuerat animale, hoc eſt (ut clariùs eloquar) affectus omoes animales atque carnales, ſeu illi inclinarent in terram, & in carnem (qualia ſunt peccata carnis, & quæ dicuntur ſenſualitatis) ſeu altiùs aſſurgerent io aëra, uti aves; ea ſunt vana gloria, ambitio, ſuperbia, & omnis pompa vanitatis: & quia peccata illa omnia, ceu fuſus animalium ſanguis, malùm afflare poterant odorem & fœtorem non ferendum à Chriſto; unguentum expreſſit pretioſum atque odoriferũ, quod modò in Chriſti Pedes, modò in Caput, modò in totum demortui Corpus effudit; ea quo liquet *D. Magdalenæ* triplex fuiſſe unguentum, uti & ſponſæ, cujus meminit D. Bernardus in Sermone de tribus unguentis ſpiritualibus, ſcilicet Contritionis, Devotionis, & Pietatis. — S. Magdalenæ triplex unguẽtum.

Eſt, inquit, *unguentum contritionis, & eſt unguentum devotionis, eſt & pietatis.*

Unguentum contritionis affuſum Chriſti pedibus: unguentum devotionis ſeu amoris ejus capiti: unguentum *pietatis* toti corpori. Audiamus quid de ſingulis, ſuavi, ut ſolet, & lactea eloquentia. — *Serm. 10. in Cant.*

Primum unguentum, inquit, *fuit pungitivum, dolorem faciens.*

Secundum temperativum dolorem leniens, amoris ſcilicet ſuavitate atque dulcedine.

Tertium ſanativum, etiam morbum expellens, imò & morbos animi omnes.

Primum unguentum ſibi confecit Magdalena, effuditque cum lacrymis, rigavit pedes ejus, cum capillis ſuis terſit, cùm oſculata eſt, ſpiritu humiliato & contrito, quem Chriſtus non deſpexit.

Secundum unguentum ſibi paravit & Chriſto cùm fracto alabaſtro effudit in caput ejus, cùm aſſurrexit amando, cùm incaluit ab igne, æſtuque ſummi in Chriſtum amoris, cùm *dilexit multum.*

Tertium unguentum ſibi compoſuit & Chriſto, cùm ad illius Pedes ſedit, cùm illius verbum audiit, ſibique vacavit & Deo; cùm denique reliquo vitæ tempore rerum cœleſtium contemplationi incubuit, cætera deſpexit.

Et hæc unguenta, etiam ſponſa, hoc eſt anima ſancta Chriſto admovet, atque effundit, inquit D. Bernardus.

Illud pedibus apponit, hoc capiti, tertium toti corpori. — Unguẽtum triplex effudit peccator

Primum, *cùm fuerit in vaſculo pectoris, in mortariolo conſcientiæ contuſa, atque contrita.*

Secundum, *cùm igne amoris, & ſancti deſiderii ſimul decocta.*

Tertium, *cùm impinguata olea lætitiæ in oratione.*

Et hæc ferè D. Bernardus in perſona quidem ſponſæ, id eſt Animæ fidelis, quæ ego in præſentia Divæ Magdalenæ accommodari velim; imò & nobis omnibus, qui ſumus peccatores. *Vngamur*

unguento

Digitized by Google

unguento, quod Pedibus funditur Salvatoris, erit illud doloris, & *contritionis. Vngamur unguento* quod capiti funditur Salvatoris: erit hoc *devotionis*, & cordis Deo per amorem devoti: *Vngamur unguento*, quod corpori funditur Salvatoris; erit iſtud *pietatis* in Deum, & perēnis cum eo in oratione cōverſationis.

Et ſi nos eſſe peccatores novimus, & eſſe nolumus peccatores, pedibus Chriſti demus lacrymas: ſpargamus capillos, figamus oſcula, pietatis oleum totâ devotione fundamus, ut dicatur nobis, dimittuntur vobis peccata multa, quia dilexiſtis multùm. D. Chryſ. Serm 94.

FERIA SEXTA
HEBDOMADÆ QUINTÆ QUADRAGESIMÆ.

AD Martham, & Mariam Lazari ſorores convenerat ingens Amicorum turba, ingens etiam Iudæorum, ſolatio illis futura in morte fratris jam ſepulti; & Cœlo ſic diſponente etiam teſtis futura reſuſcitati Lazari: audierat & fulmen illud divinæ vocis, morti atque inferis imperantis: *Lazare veni foras*, hoc eſt ſurge è ſepulchri nocte, in qua jam quatriduo jacuiſti, reſurge à morte, *Veni foras*, & reddere luci ac vitæ: utque reddaris, redi, ô Anima, è Limbi Patrumque ſinu, in hoc tuum corpus exanime, frigidum, rigidumque; redi hoſpes comeſque corporis. nec mora: viderat ad has CHRISTI voces prodiiſſe Lazarum vivum, valentem, vividum, etſi ligatum manus & pedes, viderat exiſſe de ſepulchro, ſtetiſſe in pedes, & liberum abiiſſe.

Et hinc ſtupor, ſacerque horror, hinc & amor, & exultatio, hinc & gratulatio: cui ubi aliquid datum eſt, pars eorum, qui ſpectaculo adſuerant, in CHRISTUM credidit, ceu vitæ, mortiſque arbitrum, ceu inferorum domitorem: pars ad Scribas, ad Phariſæos abiit, pars etiam ad Pontifices, futura & nuntia, & teſtis geſtorum omnium, quæ & ipſa oculis uſurparat atque auribus.

Joan. c. 11. v. 47. Quid inde? *Collegerunt Pontifices & Phariſæi Concilium*: ſed concilium malignantium. Cur ita? audiamus quid illi? Dicebant non ſine ſtomacho, clamore tumultuque: *Quid facimus?* Syrus vertit: *Quid agemus?* Ecce anxiæ cogitationes, ecce ingens, & gravis curarum incumbentium moles.

Non dicebant *Credamus. Plus enim perditi homines cogitabant quomodo nocerēt, ut perderent; quàm quomodo ſibi conſulerent ne perirent.* inquiebat olim D. Auguſt.

Quid facias? Cœci erant, inſipientes erant, & ſicut talpæ ad Solem, non ferebant æquis oculis miraculorum lucem atque ſplendorem, non capiebant bonis auribus & doctrinæ profunditatem, & famam, quæ longè lateque diffundebatur, quæ omnes rapiebat in admirationem, rapiebat & in amorem: magna quippe vis veritatis, magnæque in ea animorum illecebræ, cui reſiſtat nemo ut velit: pareant omnes, etſi minimè velint eſt neceſſe: *ingens porrò telum neceſſitas.*

Sed inde etiam hæc. Audiamus rurſum quid illi ſuo in Concilio, & quæ eorum ratio? hæc unica, quia *hic homo multa ſigna facit.*

Hic homo, inquiunt, quaſi ignoti nominis, imò quaſi nullius, ideoque nec dignantur proprio nomine: ſed communi appellatione *homo*, & quidem *hic*: fabri ſcilicet filius, *ſigna multa facit*: & quia ſigna facit, partim invidia, partim odio excœcati extrema illi meditantur omnia: & à quo & vitam & ſalutem ſperare atque exſpectare debuerant, ab eodem excidium timent; aiunt enim:

verſ 48. *Si dimittimus eum ſic, omnes credent in eum.* Eſto credant, credite & vos, atque è ſignis atque miraculis Meſſiam agnoſcite, & Deum fatemini; ſed pergunt, & inquiunt:

Venient Romani, tollent locum noſtrum, & gentem.

Timebant, inquit Auguſtinus, *ne ſi omnes in Chriſtum crederent, nemo maneret qui contra Romanos Civitatem, Templumq́ defenderet.* Quid inde? *Temporalia*

ralia ergo perdere timuerunt, & vitam æternam non cogitaverunt, ac ſic utrumque amiſerunt. Tulerunt enim *Romani, & locum & gentem, expugnando & transferēdo.*

Iuſta quidem Numinis vindicta, quam eludere non poteſt aſtutia humana, nec avertere vis ulla, quam adhibere voluit unus ex ipſis, Caiphas nomine, cùm eſſet Pontifex anni illius. Dixit enim illis: *Vos neſcitis quidquam, nec cogitatis,* vers. 49.
quia expedit vobis, ut unus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat. q. d. vers. 50.

Vos ut plebei loquimini, ut privati cogitatis, & ſentitis ut bardi, ut ſtipites, nec quid opus facto cognoſcitis, ideoque definitis nihil, nihil expeditis, nullum ſuggeritis conſilium; ſed ego ut Pontifex à Deo illuminatus, & doctus, rem verbo expedio, & ſic definio:

Expedit vobis ut unus homo (nempe IESUS) *moriatur pro populo.* Ne ſcilicet populus, propter eum periclitetur, néve Romani propter IESUM quaſi Meſſiam, & Regem Iudæorum tollant locum noſtrum, & Gentem.

Et ratio eſt in aperto, quia præſtat unum perire, quàm multos, juxta vulgatum illud: *Satius eſt ut pereat unus, quàm unitas,* & communitas.

Hæc autem dixit, non à ſemetipſo: *ſed cùm eſſet Pontifex anni illius, prophetavit.* vers. 51.

Ex privato ſenſu, odioque in IESUM, dicere potuit, imò & voluit: *Expedit vobis, ut unus homo occidatur, & pereat præ populo*: ſed amabilis Dei providentia, quæ illius ut Pontificis linguam regebat, hoc per illum oraculum edidit: *Expedit vobis ut unus homo moriatur pro populo,* proque ejus ſalute: moriatur, inquit, & benè: mori enim non erat ſcelus: at occidi ſcelus erat, & infandum quidem; *& præ populo,* invidiæ erat, & crudelitatis præpoſteræ; at *pro populo,* pietatis, & miſerationis.

Et ita Caiphas dum in CHRISTI cædem fert ſententiam ut Iudex impius; ſimul etiam in eum fidem aſtruit, ut Pontifex, & quidem Meſſiæ ac Redemptoris fidem, quod Divinæ Providentiæ fuit.

Et hæc ferè doctrinæ Evangelicæ ſumma, à qua venio ad Quæſtiones pauculas.

QUÆSTIO PRIMA

LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Collegerunt ergo Pontifices & Phariſæi Concilium.* Joan. cap. 11. ℣. 47.

QVOD ILLVD CONCILIVM, Et è quibus conſtatum, & cur?

LAZARI ſuſcitatio cùm eſſet facta in populi frequentia, in oculis, ac luce ſpectantium, eorum pars in Chriſtum credidit, pars abiit ad Phariſæos an bono animo, ut crederent & ipſi: an malo, ut ſævirent, dubitat D. Auguſtinus; veroſimilius malo animo: ex invidia ſcilicet, atque odio in Chriſtum.

Concilia tria Judæis. Ut ut ſit hic non diſputo, verſo ad concilium cō luci, ac temporis coactum, & quæro quod illud?

Thalmudici Doctores, atque ex iis Maldonatus, atque Interpretes paſſim, apud Judæos diſtinguebant Concilium triplex:

I. Primum dicebatur *Din Mammona*: in eo agebatur de re pecuniaria; & hoc erat *Triumvirum*, quòd in eo tres Judices ſederent.

II. Secundum appellabatur *Din Mipſat*, id eſt *Tribunal Judicis*: in eo tractabatur de re capitali, de capite, de ſanguine: conſtabat hoc Judicibus viginti tribus.

III. Tertium vocabatur *Sanedrim*, quod erat ſeptuaginta duorum *Iudicum*: in hoc agitabatur cauſa Religionis, & ſi quæ in eam admiſſa ſcelera, qualis hæreſes, idololatriæ, & falſi Prophetæ, miraculaque falſa, non Dei Digito patrata, non expreſſa Divinâ virtute; ſed arte magicâ & diabolicâ, facta in Beelzebud, principe dæmoniorum, de quibus cùm argueretur Chriſtus, non ex veritate, ſed ex invidia atque odio, cùm Sacerdotes & Phariſæi collegerunt Concilium: ſed quodnam illud? Veroſimilius eſt, fuiſſe illud *Sanedrim*, cui præſidebat Pontifex anni illius, hoc eſt *Caïphas*, aliique aderant primæ inter Judæos notæ, ut Pontifices, Sacerdotes, Phariſæi, Scribæ, aliique numero ſeptuaginta duo. Verſabantur hi in materia Religionis, & Moſaïcæ Legis, ne quid contra eam (ut rebantur) inferretur novi, ne ſi Chriſtus agnoſceretur ut Meſſias, ut Rex Judæorum, venirent Romani, & tollerent gentem, & locum.

O timor inanis, *ô ſtultitia, & imprudentia,* exclamat Auguſtinus: *Illi, qui Chriſto dixerunt non eſt Deus, ibi timuere, ubi non erat timor: Ecquid enim Chriſto cui dixiſti non Deus? Timuiſti perdere terram, & perdi-* In Pſal. 52.

& perdidiſti Cœlum; timuiſti ne venirent Romani, & tollerent tibi locum, & gentem.

Nunquid tibi tollerent Deum? Quid ergo reſtat? Niſi ut fatearis, quia tenere voluiſti, & tenendo malè amiſiſti? Perdidiſti enim & locum, & gentem, Chriſtum occidendo, & perdidiſti locum, & gentem, & Chriſtum: & hoc poſtremum ſummum tibi malorum fuit, quod proinde unum timere debuiſti. Sed quid agas? Fuit hæc Judæorum ſtultitia, fuit & imprudentia; timucrunt ne ſi Chriſti Regnum agnoſcerent, amitterent ſuum, & hoc & illud amiſerunt: ſic & mundani timent amittere terrenas opes, & amittunt cœleſtes; timent amittere favorem, & gratiam Principis, & amittunt gratiam Dei; timent amittere terreoum & temporale Regnum, & amittunt cœleſte atque æternum; imò & ſæpè ſæpiùs otrumque.

Sic & Politici noſtri hoc quo vivimus ævo, timent ne politiam perdant, & perdunt Religionem, & ſimul & hanc & illam perdunt; timent Rempublicam perdere, & perdunt Eccleſiam, & ſimul utramque ſibi perdunt.

Timent excidere gratia Regis, & excidunt gratia Dei, & ſæpius tam hac, quàm illa.

Volſæi caſus.

Ita excidit *Volſæus Anglus*, qui offenſus Carolo V. Imperatori Auguſto, perſuaſit Henrico VIII. Angliæ Regi ut Catharinam uxorem, Caroli amitam repudiaret, quod ipſum deſiderare ſciebat: ſed tandem juſto Dei judicio, Henrici indignationem incurris, atque ab eo captus, dixiſſe fertur.

Politicorum malum.

Juſtè hæc patior, quia dum Regis gratiam cum offenſa Dei aucupatus ſum, Dei gratiam amiſi, nec Regis gratiam acquiſivi.

Et ita pleriſque omnibus evenire ſolet cœlo vindice: ac (ne abeam ab argumento mihi propoſito) evenit Judæis. Voluerunt illi & habere & retinere ſeros in annos gratiam Romanorum, & amiſerunt gratiam Chriſti, & ſimul etiam tam hanc, quàm illam, juſto ſanè Dei judicio.

Pſal. 21. v. 17.

Ecquid enim, collegiſtis concilium; ſed *Concilium Malignantium*, vel ut vertit D. Hieronymus, *Concilium peſſimorum:* verè enim in eo malignantes omnes, peſſimi omnes, quia Chriſto exitiales: qui enim alii eſſent, quibus etiam junctum erat dæmonum Concilium pro damnando & perdendo Chriſto. Quid enim cogitaret aliud? quid meditaretur aliud inferorum iſtud Concilium?

Angelorum peccatum, & lapſus.

Si Ruperto credimus, in ipſis mundi cunis in ipſa Cœli Empyrei regia, cùm jam potenti Dei manu creatæ eſſent ſuperiores illæ Intelligentiæ, eis apeꝛuit futurum aliquando, ut Verbum patris, ut Dei filius, Deus ipſe fieret homo, quem & ex tunc propoſuit adorandum, atque eorum intellectibus objecit, mandavitque coli.

Quid hîc illa Cœli curia? quid ſupremæ, & perfectiſſimæ illæ poſt Deum Intelligentiæ? cum Lucifero pars tertia renuit, & mox pœnam tulit è Cœli ſummo vertice in ima inferni detruſa.

Exinde concepta odia, iræque truces in *Deum-Hominem*, quas aluit Lucifer ejuſque aſſeclæ ad multa ſæcula, tandemque explicuit, exeruitque etiam in hoc ipſo Caiphæ Concilio, Concilio malignantium, Concilio peſſimorum, Concilio & dæmonũ, eò nimirum cõfluxerant, ex ipſis inferni carceribus, atque flammis, ut *Hominem*, ſimulque etiam *Deum* ad extrema deſtinarent raperentque ſupplicia.

Concilium dæmonum in Chriſtũ.

At unde, inquies, hunc *Deum-Hominem* noverant ſibi olim exhibitum in cœli curia, objectumque Intelligentiæ? enimverò certò non noverant: ſed noverant in eo, homine majora multa; erat enim vita homine major, virtus homine altior, miracula illuſtriora quàm eſſent ea, quæ prius viderat orbis, atque ejuſmodi, quæ ad ipſos uſque inferos penetrarant: & hinc actis ſuſpicio, & propè ſcientia illum ipſum eſſe *Deum-Hominem*, quem adorare juſſi, atque in pœnam negatæ adorationis, atque inobedientiæ æternus carcer, ſempiternaque incendia, & inde in eum impotentes iræ, inveterata tot ſæculis odia; horror, furorque, & ultio, quam in præſens exercere certum erat: & hinc *Caipha*, cæteriſque Judæis mixti, armiſque juncti Concilium fecêre, auxêreque in immenſum: unde & factum illi Judæorum Concilio, quod deinde proditori Judæ, de quo Sacer Hiſtoricus: *Cùm diabolus jam miſiſſet in cor ut traderet eum Judas Iſcariotes.* *Joan. c. 13.*

Caiphæ Concilium.

Dicam ego paucis mutatis, cùm diabolus jam miſiſſet in cor *Caipha*, ut JESUM morti traderet, miſiſſetque in os ipſa verba: *Vos neſcitis quicquam, nec cogitatis quia expedit vobis, ut unus homo moriatur pro populo*; dicere debuit, & voluit *pro populo*, & hoc etiam intendebat Lucifer, malus dæmon; non autem *Pro*: ſi enim hoc ſciviſſet, indubiè caviſſet ab eo ſuppliciis & morti tradendo.

Sed amabilis, & ſimul mirabilis Dei providentia, quæ linguam regebat, non autem cor, ſuppoſuit eam voculam *Pro*, ut vel inde ex ipſa Caiphæ voce noſſet orbis, *pro populo*, proque illius ſalute moriturum: ſed Caiphas non mori volebat, ſed occidi: non placidè quieſcere velut placita Deo Victima; ſed violentè cadere ſub ipſa carnificum manu, imò ſub ipſa ac in ipſa Crucis mole. At cur ita?

Quia hic homo multa ſigna facit. Hæc unica ratio; Sed quid in ea mali? quid culpæ? Profectò nulla, niſi malum ſit benefacere, niſi culpa ſit ſigna facere, facere miracula, & hoc ad commune omnium bonum, ad miſerorum ſolatium atque ſubſidium.

Miracula Chriſti Divinitatem probabant.

Certè è ſignis illis, atque miraculis convinci debuerant, atque induci, imò compelli ipſâ vi tantorum miraculorum, ut Chriſtum Meſſiam eſſe crederent, & Dei Filium: ſed omninò contrarium accidit: qui enim tantam & tam claram Deitatis demonſtrationem ſuſceperant (inquit D. Chryſoſtomus) hominem adhuc vocant, atque de ejus cæde deliberant, eique vitam eripere deſtinant, qui paulò ante Lazaro vitam reddiderat.

Quid facias? Fuit ille iſtorum hominum genius, fuerunt & ſtudia, atque molimina Pontificum, & Phariſæorum, ut pro bonis mala, pro beneficiis maleficia redderent: quo ſuadente, quibus Conſiliis, videbimus Quæſtione ſequenti.

QUÆ

QUÆSTIO SECUNDA MORALIS.

Ad illa verba: *Quid facimus? quia hic homo ſigna multa facit.* Joan. cap. 11. ℣. 47.

AD EAM QVÆSTIONEM QVID CONSILIARII, & quinam illi?

HANC ſibi quæſtionem moverunt Pontifices, moverunt & Phariſæi: Quid facimus? vel ut alia verſio habet: *Quid agemus?* At quæ cauſa movendæ quæſtionis? Iſta. *Quia hic homo ſigna multa facit.*

Mirum ſanè de iis anxios eſſe & querulos, cùm ipſi jam inde ab omni retro antiquitate ſigna petiiſſent, atque etiamnum peterent.

Pſal. 73. v. 9. An non ex antiquæ voces, *Signa noſtra non vidimus?* Nempe illis indulgens Numen ſigna dabat; dabat & prodigia, & quidem adeo frequentia, ut quaſi ſibi debita appellarent ſua, inde uſurpabant & iſtud ſi paululùm à ſignis ceſſaſſet. *Signa noſtra non vidimus.*

Matth. c. 12. verſ. 38. Quod eorum majores petiere, hoc in præſens & ipſi. Nunquid enim & hoc quæſiere à Chriſto? *Volumus à te ſignum videre.* Nunquid & iſtud. *Quod ſignum oſtendis nobis, ut credamus.*

Joan. c. 2. verſ. 18. Si ergo ſigna poſtulant, & miracula ut credant, cur ea cùm uſurpant oculis, quaſi dubii & ſolliciti cum ſeipſis quærunt. *Quid facimus? Quid agemus*, quaſi inde publico quicquam impendeat mali; quod averti oporteret etiam vel ipſo *Chriſti* ſervatoris excidio: aiunt enim, *hic Homo ſigna multa facit; Si dimittimus eum ſic, venient Romani, & tollent locum noſtrum & gentem.*

Ne porrò veniant cum excidio gentis noſtræ, & loci ſancti, ſic dimittinon debet, imò capi debet, vinculis onerari, tollique etiam per extrema crucis ſupplicia.

Hæc Caiphas anni illius pontifex, hæc & Concilium univerſum. At quando? à ſuſcitatione Lazari: ut enim Scriptura, *ab illo ergo die cogitaverunt, ut interficerent eum*, nempe Lazari ſoſpitatorem JESUM. *Joan. c. 11. v. 53.* Græcè habetur ab illa *hora cogitaverunt*, in græco textu, *conſultaverunt*, vel ut vertit Cyrillus, Chryſoſtomus *Conſultationem finierunt, & firmarunt communi decreto, & quaſi ſenatuſconſulto.*

Conſiliarii tres in Chriſti condemnationem conſpirant. Sed quibus conſiliariis? tres potiſſimùm reperio, *Invidiam, Ambitionem, & Avaritiam.*

Evenit Chriſto quod Davidi. Bellum erat Iſraëli contra Philiſthæos, & quidem acre, atque formidandum, inſultabat enim Iſraëli *Goliath*, & omnes Dei acies, fama ſui nominis & armorum terrore repleverat, terruerat omnes, & propè exanimarat.

Erat enim *Goliath* grande jugerum carnis, moles ingẽs carnea, cum qua compoſitus David, Pigmæus videri & eſſe poterat, & tamen præter Davidem nemo unus omnium in toto exercitu, qui cum eo concurreret, qui pedem pedi, manum manui committeret.

I. Invidia malus utique Conſiliarius. Commiſit David, & feliciter, Deo fiſus, non armis; nec enim Saülis arma quadrare viſa, nec haſta, nec ferri acies convenire; ſed pro thorace, proque galea pera fuit paſtoralis, pro armis funda, atque obvius à torrente lapis, hunc in peram immiſit, commiſit fundæ, vertit, giravit, & validis lacertorum toris emiſit, & valido impetu in frontem *Goliathi* impreſſit, cecidit, & ſtravit, tum eo ipſo quo armatus erat ferro ei caput abſcidit, truncum corpus inſtratum ſolo reliquit, atque ad ſuos victor rediit, victori occurrit populus omnis, ſexus omnis: ubique exultatio, ubique plauſus, & undique acclamatio; etiam ab imbelli ſexu, puellisque accinentibus illud acroama: *Saül percuſſit mille, & David decem millia.* Quid inde? audi è Sacro Codice.

Non ergo rectis oculis Saül aſpiciebat David à die illa, hinc etiam illi & vulnera, & mortem intentare. Ecce invidiam, ecce livorem, malum utique Saulis conſiliarium, uti deinde *Caiphæ*, & Concilio Judæorum univerſo. *Saulis invidia in Davidem.*

Chriſtus pro eo, quo valuit in mortem imperio, Lazari animam exciverat in corpus, & hunc etiam è ſepulchro; mortis utique atque inferorum domitor. Nequend tulit Caiphas, neque Concilium malignantium, neque etiam dæmonum: ab illo ergo die cogitaverunt *ut interficerent eum.* Quid enim aliud cogitarent invidi? quid aliud meditaretur invidia? quid aliud loqueretur quàm iſtud? Quid facimus? *quia hic homo ſigna multa facit. Si dimittimus eum ſic, omnes credent in eum*, omnes ad ejus genua accident, atque ut Regem, ut Meſſiam habebunt: facit enim ſibi nomen à miraculis, à prodigiis, tollendus, tollendus eſt è medio. *Invidis quid fit?*

Ecce quid dictet *Invidia*, quid livor cordi edax? Quid enim aliud? Eſt invidia *dolor de proſperitate aliena*, ut ſcitè D. Thomas. *2. 2. Quæſt. 36. art. 1.*

Eſt, *triſtitia de bono alterius in quantum æſtimatur diminuere gloriam propriam*, ut idem Angelicus Doctor.

Eſt *odium felicitatis alienæ*, ut Auguſtino placet. *Eſt error oculorum*, & mentis. *In Pſal. 104. verſ. 25.*

Eſt *animi tinea*, ut D. Cypriano: Eſt *diaboli ſatio*, ut D. Baſilio. Eſt *cædis mater*, ut D. Chryſoſtomo. *Hom. 36. in Joan.* Et ea fuit *Caiphæ*, ea Sacerdotum, & Phariſæorum in Chriſtum: ab ea quippe orta nataque conſilia de occidendo Chriſto, & eadem conſequentibus ſæculis, de lacerandis Chriſti ſervis per calumnias, per affictacrimina, per falſa teſtimonia (& ſi perfidia, atque crudelitas ferat) etiam è mundo tollendis; certè de bona fama, deque bono nomine, quod ſibi à doctrina, atque virtute compararunt: & ia fuit omni ætate Hæreticorum genius, eæ etiam artes.

S. Athanaſium, ex eo quòd Arianam Hæreſim ſubdolè latentem, primus omniũ detexiſſet, & perſecuti ſunt Ariani, & Hæreſeos, & homicidii reum proclamârunt, atque etiam impudicitiæ notârunt, & quantũ per Principes licuit etiam exilio damnârũt. *Hæretici invidi, & in Sãctos malevoli, & maledici.*

S. Hieronymo inſultârunt Pelagiani, quòd primus in eos calamum acuiſſet, & ſtylum armaſſet. Inſultârunt & S. Auguſtino non ferentes doctrinæ lucem, & Sanctitatis illius ſplendorem, ardoremque zeli, etiam poſt fata, dum eum incuſârunt, & erroris Manichæorum, & ſcripta illius depravârunt, infamaruntque: dicebant enim, ſi non voce, ſed re etiam ipſa, quod hîc Pontifices, & Phariſæi.

Quid facimus? *Iſte, & iſte homo multa ſigna facit:* Multa dico ſigna, multa & miracula, tum in ſcriptis, tum in vita, quæ ne in admirationem omnes raperent, & amorem, eos ſcriptis acrioribus, libelliſque famoſis, denigrare ſtuduerunt; quod & hoc noſtro ſæculo faciunt Hæretici, & è Catholicis malevoli nonnulli erga minimam JESU Societatem, ut doctè notavit *Abbas de Boiſic* in Libro, cui titulum fecit: *Les impoſtures & ignorances du Libelle intitulé La Theologie Morale des Jeſuites.* Quid facias? eſt ille Invidiæ genius: ſi alicujus aut doctrinam, aut virtutem ferre non poſſis; ſtude tollere, ſtude deturbare, de bona fama, deque parta apud omnes authoritate, etiam mendaciis, etiam impoſturis, etiam calumniis, afflictiſque per ſummum nefas criminibus; nihil intereſt, modò ſuſtuleris. Sed hæc paucis noraſſe ſit ſatis, occaſione primi Conſiliarii in Concilio à Caipha coacto contra Chriſtum Mundi Servatorem. Primi dico conſiliarii, qui non alius fuit quàm *Invidia.*

II. Ambitio.

Venio ad ſecundum, qui fuit *Ambitio*, affectatioque magni nominis, & auræ popularis: ab hac, & illa ambiebant, & quærebant Pontifices, & Phariſæi primos accubitus in cœnis, & primas cathedras in Synagogis: ab hac ſibi nomen atque authoritatem conciliare ſtudebant, & amabant ſalutationes in foro, & vocari ab hominibus *Rabbi*, dolebantque Chriſto, à vita & miraculis tantum authoritatis, tantum & nominis acceſſiſſe: is enim ambitionis eſt genius, alienam gloriam, & famam, veluti ſuum dedecus atque infamiam æſtimat, tantumque ſibi detrahi laudis, quantum alteri adjeceris.

Et hinc querulæ illæ voces, atque anxiæ: *Quid facimus? quia hic homo ſigna multa facit.* Et hinc illi nomen, & gloria nominis.

Quod Pontificibus, & Sacerdotibus illius ævi vitium fuit, hoc & noſtris: verum enim illud Divi Cypriani oraculum:

De jejun. & tent. Chriſti.

Etiam in ſinu Sacerdotum ambitio dormit, ibi ſub umbra recubat, in ſecreto thalami ſe fraudulenter occultat: atque utinam ſe occultaret, utinam ſic dormiret, ut excitaretur nunquam: ſed proh dolor! pudorque! è ſinu ſæpe migrat in linguam, unde ſuarum rerum commendationes, & gloriæ bullæ pueriles inflantur. Sic inflatas audivimus in Phariſæo, qui aſcendens in templum futurus ad Deum orator, ſic ad illum:

Gratias tibi ago Domine, quia non ſum ſicut cæteri hominum: Ecce ut aliis omnibus ſe præponit. *Raptores, injuſti, adulteri.* Ecce ut alios præ ſe deſpicit. *Jejuno bis in Sabbatho, decimas do omnium, quæ poſſideo.* Ecce ſuorum operum inſanæ commendationes, in quibus utinam ſiſteret ea prurigo laudis, & gloriæ, eaque ambitionis inſania, nec invaderet, occuparetque plurimos ad Eccleſiæ miniſteria delectos: ſed proh nefas! proh & horror! Nimis verum illud D. Auguſtini:

Multi ſunt, qui jactantiæ faſtu corrupti atque conſumpti, in favillam fumumq; vaneſcunt. *Epiſt. 81.*

Qui ejuſmodi ſunt, & belli ſui amatores, nihil ad Dei gloriam, nihil aut ſui, aut etiam proximi ſalutem operari unquam poſſunt: ut enim B. Laurentius Juſtinianus:

Mens cupida, honoris avida, dominandi cupiditate accenſa, nec Dei gloriæ, nec proximorum valet utilitatibus inſiſtere. *De contempl. Paſſ.* Ut valeas aliquando BENEVOLA LECTOR, age, honores fuge, dignitates etiam Eccleſiaſticas declina, & horre, memor illius D. Baſilii: *Quod gloriæ ſplendor, facilè mutatur atque evaneſcit:* *Epiſt. 42.* & illius quod ejus frater Gregorius Nyſſenus, *Honores diarii ſunt, & fugitivi.* *Orat. 5.* & hujus quod Lucianus: *Ampullæ ſunt inauratæ*, videlicet plenæ inanitate, quæ ſuo ingenio crepent, & fundantur: *De mercedd. cond.* ſed ne longiùs. Tranſeo ad tertium in eo Concilio, de quo agimus, Conſiliario, is eſt *Avaritia.* Hanc teſtantur vel hoc ipſo. *Si dimittimus eum ſic, venient Romani, & tollent locum noſtrum*, hoc eſt Synagogam noſtram, Infulas noſtras, è quibus ampliſſimi proventus; Sacrificia noſtra, à quibus & Decimæ, & pingues opimique obveniunt reditus, & ipſa Regum atque populorum beneficentia: Verum enim illud Iſayæ de illis Vaticinium:

III. Avaritia.

Vos autem Sacerdotes Domini vocabimini miniſtri Dei, fortitudinem gentium comedetis, & in divitiis earum eritis admirabiles. *Cap. 61. v. 6.*

Ea porrò Dei & populorum in eos beneficentia, atque admirabilitas, debuerat & amorem, & reverentiam conciliare in Chriſtum Domini, & guſtum dare virtutis, & donorum cœleſtium: ſed ſecus omninò accidit: ut enim Sydonii verbis utar: *Qui ſolo ſe cenſu eſſe cenſendos Pontifices opinabantur; ſic vitiis ut divitiis incubabant.* *Lib. 8. Epiſt. 7.*

Fuerunt autem ea vitia (ut jam oſtendi) potiſſimùm tria, *Invidia, Ambitio*, atque *Avaritia*; atque utinam non eadem eſſent in pleriſque Eccleſiæ Sacerdotibus, ac miniſtris: maximè verò *Avaritia*, non caderent in illos antiquæ & veræ S. Leonis Pont. Max. querelæ:

Foris ſplendidi, intus obſcuri; abundantes temporalium, inopes æternorum, quia ipſi animas ſuas fame afficiunt, & nuditate honeſtant; qui de iis, quæ terrenis horreis commendaverunt, nihil theſauris cœleſtibus intulerunt. *In Pſal. 48.* De tali homine dixit D. Chryſoſtomus: *Pecuniis ditior, pauperior animo.* *Lib. de Oper. & Eleemoſ.* Et Cyprianus: *Quò locupletior ſæculo, eò pauperior Deo.* Sed de eo hîc parciùs, fuſiùs in Speculo Eccleſiaſticorum, ubi de Beneficiis egi, atque eorum proventibus.

QUÆSTIO TERTIA
MORALIS.
Ad illa verba: *Expedit vobis ut unus homo moriatur pro populo.*
Joan. cap. 11. verſ. 50.
AN SAPIENS ISTUD CAIPHÆ CONSILIUM? An rectum, an pium? aut contra?

HOc Conſilium ſpectari poteſt duplici ratione.

Primùm quidem ut prodit à Caipha, eſtque ex illius intentione ac fine: Secundùm ut eſt à Deo, qui illius linguam eò loci, ac temporis rexit, etſi nec mentem, nec affectum: rexiſſe autem linguam liquet ex eo, quod ſubjicit Evangeliſta, hoc autem à ſemetipſo non dixit: *Sed cùm eſſet Pontifex anni illius, prophetavit quod JESUS moriturus erat pro gente*, ſcilicet Judæorum; imò & pro toto genere hominum. *verſ. 51.* His ita poſitis ex Scripturæ fide, atque

atque authoritate, quæ nec falli poteſt, nec fallere.

I. Conſilium ſtultum.

Primum id ſtatuo, ſi capiatur ut manat à *Capha*, inſipiens fuit, & ſtultum conſilium; credidit enim quod ſi tolleretur Chriſtus, ſi occideretur, futurum ut non venirent Romani, & ſecus omninò accidit: ideo enim venerunt, & ſuſtulerunt locum, & gentem; quia ſublatus à Judæis Chriſtus, quia occiſus, ſic urgente Divinâ Juſtitiâ, ſic exigente eorum immanitate. Quid enim potius?

I. Quia Chriſtus erat pro ſepimento.

Erat illis Chriſtus, quamdiu erat, pro *ſepimento* Synagogæ, ceu vineæ ſuæ electæ: ſic enim eam appellare dignatus eſt nuncupatione amoris plenâ, plenâ & indulgentiæ. *Plantavi te vineam electam*, inquiebat ore calamoque ſui Vatis. Deſtructo illius ſepimento, quid aliud in vinea expectes, niſi ut Vulpes, Lupi, Urſi, Leones in eam incurrant, diripiant, vaſtent, perdant: Sic & Synagogæ ſublato Chriſto, ceu illius ſepimento.

Jerem. c. 2. v. 21.

II. Pro muro.

Erat illis Chriſtus, quamdiu erat, pro *muro* firmo atque inexpugnabili: ſic enim ei ſpoponderat ipſo Zachariæ vaticinio:

Cap. 2. v. 8.

Ego ero ei murus: diruto autem muro, qui civitatem cingit, qui aditu prohibet, qui hoſtem arcet, & incolas ſuos, ſuoſque cives tuetur, quid aliud ei imminet niſi adverſus miles & hoſtis, niſi cædes, ſtrages, incendia, & ruina miſerabilia; ſic & ſublato Chriſto, ceu Synagogæ muro.

III. Pro Sole.

Erat illis Chriſtus, quamdiu erat, pro *Sole*, à quo & lux aurea, & vitalis calor in membra, & corpus Synagogæ.

Si ſparſa Cœlo ſidera, ſi orbibus ſuis infixi Planetæ æmulatione quadam atque invidiâ tantæ lucis, quæ eſt in Sole ceu fonte luminis, conſpirarent inter ſe ut Solem è cœlo deturbarent ſuo; nonne & inſanam crederes conſpirationem? & ſtulta molimina?

Ecquid enim, an non diceres? ô Sidera! ô Planetæ, ô vos minores orbis oculi! an non quidquid habetis, habetis à Sole: quòd ſi hic extinguatur, ſi concidat; an non eodem vos, & extingui, & concidere neceſſum eſt? Enimverò neceſſum eſt: Si & te perire, teque tolli oportuit Synagoga, & tibi vitæ melioris lumen adimi ſi Chriſto ademeris, ſtultum igitur atque inſipiens conſilium tuum fuit cùm dixiſti cum Caipha: *Expedit unum hominem mori pro populo, hoc eſt ut voluiſti præ populo.*

IV. Pro columna.

Erat tibi & Judæis omnibus Chriſtus pro *Columna*, quæ media ſuſtentabat totam Synagogæ fabricam. Vis concuti, vis everti columnam, vis & eodem molimine, vis & eodem lapſu, labi & ruere totam Synagogam: ſtultum ergo atque inſipiens eſt tuum illud conſilium.

V. Pro navi.

Erat tibi Chriſtus pro *Navi*, quâ per Mundi hujus maria, perque timendos æſtus, ac procellas vehebaris in portum Beatæ æternitatis, vis perfodi illam navim, vis aquam haurire per rimas, perque foramina, perque vulnera, quæ aperis, vis & in profundum mortis demergi, ſtultum eſt atque inſipiens tuum conſilium, quia unà cum navi demergêris, non ut ille in profundum mortis, è quo ſurget poſt tres dies redivivus; ſed in profundum inferni, è quo emerges nunquam: ſtultum igitur tuum eſt conſilium; ſed & iniquum, dum attentas dicere *mori præ populo*.

VI. Pro Salvatore, pro Deo.

Ecquid enim Chriſtus præ populo? populus abjectus, vilis, è trivio, è ſacco, & cinere, hoc eſt populus omnis, gens omnis, & omnis homo pulvis, & cinis: Chriſtus autem Deus-Homo, Deus ipſe, Rex Regum, & Dominus dominantium: Ecquid etiam vita populi, vita hominum omnium præ vita Chriſti? præ vita Dei-Hominis? Non tantum quantum vita muſcæ, vita vermiculi compoſita cum vita hominis, cum vita Regum, & Cæſarum?

II. Iniquum.

Quod ſi ita eſt, quàm iniquum quàm diſtortum, quàm injuſtum componere Chriſtum cum populo, & vitam populi cum vita Chriſti; nec componere tantùm, ſed etiam hanc illi poſtponere.

Dum enim dicit Caiphas, aut ſaltem dicere intendit: *Expedit unum hominem mori præ populo*, in reipſa dicit, magis expedire ut tollatur Chriſtus, & pereat Chriſtus, quàm populus: quod quàm iniquũ, quàm diſtortum, quàm à natura, à ratione ſit alienum, nemo non videt, niſi qui ignorat quid ſit Chriſtus, & quid illius vita comparata cum vitâ etiam hominum omnium.

Vita hominum omnium quid ad vitam Chriſti?

Non tantùm quantùm gutta ad oceanum, quantum arenula una ad montes, quantum modicum cinis ad cœlum, quantum punctum ad totius Univerſi circumferentiam, quantum lutum ad collet, ad acervos aureos, quantum particula vitri ad adamantes; ad gemmas, ad uniones omnes, ſeu terra ſeu oceano ſparſos. Certè ut hæc omnia inter ſe diſtent ſeu natura, ſeu pretio: attamen finitè diſtant: at Chriſtus à toto hominum genere diſtat infinitè, & vita Chriſti ab omni vita, ſeu eam hominum eſſe voles, ſeu etiam Angelorum, diſtat infinitè, & anteceſt etiam infinitè.

III. Impium.

Igitur iniquiſſimum fuit, & cenſuiſſe, & dixiſſe; expedire, unum hominem, id eſt Chriſtum, mori *præ populo*: ſed & impium fuit, quia *adverſus Dominum, & adverſus Chriſtum ejus, quia Chriſticidium, & Deicidium.*

Pſal. 2. v. 2.

De illo velut immani ſcelere queſtus olim D. Paulus cùm ſic ad Hebræos, rurſum *crucifigentes ſibimetipſis Filium Dei*, hoc eſt novis peccatis, novam cauſam dando, & crucis, & mortis Chriſti.

Cap. 6. v. 6.

Quod ſi rei ſunt hi, quia ſceleribus ſuis dant aliam, atque aliam cauſam Crucis, & mortis Chriſti, quia Chriſticidæ, ſi non in re; ſaltem in cauſa, quomodo non erunt vel maximè rei, qui & conſilio ſuo, & calculo ſuo jam inde Chriſtum & Cruci, & morti adjudicarunt, pronuntiantes illud fatale. *Expedit unum hominem mori*, expedit Chriſtum è vivis tolli, impiaque illâ in Deum-Hominem ſententiâ, non tantùm cauſam dantes, & Crucis, & mortis ſuo illo, eoque immani ſcelere: ſed & linguam, ſed & judicium: ſed per hoc, & illam, etiam quodammodo manum ipſam? Certè & *Caiphas*, & Pontifices, & Judæi quotquot in illo Concilio eam in Chriſtum tulere ſententiam, cum primò crucifixerunt, rei utique Sanguinis illius, cujus reatus memoria ut iret in poſteras ætates, eorum parvuli, ut plurimùm naſci ſolent manu ſanguine plena, adulti verò tam viri quàm fœminæ, ipſo die paraſceves profluvium ſanguinis pati, totique inde expalleſcere, cujus mihi author eſt *Hugo Cardinalis, & S. Vincentius Ferrarienſis*, ſermone in die paraſceves, cujus teſtimonium pluris in hac materia faciendum cenſeo, quòd Judæis ipſe familiaris, & multorum millium quos Chriſto peperit, in ſpiritu parens.

Judæi cur naſcantur manu plena ſanguine.

In Pſal. 77.

Ad infandum illud Chriſticidii ſcelus acceſſit & aliud longè maximum, videlicet *Deicidium*.

Quæſivit aliquando *Malachias* vates, poſſetne illud in hominem aliquem cadere?

Cap. 3. v. 8.

Chriſticidii rei.

Si affiget, inquiebat, *homo Deum*? Hebraïcè *Kaba*, quæ vox aliam atque aliam patitur explicationem: Septuaginta vertunt, *Si ſupplantabit homo Deum ſuum*. Pagninus, *ſi rapiet, fraudabit, extorquebit homo Deum ſuum?* Vatablus *ſi ſpoliabit homo Deum?* Rabbi Abraham. *Si corrumpet homo Deum ſuum?* Syrus, & Arabicus, *nunquid opprimit homo Deum?*

Ecce in quæ ſcelerum monſtra labitur homo, in quæ & lapſus Caiphas, & inſanum illud Concilium, quantum, quantum fuit. Affixit Deum, & quidem fatali ligno Crucis. *Rapuit Deum*, cùm in vincula traxit; ſupplantavit, cùm Deum-hominem in terram abjecit, conculcavitque. *Spoliavit*, cùm veſte exuit, & honore, qui illi pro veſte. *Corrupit*, cum à

capite

capite ad calcem flagellis cecidit, ſic ut nec ei ſpecies eſſet, neque decor. *Oppreſſit* cùm ſub immani Crucis pondere gemere fecit, atque fatiſcere. Denique *perdidit*, cùm morti adjudicavit, atque in ligno expirare coëgit, coëgit & Deum mori, & quidem inter immania ſupplicia, ad quæ terra tremuit, ad quæ cœlum ingemuit luxitque, ad quæ Sol obſcuratus eſt, ad quæ expalluit Luna, ad quæ turbati vel ipſi inferi, totaque commota orbis univerſitas.

Quæ omnia malorum portenta originem traxere ab hoc ipſo *Caiphæ* conſilio, quo extulit illud in reluctantes auras. *Expedit unum hominem mori pro populo*, aut potius ex ſua mente, *præ populo*; ſtulto ſanè conſilio, iniquo, impio, à quo ſi reus *Caiphas*, ſi rei Pontifices, Phariſæi, & alii: quanto magis Chriſtiani, in quos verti poteſt iſtud Apoſtoli ad Hebræos *rurſum crucifigentes ſibimetipſis* Filium Dei.

Hæretici ut Chriſtum crucifigũt?

Quod ut pateat magis, argumentum petamus tum ab authoritate, & teſtimonio Divæ Matris, tum ex ipſius Chriſti oraculo. Cùm Albigenſium hæreſis Galliam inficeret vaſtaretque, Dei Mater ſeſe ſpectandam dedit S. Lutgardi, ſed triſtiore vultu, oculiſque lacrymabundis: cauſam rogata, reſpondit, ex eo quòd Albigenſes erroribus ſuis, infandiſque ſceleribus Chriſtum, utique longè ſibi cariſſimum Filium, rurſum Cruci affigerent.

Albigenſes item.

Surius Tom. III.

Quod Mater cenſuit, & dixit: hoc & Filius ipſe Chriſtus JESUS.

Ebrioſi ut Chriſtum tractant peſſimè.

Lovanii, urbe Brabantiæ nobili, celebrique Academia, in cella vinaria duo erant adoleſcentes planè diſcoli, & moribus perditi, qui dum plus æquo genio indulgent, & vino ſe jugurgitant, & tempus alea & chartis luſoriis impiè fallunt, ſimul etiam & juramentis, & blaſphemiis Chriſti nomen lacerant, dumque ſic lacerant, ecce tibi è vicino triſte ſpectaculum, homo cruentus totus, atque à vulneribus lacer, qui rogatus ecquis eum excepiſſet peſſimè, dixit duos fuiſſe juvenes, qui in taberna vinaria, aleis luderent, Deumque impiè blaſpemarent: quibus dictis, & loqui, & videri deſiit: Chriſtum utique fuiſſe nemo dubitavit, quod ævo ſuo contigiſſe retulit Thomas Cantipratanus.

Lib. 2. Apum. c. 49.

Peccatores rei Chriſticidii: imò Deicidii.

Maneat igitur indubitatum iſtud, quod qui peccant Chriſtum in ſemetipſis iterum crucifigunt, rei proinde *Chriſticidii*, ſed & quod pejus etiam *Deicidii*, peccator enim Deum, quantum in ſe eſt, in Chriſto tollit; ſpoliat enim, teſte Malachia, Deum ſuum attributis ſuis, atque perfectionibus, & quidem,

Supra.

Primò omniſcientia; ait enim in abſcondito cubiculi ſui, *Non videt Dominus nos*: ait etiam Pſaltis regii ore, calamoque. Non videbit Dominus.

Ezechiel. c. 8 v. 12. Pſal. 93. v. 7.

In cruenta illa Dominicæ paſſionis ſcena, cùm Chriſto obvelaſſent oculos, & *colaphis cecidiſſent*, Sic etiam ad illum: *Prophetiſa nobis, Chriſte, quis eſt qui te percuſſit?* quaſi verò obductis oculis corporis, non eſſet alius mentis oculus, alius & Divinitatis, qui pervideret omnia, penetraret omnia, etiam occultiſſima. Erat enimverò Divinitatis oculus, & is quidem in Chriſto, qui non ſolùm aſpiceret & colaphos, & colaphiſantes, ſed & inſanos illos impioſque animorum motus, motus invidiæ motus irarum, motus & odiorum in Chriſtum, quibus in eum exardeſcebant, atque in contumelias rapiebantur.

Athei.

Et tamen ut is eſſet oculus in Chriſto, dicebant tamen impii illi. *Non videt Dominus, nec intelliget Deus.* Ecce ut omniſcientiam in Domino, in Deo tollunt, dum tollunt in Chriſto; tollunt & providentiam, cujus eſt, ſontes non ſinere impunè abire: aiunt enim *Dereliquit Dominus terram.* Quaſi cœlorum cardinibus teneretur, ne in noxia capita, & fulgura, & fulmina, & ultrices è cœlo flammas immitteret: aiunt & apud Jobum. *Nubes latibulum ejus, nec noſtra conſiderat.* Aiunt & apud Eccleſiaſticum; *à Deo abſcondar, & ex ſummo quis mei memorabitur!*

Supra.

Cap. 22. v. 14. Cap. 16. v. 16.

Enimverò nullus, nec cœlorum Intelligentiæ, nec ipſe Deus. Ecce ut impii illi, dum attributa Dei tollunt, & ipſum Deum tollunt, utique rei Deicidii. Quo crimine majus nec cœlum vidit, nec terra tulit, nec inferi occultarunt: nihil enim eo impium magis, unde & conſequens, quod conſilio *Caiphæ* de tollendo Chriſto, nihil quoque magis fuerit impium.

QUÆSTIO QUARTA
LITTERALIS ET MORALIS.

Ad illa verba: *Hoc autem à ſemetipſo non dixit, ſed cùm eſſet Pontifex anni illius prophetavit, quòd IESVS moriturus erat pro gente.* verſ. 51.

SI HOC A SEMETIPSO NON DIXIT, A QVO IGITVR?

PAucis reſpondeo. A Spiritu Sancto, qui volenti hoc eloqui, quaſi Pontifici, & Capiti Eccleſiæ, ea verba objecit, quibus contrarium potius diceret, & veriſſimam in Chriſtum Fidem confirmaret, definiretque, expedire ſcilicet, ut Chriſtus pro populo, id eſt pro ſalute populi moreretur, & morte ſua, quaſi dato pretio, eundem à peccato, à diabolo, ab inferno redimeret: quod ſanè oraculum à ſemetipſo non fudit; ſed à Spiritu S. qui per ejus os locutus eſt, eo ferè modo, quo Angelus locutus eſt Balaam per os aſinæ.

Ex quo duo conficies, AMICE LECTOR. Primùm quæ & quanta Eccleſiæ cura Deo fuerit, etiam in antiqua Lege, quamque aſtiterit Pontifici, ceu Capiti Eccleſiæ, ne erraret: quod ſi in illa Deus ſic adfuit, multò magis in nova, ne aberret, adeſt Chriſtus Eccleſiæ, ceu ſponſus ſponſæ, ejuſque Capiti, id eſt Pontifici, ne in Fidei oraculis aberret à vero.

Eccleſiæ cura quanta Deo?

Et ecce primum quod hîc colligitur: alterum eſt Chriſti Domini mortem pro humano genere à Cœlo Deoque decretam jam inde ab æternitate obeundam in tempore ab eo pariter inſtituto: ſed in quo Concilio? & quibus Conſiliariis? Utique in Concilio Sanctiſſimæ, Auguſtæque Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti.

SS. Trinitatis decretũ de morte Chriſti.

Conſiliariis autem infinita Patris Æterni *Potentia*, infinita pariter Filii *Sapientia*, denique infinita Spiritûs Sancti *Bonitate*. Quibus enim potius? ab his certè propoſita, ventilata, decreta Chriſti mors fuit, & Dei ter Opt. ter Max. opus longè maximum, ad quod ſpectandum mortales omnes provocat Vates Regius, dum ſic ad illos:

In quo eminet potentia Patris: Filii ſapientia: Spiritus S. bonitas.

Attendi,

Pſal. 65. v. 5. *Venite & videte opera Dei.* Cur ita? *quia terribilis in Conſiliis ſuper filios hominum.*

Verè *terribilis.* Auguſtino *mirabilis.* Apollinari *immutabilis*; quod enim ſemel voluit, ſemper voluit, ſemperque volet, nec immutabitur unquam.

De converſione ad clericos c. 17. *Terribilis*, inquam; ſed & ſimul amabilis, ſimul & miſericors, ut diſertè monet D. Bernardus. Potiſſimùm autem in hoc conſilio, de Salvatoris morte pro filiis hominum. Verè terribilis, verè mirabilis, verè amabilis, & miſericors.

I. Patris Potentia. *Terribilis* in potentia infinita. *Mirabilis* in Sapientia pariter infinita. *Amabilis* in Bonitate etiam infinita, de quibus pauca ſigillatim.

Sit itaque primum conſilium, & in eo effatum Patris Æterni: *Expedit ut unus moriatur homo pro populo*, & in ejus morte noſtra ſeſe explicet potentia, ut qui poteſtates inferni & tenebrarum harum expugnemus: non in noſtra congrediendo fortitudine, non in robore Divinitatis, cum dæmone pugnando; ſed in ſumma infirmitate Humanitatis & Carnis Filii noſtri certando fortiter, & vincendo feliciter.

II. Filii Sapientia. Hæc ubi Pater Æternus, eadem deinde & Filius *Expedit ut unus moriatur homo pro populo*, & in ejus morte noſtra eluceat Sapientia.

In ipſis naſcentis mundi cunis, invidus dæmon aſſumpta ad cani fraudis & doli ſcenam ſerpentis forma, atque ad arborem ſcientiæ boni & mali circumfuſus Evam aſtu cepit, cepit & Adamum, & tam hunc, quàm illam cicumvenit, & perdidit, atque in eo humanum genus omne.

Et in ipſa inclinantis jam Mundi ſenectute, hominis figuram ego Deus, ego Patris Æterni Filius aſſumpſi, atque in ea pugnavi, vicique in arbore Crucis expirans, ut qui in ligno vicerat, in ligno quoque vinceretur, quod Divinæ Sapientiæ fuit.

III. Spiritus S. Bonitas. Ita ubi Dei Filius, eadem & Spiritus Sanctus. *Expedit ut unus moriatur homo pro populo*, atque in ejus morte noſtra ſeſe aperiat effundatque Bonitas, amor noſter, ardorque noſter erga genus humanum omne.

Et hoc Dei ter Opt. ter Max. opus, & operum illius omnium velut compendium: ut enim doctè D. Thomas, Doctor Angelicus:

3. P. Q. 1. art. 1. 2. *In hoc Myſterio monſtratur Potentia Dei & virtus, Sapientia, & Bonitas. Bonitas quidem, quoniam non deſpexit proprii plaſmatis infirmitatem. Sapientia, quoniam invenit difficillimi pretii decentiſſimam ſolutionem. Potentia verò, quia nihil majus eſt, quàm Deum fieri hominem*, niſi & majus iſtud, Deum pati, Deum mori: pati, aliàs impaſſibilem; mori, aliàs immortalem.

Sed SS. Triade Judice, expediebat omninò & pati, atque etiam mori pro populo.

Sed cur expedit ut moriatur? & cur pro populo?

Hæc verba, non tam Caiphæ fuerunt, quàm Divini Spiritûs, qui Pontificis, niſi peſſimi, linguam regebat, ne quid falſum, quid injuſtum, quid impium effunderet: quod à Pontifice alienum, atque abhorrens eſſe debebat.

Chriſtum perditum voluere omnes. Utique ex privato ſpiritu dicturus erat ut occidatur, ut pereat, ut perdatur, ut deleatur unus homo, id eſt Chriſtus, & hoc ipſum dixerunt ii omnes, qui Concilium coëgerunt contra JESUM.

Ab ipſis Chriſti cunis Herodes conſilium iniit *ad perdendum puerum*, ut annotat Evangeliſta. *Matth. c. 2. v. 13.*

Ætate jam maturâ, & virili, cùm à doctrinâ & miraculis inclareſceret JESUS, Concilium convocârunt Judæi, *ut perderent eum.* *Matth. c. 4. v. 6.*

Cùm doceret in templo, & hoc in dies ſingulos, *Principes Sacerdotum, & Scribæ, & Principes plebis, quærebant eum perdere.*

Sub ultimam vitæ ſcenam cùm jam in Pilati manu, ac poteſtate eſſet JESUS producendus in publicum, ut populo daretur optio, quis è duobus, Barraba, & JESU, eſſet dimittendus. *Principes, Sacerdotes, & Seniores, perſuaſerunt populo ut peterent Barrabam, IESVM verò perderent.*

Ita apud impios illos Conſiliatios, quoties actum de JESU, toties uſurpata feralis illa vox: ut *pereat*; ſecus omninò in cœleſti Concilio prodita vox alia, mitior illa, & ſalubris, ut *moriatur*, quia mori expediebat; non tamen occidi, non perire, non perdi: Sed cur ita? Quia mori pro populo pietatis erat, bonitatis erat, & amoris: at occidi, at perire, at perdi, impietatis, immanitatis, atque odii. Hinc illa vox dictante Divino Spiritu, etiam à Caipha manavit, ut *Moriatur*, omninò expedit. Sed quæ rationes? Aliæ ſunt atque aliæ, è quibus duæ veluti Principes.

Una, ut Juſtitiæ Divinæ fieret ſatis: altera, ut ſuus miſericordiæ daretur locus.

A peccato primi Parentis læſa eſt Majeſtas Divina, immaniquè affecta injuriâ, exigebatur ut Juſtitiæ ex æquo ſatisfieret: Sed à quo? An ab homine puro? Minimè. An ab Angelo, unóve è cœleſtibus Intelligentiis? Nec ab illo. A quonam igitur? Non ab alio quàm ab Homine-Deo, hoc eſt à Chriſto.

Ratio ex ipſis Theologiæ principiis petita, imò & hauſta ex ipſo naturæ ſinu, hæc eſt; quod in rigore Juſtitiæ ad æquam, perfectam, & omnibus numeris abſolutam ſatisfactionem, neceſſarium ſit, ut tanta ſit dignitas perſonæ ſatisfacientis, quanta eſt offenſæ.

Hic autem tanta eſſe nunquam poteſt (ut in aperto eſt, & in confeſſo apud omnes) niſi & perſona ſatisfaciens ſit Deus, uti & perſona læſa eſt Deus: at nulla talis fuit niſi Chriſtus, niſi Deus-Homo.

Igitur conveniens fuit, imò & neceſſarium, ut & ſatisfaceret Deus-Homo, atque ex Divina ordinatiône, & pateretur, & moreretur, ſi modò Juſtitiæ Divinæ ex æquo volueris eſſe ſatisfactum. *Chriſtum mori neceſſarium fuit.*

Et hæc prima ratio, à qua SS. Patres in eam venêre ſententiam, ut dicerent, ab uno hominis ſcelere, hanc Cœlo, Deoque legem, ac neceſſitatem impoſitam, ut Deus homò fieret, ſi modò Juſtitiæ ſuæ vellet aliquando factum ſatis.

Non nudus homo, ſed Homo Deus IESVS Chriſtus, quia nullus alius poterat condignum afferre pretium, inquiebat D. Baſilius, cui deinde conſenſit S. Leo, cujus hoc effatum: *Niſi eſſet verus Deus, non afferret remedium.* *In Pſal. 48.* *Serm. de Nativit.*

Quî enim afferret pretium? quî & remedium? certè ſpectatâ naturâ peccati, nec hoc afferre poteſt, nec illud.

Peccatum enim cùm ſit injuria Divinæ & infinitæ Majeſtatis, ab illa ſortitur, trahitque malitiam infinitam; cui proinde æqua eſſe non poteſt quæcumque ſatisfactio, quæ à pura creatura fluxerit: hæc enim finita ſit oportet, ideoque nec æqua; finiti enim ad infinitum nulla proportio, ut ait Philoſophus. *Peccatum quid ſit?*

Eſſe autem peccati malitiam infinitam, vel ex eo cognoſces, quod in humanis etiam uſu venire ſolet, ut ex perſonæ dignitate creſcat atque augeatur injuriæ gravitas: ut enim docent vel ipſæ humanæ leges, infligere colaphum æquali, contumelia eſt, ſuperiori flagitium, Magiſtratui ſcelus, Principi, Regi, perduellionis crimen, & culpa læſæ Majeſtatis. *Ejus malitia infinita.*

Quod ſi ita eſt in humanis; multò magis in Divinis, in quibus omnis injuria infinita ſit oportet, quia in his infinita ſunt omnia: & hinc, qui pro peccato ſatisfacit plenè, atque ex æqualitate, infinitus ut ſit, eſt neceſſe.

Vidimus quî Juſtitiæ factum ſatis, ſpectemus quî etiam Miſericordiæ ſuus datus locus: ſpectabimus illud & velut oculis ſubjiciemus in ſimili. Sit ſervus, ſit manci-

Digitized by Google

ſit mancipium, ſi voles, quod Regi ſuo, ac Domino debeat centum ducatorum millia, nec tamen habeat vel obolum unde ſolvat, cogit illum Juſtitia ad debiti ſolutionem, & ni ſolvat, carcerem minatur, & mortem, & hæc inter ſupplex adeſt miſericordia, rogatque ut remittatur debitum, cùm miſellus ille non ſit ſolvendo.

Interim verò prodeat princeps, Regis filius & hæres unicus, dicatque, ego me vadem præſto, ego debitum totum quantum eſt exſolvo, ad ultimum uſque quadrantem. Sponſionem acceptat Pater, eoque modo & *Iuſtitia* ſit ſatis, debitum ſolvendo, & ſimul *miſericordia* ſuus eſt locus, debitum in ſe ſuſcipiendo: & ſic factum in divinis.

Erat miſellus homo Patri æterno in debitis, nec erat ſolvendo, offert ſe filius, & is etiam æternus, etiam Deus. Debitum exſolvit ipſe, quod fuit *iuſtitiæ*, & debitorem ea liberat, quod fuit *miſericordiæ*: & quidem etiam infinitæ, uti & infinitum debitum.

Ab hoc porro nexu Juſtitiæ, atque Miſericordiæ factum eſt, ut quæ prius ab invicem disjungi videbantur, jam convenerint & proruerint in amoris

Pſal 84. v. 11. oſcula. *Iuſtitia, & pax oſculata ſunt ſe.*

Ab hoc oſculo terra cum cœlo, Deus cum homine, amabili ſimul & mirabili pacis nexu copulati, ab hoc ſublatum diſſidium omne, & fœdere æterno juncti mortales cum immortalibus, ab hoc Divina humanis, imáque ſummis, veluti commixta commu-

Fuit & conveniens. nione, cui ſimilem nec terra tulit, nec Cœlum aſpexit, nec feret, aut videbit ipſa quanta quanta erit æternitas, quæ etiam in omnia retro ſæcula efferet, non dico *Caipha*, ſed Divini Spiritûs oraculum! *Expedit ut unus moriatur homo pro populo.*

Convenientiæ variæ. Expedit, inquam, Primò ut merita noſtra ad eum evebantur gradum, ut ſuo quaſi jure à Deo ter

Prima. Opt. ter Max. mercedem exigere poſſint, non ut à nobis fluunt; ſed ut Chriſti meritis innituntur, atque ex eis manant.

In Enchirid. c. 4. *Iuſtitia, non noſtra; ſed Dei: nec in nobis, ſed in ipſo*, inquiebat Auguſtinus.

Secunda. Expedit ſecundò, ut ex eo diſcas, in eoque legas, quanti te fecerit Chriſtus, & quo pretio te

Serm. 1 de Nativ. Dñi. emerit. *Pretium tuum Sanguis Chriſti eſt*, aiebat S. Leo: quod pretium hominũ eſſe voluit, non Angelorum.

Tertia. Expedit tertiò, ut nobis eſſet Sacerdos ſummus, qui pro noſtra ſalute ſacrificium offerret, imò eſſet ipſe ſacrificium, & victima in Æterni Patris oculis immolanda Cœlo teſte, Deoque judice, cui

Ad Heb. c. 9. v. 14. *ſemetipſum obtulit immaculatum*, uti prædicat Apoſtolus & Doctor Gentium.

Quarta. Expedit quartò, ut in ejus morte tot nobis ſurgerent aperirenturque fontes aquarum viventium, id eſt gratiarum, quot aperta ſunt vulnera, ſeu ex manibus infixa volæ, ſeu pedibus, ſeu etiam lateri, ex quo fluxit ſanguis, & aqua, fluxere & Sacramenta ceu vaſa gratiæ.

Cap. 14. v. 3. De his porrò aquis prophetico ſpiritu gratulatus pronuntiavit Iſaias: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.*

Quinta. Expedit quintò, ut peccatum nobis eſſet in odio, vel ex eo quòd pro illo deſtruendo Chriſtus in Cruce brachia extenderit, ac mortem ſubierit, non ſecus ac Samſon, qui cœleſti inſtinctu, brachia extendit, & columnas amplexus, eas ita concuſſit, ut ruinâ ædis, & Philiſtæos opprimeret, & unà etiam ſeipſum, exclamans generoſum illud: *Moriatur Samſon cum Philiſtiim*; ſic & Chriſtus exclamaſſe quodammodò auditus in Cruce: *Moriatur IESVS cum peccato.*

Et hoc ipſum eſt quod inſinuaſſe viſus Apoſtolus, ubi de fine, quem intendit Chriſtus in ſua mor-

Ad Rom. c. 6. vers. 6. te, ſic ait: *Vt deſtruatur corpus peccati, & ultra non ſerviamus peccato.*

Expedit ſextò, ut in nobis flammam incenderet Charitatis, viſâ flammâ, quâ arſit in morte, perceptoque æſtu ejus amoris, quo in nos exarſit. Sexta.

Vulgatum illud & verum, ſi *Vis amari, ama.* Amavit nos Chriſtus, ut à nobis amaretur: amaſſe verò nos, teſtantur vulnera, quæ (ut piè notat D. Bernardus) tot ſunt ora, quæ altùm loquuntur, & clamant Chriſti erga nos amorem. *Vulnera iſta loquuntur pro me, quia diligo te*, inquiebat Chriſtus, interprete Bernardo.

Expedit ſeptimò, ut in nobis excitetur grandis fiducia, & certa ſpes ſalutis: Quid enim nobis non Septima. dabit Æternus Pater, qui nobis & pro nobis Filium dedit, immolavitque in Ara Crucis, veluti Salutis noſtræ Victimam.

Qui proprio Filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus Ad Rom. 8. *tradidit illum: Quomodò non etiam cum illo omnia nobis donavit*, inquiebat Apoſtolus.

Quomodò non etiam Filius donabit omnia, qui ſeipſum nobis donavit; quomodò Cœlo non aſſeret, qui de Cœlo deſcendit, ut illi nos aſſereret, ceu illius accolas, ceu cives.

Expedit octavò, ut qui à peccato lethaliter eramus ægri, ſanaremur, & quidem paratâ in ejus Paſ- Octava. ſione & morte veluti medicinâ, præſentique remedio: ut enim D. Auguſtini verbia utar.

Hæc medicina tanta eſt, quanta non poteſt cogitari. Lib. de Agone Chriſti. quod probat inductione factâ per omnes animi morbos, ſeu peccata; ſic enim inquit:

Quæ Superbia ſanari poteſt, ſi humilitate Filii Dei non ſanatur? Quæ Iracundia ſanari poteſt, ſi patientiâ Filii Dei non ſanatur: Quæ Avaritia ſanari poteſt, ſi paupertate Filii Dei non ſanatur? Quæ Impietas ſanari poteſt, quæ Charitate Filii Dei non ſanatur.

Expedit nonò, ut in ejus Paſſione, & morte no- Nona. bis daretur virtutum omnium exemplar longè perfectiſſimum, quod non verbis exprimeretur tantùm; ſed & opere: in quo Chriſtus, ceu Magiſter Optimus, fecit quod in Matheſi facit illius Profeſſor.

Hic primò vivâ voce explicat, quæ circuli, quæ ſemicirculi, quæ trianguli, quæ & aliarum figurarum natura, quæve earum dimenſiones, quæve proportio, quæve lineæ paralelæ, & alia ejuſmodi; tum in tabula delineat ſingulas, & oculis ſubjicit, qui melius ea capiunt, & transferunt ad intellectum, quàm feciſſent aures.

Quod ille, hoc & Chriſtus in virtutum ſchola, eas primò docuit vivæ vocis oraculo; deinde opere atque exemplo: quod ut videas, & ſequaris, hæc tibi, BENEVOLE LECTOR, ore Sapientis:

Appone Cor tuum ad doctrinam meam. Cor, inquit, Proverb. c. 22. v. 17. id eſt affectum appone, ut ames, non linguam, ut inani tantùm vocis ſono ventiles, non etiam aurem duntaxat ut audias: ſed poſt cor & affectum, etiam appone manum, ut quod doctrinâ proponit, re etiam ipſa exequaris.

Expedit decimò, ut ſemper ſit nobis in promptu, atque amoribus quod Deo Patri offeras, dum Decima. ſupplex in oratione ad eum venis.

Sæpe ſæpiùs decantatum illud à Deo: *Non apparebit in conſpectu meo vacuus.* Non apparebit enimverò, ſi in manibus ſit Paſſio, ſit mors Chriſti; ſi Exod. c. 23. v. 15. flagella, ſi clavi, ſi Crux, ſi Lancea, inſtrumenta utique Paſſionis & mortis Filii Dei, quæ Æterno Patri repræſententur, velut arrha Divini in nos amoris, Divinæ & miſerationis: ut porrò ea ſit, expedit pati Chriſtum, expedit & mori.

Expedit, inquam, ut homini, ceu pugili, in Chriſtiana palæſtra, quotidie in manibus eſſent arma, quibus pugnaret in hoſtẽ, quibus ſterneret, quibus & vinceret, triũpharetque. Aſſurgit ex erebo dæmon, & arma movet, movet ad iram, ad vindictam in hoſtem: arma armis oppone, oppone illuſtrem Chriſti patientiam, & vinces: movet ad ſuperbiam, & inſolentes ſpiritus, animique tumorem: ut detume-

ſcat,

ſcat, accipe inſignem humilitatem Chriſti, qui *vermis* haberi voluit *& non homo.* Excitat ad avaritiam ad nummorum congeriem, argenti auriquevim, ad ampliſſimas poſſeſſiones; aſſume ſummam in Chriſto paupertatem, qui nec habuit quod vulpes habeot, foveas ſcilicet; nec quod volucres nidulum ubi quieſcat, oec ubi caput reclinet, & avaritiæ ſpiritus extingues. Proritat ad gulæ lenocinia, ad illecebras voluptatum, ad ſuavia quæque & mollia, objice lividam à flagellis Chriſti carnem, objice plagas, objice durum Crucis lectulum, objice fel, & acetum, & dum ex hoc & illo bibes, deſipiet nectar, & ambroſia; verbo uno, ubi de Paſſione, deque morte Chriſti arma ſumpſeris, hoſtis tartarei tela omoia retuderis, conatus omoes repreſſeris, aſſultus omnes rejeceris, & viceris.

Expedit denique (ne in convenientias omnes excurrram, quod infinitum foret) ut moreretur Chriſtus, & quidem ſublimis à terra inter Brachia Crucis, ut homioes terræ affixos, & luto merſos elevaret, attolleretque in Cœlos, prius ad ſe attractos, non aliis vioculis, quàm amoris: quod ipſe iodicatum voluit, cùm hoc edidit oraculum:

Ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me- Ioan c. 12. v. 32.
ipſum. Traham, inquit, Primò ad me etiam in terris amore, atque imitatione, tum in Cœlis gloriâ, ac beatitate. Videri poteſt Ludovicus Granatenſis, notus à calamo, & notior à virtute, qui in hæc omnia, aliaque fuſiùs excurrit: ego breviùs, quia compendia quæro, & rerum, & verborum.

HEBDOMADA SEXTA QUADRAGESIMÆ.

VIDEO jam ab omni retro antiquitate hanc Quadrageſimæ Hebdomadam, aliis atque aliis appellationibus notatam fuiſſe, utpotè cæteris omnibus, quas annus evolvit, illuſtriorem. Quæ ſit illa?

A D. Bernardo, dicta eſt *Hebdomada pœnoſa*, nec immeritò, quia ea ferè tota impenditur in exponendis longè latéque pœnis Salvatoris: quibus enim potius, exactâ jam propè Quadrageſima? I. Pœnoſa,

Ab aliis audiit *Hebdomoda ſancta*, duplici potiſſimùm de cauſa: Una, quia myſteria, quæ in ea tractantur, non modò ſancta ſunt; ſed & fons, & origo omnis ſanctitatis, ut patebit in ea fuſiùs excurrenti.

Altera, quia ea omnia, quæ in ea peraguntur ſancta eſſe debent: & verò etiam ſunt. ut enim aureè D. Chryſoſtomus: *Nunc magis & jejunii curſus intendendus, & continuandæ preces, faciendaq; pura & diligens confeſſio, & in bonis operibus ſedulitas, eleemoſynæq; largæ*, aliaque magnarum virtutum opera exercenda, *ut in Hebdomomada ſancta* & ipſi quoque ſancti ſimus. II. Sancta.

Communiùs tamen appellata, *Hebdomada major*, cujus nuncupationis rationem affert D. Chryſoſtomus: *Magnam*, inquit, *vocamus Hebdomadam: non quòd plures horæ in ea ſint, neque dies plures habeat: ſed quia magna quædam, & ineffabilia bona nobis contigerunt in illa. In illa enim ſolutum eſt bellum diutinum, extincta mors, maledictio interempta, diaboli tyrannis diſſoluta, vaſa ejus direpta. Deus hominibus reconciliatus eſt, Cœlum penetrabile factum, Angeli hominibus conveniunt, diſtantia conjuncta ſunt, ſepes ſublatæ, ſeptum remotum. Deus pacis pacifica fecit omnia, quæ in Cœlis, & quæ in terris.* III. Major,

Et his omnibus aliisque titulis *Magna* omninò *Hebdomada*; quia quæcumque in ea recoluntur, & celebrantur, magna ſunt; imò longè maxima. Magna Dei Miſericordia, magna & Caritas, magna & Iuſtitia, magnum Sacrificium, magna & Paſſio, magna & Mors quia Dei, magna prodigia: cœlum enim obſcuratur, terra tremit, petræ rumpuntur, ſepulchra aperiuntur. Denique quod oderis, quod horreas, quod deteſteris, magna hominum malitia, quia ab ea *Chriſticidium*, imò & *Deicidium*.

Quid majus in eo malitiæ genere? certè nihil. Meritò igitur *magna Hebdomada*, quia in ea magna myſteria, magnaque Sacramenta, quæ per paragraphos explicare eſt animus, & quaſi legendos oculis ſupponere, & hoc ex libro, quem vidit Ioannes, Chriſti ſcriba, Chriſtique amor.

§. PRIMUS.

Ad illa verba: *Vidi librum ſcriptum intus & foris.* Apocalip. cap. 5. ℣. 1.

QVIS ILLE LIBER?

Sententiæ. IN hoc loco, utpote obſcuro ac difficili, ſudant Interpretes, & in alias atque alias abeunt opiniones; nec adeò mirum, cùm nec ſtatim ipſi Joanni patuerit (erat enim involutus, atque adinſtar Mappæ Geographicæ, uti pictus viſitur Romæ in templo) erat & ſignatus ſigillis ſeptem, unde nec videri poterat quid intus ſcriptum, niſi prius ſoluta eſſent ſigilla ſeptem; quæ verò illa, & quando ſoluta, alta nox, in qua ſi quid affulgeat lucis, affulgebit à SS. Patribus, qui & ipſi diſcedunt in diverſas ſententias.

I. Prima eſt Ruperti, & Hugonis de S. Victore, qui cenſent hunc Librum eſſe Scripturam tam veteris quàm novi Teſtamenti.

Hic Liber ſcriptus foris à ſenſu litterali, intus à ſpiritali & myſtico.

II. Secunda eſt Aureoli, qui cenſet hunc Librum eſſe Dei ſcientiam in qua ſcripti mortales omnes, & Divinorum Judiciorum inſcrutabilis abyſſus.

III. Tertia eſt Lyrani, qui putat hunc Librum eſſe præſcientiæ, Providentiæ, & prædeſtinationis Divinæ, quæ nobis clauſa eſt, atque occulta, niſi à Deo reveletur, atque aperiatur.

IV. Quarta eſt D. Ambroſii, qui credit hunc Librum eſſe Chronologiam Mundi; & ſigilla ſeptem, eſſe ſeptem Mundi ætates.

V. Quinta eſt Alcazar, & Cornelii à Lapide, qui docent hunc Librum eſſe illam ipſam Apocalypſeos partem, quæ continet myſteria & oracula in Dei præſcientia, ac prædeſtinatione. Hæc autem Myſteria ſunt de regno, & de perſecutione Antichriſti, de Helia & Enoch, de Fidelium conſtantia, de Judicio univerſali, deque gloria & felicitate Beatorum.

Sexta eſt S. Hilarii, qui opinatur hunc Librum eſſe Chriſtum, ſive illius principatum; ſigilla verò ſeptem, eſſe ſeptem præcipua Chriſti Myſteria. VI.

Septima eſt aliorum, qui exiſtimant hunc Librum eſſe Chriſtum in Euchariſtia, in qua Agnus paſſus, & occiſus, velatur & celatur ſigillis ſeptem. Ea porrò ſunt ſapor, color, parvitas, levitas rotunditas, gracilitas hoſtiæ, quæ omnia ſunt accidentia, quibus velatur ac veluti tegitur Chriſtus. VII.

Et hæc ſententiarum inter ſe pugna, à qua ut diſcedam, ſtylum ſiſtam & oculum in

Octava, quæ eſt B. Laurentii Juſtiniani Patriarchæ Veneti, viri & recondiæ eruditionis, & eximiæ Sanctitatis. Huic Liber ille eſt Chriſtus patiens & Cruci affixus, quem vocat apertum codicem, in quo habet foris ſimplex & indoctus quod legat, habet ſpiritualis & perfectus, quod intus intelligat. VIII.

In eo enim ſcripſit Charitatis compendium, virtutum normam, perfectionis celſitudinem, & totum humanæ redemptionis modum, ordinemq; in hoc ſui corporis incluſit volumine, quamobrem cùm ſcribere compleſſet, nihil ſupereſſet ſcribendum, dixit conſummatum eſt.

Hactenus B. Laurentius, cujus opinioni dum inſiſtam pro argumento Concionum *Hebdomadæ Sanctæ*, deducam Primò quæ *intus* in eo Libro ſunt ſcripta: deinde quæ *foris*. Ea in dies ſingulos pro ſuo arbitrio digeret, diſponetque Eccleſiaſtes, quiſquis has pagellas decurret.

Dies tamen etiam meo calculo ſignabo, ſi fortè quis eos probare velit & ſuo.

---

§. 2.

QVÆ IN EO LIBRO INTVS SCRIPTA?

Cùm ea & varia ſint, & multa, ea redigam in ordinem & quidem ſingulis notata numeris, ne quæ ſit confuſio; ſit itaque

I. TRISTITIA.

Ad illa verba: *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem.* Marci c. 14. ℣. 34.

QVÆ, QVANTAVE FVERIT EA CHRISTI TRISTITIA?

IN DIEM LUNÆ.

Quid ſit Triſtitia? TRISTITIA *eſt apprehenſio diſconvenientis in appetitu intellectivo, aut volitivo nobis nolentibus evenientis.*

Ea inter omnes animæ paſſiones maximè corpori nocet, quod liquet ex ipſa ipſius Etymologia; dicitur enim triſtitia à *tero*, quod idem eſt ac *lentè conſumo*, & triſtis, quaſi *tritus*.

Quanta in Chriſto? Ea in Chriſto fuit longè maxima, quod ex eo patet, quia fuit *uſque ad mortem*. hoc eſt ejuſmodi, quæ naturaliter mortem inferre debuerat, niſi vitam retinuiſſet vis altior, hoc eſt miraculoſa; nec mirum; ſi enim verum illud Eccleſiaſtici:

Omnis plaga triſtitia cordis eſt. Hoc eſt, omnium plagarum inſtar: quod ſi omnis plaga, profectò & maxima. Cap. 25. v. 17.

Hanc ſuis quaſi coloribus depingit D. Chryſoſtomus dum aliis atque aliis appellationibus notat.

Triſtitia, inquit, *grave animorum Tormentum eſt.*

Dolor, omnis ſermonis vim excedens.

Supplicium omni ſupplicio & cruciatu acerbius.

Vermis peſtifer, non carnem dumtaxat; ſed etiam animam perſtringens, atque rodens.

Tinea eſt, non oſſium tantùm; ſed mentis perpetuus carnifex:

Digitized by Google

carnifex: non latus fodiens; ſed animi vires labefactans.

Perpetua nox, tetra tenebra, & procella, obſcura febris, & quavis febre vehementius exurens.

Mœror gravior eſt ipſa morte, quod probat exemplo *Eliæ*, qui à Jeſabele impetitus, ut mœrore premi ſe ſenſit, ut hunc effugeret, ad mortem confugit: ſic enim ad Deum: *Obſecro Domine, tolle animam meam.* Cur ita? Quia triſtitia morte gravior: mors enim ut gravis ſit, atque acerba; at momento tranſit: non ſic triſtitia, ea quippe, ut rectè Sapiens, eſt cordi quod *tinea veſtimento, quod vermis ligno*: ut enim hic lignum exedit, & illa veſtimentum; ſed tacitè, ſed lentè: ſic & triſtitia cor ipſum vitæ ſedem depaſcitur, & corrodit, eò graviùs, quò lentiùs, quò diuturniùs.

3. Regum c. 19. v. 4.

Eccleſ. c. 30. v. 25.

Quod ſi ea eſt triſtitia, mortalibus etiam omnibus magna, major certè atque acerbior Chriſto fuit, quia affluebat ea omni parte, & circumfluebat velut unda maris amariſſimi.

Et unde tanta?

Si enim ſeipſe aſpiceret JESUS, videbat deſtinatum ſe velut victimam, expiandis hominum peccatis; ſi Patrem ſpectabat, ab eo ſe derelictum.

Si Matrem, mœrore confectam lugebat, & tantùm non exanimem.

Si Diſcipulos attendebat, omnes ut profugos, unum ut proditorem, alterum ſe negantem etiam juramento.

Si Judæos, nihil infenſius: ſi carnifices, nihil crudelius: ſi tormenta imminentia, nihil acerbius. Undique & undique materia triſtitiæ, ac mœroris; gaudii verò & ſolatii, omninò nulla.

Accedebat & propè obruebat immenſa quædam atque immanis peccatorum omnium eluvies, quæ in amabile Chriſti cor incurrebat, & denſâ triſtitiæ ac mœroris nube tegebat, longè magis quàm in ullo, ſeu mortalium, ſeu immortalium, & quidem, ut doctè notat Franciſcus Suarez:

Primò ex parte objecti materialis, id eſt peccatorum omnium in unum veluti cumulum congeſtorum.

Secundò ex parte objecti formalis, id eſt offenſionis Dei, & malitiæ peccati cujuſque mortalis, quæ erat Summi Numinis ſumma injuria.

Tertiò ex parte *Cognitionis*, quâ clarior nulla fuit, nec erit unquam.

Quartò ex parte *Principii*, hoc eſt Charitatis, quâ in Deum Patrem ferebatur Chriſtus, & de illius injuria, atque offenſa, mœſtus, & triſtis erat vel maximè.

Quintò ex parte *Hominum*, quos diligebat, & in quibus ſpectabat peccatum velut ſummum illorum malum.

Sextò ex parte *Pœnarum*, quas longè graviſſimas ſubire debebant infelices animæ in ipſis inferorum incendiis, & hoc in tota quanta quanta erat æternitate.

Septimò, ex parte *Paſſionis ſuæ*, ac *mortis*, quam prævidebat adeò paucis profuturam, ut è millibus vix uni: non ex ſua inſufficientia; ſed ex ingratitudine, & culpa peccatorum, qui ejus fructum minimè ſibi applicatum voluêre. Et hoc ultimum mirum quantum affligebat amabile Cor Chriſti JESU.

Octavò ex parte reproborum, qui omnes & ſinguli ſuberant ejus oculis, & quorum ſortem mirum quantùm miſeratus, ut qui Cœli incolæ eſſe potuerunt, & concives Angelorum, futuri erant & inferni præda, & vilia dæmonum mancipia.

Dæmonum dico, quorum vel ſola ſpecies pro ſummo erat ſupplicio. Monachis Gemeticenſibus, ſub *S. Aycardo* permiſit Deus in hora mortis dæmonem conſpicuum fieri, ut ejus monſtri horribilis viſio, eorum peccata purgatorii ignis vice expiaret.

Diaboli aſpectus ut terribilis.

Quod ſi dæmonis forma vel leviter, & quaſi per tranſennam objecta, pro purgatorio fuit viris illis religioſis: certè damnatis erit pro inferno. S. Catharinæ Senenſi viſus itidem eſt dæmon à peccati ſui deformitate horribilis, idque in ictu oculi tantum.

S. Catharina Senenſis diabolum vidit.

Et nihilominus tanto inde dolore eſt affecta, ut aſſereret, malle ſe nudis pedibus, uſque ad diem judicii, per ardentes prunas ambulare, quàm rurſus vel momento tantùm ejuſmodi ſpectri aſpectu affligi.

Quod ſi ita eſt, quid erit reprobis in tota æternitate tartarea illa monſtra, velint, nolint intueri, & quaſi manibus palpare: qui aliàs (ſi modò voluiſſent) amabiliſſima, & jucundiſſima Dei viſione frui potuiſſent, cujus ſanè jactura etiam Chriſto triſtitiæ materia tum erat, materia doloris, & luctus.

Nonò, triſtis erat Chriſtus, ex infandi proditoris Judæ deſperatione, ſuſpendio, & damnatione, ob quam ex triſtitia, etiam lacrymas effudit. Quid mirum, inquiebat Ambroſius; Quando pro omnibus doluit, qui pro uno flevit? Pro uno, inquam, proditore, atque Apoſtata.

Anno Domini octogeſimo, poſt ſeſquimilleſimum, cum Hollandi Hiſpaniæ Regem, palam, ſolemnibuſque verbis Leowardiæ ejuraſſent, *Raalda* Friſiæ provinciæ à conſiliis, tum ex horrore tanti facinoris, tum ex triſtitia propter injuriam Regi ſuo irrogatam, in apoplexiam incidit, ſubitóque expiravit.

Joan. Petit. Hiſtor. Belgic.

Hollandorum ab Hiſpano defectio.

Si viro recti cordis & animi tanta incubuit triſtitiæ moles ex negata Regi terreno fide, ex defectione ab illius dominio, etiam terreno: quanta Chriſto ex diſcipuli, non ſolum à fide & fidelitate ſibi debitas ſed etiam à fiducia in ſe, ſuaque miſericordia, imò & Patris Æterni, qui totus pius, totus erat miſericors, etiam in hoſtem, etiam in perfidum proditorem.

Cogita, MI LECTOR, *S. Euſtachii caſum*, quando filiorum unum, quem ad ripam fluminis ulteriorem tranſtulerat à leone corripi, alterum, quem in citeriore ripa relictum requirebat, ab urſo comprehenſum vidit, ut indoluit, ut ingemuit, ut lethali triſtitia correptus fuit.

Surius 21. Novemb.

S. Euſtachii caſus miſerabilis.

Quod de *S. Euſtachii* parentis optimi in filios cogitares, quod crederes, quod ſentires, AMICE LECTOR: hoc & longè amplius de Chriſto: cùm eſſet hic in agonia ceu flumine magno, hinc Petrum, ceu filium, videbat negantem ſe noſſe etiam juramento; inde Judam ſe prodentem (& hunc enim, inde & illum jam animo, jam oculis ſpectabat in horto Gethſemani, quando triſtis erat, ſed triſtis uſque ad mortem) ſpectabat, inquam, hinc Judam tranſfugum, atque Apoſtatam ab urſo tartareo jam correptum, & mox vorandum; inde Petrum à Leone pariter tartareo corripiendum atque lacerandum, niſi revocaſſet vel uno oculorum conjectu. *Reſpexit Dominus Petrum*, & periculo exemit, & ſibi Deoque reddidit, per lacrymas, ſalutaremque pœnitentiam; ſed prius per ingentem triſtitiam, quâ illius caſui indoluit, atque ingemuit.

Decimò, triſtitiæ cauſa, eaque potiſſima fuit ipſa Chriſti Domini perſona. in qua exerceri debebat immanis illa laniæna, & ſupplicia ejuſmodi, quibus paria, nulla vidit ætas, nec videbit unquam, & quorum ſeries erat ante oculos Salvatoris: erant dicteria, & ſcommata, quæ nomen ejus famamque denigrabant: erant vincula, quibus & ſtringebatur arctiſſimè & raptabatur violentè ad inſtar agnelli qui duceretur ad victimam: erant flagella, quæ carnem lacerarent; quæ nervos, & muſculos contunderent, quæ oſſa nudarent, & tantum non comminuerent: erat ſpinea corona, quæ ſacrum illum verticem penetraret, pervaderetque propè ad cerebrum uſque: erant clavi trabales, qui pedes, manuſque ligno fatali affigerent: erat lancea, quæ etiam de-

Digitized by Google

mortui latus transfigeret, & vel ultimam ſanguinis guttam exprimeret: erat denique ipſa mortis acerbiſſimæ imago ſubjecta imaginationi, atque ad vivum expreſſa: qua eſſet, quod uva in torculari, à qua & calcaretur tota, & quidem ſolus, ut mœſta triſtique nænia accinere poſſet illud Jeremiæ dictum aliquando in ejus perſona.

Thren. c. 11 v. 12. *Vindemiavit me Dominus in die iræ furoris ſui.*

Ita nimirum Æternus Pater, ceu Dominus Filium etiam ſibi dilectum *vindemiavit*, & hoc in die Paſſionis illius ac mortis, *ſeu in die iræ, & furoris ſui:* & hoc in illa luctuoſa Paſſionis ſuæ ſcena, in qua perſonam agebat, ſuſtinebatque peccatoris, in quem proinde & iraſci, & piè furere Dominus, & quia ſic & iraſci, ſic & furere (verbo abſit injuria) ſic & ſævire debebat: hinc mœror, hinc triſtitia, & luctus occupare animam benigniſſimi Salvatoris, & hoc ex viva apprehenſione impendentium tormentorum, atque mortis.

Legimus aliquando damnatos ad mortem, ea nocte, quæ fuit ultima, præ triſtitia atque angore totos incanuiſſe.

Legimus alios ſubitò expiraſſe: tanta nimirum triſtitiæ vis eſt & in corpus, & in animam: quòd ſi tanta in aliis, quanta in Chriſto?

II. TÆDIUM.

Ad illa verba: *Cœpit IESVS contriſtari & tædere.* Marc. c. 14.

QVOD TÆDIVM, ET QVANTVM?

IN DIEM MARTIS.

PRo *Tædere* Vatablus vertit, *vehementer angi.* Alii *afflictari, anguſtiis affici*, vel *quàm plurimis angoribus obſideri*: quæ omnia explicant, quid lateat ſub illa vocula *tædere*; nec enim idem eſt ac *contriſtari*, ſed planè diverſum: uti & triſtitia, ac tædiũ diverſa ſunt, diſtinguunturque, ut effectus à ſua cauſa: triſtitia enim ſi ingens fuerit, tædium parit.

Tædium quid ſit? Eſt autem tædium animæ, quod nauſea ſtomacho; ut enim ſtomachus nauſea malè affectus omnem cibum reſpuit, averſaturque; imò & vitam ipſam; ſic & anima tædio infecta, nullum levamen, nullũ ſolatium admittit, gravia illi ſunt omnia, inſulſa omnia, amara omnia, etiam vita.

Et ea quoque fuit *Jobo*, etiam mortalium quàm maximè patienti, ut teſtes fuerunt illæ voces:

Cap. 10. verſ. 1. *Tædet animam meam vitæ meæ.* Regis habent *Pertæſa eſt anima mea.* Septuaginta. *Laborans anima mea.* Tigurina. *Crudelis effecta eſt anima mea.*

Jobi tædia. Et ea *Jobi* patientis erat anima. *Pertæſa* etiam ſui, & *Laborans* ſub immani mole triſtitiæ, & imminentium malorum cura, in qua & ſibi quodammodò crudelis, ut quæ nec ſeipſam levaret, nec corpus peſſimè affectum.

Quod Jobus in ea cum doloribus ſuis ſncta: hoc & Chriſtus in ea, quæ illi fuit agonia in Gethſemani horto, in quo dicere potuit cum Jobo.

Tædet animam meam vitæ meæ: verè enim *pertæſa* vitæ, verè laborans ſub ingenti curarum mole, ſub impendentium tormentorum malo, atque pondere; verè ſibi ipſi *crudelis* effecta, ut quæ gaudium beatificum, quo etiamtum fruebatur, & colliqueſcebat tota, ita contineret, ut in partem ſui inferiorem non deſcenderet, nec infunderet ſeſe; ſed contriſtari permitteret, ac *tædere*, hoc eſt *afflictari*, *anguſtiis affici*, & *angoribus quamplurimis obſideri.*

Sed unde afflictio? unde anguſtiæ? unde ab illius angoribus quaſi obſeſſio? Inde unde & triſtitia: quæ enim hujus fuerunt cauſæ, eædem propè, & illorum omnium, præter quas tamen, particulares aliquæ, & quidem,

I. Cauſa Tædii Solitudo. Prima, quòd ſolus eſſet in anguſtiis, ſolus in angoribus, nec eſſet qui conſolaretur; imò neque qui cum illo vigilaret.

Spectabat ſeipſe veluti caprum emiſſarium in ſolitudinem emiſſum, ut ſolus torcular calcaret, & calcaretur, ut ſolus eſſet veluti hoſtis pro peccatis, in quam jaceretur omnis maledictio, omnia cœleſtium irarum fulmina deciderent, in quem tot immanes feræ, quot carnifices; tot dentium morſus, quot flagella, quot tormenta. O ſolitudinem luctuoſam, acerbam, horridam! O angores, ô anguſtias, inter quas *apprehenſus cœpit tædere*, uti de illo triſti nænia Jeremias, cujus vaticinium cùm legerent è Rabbinis nonnulli, quos inter Rabbi *Samuel Nachman*, & ipſe Chriſto antiquior, & de illo intellexit, nec legit unquam ſine ſenſu doloris, & ſine lacrymis; quod Chriſtianis ruborem injicere deberet, qui eadem ſine ullo animi & compaſſionis ſenſu decurrunt. Et hæc de prima cauſa illius tædii. Thren. c. 5. v. 3.

Altera fuit Silentium. Tria ſunt mœrentis animi indicia: ſolitariè agere, ſedere, & ſilere: nec indicia ſolùm, ſed & quaſi cauſæ: & hæc in Chriſti agonia reperta ſunt, ſolitariè egit omni Diſcipulorum ſolatio deſtitutus: ſedit, imò & proſtratus jacuit ſuæ ſortis acerbitatem expendens, & poſtremò ſiluit, hoc eſt coram Divina Juſtitia obmutuit. II. Silentium triplex.

Notat D. Bonaventura in Sacris Paginis triplex legi ſilentiũ, *Cordis, Oris & Operis*, quæ Chriſto inſtar ovis coram tondente ſe obmuteſcentis applicat. Cordis, Oris & Operis.

De *Operis* ſilentio, dictum illud: *Siluit terra à præliis*, hoc in Chriſto fuit. Poterat per ſe, perque Angelos, hoſtes conterere, vocare in prælia duodecim Angelorum legiones: ſed maluit ſilere à præliis. Poterat & duabus voculis, *Ego ſum*, hoſtes ſuos ſternere, & adverſarios omnes ſolâ voce ſufflare; ſed *Oris* ſilentio tacuit, atque obmutuit, ut ovis ſolet, quæ ducitur ad victimam. Poterat & ſolo cordis affectu in juſtam de inimicis venire ultionem; ſed & *Cordis* ſilentio uſus eſt, nec alium affectum habuit, præterquam patiendi.

Et ſic triplici illo ſilentio *Cordis*, *Oris* & *Operis*, in parte ſui inferiore tædium generavit, & auxit: nihil enim magis illud & generat & auget, quàm ejuſmodi ſilentium: uti è contrario nihil illud magis levat quàm vox, ſeu ea cordis fuerit, ſeu oris, ſeu operis: hac enim evaporat quodammodò, atque expirat & mœror omnis, atque ex eo enatum tædium omne.

Et hæc paucis de ſecunda tædii cauſa: tertia eſt innocentia ſumma, quæ erat in Chriſto, qui tamen ut nocens damnatus eſt. Venerat è Cœli regia in terras, ut pacem afferret, & reus proclamatur turbatæ pacis. Venerat ut Regnum daret, & quidem cœleſte, & accuſatur affectaſſe per nefas terreni regni. Venerat ut pauperculis mortalibus divitias, eaſque cœleſtes præberet, liberali manu, & punitur III. Innocentia.

ut latro

ut latro, pendetque medius inter latrones. Venerat ut eſſet exemplar omnis Sanctitatis, & cum ſceleratis reputatur, atque inter eos expirat in Cruce. Et hinc mœror, atque ex mœrore tædium.

Vindicta Dei juſta.

In foro humano ſubinde contingit, ut quis damnetur ad furcam ut fur, ut homicida, qui tamen & hoc & illo crimine vacuus eſt Cœlo teſte, & judice.

Dom Inigo de Mendoza.

Petrus Caſtellæ Rex, cognomento crudelis, fortè obvium equitem, inauditâ cauſâ, ac quicquam innocentiam ſuam aggerentem, arbori appendi juſſit. Hic ut vidit nullum dari effugium, faſſus eſt ſe aliàs ſub eadem arbore mercatorem à ſe ſpoliatum, & jugulatum defodiſſe, & inde Cœlo vindice meritò damnatum.

At in Chriſto nihil ſimile dici, nihil & eſſe potuit, ne peccati macula etiam leviſſima, qui & ſolus in terris, ſolus & in Cœlis jactare potuit iſtud;

Quis ex vobis arguet me de peccato: & tamen ut is eſſet, damnatur ut reus, damnatur ut ſeditioſus, ut perturbator Reipublicæ, & publicæ pacis, ut impoſtor, ut dæmoniacus, ut miracula quæ faciat, faciat in Beelzebub principe dæmoniorum, & ſi quod aliud enorme crimen, hoc illi affingitur, & ſilet, & patitur, nec pugnat pro innocentia ſua; & inde in parte inferiori mœror ingens, ingens & tædium, quod auget aggravatque quarta illius cauſa.

IV. Ingratitudo ſumma.

Ea eſt ejuſmodi, ſumma hominum ingratitudo, à qua ingeneratur quoddam tædium in generoſa mente, quæ videt ſibi pro bonis reddi mala, & pro beneficiis maleficia, uti vidit, ſenſitque Chriſtus, qui Prophetæ regii calamo, oréque ſic queritur.

Pſal. 34. v. 12.

Reddebant mihi mala pro bonis, ſterilitatem animæ meæ; vel ut vertunt alii *anxietatem*, & tædium, vel ut Septuaginta, *orbitatem*: vix enim eſt homines inter qui meus eſſe vellet filius, etſi idcircò è cœlo

Joan. c. 1. v. 12.

deſcenderim, ut darem eis *poteſtatem filios Dei fieri*, quod ſummi beneficii loco fuit: ſed proh dolor! pudorque, qui filius eſſe potuit, inimicus & hoſtis eſſe maluit. Et inde in Chriſto mœror, & tædium, quod illius animam, ceu ſpina pupugit, ex quo & juſtæ querelæ.

Pſal. 31. v. 5.

Converſus ſum in ærumna mea dum configitur ſpina. Hebraicè *Qots*, à radice *Quots*, quod idem eſt ac *taduit & ſpina punctus eſt*; & rectè: ex vero enim ingratitudo ſpina eſt, quæ excelſum animum pungit & cruentat, & ita Chriſti animam pupugit, ſauciavitque, quod efficacius & clarius explicat alia verſio, quæ habet:

Verſatus ſum in vaſtitate mea, in Confixionibus ſpinæ.

Quaſi diceret Salvator optimus. Volutatus ſum quaquaverſus, & undique ſpinas reperi, à quibus pungi cœpi, unde & vaſtitas mea, vaſtari me quippe ſenſi, & quidquid virium erat ſive in corpore, ſive in animo diripi, ut ſolet civitas capta ab hoſte, cui & clades, & cædes, & vaſtitas infertur, & ita mihi illata ab ingratis.

Et hæc quarta tædii cauſa.

V. Impœnitentia finalis.

Acceſſit & quinta à Judæorum Impœnitentia, de qua queſtus eſt Chriſtus, iſta Jeremiæ voce:

Attendi, auſcultavi, nemo quod bonum eſt loquitur, nullus eſt, qui agat pœnitentiam ſuper peccato ſuo, dicens, quid feci? Cap. 8. v. 6.

Attendi, inquit, animo intento *& auſcultavi* patentibus auribus, & prope nemo fuit qui quod bonum erat loqueretur, pauciſſimi, & fortè vel unicus Centurio, iſque Gentilis, qui diceret,

Verè filius Dei erat iſte. Pauci qui reverterentur, Matth. c. 27 tundentes pectora ſua, pauci quos facti pœniteret, v. 54. quos terreret tanti facinoris enormitas, quos moveret vel ipſa inſita homini humanitas, & mutuus ſanguis, & ſanguis innocens.

Pergit Jeremias, vel potius per Jeremiam Chriſtus: *Omnes converſi ſunt ad curſum ſuum:* quaſi Suprà. equus impetu vadens ad prælium; ad curſum, inquam, ſcelerum ſuorum, in quæ volverentur, ac præcipites irent ut equus in prælium: ſic & ipſi in prælium contra Chriſtum Domini, contra Deum ipſum, in hoc deteriores, & pejores ipſis animalibus, quæ nôrunt, atque obſervant tempus ſuum, tempus ſibi opportunum.

Ita milvus in cœlo cognovit tempus ſuum, turtur, & hirundo, & ciconia cuſtodierant tempus adventûs ſui.

Hæc ubi de animalibus illis ratione vacuis dixit, tum orationem convertit ad Iſraëlem, & ait: *Populus autem meus non cognovit judicium Domini*, nec tempus viſitationis ſuæ, reditusque ad Deum ſuum per pœnitentiam.

Audierant illud à Chriſto pium atque amabile: *Hieruſalem, Hieruſalem quoties volui congregare filios* Matth. c. 23. *tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub* v. 37. *alas, & noluiſti.* Audierant, inquam, ſed ſurdis auribus, ſurdo atque obdurato animo.

Audierant deinde & iſtud dirum ac tremendum: *In peccato veſtro moriemini*, nec tamen exhorruerant, Joan. c. 8. nec ad ſe, nec ad Deum redierant: & inde Chriſto v. 21. mirum quantum amanti eorum in melius converſionem ac ſalutem, mœror, ac tædium: populo autem rebelli, ac pervicaci miſeria, calamitas, & ſtrages primùm in hac vita, dein in altera.

In illa quidem, quando poſt annos quadraginta Titus Imperator Hieroſolymam obſidet. in eos, eorumque filios Dei vindicta incubuit; à Tito enim, & everſa Solyma, & Judæi omnes in ea congregati, vel trucidati ſunt, & in crucem acti, vel ſub corona venditi, & quidem leviſſimo pretio, videlicet triginta homines uno argenteo, pœna talionis, ut quomodò triginta argenteis unicum Dei Judæi triginta uno argenteo veneunt. Filium emerant ad mortem, ipſi omninò triginta argenteo uno venderentur ad ſervitutem, & perenne exilium. Nimirum ut rectè S. Cyrillus Alexand.

Peccati ſui pœnas luunt trementes, ut Caïn, ubique In Gen. c. 16 *hoſpites & advenæ*, utpotè nullius patriæ, in quo etiam mortalium omnium infeliciſſimi: ſi enim græca parœmia felices dicuntur, qui duplicem nacti ſunt patriam, profectò infeliciſſimi, qui nullam, uti Judæi, qui ubique extorres, ubique exules. Et hæc magna omninò eſt maledictio; ſed longè maxima, quòd nec in Cœlis unquam erit patria. Qui enim ea eſſet iis, quibus eſt finalis impœnitentia, cui pro ſua bonitate, dum ingemiſcit Chriſtus, etiam tædium patitur, patitur & mœrorem: ut enim Evangeliſta. *Cœpit contriſtari, & tædere, & pavere.* Marc. c. 14.

III. PAVOR.

Ad illa verba: *Cœpit pavere.* Marci cap. 14. verſ. 33.

QUID SIT PAVOR, ET QUÆ ILLIUS SPECIES? Vel quaſi ſpecies, quæ & cauſa?

IN DIEM MERCURI.

Quid ſit Pavor?

EST *Pavor animi paſsio ad impendentia mala exhorreſcentis:* in Chriſto non fuit paſſio; ſed (ut loquuntur Theologi) *propaſsio*, uti nec aliæ *paſsiones*: ſed in eo *propaſsiones*: eſt autem inter paſſiones, & propaſſiones id diſcrimen, quod paſſiones voluntatem & rationem ferè præveniant, adeóque neceſſariæ ſint, ut in nobis: propaſſiones verò ſequantur, & ſic in Chriſto ſecutæ ſunt, & quidem liberè: ut enim D. Auguſtinus:

Tract. 49. in Joan.

Chriſtus non animi infirmitate, ſed poteſtate turbabatur, & triſtabatur. Unde ſi cœpit pavere, cœpit quando voluit, & quouſque, quantuméque voluit, facta ſcilicet poteſtate illi paſſioni, quam in ſua manu atque libertate ſic habebat, ut laxaret cùm vellet, & retineret cùm vellet; non ſecus ac feram in vinculis herus ſolet, cum eo tamen diſcrimine, ut laxet quantum volet, contineatque ſemper ſub rationis ac voluntatis ſuæ imperio.

Chriſtus non habuit paſſiones; ſed propaſſiones.

Hinc aliqui eam voculam *cœpit*, ſcribunt ſine diphtongo, & legunt *cepit*, ut idem ſit quod accepit: voluntate ſcilicet, non neceſſitate, prout David in Chriſti perſona aiebat de morte. *Ego dormivi, & ſomnum cepi*; in poteſtate ſcilicet, eo utens velut ſervo, & mortem accipiens, quando, & quomodò voluit; uti & alia morti prævia, ut triſtitia, tædium, pavor: Sed quantus, inquies, ille?

Pſal. 3. v. 6.

Quantus in Chriſto pavor?

Aperiet ipſe ore calamoque Davidis; ſic enim ad nos: *In me tranſierunt iræ tuæ*, ô Pater Æterne, & hoc quia volens peccatoris ſpeciem induit, *& terrores tui conturbaverunt me, circumdederunt me ſicut aqua tota die, circumdederunt me ſimul.*

Pſal. 87. v. 17.

Ut rupes in medio ſævientis oceani ſita, hinc ventis quatitur, inde fluctibus alluitur, inde procellis concutitur, atque intumeſcentibus undis tegitur, atque obruitur: ſic & Chriſtus in Paſſione, ceu tormentorum oceano, hinc triſtitiæ undis, inde tædii fluctibus, & inde pavoris procellâ impetitur, ac verberatur, & quidem iis omnibus, ad horas ſine ulla intermiſſione, ſine ulla mora circumdatur, ſic ut nulla afflicto cordi relinquatur quies: urgent enim, atque inſtant hi duo affectus etiam contra naturam, & propè miraculo; nec enim in eodem ſubjecto ſimul eſſe poterant, triſtitia, & pavor, uti ex Philoſophiæ regulis oſtendit S. Thomas, quia pavor eſt mali futuri, triſtitia verò præſentis, unde ex ordinaris naturæ lege atque ordine, alter affectus alterum excludit; at in Chriſto admiſit, ut magis augeretur, atque affligeretur, uti magis patebit ex ſpeciebus pavoris, quæ à SS. Damaſceno, & Gregorio Nyſſeno recenſentur, & quidem numero ſex: è quibus

Quæ ſpecies pavoris?

I. *Terror.*

Prima eſt *Terror*, ortus ex inſuetæ novæ & terrificæ rei clara & viva contemplatione, qualis in Chriſto fuit, ad novam & horrendam impendentium malorum faciem, quæ ſeſe illius menti objecit; potiſſimùm verò mors ipſa Crucis, à qua abduci à Diſcipulis omnibus, de quibus in extrema illa, quæ ei in horto fuit oratione, dicitur *avulſus ab eis*, ut illata quodammodò vis notetur; ſed alia longè major in Cruce, cùm & à Diſcipulo, quem diligebat eſt avulſus, & à Matre, quæ Cruci aſtabat: quæ ſanè avulſio etiam ſola, mortem afferre potuit, & Filio, & Matri.

Tempore Michaëlis Palæologi Conſtantinopolitani Imperatoris, Turcis Provincias Romanas vaſtantibus, in ea direptione hoc accidit, ut commemoratione, ſic & commiſeratione digniſſimum.

Amor ſororum in mutuo amplexu mortuarum.

Sorores duæ adoleſcentulæ, cùm diverſis dominis ſorte obtigiſſent, jamque ab invicem eſſent divellendæ, ad ultimum vale in mutuo amplexu expirârunt.

Quod in illis amor potuit, dolorque, hoc etiam à fortiori potuit in Chriſto, & Diva Matre, in quibus & intenſior fuit amor, & dolor vehementior cùm à ſe invicem disjungi atque avelli debuerunt: & hoc à morte, quæ ex eo dolori eſſe potuit, & pavori, & terrori; dum & Filium, & Matrem ſeparaſe debuit amara mors.

Addo etiam pavori, etiam & terrori Chriſto fuiſſe ſeparationem animæ à corpore, ſeu partium, quæ eo fuerunt inter ſe nexu, eo amoris vinculo, inter ſe colligatæ, ut ab invicem ſeparari, fuerit acerbiſſimum: & quia ſic ſeparari mors fuit, & terribilium omnium terribiliſſimum fuit.

Lib. 9. de civit. c. 14.

Nota eſt Auguſtino, & aliis Ariſtippi Philoſophi reſponſio, ad nautarum fæcem, qui ejus pavorem, terroremque irridebant, vel ex eo, quòd naufragium extimeſceret; ſic enim ad illos:

Ariſtippi Philoſophi acuta reſponſio.

Vos quia vilem, & nullius pretii ſortiti eſtis animam, ſortiti & vitam abjectiorem, nihil mirum, ſi ejus jacturam non pertimeſcitis: ego verò nobilem, & ſapientiæ opibus pretioſam nactus, meritò eam dimittere perhorreſco.

Hæc ille fortè non ſine nævo, & ſpiritu vanitatis, quæ tamen in Chriſto ex veritatis pondere, genioque altiore.

Vita enim illius, uti & anima, ſummè erat amabilis, ſummè Sancta, ſummè pretioſa, & pretioſior etiam ſola omnibus & animabus, & vitis omnium omninò hominum, adeóque plus & doloris, plus & pavoris, plus & terroris ejus jactura afferre potuit, ac debuit. Et hæc de prima pavoris ſpecie, quæ fuit terror.

Secunda dicitur *Pudor*, eſtque ex timore vituperationis, quam dum animo, & cogitatione præſentit Chriſtus, exclamat non ſine doloris pudoriſque ſenſu: II. *Pudor.*

Improperium expectavit cor meum, & miſeriam: *Pſal. 68. v. 21.*
jungit improperio miſeriam: ex vero enim ſumma eſt miſeris improperiis & contumeliis onerari, & devenuſtari; maximè ſi iis cauſam non dederis, uti non dederat Salvator Optimus, cujus ea ad Patrem querelæ.

Tu ſcis improperium meum, & confuſionem meam, & reverentiam meam: Alii *ruborem meum*, & hinc, *Supra 22.*

Tertia *Pavoris* ſpecies, eſt verecundia, & rubor: III. *Rubor.*
& hic, & illa Chriſtum invaſit quàm maximè, propter admittendum dedecus: præſciebat enim juratos ſibi hoſtes, non verbis tantùm in ſe ſævituros; ſed infami nuditate, illuſionibus, & pudenda morte in Cruce; veluti latronis, ſeditioſi, perduellis, ſacrilegi,

Digitized by Google

ſacrilegi, cui append etur illud lemma, *Maledictus, qui pendet in ligno:* imò & ipſa maledictio, à qua factum ut *Crucis* nomen apud Judæos infandum eſſet, illudque proferre neſas, oeſas & ſcribere: hinc ſi aut proferendum eſſet, aut ſcribendum, pro hac vocula *Crucis* ſubſtituebatur illa, *Lignum*, quod auribus mollius accidebat.

Crucis nomen olim ut infandum.

IV. Cunctatio.

Quarta pavoris ſpecies, eſt *Cunctatio.* Prævidebat Chriſtus, quantum, & quàm immane eſſet futurum pondus Crucis, & quanti tormenti eſſet eam bajulare laceris humeris, conſcendere Calvariæ verticem, exhauſto corpuſculo à ſudore & ſanguine, urgentibus etiam per ſummam immanitatem carnificibus, & inde aliqua *cunctatio* expreſſa etiam bis verbis objecto jam calice. *Pater tranſeat à me calix iſte.* Tranſeat cunctatio juncta cum tædio, & animi moleſtia, qua ſub onere tanti mali fatiſcens, cunctari, reſtitare, differre, & refugere, quodammodo videbatur.

V. Horror.

Quinta eſt *Horror*, qui tres integras horas exercitum habuit Salvatorem in Horto Gethſemani, non ſine ſudore, & ſanguine. Is pro objecto habuit præcipuè extenſionem ejus in Cruce membrorum omnium, in ea ſuſpenſionem muſculorum, nervorumque tortionem, & totius corporis luxationem, quam & natura horret, & auget dolor, & pavor gignit, à quo ſuccedit

VI. Tremor.

Sexta ſpecies, quæ eſt *Tremor.* Contingit autem is ex concuſſione gravi, & letali ſuccuſſione concupiſcibilis facultatis, & unà artuum, membrorumq; omniũ, quæ ſanguis & vitalis calor defecerat, nec non fremitu à planta pedis, uſque ad verticem capitis. Sanguis quippe (ut aſſolet) ad nobiliorem partem, videlicet Cor tanquàm vitæ fontem, & vitalis motus originem, ipſo naturæ ductu affluit, opem in periculo laturus membrorum principi.

Cor igitur infremit, tremitque: ſubinde etiam alia membra, ſanguine deſtituta rigeſcunt, palleſcunt, & horrido tremore concutiuntur.

Et ita à tremore concuſſa ſunt in Chriſto.

Cauſam quæris, atque objectum? Dicet Pſalmiſta interprete Origene, quia *Aſtiterunt Reges & Principes convenerunt in unum adverſus Dominum & adverſus Chriſtum ejus.*

Pſal. 2. v. 1.

Et hinc in eo pavor, horror, & tremor, ad tot, tamque potentium adverſariorum truculentam rabiem, ad immania ſupplicia, ad Crucis immite tormentum, quod erat in oculis.

Nec mirum, quia etſi in Chriſto vis eſſet infinita, & divina, quæ eſſet reſiſtendo, tamen eam quodammodo ſibi ſubtrahebat ipſe, & Humanitatem ſuam ſibi relinquebat, omnique humanæ paſſioni, à qua in periculis, ipſaque mortis imagine oriri ſolet & horror, & tremor.

Et ità ortum audivimus in magnis Heroibus, excelſiſque mentibus.

Sanctium Navarræ Regem, virum alioquin ſtrenuiſſimum, & inclytum belli ducem, cunctis artibus tremere ſolitum referunt, ubi ad arma conclamaretur.

Sanctii Regis tremor.

Cumque ei animos addere aulici conarentur, ſpemque fortunati exitus facerent.

Malè, inquiebat, me noſtis, ſi corpori huic meo fas eſſet preſcire quo diſcrimini animus meus hodie ipſum conjecturus eſſet, non tremeret modò, ſed rigore obſtupeſceret, atque omninò fatiſceret.

Quod de illo jactavit Antiquitas, hoc & de Carolo Cæſare hujus nominis V. retulit Zenocarus in ejus vita, eum quoties arma indueret, ſimul & tremorem induiſſe, animo ſcilicet ex tunc concipiente, quod adiret in acie periculum, à quo licet contremiſceret corpus; non tamen remittebatur & tremebat animus.

Lib. 5. vitæ.

Caroli V. Imp. tremor.

Quod ſi Heroës illi, quos avita ſuſpexit ætas, laudavitque, ad ludricam quaſi belli ſcenam contremuere, adque mortem, quæ ſi obeunda foret, momento ferè erat adeunda, & quidem vix ſine ſenſu: quid Servator optimus in illa paſſionis ſuæ ſcena, actuque tragico infandæ mortis? certè & animo horrere totus, & totis artubus contremiſcere debuit, & cor ipſum membrum utique princeps, & palpitare, & tremere, & propè diſcindi oportuit; cætera verò membra ad cordis, ceu Regis ſui, motum, eodem concuti neceſſum fuit.

Audivit *Ninive*, Civitas magna, Prophetam de excidio ſuo minitantem, & *diſſipata eſt, & ſciſſa, & dilacerata, & cor tabeſcens, & diſſolutio geniculorum.*

Nahum. c. 2. v. 12.

At quid excidium Ninive, imò quid totius Univerſi, præ excidio Chriſti?

Ninive commotio.

Quod ſi pro illo pavor & tremor, ſi cor tabidum, ſi genua diſſoluta: quis & pavor & tremor in Chriſto, cùm in oculis habuit excidium ſuum, & quidem ejuſmodi? profectò non genuum tantùm, non labiorum, ſed & membrorum omnium, & totius corporis, etiam & cordis, cui ne verbis meis ſola fides, illum audi triſti nænia apud vatem Jeremiam: ſic ibi.

Contritum eſt cor meum in medio mei, contremuerunt omnia oſſa mea, in quibus tamen ferè eſt omne robur.

Cap. 23. v. 9.

Mitto alia pavoris *indicia*, quæ D. Chryſoſtomus audet aſſerere in Chriſto fuiſſe *ad decies mille*, adeo frequens, adeoque inuſitatus in eo pavor, & pavoris effectus, quos aut tollere, aut lenire, nemo omnium diſcipulorum potuit, opus fuit Angelo, qui è cœlo deſcenderet *confortans eum*: Ita nimirum ille ipſe, coram quo *columnæ Cœli contremiſcunt*, & contremuit ipſe totus, & ſolatio eguit.

In cap. 26. Matth. Hom. 84.

Job. cap. 26. v. 10.

IV.

Ad eadem verba: *Vidi librum ſcriptum intus & foris.*

SS. EUCHARISTIA LIBER EST.

IN DIEM JOVIS SANCTI.

IN explicatione hujus loci, retuli alias atque alias Interpretum opiniones, quas inter etiam una hæc fuit, SS. EUCHARISTIAM eſſe *Librum* illum: quod ſi liber eſt, videamus quid in eo ſcriptum ſit *intus*: nam quid *foris*, patet ad oculum, ſpecies eſt panis, ſpecies & vini, uti in hoc & illo, color, odor, ſaporque, aliaque accidentia quæ SS. Chriſti Corpus, & Sanguinẽ tegere quodammodò & velare videntur, & ſenſibus quaſi ſubjicere, nempe color oculis, odor naribus, ſapor guſtui, alia etiam tactui objiciunt, & aliud nihil, in quo ſenſus ipſos fallunt, & qui ſi errant, piè errant.

SS. Euchariſtia liber eſt.

Iis proinde omiſſis, pervado ad ea, quæ *intus* in eo Libro ſcripta ſunt, & ſenſus fugiunt.

Ea duplicis ſunt generis, ut videbitur ex dicendis.

IN SS. EVCHARISTIÆ LIBRO, quid ſit ſcriptum intus?

Miracula in genere naturæ.

PRIMUM MIRACULUM.

I. A forma Conſecrationis. EST à *Forma conſecrationis*, quæ eſt *Practica*, id eſt quæ operatur, quod enuntiat. Ea in conſecratione panis eſt ejuſmodi: *Hoc eſt enim Corpus meum*: vix ultimam ſyllabam extulit Sacer Myſtes, cùm Chriſti Corpus factum eſt. Simili ratione in conſecratione vini: *Hic eſt calix Sanguinis mei*, cùm ecce Sanguis Chriſti eſt. Nempe & hæc, & illa facit, quod dicit, quod eſt eſſe *Practicam*, & in quo miraculum magnum, majus etiam eo, quod prima vidit ætas, in qua cùm Author naturæ dixit: *Fiat*, factum eſt. *Fiat Lux, & facta eſt. Fiat Firmamentum, & factum eſt. Fiant Luminaria magna, & facta ſunt.* Tantum potuit vel unica Creatoris vocula, *Fiat*.

Audeo dicere majus aliquid pauculæ voces Sacrificantis. Dicit ille vice Chriſti, & in perſona Chriſti: *Hoc eſt Corpus meum*, & facit ſub ſpecie panis eſſe Chriſti Corpus. Dicit, *Hic eſt Calix Sanguinis mei*, & facit ſub ſpecie vini, eſſe Sanguinem Chriſti, unáque per concomitantiam (ut loquuntur Theologi) ſub ſpeciebus panis, & vini, & animam Chriſti, & junctam illi Divinitatem, ſimulque totum Chriſtum quantus quantus eſt in dextera Patris. An non illud miraculum? Enimverò longè maximum, atque ejuſmodi, ad quod omnis natura ſtupet, tremunt Angeli, horrent & gemunt inferi.

Ecquid enim, ſi Cœlum ipſum aſtupuit, ipſæque Cœlorum motrices Intelligentiæ miratæ ſunt, præter & ſupra naturæ curſum ſtare ſiſtique Solem, & Lunam, ad illas Joſue voces: *Sta Sol, & Luna, ne movearis contra Gabaon, Deo obediente voci hominis.* Quidni mirentur ad pauculas Sacerdotis voces, & ſiſti, & ſtare *Deum-Hominem* ejus inter manus, Deo pariter obediente voci hominis?

Si Judæi, dura capita, & indomitæ cervicis homuli, extulerunt illud magnificum de Chriſto.

Quis eſt hic, quia venti & mare obediunt ei? Quid dicturi, ſi verbis Chriſti credidiſſent, ſi in animum admiſiſſent illud dictum Apoſtolis, & in iis eorum in eo ordine ſucceſſoribus: *Hoc facite in meam commemorationem?* Enimverò dixiſſent admirantis illud: Quis eſt hic, quia Chriſtus obedit ei? quia homo alter eſt in terris Chriſtus, quia homo Deus alter eſt, non natura, ſed communicatione Divinæ poteſtatis: facit enim in terris, quod Chriſtus, quod *Deus-Homo* fecit, & quidem non tantùm ſemel, ſed quoties lubuerit: Chriſtum enim in manibus ſiſtit quoties ad aras ſacrificaturus ſe ſiſtit. Quod & quale miraculum? Profectò tale, quo majus nec terra tulit, nec cœlum aſpexit, nec videbit ipſa quanta eſt æternitas.

Et hoc primum Miraculum, quod in Eucharistico Libro intus ſcriptum: en tibi

SECUNDUM MIRACULUM.

II. A Tràſubſtantiatione. EST illud à Tranſſubſtantiatione, hoc eſt à tranſitu unius ſubſtantiæ in aliam: Ubi enim Sacerdos, quaſi Chriſti voce atque oraculo pronuntiavit Sacratiora illa Verba: *Hoc eſt Corpus meum. Hic eſt Calix Sanguinis mei*, mox eodem ipſo inſtanti ſubſtantia panis & vini deſinit, ipſaque & hujus & illius materia, cæteroquin ingenerabilis, atque incorruptibilis, in nihilum abit, & tam huic, quàm illi ſupponitur ſubſtantia Corporis, & Sanguinis Chriſti. Et hoc & ingens, & inuſitatum in natura Miraculum.

Demus omnia conjurare elementa, demus efferam ſeu belluarum, ſeu hominum vim conſpirare; demus aſtra, & cœleſtes illas influentias, demus & motrices Cœlorum Intelligentias; denique demus ex erebo dæmones omnes in campum educi, & in unum conniti, ut vel unicam è tota natura ſubſtantiam, vel unum materiæ punctum in nihilum redigant, nunquam id aſſequentur, quantovis incũbant molimine, etiam ipſa ſi voles æternitate: adeò verum, fixumque illud: *Natura ut ſicut nihil exit è nihilo; ſic & nihil redit in nihilum.*

Et tamen hîc præter naturæ leges, & pacta, præter vim omnem Univerſi, præter omnia Philoſophiæ placita, in nihilum deſinit ſubſtantia, & materia panis, & vini, quod pro miraculo habet natura, & verior Philoſophia, qua judice etiam ſequitur

TERTIUM MIRACULUM.

EST illud, quod *accidentia & ſint & permaneant ſine ſubjecto.*

Fuit olim, eſtque modò in Ariſtotelis ſchola pronuntiatum: *Accidentis eſſe, eſt ineſſe.* Ideoque cenſuêre priſci Accidens eſſe non poſſe, niſi alteri inſit. III. Ab accidentibus ſine ſubjecto.

Hîc autem ſecus omninò fit: nam & ſpecies Sacramentales, hoc eſt albedo, quæ uſurpatur oculis; figura ſphærica, quæ tangitur; ſapor, qui guſtum afficit; odor, qui odoratum recreat, eſt ſine ſubjecto, quod illis ſubſternatur.

Si oculis, ſi manibus, ſi linguæ, & palato, eſſet habenda fides, crederes iis accidentibus ſubſterni panem, & vinum: hoc enim nuntiant ſenſus, & errant, incautoſque fallunt quàm maximè: ſi enim audiatur Fides (uti profectò audiri debet, & quidem ſola) nec panis, nec vinum eſt: ſed tantùm hujus, & illius accidentia, quibus tegitur, & velatur Sacrum Chriſti Corpus, & Sanguis: & hoc eſt tertium Miraculum, ex quo emergit

QUARTUM MIRACULUM.

HOc videlicet, quod unum, idemque corpus ſimul exiſtat in diverſis locis, & quidem vel maximè diſſitis, uti eſt Oriens, atque Occidens; Septentrio, atque Meridies; imò Cœlum & terra. Nam idem Chriſti Corpus, & in Cœlo eſt ad dexteram Patris, & ſimul in Sacramento inter unius Myſtæ manus, & arãs. IV. A corpore in diverſis locis.

Et hic eſt lapis, ad quem offendit Calvinus; hic ſcopulus ad quem hæret, imò & alliditur hæreſis, dum non capit qui fiat iſtud, ideoque jactat antiquum illud, ac petulans: *Quomodò, quomodò?*

Exclamat id naturam non pati, & experientiam reclamare: hæc quippe docet unum deſeri locum dum acquiritur alter, & hoc verum eſt natura duce, comite Philoſophia: at ſupra hanc & illam eſt vis Divina, quæ corpus unum hic & ibi ſimul locat: quod docet, probatque Fides, ſubſcribitque Philoſophia Chriſtiana, ab illa probè docta.

Secundum hujus placita corpus aliquod poteſt eſſe in duobus locis: In uno *circumſcriptivè* (uti loquuntur Theologi) hoc eſt cum proportione, & commenſuratione ad locum, cumque ſitu, atque extenſione: In altero autem Sacramentaliter & *definitivè*, eo ferè modo quo ſpiritus, quo anima, quæ eſt tota in toto, & tota in qualibet ejus parte.

Et ita Corpus Chriſti in SS. Euchariſtia eſſe docet Fides, & avita Religio, quæ etiam hîc agnoſcit, ac ſuſpicit

QUIN-

QUINTUM MIRACULUM,

V. A corpore quaſi in puncto.

QUod eſt tale, quod in SS. Euchariſtiæ Sacramento Corpus Chriſti ad punctum quaſi redigatur.

Si infans aliquando, ſi deinde puer, ſi denique vir fuit: & retinuit eam corporis molem, quæ infantis, quæ pueri, quæ viri fuit: at in ſacramento exuit ſe omni mole, omni magnitudine, atque ad punctum veluti ſe reſtringit.

Ita ſe contraxit *Deus-Homo*, & ipſa quodammodo Divina immenſitas. Ne ſit injuria verbo, ne ſummo Numini detractum, puta benevole LECTOR, ſed audi quî fiat iſtud, & iſto loquendi modo explicatum velim.

Si daremus (quod tamen dari non poteſt) Divinum Verbum deſinere eſſe alibi: imò deſinere ubique eſſe: vi tamen Sacramenti adhuc eſſet in minima hoſtiæ parte, & velut in puncto ſi voles. Ecce quàm anguſta, ſimul & auguſta immenſitas, & quàm contractus quodammodo Deus: quem cœli non capiunt, caperet vel unicum punctum.

Et nos, puſilli homunciones, videri volumus & eſſe magni, & animo ambitioſo complecti propè Univerſum, ut in nos quoque cadat illud poëtæ de Alexandro:

Unus pellæo Iuveni non ſufficit orbis.

Sed ne longiùs. Diſcamus à Chriſto parvi eſſe in oculis noſtris, & in vocis, maximè verò in conſpectu Dei, cui nihil magnum niſi parvum. Deſcendo ad

SEXTUM MIRACULUM,

V. A nexu cum ſpeciebus.

QUod ex prioribus conſequens eſt, eſtque nexus aliquis Corporis Chriſti cum ſpeciebus Sacramentalibus, quo fit ut ſi moveantur illæ, & illud moveatur; ſi perſiſtant hæ, & illud perſiſtat: uti è contrario ſi corrumpantur hæ, & eſſe deſinant, deſinat & illud his ſubeſſe; imò ſi dividantur ſpecies, atque ab invicem ſeparentur, pars à parte, etiam Chriſti Corpus, quod in iis prius unitis ſemel tantùm erat, jam bis erit: imò & toties quot in partes ſpecies ipſas dividi contigerit.

Ecce nexus amabilis, in quo & Chriſti obedientiam demireris, & demiſſionem, ut qui non tantum ſiſti ſe patiatur ad vocem hominis, ſed tamdiu lateat ſub ſpeciebus quaſi inſepultus, quandiu illas permanere contigerit.

Quod ſi quis inquirat, indagetque curioſiùs, qui fiat ille nexus? reſpondebo, quod ſit alta nox, in qua tamen, ſi quid affulgeat lucis, dicam cum nonnullis ex eo fieri, quòd ſpecies, & Corpus Chriſti ſint in loco per idem ubi: cum aliis, quòd eadem actione qua reproducitur Chriſti Corpus, conſerventur & ipſæ ſpecies.

Et iſta de miraculis SS. Euchariſtiæ in genere naturæ. Tranſco ad alia etiam in ea *intus* ſcripta.

SS. EUCHARISTIÆ
Miracula in genere moris.

MIracula ſcripta *intus* in SS. Euchariſtiæ Libro diſtinxi in ea, quæ ſunt in *genere natura*, hoc eſt in opera ſupra naturam, quæ potiùs admirabilitatem cauſant, quàm imitationem; & illa, quæ ſunt in *genere moris*, hoc eſt, in opera magnarum virtutum quæ miracula dixi, quia multam habent admirabilitatem, & ſunt ſupra communem modum atque ordinem in ſuo genere: *Moris* autem, quia conducunt ad mores ritè formandos. His ita conſtitutis, ſit

PRIMUM MIRACULUM,
Amoris Miraculum.

HOc Miraculum eminet potiſſimùm in tribus. Primùm in eo, quòd ſe Deus fecerit hominem.

Secundùm, quòd ſe homini redimendo dederit in pretium.

Tertiùm, quòd eidem alendo ſeſe effuderit in cibum, & potum. De hoc uno in præſens mihi erit diſceptatio, cui initium dabit D. Joannes Chriſti Scriba, cujus & hoc effatum de hoc ipſo argumento:

Cùm dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Toletus vertit uſque in finem, ſeu terminum Amoris, ultra quem progredi non poſſit, & cui pro lemmate inſcribi potuit auguſtum illud: *Non plus ultra.* Cap. 13.

Antiquis conviviorum fuit, quod græcâ voce dicebatur τέλος φιλίας, hoc eſt finis amicitiæ.

In eo hoſpes ſibi è vena Sanguinem elicere, calice excipere, bibereque ex eo primùm ipſe, tum etiam aliis bibendum tradere: & hoc inter mortales creditum fuit veluti finis amoris, finis amicitiæ, ultra quem abire non poſſet: quò enim ultra, quam ultra Sanguinem, in quo eſt vita?

Et illud fuit Amoris miraculum, quod in Cœna, quæ Chriſto fuit ultima, viderunt, amâruntque Diſcipuli, & quod deinde etiam Fideles per annos, & ſæcula, & quidem non uno loco, non unica die, & hora; ſed orbe toto, omnique ſub Sole, omnique homini, ſit ille Sanctus, ſit ille ſceleratus, Amoris convivio, Amoris miraculo nil intereſt. Quid facias? Amor eſt, atque etiam (verbo abſit injuria) cœcus.

Urbani Pôt. oraculum de Euchariſtia.

Quod dum ſuſpicit, atque amat *Urbanus Pontifex* hujus nominis IV, hoc protulit oraculum, quo SS. Euchariſtiam appellavit *Præcipuum, atque inſigne memoriale Amoris Chriſti.* Quod D. Bernardus compendio dixit, *Amor amorum*: & rectè; quid enim aliud ſit in quo eſt infinitè bonum? Serm. de Cœna Dñi.

S. Angelæ de Fulginio amor in Euchariſtiam.

Ad Sacram Synaxim accedebat aliquando *Beata Angela de Fulginio*, cùm hæc illi Chriſtus: *O dilecta mihi filia, veniſti jam acceptura bonum omne imaginabile.*

Hîc oculos, hîc animum ſiſte, MI LECTOR, & ſuſpice in SS. Euchariſtia Amoris Divini Miraculum, ſuſpice & compendium. In quo ſit illud quæris? in eo certè quod ſit in eo *bonum omne imaginabile*; ſeu quod in terris aliquandò fuit, ſeu quod modò eſt in Cœlis.

In terris Sacrum Chriſti Corpus compactum olim è puriore Virginis Sanguine, non alio niſu, alióve molimine, quàm Divini Spiritûs.

In terris & grandis anima hoſpes, comeſque corporis, imò & illius forma, à qua, & in qua omne bonum in creatis repoſitum.

In Cœlis autem Patris Æterni Verbum, & corpori, & animæ hypoſtaticè unitum, quod cùm dico, dico *omne bonum* quod eſt in Cœlis: dico enim Divinam eſſentiam, dico & SS. Triadem, dico Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum; tres utique Perſonas, quæ una ſunt cum Verbo: ubi enim hoc eſt, & illæ quoque ſint eſt neceſſe. Adeoque & *bonum omne*, adeoque & objectum omnis boni, ſummi boni, infiniti boni: & inde omnis amor, ſummus amor, infinitus amor, atque (ut omnia verbo uno dici patiaris) *Amoris Miraculum, Amoris compendium*, cujus probè conſcius *S. Philippus Nerius* in extrema ægritudine, dum cellulæ inferretur SS. Euchariſtia, erumpere cœpit in hæc paucula: *Ecce amores meos: Ecce bonum meum unicum. Date quàm citiſſimè, date amores meos.* Dixit, & in terris amare deſiit, ut æternùm amaret in Cœlis.

S. Philippi Nerii amor in Euchariſtiam.

II.
Obedientiæ Miraculum.

Divi Patres in ſuis aſceticis in Obedientia ut perfecta ſit, tria requirunt. Primùm ut *Prompta* ſit. Alterum, ut *Cæca*. Poſtremum, ut *Fortis*. Et eam legere eſt in Libro Euchariſtico, & quidem

Obedientia Chriſti in Euchariſtia.

Primò Obedientia Chriſti, quàm promptiſſima: vix enim Sacerdos ad Aras pronuntiavit ultimam ſyllabam illius Formæ Sacratoris, cùm ecce ſub panis ſpecie ſe ſiſtit Chriſti Corpus, adeoque per concomitantiam etiam anima, & Divinitas.

Et ſic deinde ſub ſpecie vini Sanguis, unàque & Corpus, & anima, & Divinitas, quaſi hujus, atque illius comes individua. An non illud Obedientiæ promptæ Miraculum? Enimverò Miraculum.

In prima hujus ſpectabilis orbis molitione è nihilo emergens natura obſtupuit, & terræ molem, & liquida maria, & expanſum aërem, & ſphæram ignis, & Cœlos ipſos, ſparſaq; illis ſydera, & Solem, & Lunam, ceu luminaris magna, evocata ex abyſſo nihili, unica duntaxat vocula, *fiat*. Dixit enim Deus *Fiat, & facta ſunt*: ſicque dicere Dei, fuit & feciſſe.

Magnum omninò Miraculum Obedientiæ promptæ: ſed audeo proferre in Euchariſtia majus: in illo enim dicere fuit Dei, ideoque nec mirum, ſi dicere fuerit & facere: at in hoc dicere eſt puri hominis, & tamen ut tale ſit, eſt & facere.

Dixit enim, *Hoc eſt Corpus meum*, & eſt: *Hic eſt Sanguis meus*, & eſt: quod enim dicit, hoc & facit, & quidem quàm promptiſſimè in momento tēporis.

En Obedientia *prompta*, viden ut etiam *cæca*: hæc enim abſolutiſſimæ obedientiæ pars altera.

Cæcam appellamus obedientiam, quæ non videt, non expendit cui obediat, nec attendit quis de ſorte ſit, quáve de ſtirpe, Senatorius an plebejus, quo animo, quis virtute clarus, aut quo vitio obſcurus: ſed hoc unum quòd ſacer myſta, cui parere certum eſt.

Sit ille de vulgo, ſit de primis ſubſelliis, ſit in byſſo, & purpura: ſit in ſacco & cinere, ſit rudis, & bardus, ſit alter Plato, ſit alter Ariſtoteles; ſit denique ſanctus, aut ſceleratus, Chriſto in Euchariſtia obedienti nihil intereſt. Obedire tantùm intereſt. *En obedientia cæca*. Vis etiam ut *fortis*, atque conſtans: & hanc quoque in libro Euchariſtico leges, atque ſuſpicies, & hoc quidem ex multis omninò capitibus.

Primum ex longævitate, quod ſcilicet jam inde à naſcente Eccleſia, hoc eſt à mille ſexcentis, eòque amplius annis, totque ſæculorum lapſu nec interrupta, & hoc ad uſque mundi confinia, ad occaſum uſque Univerſi.

Secundò, quod omni tempore, omni hora, & propè momento, omnique loco, omni ſub ſole, *Europa, Aſia, Africa, America*: ſi enim verum eſt (uti reipſa demonſtratum eſt in Charta geometrica) in ſola minima Societate noſtra, quod ſol nunquam occidat ſuper Miſſæ Sacrificio, quod ubique terrarum à ſociis offertur: quid erit ſi adjunxeris religioſos omnes, Sacerdotes omnes, toto Orbe ſparſos, quibus omni tempore, omnique loco obedire Chriſto in Euchariſtia certum eſt? En ſanè fortem, en conſtantem obedientiam.

III.
Patientiæ Miraculum.

Hoc elucet in multis.

Primùm in eo, quòd Euchariſticam Cœnam communem eſſe patiatur, & bonis, & malis; injuſtis æquè ac juſtis.

Tertullianus, altiore ut aſſolet ſtylo, Dei patientiam ex triplici capite commendat.

Primum ex eo quòd *florem lucis hujus ſuper juſtos, & injuſtos æqualiter ſpargat*. *Lib. de Patientia 2.*

Alterum ex eo quòd *ſuſtineat ingratiſſimas nationes, ludibria artium, & opera manuum ſuarum adorantes. Inſuper Luxuriam, Avaritiam, iniquitatem, malignitatem quotidie inſoleſcentem*.

Poſtremum quod *ſua patientia ſibi detrahat: plures enim idcirco Dominum non credunt, quia ſæculo iratum tamdiu neſciunt*.

Et ex his tribus capitibus mirè probatur eximia Chriſti in Euchariſtia patientia. Patientia Chriſti in Euchariſtia.

Ecquid enim, an non in ea Sol Chriſtus? an non ſole infinitè potior, ac lucidior? An non flos lucis æternæ, lucis increatæ, lucis Divinæ? An non flos, & fons lucis omnis, etiam beatæ? Enimvero & flos & fons lucis omnis, & tamen ut is ſit, eum *lucis florem, ſuper juſtos & injuſtos æqualiter ſpargit* illuſtri divinæ patientiæ miraculo, quod vidit, & obſtupuit ea quæ prima fuit Euchariſtica cœna, in qua ſeipſe Chriſtus dedit & Apoſtolis, bonis utique mentibus, & Judæ infando proditori atque Apoſtatæ, qui ut aureè & nervosè D. Chryſoſtomus, *edebat cum pane cædem, & ſorbebat cum ſanguine potionem inter epulas carnifex*.

Alterum patientiæ caput in epulo Euchariſtico eſt, quòd in eo Chriſtus *ſuſtineat ingratiſſimas nationes*, ludibria artium ſuarum adorantes: quæ ſint illæ quæris? tot ſunt, quot hæreſum ſectæ, ceu unius hydræ capita, quæ alia ex aliis pullulant, *adorantes ludibria*, non dico *artium ſuarum*: ſed delirantis phantaſiæ, quâ & ſibi, & aliis illudit improbè.

Quæ porro ſint illa, & quàm varia, ſi aves noſſe, accipe ex Bellarmino, & aliis, qui ſuper hæc paucula verba, *Hoc eſt Corpus meum*. Pluſquam ducentas opiniones, veriùs hæreſes, recenſent, veluti totidem aberrantis phantaſiæ ludibria, atque deliramenta: & tamen ut ea ſint, inſigni patientia ſuſtinet Chriſtus, & per tot ſæcula jam ſuſtinuit.

Accedit *Avaritia, Luxuria, & malignitas inſoleſcens* etiam in ipſis catholicis, qui iis vitiorum monſtris horridi, nihilominus ad Sacram Euchariſtiam præſumūt accedere: imò quod horreas magis, ac deteſteris, ſubinde & ipſi myſtæ iis ſceleribus infames ad Miſſæ ſacrificium advolant, ex hara ad aram, ex lupanari ad Chriſti menſam: quod aliquando non ſine ſtupore, & gemitu ſpectavit D. Thereſia.

Intererat hæc ſacrificio cujuſdā ſacerdotis, letalis culpæ rei: aderant & dæmones horrida ſpecie, qui illius fauces & ora cornibus circumſtringere videbantur, & tamen Redemptor optimus in manibus ſacrificantis, adeóque medius inter tartarea monſtra, eſſe ſuſtinebat, & ſe ibi ſpectabilem, & multa luce coruſcum oſtendebat, & ſic ad Tereſiam. S Tereſia Sacerdotis ſcelus videt.

Hoc ſpectaculum oſtendere te volui, ut bonitatis meæ ſimul & patientiæ magnitudinem pervideres, qua fit ut meipſum inimici mei arbitrio permittam, & manibus impuris tractari me patiar, nec perdam cùm poſſim ſceleſtum caput.

Et hoc eſt alterum patientiæ miraculum, quod in SS. Euchariſtiæ Libro legendum nobis exhibetur, augeturque etiam ex eo quod in alio caſu pronuntiavit Tertullianus de Chriſto.

Contumelioſus ſibi eſt, & à ſervo tingitur, & tentatoris congreſſus ſolis verbis repelit. *Supra.*

Audax, inquies, & liberum pronuntiatum, verum tamen, ſi ex rationis humanæ placitis ea res foret æſtimanda: Dominum quippe à ſervo tingi, videtur aliqua tanto nomini contumelia; & pariter tentatoris, id eſt diaboli congreſſus, non reipſa, ſed verbis tantùm repuliſſe, & injuria videtur, & contumelia Summo Numini.

Quod

Digitized by Google

Quod ſi Tertulliano cenſore, atque judice, ea eſt contumelia, ea eſt injuria, quanta erit & hæc, & illa, quod idem ipſe Dominus & permittatur inimici arbitrio, & impuris tangatur & quodammodò polluatur manibus.

Ecquid enim ſi à ſervo tingitur, is eſt *Ioannes Baptiſta*, quem ubi dieo, Propbetam dieo; imò & Angelum. At hîc ab inimico tractatur, atque à jurato ſibi hoſte, ab infami & ſacrilego Sacerdote, quo cùm eſt tentator, hoc eſt diabolus, cujus quodammodò manibus, & arbitrio permittitur, dum impuri Sacerdotis manibus permittitur.

Et in hoc non erit Chriſtus ſibi contumelioſus, non erit injurioſus? Erit profectò ſi res ea humano judicio penſetur, non ex cœleſti. Divinaque Salvatoris patientia, cui nihil injurioſum, nihil contumelioſum videri poteſt, quod ſibi patientia præfixerit.

Venio ad tertium patientiæ illius caput, erit illud quod in Deo ſummum eſſe voluit Tertullianus, & quod etiam in Chriſto ſummum eſt, nempe quod *ſua ſibi patientia detrahat. Plures enim idcirco Domino non credunt, quia ſæculo iratum tamdiu neſciunt.*

Ecquid enim, an ſibi in Euchariſtia Chriſtus non detrahit ſua patientia? an, non plures idcirco non credunt Chriſtum in ea eſſe; *quia iratum tamdiu neſciunt.*

Infideles ſunt, increduli, ſacrilegi, impii in illum, & tamen iratum neſciunt, ſuſtinet enim illos invictâ ſanè patientiâ.

De perverſis Catholicis jam vidimus: uti etiam de Hæreticis: ſupereſt ut ſpectemus de magis, & ſagis. Hi enim vel maximè exercent Chriſti patientiam in Venerabili Sacramento, uti jam oſtendemus.

SS. Euchariſtia. dæmoni offertur.

Anno Domini 1614. Mathias Minerus, & Dominica ſortilegii conſors, è Clarenſi ditione apud Helvetios in tormentis faſſi ſunt ſe divinas hoſtias ſuper ſacratiore menſa ritu Chriſtiano acceptas per ſpeciem purgandarum narium aut oris excepiſſe in ſudariolos, indeque conſervatas, dum appeteret nox indicta choreis, malo Dæmoni velut eximium munus obtuliſſe.

Sagorum, & ſagarum nefas.

Et hoc primum nefas, cui mox acceſſit & alterum: illius juſſu atque imperio proculcatæ hoſtiæ tum ab ipſis, tum ab infami ſceleſtaque turba cæterarum ſtrygum: denique cumulatæ execrandis ludibriis, & blaſphemiis.

Quid ad tantum nefas Cœleſte Numen? quid & Chriſtus ipſe latitans ſub eo Pane Angelico? An in eos fulmina de cœlo evibrat? an facit ut terra ſub eorum pedibus dehiſcat? an non ut dira capita abſorbeant inferi? Nil horum, omnes illas injurias, contumelias omnes patitur, & ſuſtinet; ſuſtinet & ſcelerata capita; imò quod mireris, & ames, ad pœnitentiam invitat, & provocat etiam illuſtri miraculo.

Faſſi enim ſunt dum hæc fierent, Sacroſanctum Chriſti Corpus, quod ſub ſpecie panis deliteſcebat, & magnam Sanguinis copiam effudiſſe, & Cœleſte quoddam lumen emiſiſſe, atque ex oculis evanuiſſe.

Sanguinem utique, quo eorum crimina elueret: lumen autem, quo mentem, atque intellectum illuſtraret altiore Fidei luce: quod certè non ſolùm patientiæ fuit in Chriſto; ſed & ſummæ miſerationis.

Plura qui volet, atque illuſtriora, conſulat ea quæ retuli Tomo 6. Operum meorum Tractatu de SS. Euchariſtia, in quo fuſiùs excurri in hoc ipſum argumentum.

IV.
Humilitatis Miraculum.

INcarnati Verbi demiſſionem ex aliis, atque aliis capitibus evicit Tertullianus.

Lib. de Patientia.

Primum ex eo, quòd *Naſci ſe Deus in utero patitur Matris, & expectat ad menſes omninò novem*, quibus utero materno, ceu Virgineo carcere clauditur. Magna omninò demiſſio, Humilitas magna: ſed audeo dicere major in SS. Euchariſtia; in hac enim *naſci ſe* quodammodò *patitur*, nec ut aliàs ſemel duntaxat; ſed quàm ſæpiſſimè, toties ſcilicet quoties in Euchariſtia reproduci, hoc eſt propè infinities: nec una tantùm die; ſed annis, ſed ſæculis, uſque ad Mundi finem: nec in uno Virginis utero, ceu nobili, puriſſimoque thalamo; ſed in ſacrificantis manibus, ſæpè ſæpiùs impuris.

Humilitas Chriſti in Euchariſtia.

Deinde *Naſci ſe patitur*, & quidem in ſtabulo, in quo vix jumenta etiam viliora: & Chriſtus in Euchariſtia, non in Baſilicis, non in Principum, & Regum aulis, & palatiis auro nitentibus, & gemmis; ſed ſæpiùs in anguſto, vili, malè materiato, & ſemiruto tempello, & in hara potius, quàm in ara; & ſi ſervatur, ſi reconditur in arcula, ea ſubinde ſitu & ſquallore horrida, pyxide ex ære, aut ſtanno, menſa lacera & ſordida, in qua vix cibum vulgarem ſumeres, nec ſine nauſea: & quæ aliquando Margaretæ Auſtriacæ, Hiſpaniarum Reginæ ſtomachum movit.

Margaritæ Auſtriacæ Altarium nitor.

Cùm enim ei oſtenſa eſſent ornamenta cujuſdam Altaris lacera, & pannoſa, obortis lacrymis erupit in pium illud atque Auſtriacum:

Heu mihi, quàm humilem oportet eſſe Deum, qui tali Ara ſuæ cultu non indignetur.

Dixit, & ſimul atque ad palatium rediit, providit de aliis, & quidem regia manu, id eſt ſua, nihilque deinceps carius habuit, quàm ut ſuus templis eſſet nitor; maximè verò Altaribus, & arculis ac pyxidibus, in quibus aſſervari ſolet SS. Euchariſtia, quas regia liberalitate donavit, maximè verò pauperculis templis.

Bellarmini Cardinalis pro Altarium nitore.

Bellarminus hunc templorum ſquallorem, & Altarium ſordes, recenſere ſolebat inter graviſſimas Eccleſiæ calamitates, ſub quibus gemebat ipſe, & Epiſcopos gemere optabat, & quà liceret etiam mederi. Sed ne longiùs, inſtitutum proſequamur.

Tertullianus ſuprà.

Chriſti Humilitas in Incarnatione ex eo eminet, quòd in ea *Adultus non geſtit agnoſci*: cui ſuppar in Euchariſtia, in qua ſi reproducitur neque agnoſci geſtit, ſed potius amat latere.

Nos puſilli homunciones, ſi quid in nobis grande ſit, optamus *digito monſtrari, & dicier hic eſt*: non ſic in Venerabili, non ſic.

Vidiſti Hoſtiam ante verba Sacratiora, vidiſti & poſt illa, nihil tibi objicit oculus, quod non objecit prius, nihil in ea Cœleſte, Divinum nihil apparet; & quia nihil apparet, ſic fallente ſenſu, ideò in ea deſpicitur Chriſtus, & ſubinde etiam pedibus calcatur, & calcari ſe patitur, nec ullo indicio Divinitatem ſuam prodit, quod eſt humilitatis, & deſiderantis neſciri.

Poterat Hoſtiæ jam conſecratæ affundere Cœleſte quoddam lumen Solis æmulum, indeque nitere oculis, atque agnoſci.

Poterat è Cœli regia demittere Angelos, veluti vigiles, & cuſtodes Sacri Corporis.

Poterat & concentu Angelico, veluti tot vocibus eloqui, & prædicare quod latebat.

Poterat prodigiis & portentis oſtentare quid ſubeſſet ſpeciebus illis, ſeu panis, ſeu vini; nihil tamen horum fecit: cur ita? Non alio quàm ſtudio humilitatis, quæ ambit neſciri, affectat & latere etiam cum injuria ſui; quod patebit ex iis quæ ſubjicio.

Annua Soc. IESV Coll. Camerac. An. 1617.

Cameraci, urbe nobili, & Imperiali, mulier catholicis orta parentibus cùm ſe Calviniſtarum ſectæ addixiſſet, & eorum falſa dogmata & mores induit, fidemque ejuravit. Et hoc primum illi malum, cui mox additum aliud longè peſſimum.

Diſſimulata enim avita fide frequens ad ſacram Synaxim adibat, & ſacrilego ore exceptam domum referebat incentoribus domeſticis, & deinde per ſummum nefas, modò proterebat pedibus, modò forficibus diſcindebat, modò cultello pungebat, aliiſque contumeliis afficiebat.

SS. Euchariſtia mirè injuriis affecta.

Diu tenuit id ſcelus, dum interim Salvator optimus nullo indicio ſe prodit. Tandem dare aliquod ſtatuit, non ad vindictam (quam tamen exigebat tam grande ac diuturum nefas) ſed ad Sacrilegii horrorem, correctionemque ſacrilegæ (quod cœleſtis indulgentiæ fuit) fuit autem illud ejuſmodi.

Aderat ſacrilega de more Euchariſtiam exceptura, quando derepentè ad illius crepidinem ſeſe illi objecit canis, aſpectu horrido, forma terribili, & identidem variante.

Hic illa ſtupere primùm, tum etiam tota cohorreſcere, & malè ſibi metuere; ſed primi præjudicii vis, & peccandi conſuetudo, metum excuſſit, & oſtenti illius vanitatem facilè perſuaſit; imò & ad nova flagitia impulit.

Igitur ſacratiorem hoſtiam ſumit, in ſtrophiolum expuit, & abit è templo. Vix prima domus limina ſubierat, cùm ecce ſpectrum illud, & quidem longè immanius fit obvium. Tum demum tota contremiſcere, nec auſa uſpiam ſola conſiſtere: crederes jam evictam fractamque ſacrilegæ mentis audaciam: at nec ſic victa, fractáve.

Aderat ipſa dies Pentecoſtes Anni 1616, cùm iterum ſeſe Euchariſtici panis ſumptioni offert petulans ac temeraria, eoque accepto, domumque relato etiam audet impiis illis vocibus laceſſere.

Ecce qualem Deum Catholicorum; ut ſilet, ut obmuteſcit: certè ſi quod ineſſet illi Numen, an ſe ferret conculcari?

Dixit, atque ad audendum ſibi animos fecit: nam & Hoſtiam in duas partes laceravit, & unam ſoleis affricuit, alteram ferro transfodit, auſu ſanè impio.

SS. Euchariſtia ſanguinem fundit.

Hîc tandem crimen ſenſiſſe viſus eſt Chriſtus: Sanguinem enim prodigioſum ex Hoſtia transfoſſa emiſit, eóque tot impiæ mulieris ſacrilegia lavit, quod clementiæ miraculum fuit.

Mox enim eo veluti prodigio exanimata, ac deinde trimeſtri morbo afflicta, & ad ſe, & ad Deum rediit, atque apud unum è noſtris omnia anteactæ vitæ ſcelera depoſuit, & catholicè deinceps vixit.

Habes, Amice Lector, in uno hoc exemplo, & Patientiæ ſimul & demiſſionis Miraculum, à quo tranſeo ad aliud in eodem Sacramento humilitatis indicium, quod eſt conſimile illi, quod in vita dedit Chriſtus, eſtque ejuſmodi:

Quod nullum volentem ſibi adhærere non ſuſcepit, nullius menſam, tectumq; deſpexit, non Publicanos, non peccatores aſpernatus eſt. Tertullianus ſupra.

Quod iſtic in carne Chriſtus; hoc & in Euchariſtia: in hac nullum volentem ſibi quàm intimè adhærere non ſuſcepit, nullum à ſua menſa rejecit, nullum reſpuit, ſit pannoſus & pauperculus, ſit in ſæculo infamis, ut publicanus, ſit peccator, ſit ad omne ſcelus proſtitutus, illius tectum, illius & pectus non refugit; ſed etiam ultrò ſubit, quod profectò ſummæ eſt demiſſionis.

Eò loci ac temporis quo hoc Sacramentum inſtituit, quo hoc Epulum inſtruxit, quo hanc menſam ſtravit, ſic ſtatuere poterat, ut ad illam non admitterentur niſi coronata capita, & Patres infulati, aut perſonæ à virtute eximia, à ſingulari Sanctitate conſpicui, & à caritate in Deum enthei toti. Quales Auguſtinus, Dominicus, Franciſcus; Ignatius: Agnes, Agatha, Catharina, Tereſia, aliique illis non impares, quos omni propè ævo Romana tulit Eccleſia: ſed non ſic, non ſic in illo Chriſti conſilio ac decreto, omnes omninò accedere permiſit etiam nocentes, licet ex voto innocentes optaret, velletque quàm maximè; alios tamen non reſpuit ſibi in eo (cum venia dictum ſit) quaſi injurius, & contumelioſus.

Venceſlai Regis Bohemiæ pietas in Euchariſtiam.

Ex hæc paucis de admiranda illa profundaque Chriſti Humilitate in SS. Euchariſtia, quam ut imitêris, Amice Lector, tibi in exemplum proponam *Wenceſlaum* Bohemiæ Regem, qui ut ſe demitteret, vel ex eo demiſſionis actu in Euchariſtia, ex Rege ſactus eſt arator, molitor, piſtor, dum non dubitavit regias manus, ſceptris & armis aſſuetas, aratro admovere, molæ, ac piſtrino; cùm agrum colere, ſerere, frumentum metere ac molere, farinamque ſubigere, ac panem coquere, ut quod ex regia cultura proveniſſet frumentum, quique coctus eſſet panis, Euchariſtiæ conficiendæ, regio planè munere, atque obſequio offerretur, raro ſanè Chriſtianæ humilitatis exemplo, raro etiam Religionis ac Fidei in Chriſtum ibi latentem teſtimonio, quod minam redderent coronata in terris capita, ſi non eo demiſſionis officio; at certè alio, atque alio, quod tempus offeret, atque occaſio, & ingenioſus Sacratiſſimæ Euchariſtiæ cultus.

Rho. in hiſtor. Virt. lib. 8. c. 1.

VIDI LIBRUM SCRIPTUM INTUS ET FORIS.

LIBER ille quem in exceſſu mentis vidit Ioannes, eſt CHRISTUS patiens, qui ſi Liber eſt, pro membrana eſt virginea caro, pro atramento ſanguis, pro calamo flagella, clavi, ſpinæ, lancea, & ipſa quoque Crux: Quid autem per hæc ſcriptum *intus*, jam vidimus; ſupereſt ut attendamus, quid deinde *foris*: quod verò ſit illud legetur in cruenta illa Paſſionis Tragœdia, & quidem in tribus potiſſimùm Actibus, è quibus primus erit *Flagellatio.* Secundus, *Coronatio.* Tertius, *Crucifixio.* Singula decurramus oculis, decurramus & animo.

DOMINICÆ PASSIONIS
TRAGŒDIA.

ACTUS PRIMUS.
FLAGELLATIO.

DE hac fuſiùs egi expreſſo Tractatu de Paſſione, quem pridem luci dedi & publico: hîc parciùs, & veluti compendio, & quidem hoc ordine: 1. de columna ipſa, unáne, an duæ. 2. de Chriſti ad eam nuditate. 3. de numero flagellantium. 4. de Flagellis ipſis.

De Columna, unáne, an duæ?

DE hac lis eſt inter Authores non infimæ notæ, dum hi volunt unicam, alii duas. Qui duas volunt, volunt & Chriſtum flagellatum bis fuiſſe.

Primùm in domo Caïphæ, ante ſententiam mortis, ad eam columnam, quæ viſitur modò in Eccleſia S. Praxedis, eſtque valdè humilis, altitudine trium palmorum, & quæ vix pertingebat ad genua: ea ſcilicet aptior erat crudeli laniênæ, quia ſic corpus omne & antrorſum, & retrorſum flagellis, & vulneri patebat.

Secundò acceptâ jam à judice Pilato mortis ſententiâ, uti moris erat reum cædi. Tum enim cæſus ad eam columnam de qua ſic D. Hieronymus in Epitaphio Paulæ:

Columna viſitur Romæ in Eccleſia S. Praxedis.

Oſtendebatur columna Eccleſiæ porticum ſuſtinens infecta Cruore Domini, ad quam vinctus dicitur & flagellatus. Et hæc pro eorum opinione, qui cenſent duas fuiſſe columnas. Qui unam fuiſſe contendunt, aiunt eam columnam, quæ viſitur hodie in Eccleſia S. Praxedis, partem illius eſſe columnæ, cujus meminit D. Hieronymus, quod tamen negat Boſius, aliique: & certè negari meritò poteſt, cùm videatur eſſe integra, & supernè ei infixus ſit annulus, cui implicabantur vincula: non fuiſſet autem ei infixus ille annulus, ſi cùm flagellabatur Chriſtus, aut baſis erat, aut capitellum illius columnæ quæ porticum ſuſtêtabat, uti animadverti cùm eſſem Romæ, & eam luſtrarem curioſiùs, & manu etiam tangerem cum veneratione, cui pro coronide addo eam columnam Chriſto fuiſſe veluti ſymbolum fortitudinis, & victoriæ trophæum.

Herculem edomitis monſtris ferunt ſibi erexiſſe columnam fortitudinis ſuæ, & partæ victoriæ monumentum.

Potiori jure Chriſtus eam columnam ad quam alligatus, & cæſus eſt, fortitudinis ſuæ, & relatæ de tartareis monſtris victoriæ reliquit monumentum.

De Petro D. Athanaſii ſucceſſore ad columnam cæſo magnificum illud extulit S. Gregorius Nazianzenus:

Orat. 23.

Columnæ inſculpit fortitudinem ob omnium oculos: verius Chriſtus columnæ ſuæ ſuam inſculpit fortitudinem, divinumque robur, quod poſterorum omnium oculis objicitur, non ſine animi ſenſu & veneratione.

Columna ſymbolum fortitudinis.

De Chriſti nuditate & vinculis.

Lib. 1. c. 10. & lib. 4. c. 70.

AD Columnam omninò nudus ſtetit Chriſtus, uti conſtat ex revelationibus B. Brigittæ, cui de Filio ſic olim Virgo Mater.

Iubente lictore ſeipſum veſtibus exuit, columnam ſponte amplectens, & tota corpore nudus: quod ipſum clariùs explicuit alio loco.

Alligatus nihil omninò operimenti habebat; ſed ſicut natus eſt, ſic ſtabat, & patiebatur erubeſcentiam nuditatis ſuæ. Verecundiâ ſanè, & pudore, qui gravior erat ipſa morte: quod ex eo colligi poteſt. ſi enim vel ipſius naturæ genio, ſenſuque, vel Chriſtiana verecundia graviſſimus accidit omnis nuditas, quantò magis & in Chriſto?

Refert Plutarchus, cùm neſcio quæ moriendi cupiditas Mileſianas Virgines invaſiſſet, adeo ut mortem paſſim laqueo ſponte accerſerent, nec à tali dementia, vel ipſa legum vi, parentum cuſtodiâ vel minis revocari poſſent, tandem ut huic malo medela fieret, publico Senatûs edicto ſancitum, ut quæcumque violentas ſibi manus intuliſſet, ea toto corpore nuda, ac veluti proſtituta omnium oculis objiceretur, atque ad ſepulcbrum opprobrio tali notata portaretur, opportuno ſanè conſilio, ac remedio, à quo tantus earum animis injectus eſt pudor, tantus dedecoris illius metus, ut nihil in poſterum de violenta ullius morte ſit auditum, nempe etiam Paganis virginibus tantus pudoris fuit amor, tantus & nuditatis timor, atque horror, ut is fuerit pro ſacro, etiam vel ſolo naturæ ductu, ſenſuque quantus fuiſſet à gratia atque virtute, uti deinde fuit?

Virgines Mileſianæ nuditatem ut horrent!

De Ammonio viro magnæ Sanctitatis ſcriptum illud: cùm Lycum fluvium unà cum ſocio trajicere cogeretur, nec vellet, poſſetve nudus ſuum vel ſocii oculum ferre, juſſit eum porrò ſecedere donec depoſitis tibialibus vado flumen trajiceret: ſed cùm ſe ne ſic quidem nudum pateretur, conſpiceretque oculus innocens, hæretque quaſi dubius pudorem inter & neceſſitatem, in illa hæſitatione ab Angelo tranſmiſſus eſt. Adeò Superis placet ingenuus ille pudor, & in eo illuſtris animi caſtimonia.

Quod ſi illis adeò placet, quantò amplius Chriſto Deoque Homini, cui imprimis pudor, & verecundia in amoribus, primiſque curis; in odio autem atque horrore nuditas omnis inimica pudori, inimica & caſtimoniæ. Enimverò in odio, & gravior omni ſupplicio, morteque.

Et hæc paucis de pudenda illa nuditate Chriſti. Venio ad vincula, quibus primùm implexæ manus, deinde pedes, tum etiam corpus ipſum, tum denique injecta collo catena rudis & gravis, quæ columnæ inhærens & velut infixa, caput trahebat in declive, totumque corpus pronum atque ſubjectum tenebat, ut ſic totum quoque pateret in flagella, ac vulnera.

Et illa breviter de vinculis illis. At quis ea injecit? quis & aſtrinxit? Carnifices inquies; nec renuo: ſed alias atque alias agnoſco manus, agnovit & B. Laurentius Juſtinianus, exemplum ex illo, ſic inquiebat:

Tua utique Genitoris impellente gloria, & hæc prima: *Mea te trahente infinita miſeria,* en altera: *Divina te arctante Iuſtitia, & ſuperna atque ineffabili in te habitante gratia,* en poſtrema. His & illis alligatus ad columnam Chriſtus: ſed quibus & nos ipſi alligati aliquando? dicet ex voto ſuo D Bernardus:

De Triumphali agone c. 17.

Vinciri volo vinculis Paſſionis boni IESV, ut etiam vinculis caritatis cum illo vinciri poſſim. Et hoc SS. illius Præſulis votum: hoc & tuum ſit (ſi modò ſapis) AMICE LECTOR.

Tract. 2. de Paſſ. c. 3.

De numero Flagellantium Chriſtum.

PRimùm à Pilato Præſide de more Flagellis correptus eſt Chriſtus: Deinde ab univerſa legiune, quæ cenſebat mille capita: Denique à tortoribus ad eam lanienam mercede conductis.

Communiùs dicuntur ſex, qui alternis in Chriſtum fœdè ſævierunt, & hæc vulgata videtur opinio, à qua diſcedunt aliqui inducti authoritate *S. Magdalena de Pazzi* Monialis Florentinæ Sanctitate & revelationibus celebri: cognoviſſe dicitur illa in exceſſu mentis Chriſtum à triginta paribus hominum, hoc eſt à ſexaginta crudelis lanienæ adminiſtris fuiſſe flagellatum: fallor, dicere debui à dæmonis adminiſtris: ut enim docent è SS. Patribus non pauci, dæmones ipſi in eorum corpora tum in horto, tum maximè hîc inſilierunt, ut ſævirent uberiùs, atque inſolentiùs, ubi & hominem exuiſſent, & dæmones ipſos induiſſent.

Cap. 22. v. 53. Et verò induiſſe colligitur ex ipſis Chriſti ad illos verbis: *Hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum*, id eſt dæmonum, qui tenebræ ſunt, & quorum poteſtas omnis, poteſtas eſt tenebrarum.

In cap. 27. Matth. Cui opinioni fâvet illud D. Chryſoſtomi: *Manifeſtum eſt diabolum fuiſſe, qui in omnes tum graſſabatur.*

De Flagellis, cujus ea generis? Et quis ab iis ictuum numerus?

I. Virgis. PAulus à Palatio ſcribit traditum ab Anthoribus longè graviſſimis. Chriſtum primò cæſum virgis ſpineis, vili ſanè ſupplicio, quo non afficiebantur niſi ſervi, abjectiſſimaque mancipia: flagellatio enim apud Romanos, pœna erat ſervorum, ſicuti liberorum fuſtigatio, ut patet ex lege *ſervorum*. Et lege *Porcia*, & *Sempronia*. Itaque Flagellatio non ſolùm pœnæ; ſed & ignominiæ ſerviit, ut ſic in ea Chriſtus generis humani Salvator, quaſi pro ſervo haberetur, imò & pro fatuo: hi enim etiam virgis cædi ſolebant.

II. Funiculis. Fuit deinde cæſus Servator noſter funiculis, ſeu potius loris hamatis, ut habet Hiſtoria Scholaſtica.

III. Catenis. Denique etiam catenis aduncis, ſicque à virgis primùm lacerata cutis exterior, deinde à loris hamatis conciſa intrinſecus caro, denique à catenis ferreis penitus contuſa, ut nihil ad ſupplicii gravitatem deeſſe videretur.

Libet audire quid de eo B. Virgo D. Birgittæ. Sic illa: *Conſurrexerunt inimici ejus, & flagellabant corpus ejus.*

Lib. 4. c. 70. *Ad primum igitur ictum ego quaſi corde percuſſa ſenſibus abducor, & poſt tempus evigilans corpus ejus laceratum video.*

Quomodò autem laceratum, & quàm fœdè, deſcribere pergit Bona Mater:

Flagellis, inquit, *aculeatis infixis aculeis & retractis, non evellendo, ſed ſulcando, totum corpus ejus laceratur:* Et alio loco ſic ait:

Vidi corpus ejus verberatum, & flagellatum uſque ad coſtas, ita ut coſtæ ejus viderentur.

Et certè quidni viderentur ab immiti & propè innumerabili illa verberum grandine, quæ in humeros, in pectus, in totum Salvatoris corpus eò loci ac temporis defluxit.

IV. Quot verbera? De ea varii variè ſcribunt, & loquuntur, quia adhuc videtur in occulto.

Granatenſis in ſuis Meditationibus ait Chriſto in Flagellatione inflicta verbera quingenta ſuprà quinquies mille.

D. Bernardus ſupra ſex millia.

Alphonſus trecenta ſeptuaginta ſupra quindecies mille.

Landulphus in Vita Chriſti aſſerit cuidam Fœminæ Sanctæ revelatum ſupra nonaginta. quadringenta & quindecies mille verbera Chriſto ad columnam inflicta· quæ profectò opinionum varietas, atque inter ſe pugna, oſtendit eam rem adhuc latere mortales, & ſolis immortalibus cognitam. Hoc notum & certum immanem fuiſſe lanienam.

Hanc cogitatione ceu mentis oculo dum aſpicit D. Auguſtinus, æſtu quodam ſeu doloris, ſeu ſtuporis exclamat.

Ecce pro impio pietas flagellatur, pro ſtulto Sapientia illuditur. pro mendace veritas necatur, Damnatur juſtitia pro iniquo, miſericordia affligitur pro crudeli, pro miſero repletur ſinceritas aceto, inebriatur felle dulcedo, addicitur innocentia pro reo, moritur vita pro mortuo. Serm. 114. de Temp.

Poſtquam per eas antitheſes facti totius ſeriem expoſuit, damnavitque, tum ipſius naturæ etiam inanimæ ſenſum exprimit, atque horrorem.

Expavit, inquit; *ſcelus hominum natura rerum.* Et certè quidni expaveſcat, horreatque in Authore ſuo, in parente Univerſi, in ipſo Deo ea omnia videri, quæ in homine etiam perditiſſimo, imò & in bruto animante, & cane vix ferret humanus oculus ſine ſenſu ſeu doloris, ſeu ſtuporis.

Dici ſolet & verè. *Minores curæ dolent, ingentes ſtupent.* Et minora tormenta etiam in aliis dolent, ingentia ſtupent.

Et ſanè ingentia fuere, etiam in ſola flagellatione; ſi enim verum illud quod ſcribit Lansbergius. Viro cuipiam imprimis Dominicæ paſſionis ſtudioſo, & ſancto, divinitus revelatum, in immani illa flagellatione Chriſti expreſſas fuiſſe ſanguinis non dico guttas minores ſed veluti globos craſſiores, & juſtæ magnitudinis ſupra quinque ac ducentos, etiam ad triginta millia: ſi inquam id veroſimile, quantam oportuit eſſe in toto Chriſti corpore lanienam à qua ſuo ſanguine tinctus & propè merſus Deus-Homo & noſtri generis Redemptor, de quo proinde meritò Rupertus iſtud: Hom. 50. de Paſſ. — V. Quot guttæ ſeu globi?

Grande ſpectaculum mundo, Angelis & hominibus, ut à ſervis peccati Princeps libertatis ſervilibus modis (addo ego & cruentis) *ita cæderetur.* In Joan. c. 19.

At unde, & quomodo ita cæſus? ut concedas illud Judæorum iræ, furori atque immanitati; at magis Chriſti charitati, *ut qui nos redimere potuit guttâ, voluit unda*, ut piè notavit D. Bernardus.

ACTUS SECUNDUS.
CORONATIO.

TRIPLICI corona redimitum fuiſſe Chriſtum autumant Divi Patres. Corona Chriſti triplex.

Prima fuit humanitatis noſtræ in ſua Incarnatione. Altera ſpinarum in Paſſione. Tertia Gloriæ in Reſurrectione.

Primam accepit à Virgine matre. Secundam à noverca, id eſt Synagoga. Tertiam ab Æterno Patre. Spinea an unica, an duæ?

De una mihi in præſens erit quæſtio, eaque ſpinea: de qua rurſus eſt quæſtio, unicáne fuerit an duæ? Sunt qui duas volunt, uti & duobus in locis coronatum Chriſtum: & quidem ſentibus in Prætorio, tum marinis juncis in Calvaria, quam diſputationem fuſiùs agitatam videre poteris in Baronio Tomo 1.

Mihi interim hîc verbo attigiſſe ſit ſatis. Ego unicam fuiſſe cenſeo, & cenſent Authores communius, unóque in loco coronatum Chriſtum, niſi fortè dixeris coronam in Calvaria revulſam è ſacro Chriſti capite, cùm avelli debuit ei veſtis, ut nudus affigeretur cruci, ac deinde reponi refigique dolore ſummo, ſicque cenſueris bis coronatum primùm in prætorio Pilati, tum in Calvariæ vertice, ſed una eademque corona, de qua mihi tria tractanda propoſui.

Primum

Primum, cujus generis & cujus arboris ea fuerit.

Alterum, quantum ab ea Capiti noſtro, id eſt Chriſto, dedecoris acceſſerit.

Poſtremum denique, quantum etiam doloris, ac tormenti.

Ex quo frutice.

Ad primum quod attinet, ſunt qui juncos marinos hic uſurpatos cenſent. Ita Toletus, Pererius, & alii.

Plerorumque tamen ſententia eſt, fuiſſe ſertum è Rhamno: ita Baronius, Gretſerus, aliique communius, & illud ſuadet primò quòd in Palæſtina frequens eſſet hoc veprium genus, plenum aculeis hericio ſimile.

Suadent ſecundò hujus ſerti, ſeu coronæ fragmenta, tum quæ Romæ ſervantur in Baſilica S. Crucis, tum quæ Pariſiis in ſacello ſacro, tum quæ in Hiſpanis in Cœnobio de ſpina, tum quæ Lovanii in Collegio ſocietatis JESU.

Suadet tertio quod rhamnus ſpinoſus frutex longè facilius in coronam, & quaſi in pilei formam aptari potuerit, quàm marini junci, utpotè longiores, & cedere neſcii.

Ut ut ſit, res ea adhuc eſt in lite, & ſub judice: hoc extra litem, & controverſiam, ſpinas illas è quibus Salvatori contexta eſt corona, fuiſſe & longas, & acutas inſtar craſſarum acicularum, atque ejuſmodi ſunt ea coronæ fragmenta, de quibus ſupra mentionem feci, ſi tamen illud exceperis, quod etiamnum ſervatur Atrebati, & quatuor digitorum craſſitiem longitudinis exæquat, uti referto Petrus D'Oultremannus noſter, in opere cui titulum fecit, *Amor increatus*, à quo tranſeo ad ſecundum quod mihi præfixi.

Lib. 2. Amor Patiens. c. 2. ſect. 4.

Quantum ſcilicet ex ea corona in Chriſtum redundarit dedecoris.

Ejus dedecus.

Matres olim in nuptiis filios ſuos coronabant, ſed floribus, ut annotat S. Chryſoſtomus: Synagoga non jam mater, ſed noverca ſpinis ad inſigne probrum & dedecus.

Gentiles ſtatuis Deorum ſuorum coronas imponebant; ſed floreas ad decus, ornamentum, atque fragrantiam: ſed aureas ſed gemmeas ad opulentiam. Judæi ſpineas, etiam ad dolorem, & tormentum longè graviſſimum: & hoc tertium eſt quod mihi ſtatui.

Ejus tormentum.

Hujus porro Coronationis tormentum petitur ex argumento duplici.

Primum quod in capite in quo acerrimus & acutiſſimus doloris ſenſus, in quo nervorum eſt officina, in quo membranæ leviſſimæ, & quaſi nervorum ſubſtantiæ tenuiſſimæ, quæ non dico ſi pungantur, ſed vel guttulâ humoris acrioris, præter rerum ordinem inficiantur (uti fit in hemicranii morbo) dolores propè intolerandos cauſant, adeóque percellunt totum hominem, ipſumque præſertim caput, ut oculi quaſi de ſuis ſedibus erui videantur.

Quod ſi vel ab unica humoris acrioris ſtilla is incutitur doloris ſenſus, quis à ſpina ſolida acutaque membranis illis aut etiam nervis infixa?

Hiſtor. De monconorum.

Is certè ut teſtetur B. Agatha à Cruce divinitus edocta, Chriſtum in illo ſupplicio ſæpius præ dolore oculos clauſiſſe, acutaque velut moriturus edidiſſe ſuſpiria: nec mirum, quia à ſpinis illis, non ſolùm nervi, & membranæ punctæ, laceratæ, ac perforatæ ſunt; ſed à craſſiore (qualem diximus illam quæ Atrebati ſervatur) non ſolum cranium penetratum, diffractumque, ſed & utraque membrana, ſeu meninges, quæ à medicis dicitur pia & dura mater, pertuſæ ſunt atque laceratæ, quod lethale eſt.

Hinc B. Laurentius Juſtinianus Patriarcha Venetus, ubi dixit ſpinarum punctiones cerebrum perforaſſe, ſubdit hæc ipſa verba:

De Tripl. Agone. c. 14.

Debuit planè mori tanto dolore transfixus, ſe tamen reſervavit ad vitam, ut hic etiam graviora perferret.

Hactenus pius Præſul [illegible] acerbiſſimo illo doloris ſenſu, quem & probant frequentes & acutæ punctiones, de quibus non una eſt Authorum opinio.

S. Vincentius Ferrerienſis duobus & ſeptuaginta locis tradit Chriſto transfixum caput.

Mallonius in Sindone Taurinenſi duas, & ſeptuaginta duas guttas Sãguinis in capitis figura adnotavit.

Mille puncturis caput Chriſti laniatum fuiſſe voluit Chryſoſtomus, Bernardus, Anſelmus, eſtque veroſimile longè plurimia, vel ex eo quòd Spinea Chriſti Corona venerando ejus capiti ſit circumplexa, non ad inſtar coronæ; ſed pilei, qui totum caput uſquequaque tegeret, obvolveret, arctéque complecteretur, adeóque & pungeret, & vulneraret.

Quare *Philippus Diez*, eam vocavit *Galerum Filii Dei.* Et eo modo apparet hodie Pariſiis in *Sacello* quod vocatur *Sancto.*

Hujus porrò pilei, cauſatique ex eo doloris veluti figuram expreſſit Jonas Propheta in ſeipſo, cùm dixit: *Pelagus operuit caput meum.* Hebræa ſonant: *Iuncus circumligatus eſt capiti meo* Pelagus utique doloris juncus ille fuit, fuit & pileus ſpinoſus quaſi circumligatus capiti Salvatoris.

Cap. 2. v. 6.

Et tamen ut is eſſet, eam amavit, eam ſibi elegit, & ſupra omnia Paſſionis ſuæ inſtrumenta extulit. Non enim in manibus, pedibuſque ut clavos, non in humeris ut Crucem, non in pectore ſicuti Lanceam; ſed in ipſo capite, membrorum principe, geſtare voluit, in ſignum ſeu amoris, ſeu etiam venerationis.

Ejus amor in Chriſto.

Solent Indi ad Orientem poſiti, maximè verò Japones, & Sinæ, cùm rem cuipiam exhibere volunt, eam ubi oſculati fuerint capiti ſuo imponere.

Unde B. Magdalena nobilis apud Japones Martyr, Anno 1613. rogo impoſita, cùm funes, quibus ad palum erat alligata ignis diſſolviſſet, prunas ardentes ſuis ipſa manibus generosè colligens venerationis ergo capiti ſuo ſuperpoſuit, eoque velut roſarum ſerto ſeſe coronavit.

Non ſic carnales, non ſic mundani: amant hi ſerta, amant & coronas; ſed ut molles ſponſæ floreas, non ſpineas: contra quod faciunt in Chriſtiana palæſtra victores, quibus ſi fortè florea geſtanda ſit victorum more, modoque, eam rejiciunt ad manum, non erigunt in caput.

Sic rejecit miles ille, cujus triumpho inſcripſit Tertullianus librum de Corona Militis.

Hic unà cum ſuis commilitonibus ob rem præclarè geſtam ab Imperatore Marco Aurelio Caracalla coronâ donatus, ſertoque floribus pulchrè contexto, illud manu geſtavit, nec unquam induci potuit, ut reliquorum more modoque efferret in caput: cauſamque rogatus, reſpondit *ſe Religione prohiberi, quòd Chriſtus ſpinis coronatus fuiſſet.*

In milite Chriſtiano.

Cùm enim ſic ad eum Tribunus. *Cur tam diverſus habitu? Negavit ille cum cæteris ſibi licere.* Cauſas poſtulatus, *Chriſtianus ſum reſpondit. O militem in Deo glorioſum* exclamat, *qui & de manu claruit*: De qua etiam Godefridus Bullonius, qui Anno Chriſti Milleſimo, nonageſimo nono, ipſo die Paraſceves, quo Chriſtus in Crucem actus, in muros urbis obſeſſæ primus evaſit, & Jeroſolymam recepit.

Cap. 1.

Ibi Rex totius exercitûs conſenſu proclamatus, nunquam tamen induci potuit coronari auro, ubi Dei Filius fuiſſet coronatus ſpinis; aiebat enim: *Non decere Regem Chriſtianum coronâ aureâ inſigniri in illa urbe in qua Chriſtus geſtaſſet ſpineam.*

De Bullonio.

Bullonius renuit coronari.

O verè Chriſtianas, verè regias voces, verè dignas Cedro, quas utinam animo, non aure exciperent Chriſtiani omnes, Reges omnes, & coronam ſpineam ambirent magis, quàm & floream, & auream.

Illam

In Eduardo Rege. Eduardus Angliæ Rex renuit coronari.

Illam certè etiam è purpura ambiviſſe viſus Eduardus Angliæ Rex; cùm enim inauguraretur Coronâ & Regno, atque ex omni civitatis domo, quaquaverſum tranſiret, tam ferta, quàm flores ſoluti ſpargerentur in tranſeuntem, memor Dominicæ Coronæ exclamavit:

E Cœlo Pater Æternus Coronam in Filium demiſit, ſed ſpineam. Hâc primitus Cœli Rex inauguratus eſt, & ego floreâ, aureâ, gemmeâ Rex terræ inaugurabor? Per me, per Superos non faciam.

Amabat nimirum Rex pius conſentire cum Chriſto, nec ſuſtinebat ſub ſpinoſo capite membrum ſe fieri & haberi delicatum.

B Themilla ambit coronari ſpinis.

Ita neque ſuſtinuit *B. Themilla*, quæ rubis coronari ſe paſſa eſt, ad imitationem ſui Salvatoris.

Ita non procul ab urbe Toletana puer octennis, cui nomen Chriſtophorus, à Mauris coronari ſe ſpinis paſſus eſt, atque in crucem agi, non puerili, ſed virili infractoque malis animo.

S. Agapitus coronari ambit prunis.

Ita S. Agapitus Martyr quindecim annos natus, cùm capiti ejus imponerentur ardentes prunæ, memor Spineæ Coronæ lætabondus aiebat:

Parum eſt in terra caput aduri coronandum in Cœlo.

Quàm decorè corona gloriæ ornabit caput afflictum pro Chriſto.

Quod ſi S. Agapito parum fuit in terra coronari caput igneâ coronâ, & tibi parum eſſe debet Spineâ Coronâ donari, certus quod pro ſpinea in terris, floream recipies in Cœlis: quod ipſum mutâ quadam voce, etiam miraculo oſtendit, commendavitque ipſa Chriſti Corona, quæ ex ſpinea verſa eſt in floream.

Juvat illius meminiſſe temporis, quo Conſtantinopolim venit, & ab Imperatore Orientis Spineæ Coronæ partem impetravit, atque ad Orientis Imperium fortunato itinere retulit.

Henriquez in faſciculo SS. Ordin. Ciſterc l. 2. d. 2. c. 7.

Ut huic annuente Cœlo id ſacri muneris cederet. Primùm à Patriarcha Conſtantinopolitano, indictum omnibus ſolemne tridui jejunium, quo ritè expleto ad templum venerunt Auguſti: ſed capite pedeque nudo.

Corona Chriſti ſpinea claret miraculis.

Deinde proſtrati ante ſacratiorem aram, in qua in aurea capſa religiosè ſervabatur Salvatoris corona, multis lacrymis, precibuſque, rogare cœperunt impenſiùs, ut Occidentis Imperium aliqua ſpineæ coronæ parte ditare, ornare, beareque dignaretur.

Ubi hæ preces, hæcque ſupplicum vota in faventes auras emiſſa, tum Patriarcha flexus genu capſam reſerare, & ecce mira authore Deo prodigia.

Primùm enim ex eo emicare ſplendor ingens, & lux aurea toto diffuſa templo, tum ex eadem ſpargi ſuaviſſimus odor, ea copia, atque ubertate, ut urbe Conſtantinopolitana, quanta quanta erat, effunderetur.

Tum etiam ipſæ ſpinæ quæ aliàs oculis aridæ atque exſuccæ apparebant vivere cœperunt, & flores edere varii coloris, qui deinde viſi ſunt magis ac magis augeri, proventu ſanè prodigioſo, cùm Daniel Neopolitanus Epiſcopus coronam diviſiſſet: hæc enim aliis atque aliis floribus ex ea enaſcentibus tegi cœpta, quos ad miraculi fidem, piumque animi ſui ſenſum dum colligit Imperator Carolomannus, etiam ex eis Chyrothecam implevit, ſervandamque tradidit Hebroïno Archiepiſcopo, dum ipſe interim aliis atq; aliis floribus colligẽdis, inſatiabili aviditate intentus erat: ſed ille attonito ac ſtupenti ſimilis, totuſque fuſus in lacrymas, oblatam ſibi ab Imperatore Chirothecam, aut non advertit, aut certè è manu inſcius emiſit, & ecce dum ea quæritur, novum è Cœlo miraculum: Chirotheca quippe in aëre pendula atque ſuſpenſa viſitur, utique ſuſpenſa vi illius quem capiebat Sacratioris theſauri, florumque floridi, floridi etiamnum JESU-NAZARENI,

Carolomanni pietas in coronam Chriſti.

à quo & aliud pientiſſimo Cæſari datum eſt miraculum: dum enim aliquo poſt tempore, flores illos, ceu Cœleſte quoddam depoſitum, è Chirotheca educere, & decentiore loco reponere parat Auguſtus, eoſdem in manna converſos videt, non ſine amabili ſtupore. Servatum porrò etiam ad noſtram hanc ætatem, novum illud ac prodigioſum manna in æde D. Dionyſii ad illius miraculi fidem ac venerationem.

Coronæ Chriſti flores verſæ in manna.

Habes in hoc miraculo, AMICE LECTOR, in hac Sacra Chriſti Corona, primò Chriſtum præ immani doloris ſenſu quaſi exaruiſſe: deinde ab eadem, & ſub eadem veluti revireſcere, ac florere cœpiſſe, ut in eum caderet iſtud Davidis Vaticinium: *Super ipſum efflorebit Sanctificatio mea.* Vel uti vertit Chaldæus, & Hieronymus: *Efflorebit Corona ejus.*

Pſal. 131. v. 18.

Ut ſuper te quoque & revireſcat, atque effloreſcat, age probè doctus hoc vaticinio, hoc & miraculo, tibi omninò pollicere futurum, ut ſi ſuper te in terris maneat Spinea Corona, in Cœlis æternùm manebit flores: ut enim in Chriſto ſpinæ aliàs exſuccæ atque aridæ abierunt in floream Beatæ Immortalitatis coronam, ſic & abibunt & efflorebunt aliquandò in honoratis eorum capitibus, qui ſpineam hîc inſigni patientiâ, & animi robore geſtârint.

S. Catharina Senenſis ſpineam eligit coronam.

Et ita futurum deinde ſibi præſagire viſa S. Catharina Senenſis cùm è duabus coronis ſibi oblatis, aurea ſcilicet & ſpinea, illam reſpuit, & hanc elegit, ſuoque capiti altè infixit, probè conſcia tertiam ſibi manere in Cœlo.

De quodam ætatis noſtræ Rege, binas coronas jactanto, cum tertia supernè appicta, hocque Lemmate, *Manet ultima Cœlo:* fortè non ſine jactantia, & præſumptione: at in eo qui vivens ſpineam geſtarit, ex veritate & ſine fuco dici poteſt. *Manet ultima Cœlo.*

Hanc ama, hanc ambi, hanc ſtudiosè quære qui ſapis Cœlo, ſapis æternitati.

De Bajulatione Crucis.

Locus Judicii in Chriſtum.

HIc eſt ultimus actus funeſtæ hujus Tragœdiæ, quem in aliquot veluti ſcenas partiar.

Una explicabit locum è quo dixit Pilatus. Fuit hic *Lithoſtrotos*, Hebraicè Gabbata, id eſt locus altus & conſpicuus: in eo ſedit Pilatus ex Judicis more: hujus quippe ſedere proprium eſt, quia ſeſſio eſt compoſitio corporis, quæ ſibi conſtantem & pacatum animum arguit.

Eſt porrò locus eminens, quia Judicem cæteris eminere convenit, non ſolùm loco, ſed & animo; in excelſo ſcilicet virtutum, & Juſtitiæ vertice: ſi in eo ſediſſet Pilatus, non eò veniſſet inconſtantiæ, injuſtitiæ, atque immanitatis.

Ubi autem ſic ſedit, ſententiam mortis in Chriſtum tulit: at quâ formâ? Adhuc lis eſt, eaque ſub Judice.

Sententia in Chriſtum.

Hiſtoria quæ de Nicodemo circumfertur ſic eam exprimit:

Genus tuum comprobavit te Regem, propter quod ego Pilatus præcipio flagellari te ſecundùm ſtatuta piorum Principum, & in eo loco ubi tentus es crucifigi, & duos malignos tecum, quorum nomina ſunt *Deſmas*, & *Geſmas*.

Paulus Semproniensis aliter ſentit, docetque Sententiam in Chriſtum latam his verbis:

Pilatus & Deorum Immortalium voluntate, & Romanorum, ac Principum, ac Senatûs authoritate Præſes Iudæorum, &c.

Quia IESVM Nazarenum hominem ſeditioſum, atque ſeductorem invenimus, ut non ſit veritus contra fas, Legeſq; Imperiales, Regnum ſibi aſciſſere Iudæorum: eundem

eundem tanquam hominem factioſum, & bonorum vitæ, & pacis moribus inſidiantem, ſupplicio depatamus.

Tum quia turpiſſimè degentes ſunt turpiſſimo afficiendi ſupplicio, nefarium hominem, quaſi latronem, & factioſorum Principem patibulo Crucis addicimus.

Romanorum atque D. Cæſaris Imperium precamur maneat ſemper, & Deorum Immortalium pietate, & bonorum Principum æquitate ſervatum. Hactenus ille, à quo diſcedit Adrichomius, qui ea antiquis Annalibus optima fide deſcriptam in Chriſtum ſententiam ita proponit:

IESVM Nazarenum ſubverſorem gentis, contemptorem Cæſaris, & falſum Meſſiam (ut majorum ſuæ gentis teſtimonio probatum eſt) ducite in communis ſupplicii locum, & cum ludibrio regiæ majeſtatis, reum in medio duorum latronum Cruci affigite. I. Lictor, expedi Cruces.

Hæc Adrichomius, cui fidem detrahere etſi nolim, malim tamen cum D. Ambroſio Pilatum eò loci ac temporis hanc formulam uſurpaſſe.

IESVM Nazarenum abjudico vitâ, & adjudico morti ignominioſæ Crucis.

Et hæc formula mihi videtur magis accedere ad veritatem, & morem Romanorum, qui verborum compendia probabant, & extremo ſupplicio afficiendis ſimili formâ utebantur.

Drexelius tamen ab hac formula paululum recedit, æſtimatque ſententiam à Pilato prolatam hiſce verbis:

IESVM Nazarenum Regem Iudæorum crucifigi jubeo: ejuſque hæc ratio, quòd ea conveniret cum titulo Crucis, qui præferri ſolebat cùm rei ducerentur, atque ex ipſa damnationis ſententia exſcribi.

Et hæc eſt Authorum inter ſe pugna, à qua diſcedo, ut accedam ad Chriſtum, cui jam paratur, imò imponitur Crux: & hæc eſt altera ſcena, eaque feralis, quam explicare eſt animus.

Crucis bajulatio. Romano more damnati ad furcam eam ferre cogebantur, unde furciferi dicebantur: ſic & damnatus Chriſtus, qui idcirco Crucem ſuam ferre juſſus, è qua deinde penderet.

In ea portanda gemuit ſub triplici onere. Primum fuit ipſa Crucis moles ac pondus: erat enim trabs rudis & informis, quindecim pedes longa, decem lata è gravi & ſolida quercu, ex eo etiam gravior, quòd incideret in humeros attritos & verberibus laceros, exhauſtumque ab effuſo largiter ſanguine corpuſculum, contuſoſque nervos, perditumque omne propè robur, etiam conſumptos ſpiritus à quibus manat & fluit vis omnis in carnem. (Pondus illius.)

Et inde ſecundum Crucis onus mirè auctum, & magis ex modo, quo ferre coactus.

Placet enim oculis ſubjicere ad commiſerationem.

1. Poſtquam impete Crucem injecerunt in humeros, concuſſêreque nervos omnes, fune ad lumbos præcinxerunt, præeunte milite, à quo magna vi trahebatur, & ſic quidem, ut non modò latera, & renes, verùm etiam ipſe venter, atque inteſtina arctiſſimè coërcita vehementer affligerentur.

2. Circumſtantium militum inſolens turba, debilem jam & fatigatum urgere, quà fuſtibus, quà calcibus, quà alapis, etiam armatâ adhuc manu.

3. Crux, quia longior quàm ut ſuſtolli poſſet ab infirmo exhauſtoque viribus corpore, terram radebat, atque ad inæqualia ſaxa (ubi incurrebat impacta) Chriſtum & frequenter & validè concutiebat; interdum etiam ſpinis alliſa, eas in caput altiùs agebat, & ſanguine expreſſo viam ſignabat, atque inter ſignandum neceſſe fuit, & atrocia quæque pati Chriſtum, & ſæpiùs collabi; & nihilominus ad ſurgendum, & proſequendum iter cogi, quæ carnificum erat inhumanitas.

Mediam jam viam tenuerat Chriſtus onuſtus Cruce, cui deinceps ferendo cùm non eſſet, fatiſceretque totus (confecerat enim jam paſſus 478. uti tradidit Victor Præsbyter Antiochenus) viſum eſt onere tantiſper levandum, ne Crucis ſupplicio, cui eum deſtinârant, ſubduceretur: *Non ſolatii & levamenti gratia*, inquit S. Anſelmus, *ſed atrocioris necis, cui eum reſervabant*, quod ut facerent opportunè, invenerunt *hominem Cyrenæum, nomine Simonem: hunc angariaverunt ut tolleret crucem ejus.* (*Dialog. de Paſſ.*) (*Matth. c. 27 v. 32.*)

Dum autem & quærunt, & inveniunt, & angariant, fortè diutius reluctantem, dum & imponunt *crucem* portare poſt JESUM, injecta eſt aliqua mora & quies ab onere crucis, in qua dum reſpirat Salvator, obvia facta eſt Virgo mater, eo ſeu amoris, ſeu doloris ſenſu, quem ingenerare potuit tam miſerabilis filii & talis filii ſtatus.

Fortè inter reſpirandum, petræ inſederat Chriſtus, à qua dumtaxat avulſus fuit, eidem inſedit pia mater, infuditque adeo frequentes, adeo amaras lacrymas, ut eam excavârint, inſigni ſanè prodigio, à quo deinceps audiit Petra lacrymarum, ut iret in poſteros omnes, quid poſſit vel amoris vel etiam doloris æſtus, ab illóque ſolutæ lacrymæ, quibus etiam petra, etiam marmora, quantumvis dura, cedunt, atque excavantur: in quo certè habet unde duritiem ſuam incuſet homo ipſa petra marmoreque durior.

Ita S. Berardinus aliique, penes quos ſit fides. (*Paladius Ser. in diem Veneris ſanctā.*)

Redeo ad Chriſtum magnis paſſibus pergentem ad Calvariam, liberum quidem ab onere crucis; ſed ab alio, eoque graviore oppreſſum. Quod illud ſi quæris? audies eſſe genus omne noſtrum, eſſe homines omnes, peccatores omnes, quotquot avita tulit ætas, quotquot fert præſens, quotquot feret etiam futura.

De hoc porro onere, quod immenſum eſt; ſic ipſe Chriſtus ore calamoque Davidis Avi ſui, qui & ejus typus fuit.

Poſuiſti tribulationes in dorſo noſtro, in Hebræo legitur *Impoſuiſti homines ſuper capita noſtra.* Hos certè una cum cruce impoſuit æternus Pater, hos & extulit in humeros Chriſtus, & ſub illis, ut ſub onere graviſſimo, gemuit. (*Pſal. 65. v. 12.*) (Pondus peccatorū.)

S. Franciſcus Xaverius Indiarum Apoſtolus, ſibi viſus eſt aliquando Æthiopem, ſive Indum nigreſcente cute ferre humeris, quam ſarcinam adeo gravem ſentiebat ut propè fatiſceret, certè totus à ſudore difflueret.

Hoc porro oſtento monebatur Indiam Orientalem ſuæ curæ committendam, ſuis & imponendam humeris, ut boni paſtoris exemplo ad ovile Chriſti reportaret.

Onus profectò grave ipſi Xaverio; at leve ſi componatur cum onere impoſito ipſi Chriſto. Quid enim una gens Indica, quid unius partis ævique homines, ſi comparentur cum omnibus mundi partibus, cum omnium ſæculorum hominibus, quos ſol vidit, videt, videbitque ad diem uſque judicii? profectò exiguum & propè nullum etiam, ex eo vel maximè, quòd non ferret ipſe ſolus, ſed unà cum Xaverio ipſe Chriſtus, qui illius oneris partem, & quidem potiorem in ſeipſe tranſtulerat, quod & probavit, & indicatum voluit etiam miraculo.

In Xaveriani caſtelli ſacello videbatur ingens & antiquum Chriſti Crucifixi ſimulacrum è ligno: illud copioſo ſudore manaſſe viſum, toties quoties Xaverius pro Chriſto legatione fungens, aut labores, ærumnáſve graviores ſubjiſſet, aut etiam vitæ periculum adiiſſet: nimirum ſi laborabat Xaverius, laborabat & Chriſtus: ſi gemebat, gemebat & Chriſtus: ſub onere ſi ſudabat, ſudabat & Chriſtus, & veniebat etiam ipſe in partem oneris.

At non ſic Chriſtus, non ſic: etſi enim & Orbis univerſi, & cujuſvis ſæculi peccata ferret ipſe: at ferebat ſolus: etſi torcular calcaret, & cruentum quidem, at calcabat ſolus, & nemo unus omnium cum illo.

Tulit ille peccata *in corpore ſuo ſuper lignum.* Tulit, inquam, & in eo ligno pondus immenſum peccatorum, cui nec par eſt ullum, nec eſſe poteſt.

Ubi ad Calvariæ montem ventum eſt, mora nulla, requies nulla bono JESU conceſſa, etſi ſemianimis eſſet, & viribus omnibus propè deſtitutus.

Mox enim illi detractæ veſtes, & unà non jam cutis, quæ pridem flagris ceſſerat, ſed caro ipſa, quæ ſanguinis, concreti quaſi, glutino, ad veſtem adhæreſcebat, evelli fruſtatim, & ſanguinis rivuli manare cœperunt, dolore ſummo: in hoc enim renovatus dolor omnis, qui prius virgineam Chriſti carnem occuparat, obrueratque: de hoc tribus duntaxat voculis Evangeliſta. Ibi crucifixerunt eum.

ACTUS TERTIUS.
DE CRUCIFIXIONE.

HIc eſt ultimus actûs hujus Tragœdiæ, in quo ut ordine procedamus, eum per pauculas Quæſtiones evolvemus.

Prima hæc erit, fueritne Chriſtus in Cruce humi ſtrata, an verò erectæ, affixus? Primum volunt Anſelmus, Laurentius Juſtinianus, Abulenſis, Gretſerus, aliique: quia ea ratione facilior fuit Chriſti crucifixio: & ita communius oppoſiti ſunt ii, qui crucem in paratum ſupplicii locum detulere.

Inde factum autumant nonnulli ut die Veneris Sancto Cruci humi depoſitæ figamus oſcula, in memoriam lucis illius, quæ crucem humi ſtratam vidit in nuda humo, eique inſtratum luxit gemuitque mundi Salvatorem.

Contra tamen pugnant alii, docéntque eum in cruce jam erecta fuiſſe affixum. Ita S. Bonaventura.
Cap. 7. n. 8. Toletus, Ribera, Juſtus Lipſius. Et videtur colligi ex revelationibus S. Birgittæ, cui favet illud Canticorum paſſim interpretari ſolitum de Chriſto: Aſcendam in palmam, & apprehendam fructus ejus, utique Crucis, in quam velut in victricem palmam aſcendit Salvator, ex eáque orbi jam perituro vitæ fructus dedit.

Ut autem ſic affixus credatur ſtetiſſe; eſſe debuit in ſuppedaneo altiore, ex eóque manus extendiſſe, ligno clavis trabalibus affigendas. Sed hinc emanat ſecunda quæſtio, an non etiam funibus alligatus ipſi Cruci?

Indubitatum eſt Fidei dogma fuiſſe Chriſtum cruci affixum clavis, quibus perforatæ illi manus, ſic ut in eas manus immittere poſſet Thomas, ad
Joan. c. 20. v. 25. quem à morte redivivus Chriſtus. *Mitte manus tuas & cognoſce loca clavorum.*

Sed hinc remanet alia quæſtio, an etiam admoti funes quibus colligaretur, aſtringereturque Cruci Chriſti corpus. Ita cenſuit S. Hilarius Lib. 10. de Trinitate, cui opinioni favet illud, quod ii funes etiamnum oſtendantur Romæ in templo Sanctæ Crucis in Jeruſalem extructo à S. Helena, atque adſtipulatur ipſa ratio, vix enim tota corporis moles à manibus pendere ac ſuſtineri potuiſſet; imò ut ſic quoque penderet ac ſuſtentaretur præter clavos & funes, etiam ferrea vincula manibus implexa fuiſſe vult Nonnus Panopolitanus paraphraſtes: Sic enim habet. *Extenderunt Chriſtum, aſtringentes vi explicatas utrinque manus ferreo vinculo*, quale fortè videri modò poteſt in martyribus Japonenſibus. Penes ſit authorem fides: ego non auſim aſtruere, quia apud Antiquiores nulla horum vinculorum eſt mentio, aut memoria, qualis tamen eſſe, meo judicio, debuiſſet: Quidni enim ea ad venerationem ſervata fuiſſent, uti ſunt clavi & funes? A clavis porrò, & funibus movebitur tertia quæſtio, eaque hujuſmodi.

Tréſne clavi fuerint an quatuor, ita ut ſicuti ſingulis manibus, ſingulis ſic & pedibus ſui infixi ſint clavi?

Communis opinio tres tantùm clavos numerat, minus vulgata quatuor, & favet ratio, & authoritas.

Primò, quia picturæ antiquiores ita repræſentant Chriſtum Crucifixum.

Secundò, ſic videtur D. Birgittæ ab ipſa Virgine Matre revelatum.

Tertiò, ſic etiam teſtari videntur impreſſa D. Franciſco ſtigmata, quæ clavos omninò quatuor exhibent in pedibus ſingulis ſingulos, & quia ſic facilius infigi potuerunt.

An verò clavi illi per volam manus infixi, an per carpum, an per hunc & per illam, eſt in controverſia, dum hi illud volunt, alii aliud: veroſimiliùs eſt quod per utrumque, & per carpum & per manum.

Eſt carpus brachii extremitas, quæ proximè nectitur manui, in eo maximè ſentitur pulſus ſeu arteriæ micatio. In eo ſunt plurima nervorum conjugia, & veluti nexus aliquis, & quod inde conſequens eſt, in eo maximè viget ſenſus tactûs, adeoque dum convellitur ingens dolor.

His ita conſtitutis, illud ad extremum conficio clavos magno niſu crebraque contuſione adactos fuiſſe per carpum, non directè; ſed tranſverſum, ita ut per carpum adigerentur in manum, & clavi extremitas in extremam manûs ſuperficiem deſineret, illámque affigeret Cruci. Ita porrò affigi placuit, tum ut hæreret firmiùs, tum ut majori afficeretur cruciatu, dum clavi per diffuſos in carpo nervos, arterias & venas adiguntur, eaſque contundunt, dividunt, ſecant.

Sed & aliunde accrevit dolor, ſcilicet ex diſtentione pectoris, omniumq; propè oſſium luxatione: cùm enim temerè terebraſſent, primùm illi infixerint manum ſiniſtram, ut ubi ad dexteram ventum eſt, cùm ea duci non poſſet ad paratum in cruce foramen, alterum neceſſe fuit magna vi, admotiſque vinculis eò trahi, diſtentis nervorum compagibus, diſtractis artubus, luxatis oſſibus: In ea porro diſtenſione corporis totius, disjunctione oſſium pectoris & coſtarum, diſtractione nervorum & artuum, major quàm in ullo alio cruciatu perceptus eſt dolor, cujus ratio petitur à natura, ipſaque humani corporis compoſitione; cùm enim oſſa pectoris, ipſæque coſtæ, ſint inſtar alicujus valli, & quaſi propugnaculum cordis, ſi ea plus æquo & violentè diſtendatur, neceſſe eſt exoriri immanem quendam doloris ſenſum.

Et ita experientia propria didiciſſe teſtatur S. Catharina Senénſis: ſi quando à Chriſto, ceu ſponſo, paſſionis ejus dolorumque omnium fieret particeps, ſentiebat illa longè maximum cruciatum in diſtenſione & diſtractione pectoris, non abſimili illi quem olim Servator perſenſiſſet.

Et certè quantus ſit doloris ſenſus, etiam è ſuo metiri poteſt, qui aliquamdiu extenſis brachiis oraverit: maximè verò ſi conatus aliquis, ſi vis, ſi diuturnitas temporis acceſſerit, quæ omnia in Chriſto fuere ſumma: vis enim illata longè maxima, *Valadia ſuprà.*
dum carnifices totis viribus ac lacertorum toris adnituntur diſtendere ac diſtrahere in Cruce corpus Salvatoris, ad quos etiam (ut nonnulli credunt) manum admovêre vel ipſi dæmones aſſumptis ad eam immanitatis ac lanienæ ſcenam corporibus.

Eam

Eam porrò vim in immenſum auxit ipſa mora longior, ſpatiumque trium omninò horarum, quibus io cruce diſtentus pependit etiam vivus ac ſpirans, dicereque potuit cum alto gemitu. *Dinumeraverunt omnia oſſa mea.* *Pſal. 21. v. 20.*

A tormentis illis, quæ & diuturna, & graviſſima fuere, venio ad pudendam Chriſti nuditatem, de qua movebitur.

Quæſtio quarta, an pependerit in cruce omninò nudus, more ſcilicet Romano?

S. Ambroſius, & Bonaventura exiſtimant in cruce omninò nudum pependiſſe, quod illi ſummo pudori fuit, ſummo & dolori.

Abulenſis tamen, Dionyſius Carthuſianus & Barradius putant, quod etſi reliquo corpore nudus omninò fuerit, tamen verenda naturæ tecta ei fuiſſe, & velata, quod aliàs eſſet indecorum, & viris & fœminis conſpici nudum, imò & ipſi Chriſto vel maximè pudendum. Etſi enim verum eſſet illud Tauleri dictum, de Chriſto.

Cap. 33. vita Chriſti. *Adam ob amiſſam innocentiam tegere ſe, & veſtibus operire feſtinavit: Chriſtus verò nudatus eſt eò quòd integram & illæſam innocentia puritatem ſervaret, nec ei ullo alio tegmine opus erat:* ei qoidem opus non erat, quia ut innocens ipſe totus, ſic & oculi innocentes: at aliis quibus nocentes oculi, imò qui nocentes toti, opus erat tegmine.

Verum quid facias? non conſulebant Judæi decoro & pudori, ne conſulerent doloris tormento, atque ignominiæ, quæ erat à nuditate.

Maneat ergo ea D. Ambroſii ſententia in cruce planè nudum pependiſſe Chriſtum, & talem *quales, nos auctore Deo natura formavit.* Maneat, & ex illa nuditate documentum illud ejuſdem S. Doctoris. *Ib. to in c. 23. Luc.* *Talis aſcendit qui ſeculum vincere parat*, ut ſæculi adjumenta noo quærat. *Victus eſt Adam, qui veſtimenta quæſivit, vicit ille qui veſtimenta depoſuit.*

Pluribus ſuperſedeo, quia noo cenſeo pluribus probandam, & multò minus pro concione exaggerandam eam nuditatem, quia iſta exaggeratio plus fortè nocet, maximè fœmineo ſexui, quàm prodſit; Dum enim Eccleſiaſtes operoſiùs auribus injicit eam Chriſti nuditatem, injicit etiam phantaſiæ, & per hanc quaſi oculis ſubjicit, & hinc etiam pudendas, atque inhoneſtas cogitationes & motus, ideoq; cenſeo, ab ea abſtinendum: poterit tamen ex illa verbulo indicata, ſumi occaſio invectivæ in pudeodam illam fœminarum nuditatem. Interim

Deſcendo ad quintam in hoc argumento quæſtiooem, cur Chriſtus crucifixus potius quàm aut lapidatus, aut combuſtus, aut capite plexus, aut alio mortis genere affectus?

Duplex cauſa eſſe potuit, una litteralis, moralis altera.

Litteralis quoque duplex. Prima fuit odium in Chriſtum, quo exarſerant Judæi, ut eum, ejusque ſectam infamem redderent, dum cruce, morte utique peſſima, condemnaſſent: peſſima dico, quia apud Judæos & *maledictus* erat, *qui pendebat in ligno*, & crux adeo maledicta, ut crucem nominare nefas eſſet: inde cùm ſupplicii crucis facienda eſſet mentio, ſupponebant voculam *ligno* pro cruce.

Secunda ratio hæc fuit, quia cùm Judæi ex invidentiæ & maledicentiæ genio, Chriſto impoſuiſſent crimen affectati regni Judææ, & jure Romano ambientes Regnum damnarentur ad ceucem, ad illam eodem jure damnari debuit, ut qui (ut aiebant) regnum per nefas ambiviſſet, & in eo qui cæteris voluiſſet eminere in regno, emineret in patibulo.

Et hæc ratio fuit ex parte Judæorum; ex parte Dei verò alia, ipſius ſcilicet beneplacitum, quo voluit per ſtultitiam crucis ſalvos facere credentes in eum. Adde quod Chriſtus caderet ut grata Cœlo victima, victimæ autem elevabantur io altum Deo ſic offereodæ.

Ex parte verò Chriſti, & hominum aliæ atque aliæ.

Prima quæ D. Auguſtino placuit hæc fuit, ut ſicut Adam, & Eva peccârant extendendo manum ad lignum vetitum, ita Chriſtus peccatum illud elueret extendendo manus ad crucis lignum. *De diverſis Serm. 4.*

Secunda quæ D. Ambroſio arriſit, iſta fuit, ut *ſicut mors per arborem, ſic & vita per crucem.* *In Cap. 4. Luca.*

Tertia quæ etiam eidem D. Ambroſio probata, ut pendens Chriſtus in aëre, cœlum inter & terram, cœlites terrenis reconciliaret. Ut non ſibi ſoli, ſed omnibus vinceret, manus in cruce extendit, quo omnia ad ſe traheret, ut nodo mortis exuta, jugo fidei ſuſpenſa, cœleſtibus ea, quæ prius erant terrena, ſociaret.

Quarta quæ fuit D. Cypriani Epiſcopi & martyris, *ut ſuperioribus conſummati agonis vexillum*, id eſt crucem *inferret, & inferioribus ſcalam in Patris Æterni occurſum erigeret.* *In cap. 23 Luca.*

Quinta quæ à D. Hieronymo edita, fuit iſta, ut Chriſtus in cruce per quatuor ejus cornua quaſi totum mundum, ejuſque quatuor partes amplecteretur; ſic enim, inquit.

Ipſa ſpecies Crucis, quid eſt niſi forma quadrata mundi?

Oriens de vertice fulgens. Arcton dextera tenet. Auſter in læva conſiſtit. Occidens ſub plantis firmatur. Unde Apoſtolus dicit: *Ut ſciamus quæ ſit altitudo, & latitudo, & longitudo, & profundum.*

Sexta quæ D. Athanaſio pro remedio viſa, ea fuit, ut hominem doceret etiam exemplo concupiſcentiam ſuam crucifigere, ſi ſalvus eſſe vellet. *De Incarnat. Verbi.*

Mitto rationes alias his affines, omneſque hortor, atque obſecro, ut crucem ſuſpiciant atque ament veluti *currum triumphatoris, & triumphale patibulum*, ut disertè pièque D. Ambroſius ſupra. *Lib. 10. in Luc. c. 23.*

INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM
QUÆ HOC TOMO SEPTIMO CONTINENTUR.

A

ABBAS Beſarion oratione Solem ſiſtit. pag. 56
Abbas Cupres oratione ſterilem agrum, oratione fertilem reddit. 56
Abbas Olympius veneris æſtum ſedat æſtu, ardoréque Solis. 28
Abbatis Pimenii dictum elegans pro condonatione injuriarum. 15
Abbati morienti adſunt octo animarum millia, quæ Deo lucratus erat. 136
Abrahæ caritas in peregrinos. 152
Abrahami obedientia. 86
S. Abrahami Epiſcopi & Martyris dilectio inimicorum. 16
Abſalonis cordi tres infixæ lanceæ. 145
Abſalon vivens ſibi ſtatuam erexit. ibidem.
Abſalonis mors. ibid.
S. Adelardus Abbas exilio damnatur. 127
Admiratio. 178
Admiratio an in Chriſtum ceciderit? 10 & 11
Admiratio quid ſit, & quæ ejus cauſæ? 10
Ignorantia & novitas ibid.
Admiratio ignorantiæ filia, & ejus cauſæ 171
An vitium ſit, an virtus? 172
Adulatio quàm noxia. 133
Adoptio qua juſtus Chriſti frater & ſoror & mater eſt. Et qua ratione. 49
Adriani VI. in conſanguineos parcitas. 100
Adulteri moraliter qui? 44
Adulatio. 219
Ægyptiorum præmonitio. 74
Æternitatis ludi qui? 227
Æternitatis ſenſus. 27
Agape profanum. 208
Agricolæ in Vinea Domini qui? 121
Eorum officia. ibid.
Agrippina Neronis mater. 98
Stultè pro filio ambitioſa. ibid.
Alabaſtrum quid eſſet? 239
Albigenſes hæretici Chriſtum rurſus crucifigũt. 246
Albuinus Longobardorum Rex cranio pro calice uſus. 102
Alexandri Magni ambitio. 159
Alipii cum Auguſtino colloquium. 35
Alpaidis ſcelus. 232
Altare Thymiamatis. 239
Amaſius impudicus. 157
Ambitio. 98
Ambitio malus conſiliarius. 244
Ambitio inſatiabilis. 209
Ambitioſus cæcus. 101
D. Ambroſius Præſulum norma. 121
Amor cauſa eſt timoris. 164
Amor Dei Omnipotens. 196
Amor eſt pondus. 153
Amoris impudici quanta vis? 232
Amor in duabus ſororibus. 254
Amor ſagittarius. 233
Amori ſatis eſt ſcire. 196
Angelorum lapſus. 242
Angelus peccati fœtorem ſentit & horret. 200
Angeli auditi in Templo Jeroſolymitano dicere: *Migremus hinc.* 75
Angeli mali ſubinde Dei vindices. 163
Subinde & boni. ibid.
B. Angelæ de Fulginio amor in Euchariſtiam. 257
B. Angela de Fulginio à Chriſto docetur quomodo ſit orandum. 9
Angliæ perditio unde? 13
Anima fidelis cur ſponſa Chriſti? 44
Anima hominis quid ſit, & quo in pretio? 155 & ſeq.
Anima juſti corona gloriæ Dei. 49
Animæ mortuorum an errant circa corpus? 200
Animabus ſeparatis ſuáne poſſit eſſe ſenſatio. 104
Animarum verba ſunt deſideria. 52
Animalis homo quis? 159
Animalia donis naturalibus pollent. 159
Animata quantum præſtant inanimis? 226
Analogia concupiſcentiæ, & febris. 149
Apollinis ſtatua viſa lacrymari. 197
Apollo Abbas ſua oratione profanum myſtam, & Gentiles idola colentes reddit immobiles. 57
Apologus formicæ & cicadæ. 217
Apoſtoli quid ſint in Eccleſia? 92
Apoſtoli ſunt oculi Eccleſiæ, Cor populi, Patientiæ victimæ. ibid.
Apoſtoli columna Eccleſiæ. 93
Salvatores, Duces in Cœlum. ibid.
Aqua ſpadana, ejusque effectus. 207
Aqua Spiritus Sancti cur & unde viva? 160
Qualitates illius tres. ibid.
Aquæ hauſtus emptus ro millibus Ducatorum. 156
Aquæ terrenæ conditiones. 157
Aquilæ duæ inter ſe pugnantes cujus rei ſymbolum. 13
Ara Divinitatis Doctor Eccleſiæ. 121
Arca Teſtamenti continebat Manna & Virgam Moyſi. 163
Argentum vivum cinere extinguitur. 187
Ariani maximè ſimoniaci. 37
Aſa Regis morbus & mors. 194
Aſina Balaam Angelum videt. 34
Aſtræa cur pulſa terris? 218
Athlantes nulla habent nomina. 209
Avaritia malus conſiliarius. 244
Avaritiæ malum quantũ ſit, quantaq; ab eo ſitis. 158
Avarus in templis? 168
Avari cor. 172
Avarus cæcus. 101
Avaritiæ remedium præſens. 187
Auditor doctrinam Concionatoris ſpectet, non vitam. 90
S. Audomarus cæcitatem amavit. 102
S. Audomarus in cæcitatem recidit. 150
S. Auguſtini vincula. 265
Aurea in Templis. 158
Aurum, oti & ferrum inferri in templo nefas. 164
S. Auxentius Archimandrita miraculis celebris. 55
& hoc quia humilis ejus oratio: *Sanat vos IESVS: ego enim ſum homo peccator.* ibid.

B

BALAAM Angelum non videt, videt Aſina. 34
Balthaſaris Regis timor. 79
Balthaſari Regi fatales litteræ. 173
Balthaſari Regi fatales charactères. 164
Baptiſmus eſt pro piſcina probatica. 80
Baptiſmi Sacramentum cur in aqua? 159
D. Baſilius magnus Coſmopolitam ſe dixit. 127
Beati an impeccabiles, & unde? 226

Beati-

Beatitudinis eſſentia in quo ſita? 226
Beda Venerabilis fit Monachus anno ætatis 7. 216
Bellarmini Cardinalis Altarium cura. 259
S. Benedicti Ordo quo numero. 224
Ejus mora ſancta. ibid.
Beneficia quomodo conferenda, & quibus? 100
Beneficentia felicitatis comes. 197
Bethſaida quid nominis, quid rei? 58
Bethania unde dicta? 191
S. Brigidæ & S. Brigæ dæmon ſe ſpectandum præbet. 50
Bulgarus adulatorem carpit. 219
Bullonius renuit coronam. 263

C

CAINI invidia. 33
Caini timor, & unde? 79
Caiphæ conſilium in Chriſtum. 242
Calix juſtitiæ, & miſerationis ſymbolum. 102
Calix ſubinde voluptatis ſymbolum. ibid.
Calix triplex: Amaricans, Inebrians, Sanans. 103
Calicis nomē unde,& quàm varia ejus acceptio? 101
S. Caroli Borromæi zelus. 122
Carolus VI. Galliæ Rex Pontifici dedit oſcula: Ori, manui, pedibus. 237
P. Carolus Spinola vivus exuritur, durat in igne ad horas. 26
Capilli quid ſint? 236
Eos Gentiles Diis offerebant. ibid.
Capillorum luxus culpatur. 236
S. Catharina Senenſis diabolum videt. 251
S. Catharina Senenſis docetur à Chriſto orare. 9
S. Catharina Senenſis peccati graveolentiam ſentit. 200
Cathedra Moyſis quæ? 83
Cathedra Petri quæ? 83
Cathedra Petri quomodo una? 84
Cathedræ Philoſophorum. ibid.
Centurio quid hominis? 7
Quæ ejus ad Chriſtum oratio? 8
Quæ in eo virtutes: 1. Timor Domini. 2. Humilitas. 3. Fides. 4. Prudentia. 9
Quæ orationi jungendæ virtutes? ibid.
Chananæa quid gentis? 60. quid nominis? 52
Chriſti Paſſio eſt Tragœdia in quas 1. Actus eſt Flagellatio. 2. Coronatio. 3. Crucifixio. 260 & ſeq.
Chriſti paſſiones non erant; ſed propaſſiones. 209
Chriſti fatigatio, & quid in ea myſterii? 151
Chriſti Paſſio gloria noſtra. 92
Chriſti pedes myſticè quid ſint? 217
Chriſti ſcientia triplex: Experimentalis, Beatifica, & Infuſa. 10
Chriſti nomen cur oleum? 239
Chriſti zelus erga Samaritanam. 151
Chriſtum ſequi laus ſumma. 223
Chriſtum mori cur conveniens. 248
Chriſto videre quid importet? 63
Chriſtus adventu ſuo in Ægypto idola evertit. 57
Chriſtus ægro apparet medici ſpecie. 120
Chriſtus cur Judæis in odio? 218
Chriſtus eſt præco bonorum operum. 22
Chriſtus in peccatoris faciem ſanguinē conjicit. 120
Chriſtus Judæis erat pro ſepimento, Muro, Calamo, Navi. 245
Chriſtus patiens eſt Liber ſcriptus intus & foris. Foris in Corpore, intus in Anima. 260 & ſeq.
Chriſtus Petra ſpiritalis. 161
Chriſtus ſæpius lacrymatus, quando, & qua de cauſa. 198
Chriſtus traditur à ſeipſo, à Patre Æterno, ab hominibus, à dæmonibus. 94
Chriſtus tres cæcos ſanavit. 101
Chriſtus vendentes & emētes cur ejicit è Tēplo. 35
Chriſtianus quis ſit? 231
Chriſtianus juſtitiæ, & virtutis nomen. 101
Chriſtianus quomodo debeat conſummare omnia. 97
Chriſtiani cur dicti ſint empti. 158
Chriſtianorum ſtultitia ex igne æterno arguitur. 29
Chriſtianis cur maledixit Deus? 523 & ſeq.
Chryſaorii exitus infelix. 187
D. Chryſoſtomus vitio ſacellani miniſtrantis devotionis ſenſu privatur aridus totus. 51
Clamor in ſcripturis, afflictionis, deſiderii, amoris, orationis, & virtutum. 52
Cæci cur luto, & ſaliva ſanati. 102. Cur loti in natatoris Siloë. 103
Cæcitas an malum? 110
Cæcitatem qui amarunt. 103
Cœlum homini eſt patria. 127
Cœli, & cœleſtium deſiderium. 100
Cognitio ſui. 9
Columnæ Jahin, & Boos quid ſint? 84
Columna Chriſti viſitur Romæ in æde S. Praxedis. 261
Columna nubis, & Ignis. 84
Concionator eſt medicus, Tonet & fulguret 219
Concionatoris eſt prius facere, tum docere. 89
Conciones quomodo audiendæ? 173
Concionatoris ferale facinus. 89
Concilia tria apud Judæos: 1. Mammona, 2. Muſfat, 3. Sanedrim. 242
Conſiliarii in Chriſti mortem cōſpirant, iique tres: Invidia, Ambitio, Avaritia. 243
Conſilium dæmonum in Chriſtum. 242
Concupiſcentia eſt ſanguiſuga, eaque triplex. 208
Conſtantini Magni habitus orantis. 10
B. Cōſtabilis Abbas apparet Diacono nomine Danſerio, quòd orans ejus ſepulchro indormiret. 48
Conſuetudo peccandi eſt quaſi neceſſitas. 80
Quantum malum. ibid.
Conſuetudo quàm noxia. 199
Conventicula in Templis damnata. 39
Convivia an celebranda, & quomodo? 108
Conviviorum quis finis, & quis modus? 109
In iis quinque ſervanda. ibid. Menſura, Ordo, Decor, Puritas, Moderatio. 110
Cor diviſum diviſus affectus. 172
Correptionis gradus tres. 137
Correptio fraterna an ſit præcepti? 132
Ejus neceſſitas & utilitas. ibid. & ſeq.
Correptio qualis eſſe debeat? 219
Correptionis omiſſio noxia peccanti, omittenti, & publico. 138
Correptionis modus, & ordo. 134
Ejus lucrum. 135
Correptionis ordo certis caſibus non eſt ſervandus. 137
Corvus ſymbolum impœnitentis. 205
Coſmopolitam ſe dixit Socrates. 127
Coſmi Medicei liberalitas. 215
Cranio pro calice uſi ſunt Antiqui. 102
Crucis nomen olim infandum. 255
Curioſitas. 171

D

DÆMONES moribundis adſunt maximè impœnitentibus. 205
Dalila carnis ſymbolum. 165
Davidis adulterium. 153
David Ægyptius ignem oratione extinguit. 56
Davidis clementia. 164
Davidis exercitus auctos etiam miraculo. 145
Denarius antiquus cujus valoris? 239
Dei miſeratio. 129
Dei clementia etiam in damnatos. 164

Digitized by Google

Dei videre quid importet? 63
Dei dicere quàm potens. 189
Dei providentia in omnibus. 185
Dei bonitas in præmonendo de futuris malis, ut præcaveant. 74
Deos ſuos ligabant Gentiles, ne abirent ab illis. 75
Deum, aut Deam ſingulis actionibus Romani aſcribebant. 162
Deum quærunt homines: ſed alio atque alio modo. 75
Deum aliquem deſerere quantum malum? 74
Deum Orbi creato illacrymatum fabella. 198
Ubi quod ex ejus lacryma oceanus. ibid.
Deus primus Concionator. 175
Secundus Chriſtus. ibid.
Deus non deſerit niſi prius deſeratur. 75
Deus ad pœnas tardè venit. 164
Deus vita prima. 226
Deus peccata permittit, cur non impedit? 64
Deus eſt præco bonorum operum. 12
Denarius antiquus cujus valoris. 139
Detractionis vis quanta? 95. vitium. ibid.
Dextera in Scripturis quid ſit, quid & ſiniſtra? 17
Diabolus eſt Pirata. 101
Diaboli aſpectus quam terribilis. 251
Dilectio etiam inimicorum triplex: Cordis, Oris, & Operis. 15. Ejus gradus & modus. ibid. Ejus exempla. ibid. & ſeq.
Diluvii præmonitio. 74
Divitiarum contemptus. 98
Divitis Epulonis & Lazari mendici ſitnè vera hiſtoria an parabola? 103
Divitis Epulonis nomen cur taceatur, & mendici Lazari cur exprimitur. 105
Divitiæ ex vitio quid ſint? 105
Denſum lutum, fæces, ſtercora, impedimenta, vincula, idola. 106
S. Dominicus, & S. Franciſcus Capitulo Generali plurium millium annonam impetrant. 57
Dulas Abbatis Beſarionis diſcipulus ſiticos aquam maris oratione dulcem reddit. 56
Duplexio Pariſienſi Hiſtorico cur impoſitæ plagæ? 219

E

EBRIOSI ſcelus in Chriſtum. 246
Eccleſia quid ſit? 83
Eccleſia eſt Columna. 84
Eccleſiaſten inter verum, & falſum quæ differentia. 175
Eccleſiaſtes ſit veridicus. 218
Eleëmoſyna fiat ſecretò. 18
Comparatur Virgini. ibid. Fit tribus modis. ibid.
Eleëmoſynæ proventus. 174
Eleëmoſyna quomodo facienda? 16
Eleëmoſyna facta ſtudio placendi hominibus herba eſt, non ſemen. 17
Eleëmoſynæ ſolius cur in die Judicii fiat mentio? 23
Eleëmoſyna non pauperi fit, ſed Chriſto. 24
Eliſei oſſa mortuum reſuſcitant. 184
Eloquentiæ hieroglyphicum manus. 89
Ephæſtionis laus. 243
Epiſcopi Orbis oculi. 121. Imo & Dei. ibid.
Epiſcopus Simoniacus juſſus pronuntiare verſiculum *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*, nomen Patris & Filii rectè pronuntiat, Spiritus Sancti non poteſt. 37
Epulo dives cur in inferno? 111
Epulonis mors peſſima. 78
Epulonis immiſericordis pœna. 174
Eremicola tentatus à Venere, & muliercula, probat ſeipſe igne, digitos uri adurique patitur nocte tota: ſui victor imò & mulieris, quæ ad id ſpectaculi obriguit: excitata deinde precibus ſolitarii. 28. Vitæ, & pœnitentiæ reddita. ibid.
SS. Euchariſtia injuriis affecta. 260
SS. Euchariſtia Liber eſt, quid in eo ſcriptum foris, quid intus? 255
SS. Euchariſtiæ miracula in genere naturæ: 1. A forma conſecrationis. 2. A tranſſubſtantiatione. 3. Ab accidentibus ſine ſubjecto. 4. A corpore in diverſis locis. 5. A corpore quaſi in puncto. 6. A nexu cum ſpeciebus. 256 & ſeq.
SS. Euchariſtiæ miracula in genere moris: 1. Amoris miraculum. 2. Obedientiæ miraculum. 3. Patientiæ miraculum. 4. Humilitatis miraculum. 258 & ſeqq.
Eugenius IV. Pontifex deponitur. 237
S. Eupraxiæ obedientia. 86
S. Euſtachii caſus miſerabilis. 251
S. Euthymius peccati fœtorem ſentit. 200
Exempla domeſtica plus movent. 13
Exempla eorum qui inimicos dilexerunt. 15
Exempli vis quanta? 224
Exilium nullum viro forti. 127
Ezechiæ Regis morbus. 194

F

FACIE humi volutante. 159
Et humi ſtratis in templis. ibid.
S. Felicitas ſeptem filiorum mater, quos peperit carne & ſpiritu. 49
Ficulneæ maledictio. 122. Cur, & unde? ibid.
Fiducia ſit in orante. 10
Fiducia in homine quàm noxia. 67
Filii Regni in Scripturis qui? 53
Quomodo ejecti in tenebras? ibid.
Filiorum Zebedæi error, & ſtulta petitio. 99
Flagellum cur ſibi fecit Chriſtus de funiculis? 263
Fontes mirabiles in Palæſtina. 235
S. Franciſcus Borgiæ adeſt peccatori obſtinato. 261
S. Franciſci Borgia zelus. 120
S. Franciſcus ficui maledicit. 123
S. Franciſcus Saleſius 72 millia ad fidē cōvertit. 121
S. Franciſca Romana rapitur in Cœlum. 92
S. Franciſcæ Romanæ obedientia. 86
Fuga in perſecutionibus an licita? 210
Furtum coloratum malè. 3

G

S. GENOVEFA medetur febribus. 150
Genua in Templis. 169
Gratia quomodo hominem facit divinæ conſortem naturæ. 225. Ejus excellentia. ibid. Quomodo per eam Spiritus S. in nobis inhabitet. ibid. Quid ſit: Forma juſtificans, Cœleſte ſemen, Vita, Pluvia, Cœli ros, Medicina, Cibus animæ, Vita æterna. 225 & ſeq.
Gratiæ vita quæ? 225
Gratia quid ſit, & qui ejus effectus? 161
Gratia non deeſt volenti. 66
Gratia prima gratis datur. ibid.
Gratia ſimilis eſt ſpeculo. 161
Gratitudo quid ſit? 37. Quæ, & quanta eſſe debeat, ut ſimoniæ labem non incurrat. 38
Gregorius VII. Pontifex Epiſcopum ſimoniacum deponit. 37
S. Gregorii Taumaturgi zelus. 122
Guilielmi Archiepiſcopi Bituricenſis dilectio mira erga inimicos. 15

H

HELI peccatum, & pœna. 200
Heliodorus anno ætatis 3. fit monachus. 216

Digitized by Google

Heliogabalus aulicos habet ut ſpongias. 158
Henrici VIII. Angliæ Regis adulterium. 232
Hæreſis Judæi Gaulonitæ. 83
Hæretici vulpes. 121
Hæretici iovidi in Sanctos. 243
Hæreticorum malitia. 275
Herodis immane facinus. 232
Herodis mors & funus. 78
Hiſpana mater filio capite plexo cum caput oſculatur, moritur. 197
Hiſtoria, & Hiſtoricus qualis eſſe debeat? 219
Hollandorum ab Hiſpano defectio. 251
Homo quid ſit? 278, & ſeq.
Homo ſimilis navi. 225
Humilitas in Templis. 168
Humilitas naſcitur ex cognitione ſui. 9
Hypocritæ Monachi mors peſſima. 82
Hypocritæ quales? 1, & ſeq.
Hypocriſis definitio. Et deſcriptiones. 2
Hypocriſis, & ſimulatio quantum malum? 17
Hypocritæ in Scripturis qui? 45

I

S. IACOBI Eremitæ caſus miſerabilis. Incidit in ſtuprum & homicidium, pœnitentiam agit. 213
Japonii igne ſæviunt in Chriſtianos. 26
alligant ad palam vinculis vimineis ut exire poſſint. ibid.
Idolum sæli quod ſit? 146
Jejunandi modus. 1
Jejunium jungitur orationi. 1
Jejunium quid ſit? ejus deſcriptiones. 3
quale eſſe debeat. ibid. & 4
JESU præſentia erat ſolatio afflictis. 202
R. P. Ignatii Martines virtus. 216
Ignis in Ægyptios ſævios urebat quidem animalia ſed non exurebat. 27
Ignis Inferni an alterius generis, & naturæ ſit à noſtro? 26
Ignis inferni an æternus, an combuſtio etiam æterna? 26
Ignis Inferni, & elementaris differentiæ variæ. 27
Ignis ſupplicium ultimum. 26
Immunditia Legalis quæ & unde? 139
Impœnitentia finalis. 253
Imperatores humi ſedentes, & quæ ratio? 227
Incarnatio, & Nativitas Chriſti, & modus. 185
Infans ante baptiſmum anonymus. 105
Ingratitudo. 202
Ingratitudo ſumma. 253
Inimicorum dilectio quàm difficilis. 14
Injuriæ condonatio. 15
Inobediens ſimilis ægro. 121
Inobedientia punitur. ibid.
Invidia Luciferi peccatum. 32. Prima peccati janua. ibid. Eſt Tinea, Febris Hectica. 33
Invidiæ genius, & malum. 126
Invidia Saulis in Davidem. 243
Invidia malè facere iis qui benefaciunt. 205
Invidia malus conſiliarius. 243
S. Joannis Abbatis obedientia. 86
S. Joannis Bapt. encomia. 232
Jobi filiorum convivia in orbem. 108
Jobi reſignatio. 185
Jonas ut figura Chriſti. 46
Joſephi caſtitas. 213
Joſephi fratres invidi. 33
Joſephi Patriarchæ ſapientia. 218
Joſue Solem ſiſtit. 40
Jovioiani mors. 115
Iracundus cœcus. 101
Judæi cur naſcuntur plerumque manu plena ſanguine? 245. Rei ſunt Chriſticidii imò Deicidii. 246
Judæi triginta uno denario veneunt. 253
Judex ſit æquus. 219
Judaica natio cur dicta ſit adultera? 44
Judæorum præmonitio. 74
Judæis cur maledixit Chriſtus? 123
Judices Dii. 221
Judithæ Solimæ gloria. 107
Julianus Apoſtata dæmonem mittit in Perſidem; ſed eum immobilem oratione ſua reddidit Monachus. 57

K

S. KENTIGERNUS Lupis imperat, ut aratrum ducant. 57

L

LACEDÆMONII ſolis meretricibus veſtium luxum permittebant. 107
Lacrymarum origo. 178
Lacrymæ ſunt voces oculorum, ſunt fontes, ſunt baptiſma, ſunt uniones, ſunt tacitæ preces, ſunt claves Cœli. 234 ibid.
Lacrymæ ſunt diluvium. 235
Lacrymæ Chriſto pro potu. 156
S. Lamberti Epiſcopi Tungrenſis ſacra libertas. 232
Latro unde dictus? 38
Lazarus ab hebræo Lazar, id eſt in adjutorium. 191
Lazari ſuſcitationi cur illacrymatus Chriſtus. 198
Lazari reſuſcitatio. Ejuſque circumſtantiæ. 198
& fœtor. ibid.
Lazarus quid hominis, quid nominis? 210
Cur in ſinu Abrahæ. 211
Lazari mora optima. 78
Legis commoda: 1. quod ſit pro muro, 2. pro vallo. 119
Libidinoſus cœcus. 101
Lilia hieroglificum candidæ mentis. 176
Locuſta peccati ſymbolum. 187
Loqui ourbus in Templis damnatum. 39
Lotio Legalis quæ? 140
S. Liduina ægra per 38 annos. 150
Ejus corona. ibid.
Ludovici IX. Galliarū Regis modeſtia in veſtitu. 107
S. Ludovicus Galliæ Rex in pauperes liberalis. 19
Luna noctis oculus. 121
Luxuria vitiorum metropolis. 232
Luxuriæ damna, & infamia. 231
Adnata illi vitia. 232
Luxuria eſt ſanguiſuga. ibid.

M

S. MACARIO apparet Idolorum olim ſacerdos damnatus. 27
Machabæorum fortitudo. 130
S. Magdalenæ de Pazzis cordi impreſſæ hæc voces: *Verbum caro factum eſt. Verbum* litteris aureis, *Caro factum* ſanguineis. 223
Magdalena unane, an plures? 229
Magdalena cur & unde peccatrix? 231
S. Magdalena fuit Petrâ Horeb. verſa in aquas. 234
S. Magdalena ſimilis cervæ. 233
S. Magdalena ſimilis oſtreæ. ibid.
S. Magdalena quomodo venit ad Chriſtum. 235
S. Magdalena collata à Chriſto beneficia. 231
Mahometes Deum flere dixit, & ſtellas ejus lacrymas. 197
Manichæorum hæreſis de Chriſto. 198
S. Martinianus à dæmone tentatur, tentatur à procace muliercula, ut eam vincit, igne ignem domat, rupem conſcendit, abjicit ſe in mare, excipitur à duobus Delphinis, littorique redditur. 214

Margaritæ Auſtriacæ Altarium ni1or. 259
S. Martinus partem chlamydis dat egeno. 12
S. Martinus Chriſti perfectus imitator. 103
Martyres 909 una die, uno in monaſterio. 224
Mathatiæ zelus. 170
Matrimonii lex non plus quinquies. 154
Medice cura teipſum quam rectè? 127
Medicus quis eſſe debeat? 130
Medicus ægro præeat. 102
Memoria ignis infernalis extinguit ignem libidinis. 28
Michaëlis Severi error de gratia. 225
Miracula cur dicta fieri in digito Dei? 43
Miracula cur fere in Sabbatho fecerit Chriſtus? 43
Miracula Chriſti Divinitatem probant. 242
Miracula in ſola Eccleſia Catholica. 42
Miracula Meſſiæ ſigna erant. 41
 ſunt & Prophetarum. ibid.
 ſunt & Antiquorum. ibid.
Monachorum, & Monialium vocatio. 223
Modeſtia in veſtitu commendatur. 107
Modeſtia in templis. 167
Moneta Fauſtinæ Auguſtæ. 227
S. Monicæ pro filio cura. 99
Morbi recurſus quis eſſe debeat. 194
Morbus eſt opportunus monitor. 150
 Via eſt ad palmas. ibid.
Mors incerta. 217
Mors funeſta. 113
Mors impia in ſpeciem felix. 112
Mors pii in ſpeciem funeſts. ibid.
Mors oratio ad viventes. 186
Mors pro oratore facundo. ibid.
 Pro medico animorum. ibid.
Mors à peccato duplex. 76
Mors feralis à dilata in extremo vitæ pœnitentia. 205
Mors Antiquis pro Deo. 288
 Dicta Libitina à libitu. ibid.
 Ab ætate, valetudine, regnis, opibus nulla ſecuritas. ibid.
Mortem Deus non fecit. 76
Mortui tres à Chriſto reſuſcitati. 190
Mortuus ſpeculum mortalitatis. 185
Moyſes cur dictus Deus Pharaonis. 88
Mundi amator inſanus. 100
Mutius Eremita oratione Solem ſiſtit. 56

N

Nardus frutex aromaticus. 238
Nabuchodonozoris faſtus inſolens. 191
Naſamones Africæ populi. 227
Ninivitarum præmonitio. 74
S. Nicolai in pauperes liberalitas. 19
Nuptiæ jam quoties licitæ. 154

O

Obedientia nota ovium Chriſti. 213
Obedientiæ, & continentiæ certamen. 86
Obedientia debetur Prælatis etiam malis. 88
Obedientia Chriſti. 88
Obedientiæ perfectæ norma. 86
Obedientes beatitudinis viri. 222
Obduratio. 173
Obſtinatio in malis. 204
Occaſio unde dicta. 212. Quid ea ſit? Via, Porta, Radix, Fomes peccati. ibid.
Occaſiones peccandi fugiendæ. 211
Ochoziæ Regis morbus. 194
Oculus triplex in homine: Corporis, Animi, & Fidei. 179
Oculi paſſionum indices. 178
Oculorum cuſtodia in Templis. 39 & 168
Oculi columbini qui? 178
Oculi Auguſti quales. ibid.
Oliva parentum eſt ſymbolum. 97
Omnia bona, omnia ornata præter ſe. 140
Opera miſericordiæ, & eorum merces. 19
Orationis importunitas impetrat. Vim Deo infert. Eſt Deo quaſi frænum. 54
Oratio Phariſaica. 55
Orationis gradus: 1. Reverentiæ. 2. Humilitatis. 54 & 55
Oratio extra turbas, & tumultus. 51
Oratio fiat ſecreto, & uni Deo. 18
Oratio eſt manifeſtatio Dei, & ſui. 9
Oratio qualis eſſe debeat, maximè in publico. 40
Oratio eſt Omnipotens. 55
 Virtutes illi comites: 1. Conſenſio cum divina voluntate. 2. Patientia. 3. Humilitas. 4. Fides. 53 & ſeq.
Oratoris munus facere, tum dicere. 89
Origenis error de igne Inferni æterno, & de combuſtione non etiam æterna. 26
Os inferni in Templis. 168
Oſculum ſubinde incentivum libidinis. 238
Oſcula myſtica quæ? Incipientium, proficientium, & perfectorum. 237
Oſculum ſymbolum amoris. 238
 Pacis, & concordiæ. ibid.
Oſcula tria uſurpari ſolita: Oris, Manuum, & Pedum. 237
Oſiandri error de gratia. 200
Oſtrea quomodo generetur! 233
Ottomannici Domini veſtibus admittũt oſcula. 237
Oves quomodo matres agnoſcunt? 222

P

Parentibus quis debeatur honos, quæ partes, quæ benedictiones ſecutæ? 143
 Quæ maledictiones ſi contra? 144
Parentum pro filiis cura, 97 & ſeq.
 Ne ſit præpropera. ibid.
Parentibus debentur tria. 85
Patientia miraculum Chriſtianum. 92
Patientia ut neceſſaria. 101
Patientia Chriſtiano neceſſaria. 94
Patria viro forti eſt omne ſolum. 27
S. Patricius oratione Solem ſiſtit. 56
Pavor quid ſit, quæ ejus ſpecies, & quantus in Chriſto. 254
Pauperes viſcera Chriſti. 106
Peccata ſcribentur ſtylo ferreo. 81
Peccata triplicia generis: Ignorantiæ, Debilitatis, & Malitiæ. 61
Peccator obliviſcitur ſui. 81
Peccata ſunt idola, & peccatores idololatræ. 45
Peccata ſunt vincula, & funes. 81
Peccati malitia infinita. 247
Peccatoris nomen anonymum. 105
Peccatum eſt funis. 165
Peccatum eſt injuria in Deum. In Dei matrem. 47
 In ſuperos. In ſeipſum. 48
Peccator animam ſuam vendit dæmoni. 36
Peccati fœtor. 199
Peccati pondus. 153
Peccatoris timor, & unde. 79
Peccati domus quæ, & qualis? 46
Peccatores animalibus ſimiles. 45
Peccata cauſæ ſunt morborum. 62
Peccatoris obſtinatio. 161
Peccator omnis cæcus. 101
Peccatoris inſenſibilitas unde? 153
Petrus Caſtellæ Rex cognomento Crudelis. 253
Perpetua uxor D. Petri. 150

Perſo-

Perſonæ acceptio non eſt apud Deum, 166
Neque apud Chriſtum, *ibid.* Neque eſſe debet in Chriſtianiſmo. *ibid.*
Perſecutio eſt probatio. 210
Perſonarum acceptio damnanda. 179
Petra mutata in fontem; 160. In fluvium. *ibid.*
Petra Horeb quæ? 234
D. Petro quantum profuerint lachrymæ. 234
Petronilla D. Petri filia. Sanatur à febri. 150
Dein ſanctè moritur, & virgo. *ibid.*
Peruani dividebant annum in menſes octodecim dies viginti. Univarſim in trecentos 65. dies. Illos quinque vocabant Dies nihili, quòd eos in otio tererent. 216
Pharaoni præmonitio. 74
Pharaonis obduratio. 173
S. Philippi Nerii amor in Eucharistiam, 257
Philippi IV. Hiſpaniarum Regis dictum prudens in morte. 100
Phocion inter ſapientes reputatur, 98
Phryne meretrix famoſa. 116
Pipini Regis luxuria. 232
Pirrbus Patriarcha excommunicatur. 120
Piſcina fidelibus quænam? 59
Piſcina in Heſebon quæ? 60
Pœnitentiæ norma. 231
Pœnitentia, atque ab illa animæ ſanitas oſtenditur in tribus. 70
Pœnitentiæ dilatæ malum. 205
Pœnitentia eſt veluti piſcina probatica. 60
Pœnitentia & ejus comites. 199
Pœnitentiæ menſa & fercula. 231
Politicorum malum. 242
Poppea Neronis uxor. Ejus molliſies. 232
S. Poppo Abbas uno die centies genuflectebat. 9
Prælati cur dicti in terria Dii? 87
Præſulum cura quæ eſſe debeat? 130 *& ſeq.*
Principes ſunt capita populorum. 103
Sunt oculi. Sunt corda. *ibid.*
Probatica Piſcina quid nominis, quid rei. 58
Ejus author. Ejus vis. *ibid.*
Propheta cur nemo in patria ſua? 125
Prophetiæ de Chriſto: Aliæ rebus, Aliæ verbis, Aliæ ſcriptis expreſſæ. 95
Ptolomæus Rex dictus benefaciens. 196
Pudicitiæ exemplum rarum. 157
Puteus à putore dictus. 157
Puteus eſt mundus ad quem accubant tres greges. 157
Pulchritudo quid ſit? 169

R

Recidiva, & ejus damna. 48
Recidiva, & ejus malum. 46
Recidiva quomodo cavenda. 70
Exempla illius, & pœna. 71 *& ſeq.*
Reges ſubditis utuntur ut apibus. 158
Religioſi ex Regum progenie. 124
Rex olim cogebatur venenum bibere. 102
Rex exemplo ſuia præeat. 102
Roberti Sorbonæ culpatur luxus in veſtitu. 107
Rodolphi Imperatoris ſitis. 156
Roma cur Urbs æterna? 127

S

Sacerdotes quàm mundi eſſe debent. 36
Sacerdotum vitia. 166
Salomonis libri à quo deſcripti. 194
Cur & unde plurimi perierint? *ibid.*
Samaritanæ nomen proprium *Photina*. 154
Sancti qui variis morbis medentur. 150
Samaritanæ virtutes. 154. Martyrium. 155
Sanitas oſtenditur in tribus. 69
Sardanapalus, ejuſque epitaphium. 207
Sara an mortua audita Iſaaci morte. 197
Saulis inobedientia punitur. 121
Saulis Regia invidia. 33
Scribarum; & Phariſæorum vitia. 140
Scribendi ratio antiqua. In ceris & ſtylo ferreo. 81
Sebaſtiani Davini obediendia. 86
P. Sebaſtianus Samura Japonius exuritur, & durat in igne ad tres horas. 26
Sedere quid portendat? 227
Sennacherib Hieroſolymam obſidet. 196
Sepeliri in religioſa veſta an decorum. 114
Sepulchris illati olim theſauri. *ibid.*
Sepulchra inferni quæ? 113
Sepulchri privatio dedecora. *ibid.*
Sepulchri gratia, & honor, 112
Sepulchro Davidis illati olim theſauri, 114
Serpenti cur maledixit Deus? 123
Silentium triplex: Cordis, Oris, & Operis. 252
Silentium in Templis. 39
Illud ſolvere quàm indecorum. *ibid.*
Simeonis Stylitæ oratio. Genuflexiones uno die mille ducentæ. 9
Simonia colorata. 3
Simonia quantum peccatum? 36
à quo dicta. *ibid.* Quomodo damnata. 137
Sitis duplex: Corporis & Animi, 206
Ejus cauſæ? *ibid.*
Sitis triplex, & ejus cauſæ. 155
Sitis animi quæ? *ibid.* Sitis argumenta. *ibid.*
Sitis Chriſti quæ? 156
Sitis indicia, & argumenta. *ibid.*
Sodomitarum præmonitio. 74
Solis ſtatua aurea apud Peruanos. 216
Spes in Deo diſpoſitio ad ſanitatem. 10
S. Stephani Regis Hungariæ zelus. 171
Stephanus Papa fabulis in Templis quòmodo damnarit. 39
Studium diſcendi immoderatum. 172
Surita hiſtoricus cur à morte vocatus in jus? 219
B. Suſonis patientia. 215

T

Tædium quid ſit? 252
Cauſæ tædii. *ibid.*
Templi Jeroſolymitani porta ære ſuſa ſponte aperta. 75
Templorum veneratio, & reverentia. 169
Templi Salomonis loca quatuor. 35
Tempus vitæ nundinæ. 217
Nullum ei definitum. *ibid.*
Tempus phyſicè quid ſit? Quid moraliter? 215
Tempus Chriſti duplex, & quid illud? *ibid.*
Temporis pretium. 28
S. Tereſia delectabatur de die æternitatis. 225
S. Tereſia videt Sacerdotis ſcelus. 158
S. Tereſiæ datur viſio gratiæ. 161
Terrenorum contemptus. 100
Terra Chriſtiano eſt exilium. 121
Thalelæus includit ſe rotæ, ad decem annos totus incurvus. 28
Theodoſii Imperatoris pietas. 40
S. Theodoricus Epiſcopus Aurelianenſis maleficia beneficiis compenſat. 15
Theſaurus quid ſit? 6
Theſaurus in terra quis, quis & in Cœlo? 6
Theſauriſandum, & quibus. an filiis & nepotibus, & Terris an Cœlis. *ibid.* Et modus theſauriſandi, non terris, ſed Cœlis. *ibid.*
Tiberii Cæſaris oculi. 178
Tigris quomodo capiatur. 186
Tumor quid ſit? 178

Timo-

Timoris cauſæ. 179
Timor Domini pro fræno. 164
Titus Imperator Hieroſolymam obſidet? 253
Tobiæ cæcitas fortunata. 185
Torquatus culpatur à capillorum luxu. 236
Culpantur & Chriſtiani. ibid.
Torcular unde dictum. 120
Tranſitus Jesu quid importet boni. 177
SS. Trinitatis decretum de morte Chriſti. 246
In eo lucet Patris potentia. Filii Sapientia. Spiritûs S. Bonitas. 247
Triſtitia quid ſit? 250. Quanta in Chriſto. 251

V

VANA gloria quomodo fugienda. 16
Udonis Archiepiſcopi Magdeburgenſis infelix exitus. 204
Veſtium luxus. 106
Veſtium luxus culpatur. 107
Verbum Dei Ignis, & ſagitta. 176
Veritas cur pulſa terris? 218
Cur in odio? ibid.
Videre Chriſti quid Importet boni. 177
Vigiliæ ſuper vinea Domini. 121
Vindicta Dei juſta. 253
Vinea quæ? quæ ſeps? quod torcular? 115
Quæ turris? qui Agricolæ? quod tempus fructuum? qui ſervi? ibid.
Vinea Sodomorum. Vinea hæreticorum. 115 & ſeq.
Quæ illas vineas maneat pœna. 117
Vineæ Domini quæ ſeps, & quàm varia: 1. Angelorum. 2. Dei protectio. 3. Lex, & mandata. 118
Vinea Domini quæ? qui palmites? 119
Virgines Mileſianæ nuditatem ut horrent. 261
Virgines ne curſitent. 195
Virtus celata Deo judice gaudet. 18
Vita depoſitum. 189
Vita hæc piraterium. 101
Vita humana quid ſit? Datur commodato. 188
Vita triplex: Vegetativa, Senſitiva, & Rationalis. 190
Vita hæc eſt navigatio. 101
Unguentum triplex effundat peccator. 239
Unguentorum uſus, & cauſæ? 238
Vocationi, & inſpirationibus obſiſtentes. 204
Vocatio Gentilium. 22
Cur dicuntur ſedere cum Abraham, Iſaac & Jacob. 13
Voluntas Dei In nobis. 49
Voluntas in homine duplex. 65
Voluptas pecoris bonum. 207
Vox Chriſti tripliciter auditur. 221
Uſura colorata. 3
Uxor Loth cur verſa in ſtatuam ſalis. 208

W

WAZO Epiſcopus Leodienſis in egenos liberalis. 19
Wolſæi Angli ambitio. 159
Wolſæi Angli caſus miſerabilis. 159 & 209

X

XERXES cur exercitui ſuo illacrymatus. 199

Z

ZAMIÆ ſona, ejuſque effectus. 206
Zeli exempla. 170
Zeli motus. ibid.
Zeli parens eſt amor. ibid.
Zeli Phinées. ibid.
Zelus Eliæ. ibid.
Zelus Moyſis. ibid.
Zelus quid ſit? ibid.
Zelus vita Dei. ibid.
Zelus animarum, & unde? 136
Zoſimus Abbas leoni qui aſellum voraverat, Imperat ſarcinas ferre. 56

FINIS.

AM 1513:4

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google